UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Panarion, Hoc Est, Arca Medica Variis Diuinæ Scriptvræ priscorumq[ue] Patrvm Antidotis aduersus Animi morbos instructa

Busaeus, Johannes

Moguntiae, 1608

urn:nbn:de:hbz:466:1-54834

Visual Library

N. 3189.

J. XVI. 10

J XV 154.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ΠΑΝΑΡΙΟΝ,

HOC EST,

ARCA MEDICA VARIIS Diuinæ SCRIPTVRÆ pri: scorumq; PATRVM Antido, tis aduersus Animi morbos instructa.

Sor. 7SW ET Paderb. 1615.

IN GRATIAM CONFESSARIORVM Concionatorum, et Religiosæ Vitæ cultorum edita à IOANNE BVSÆO SOCIETATIS IESV Theologo.

Collegio Societ IESV Duno dedit

MOGVNTIÆ.
APVD IOANNEM ALBINVM.
M. D. C. VIII.
CVM gratia et Priuilegio Cæsar. Maiest.

SVPERBIA

IRA

AVARITIA

GVLA

LVXVRIA

ACEDIA

INVIDIA

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SERENISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, D. FERDINANDO, COADIVTORI COLONIENSI, LEODIENSI, Stabulensi, Administratori Berchtesgadensi, Comiti Palatino Rheni, Vtriusque Bauariæ Dvci, &c. Domino suo Clementissimo.

VERISSIME mihi, SERENISSIME & Reuerendiss. PRINCEPS, scripsisse videtur B. GREGORIVS Naziãzenus, cognomẽto Theologus, tãto animi morbos, quam corporis grauiores esse, quanto animus corpore præstantior est. *Hic enim*, inquit in Oratione de amore pauperum, *præter voluntatem existit, ille à voluntate proficiscitur: hic vna cum hac vita finitur, ille nos hinc migrantes comitatur: hic deniq; miseratione dignus est, ille odio, apud eos quidem, qui mentis sunt compotes.* Quo vehementius mirandum est, tam multos tum veterum, tum re-

centiorum Scriptorum pro curãdis corporis morbis, exſtare indieſq; procudi commentarios, nullos verò vel perpaucos pro incolumitate animorum. cum tamen non deſint fontes ſaluberrimi, vnde præſentiſſima antidota hauriri poſſint. Habent corporum Medici ſuos Hippocrates, Galenos, adeoq; IOVE ipſo prognatum, vt Poetæ fabulantur, ÆSCVLAPIVM medicinæ parentem & auctorem, ex quibus ſua medicamenta pro vita corporali ſarta tecta præſtanda depromant: at nobis ſuppeditant Archiatri, vt à vera religione ſolidiores, ſic etiam in curandis hominum animis multò ſapientiores, nempe ſancti PATRES, Cypriani, Baſilij, Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, Gregorij, Bernardi. QVORVM Antidota hoc maiori in pretio habenda, cupidiusque amplectenda ſunt, quo ampliorem multis iam retro ſeculis, tum doctrinę præſtantia, tum vitæ ſanctitate, prodigiis cœleſtibus conteſtata, auctoritatem obtinuerunt. Addo, quod plæriq; omnes Dominici gregis Paſtores, & Epiſcopi exſtiterint. Quid verò aliud ſunt Epiſcopi, aliiq; Eccleſiarum vel monaſteriorum Antiſtites, quam germani animarum MEDICI, qui *peruigilant*, teſte Apoſtolo, *quaſi rationem pro animabus reddituri? Nos*, inquit idem NAZIANZ. in primo Apologetico, *huius Medicinæ ſpiritualis miniſtri, operisque participes ſumus, quicunq; ſuperiori loco ſedemus: quibus tametſi magna laudi ducendum eſt propria vitia, morboſq; perſpicere, iisq; mederi, multo tamen excellentius eſt aliorum morbos curare poſſe, ſciteq; perpurgare*. Deinde non à commentitio,

titio aliquo Æ s c v l a p i o, sed à *summo Medicorum Magistro*, vt eum in Ecclesiasten appellat B. Hi e r o n y m v s, Christo Ie s v, eiusq; verbo Spiritus sancti calamo exarato sua spiritalia pharmaca prisci illi Patres sunt mutuati. Medici certè neq; nomenclaturam, neque functionem attestante Euangelista Matthęo Saluator noster horruit: rogatus enim aliquando, quamobrem Publicanorum, peccatorumq; consuetudine vteretur, disertè respondit, *non opus esse valentibus medico, sed male habentibus.* Atq; vt primum Euangelici regni enunciandi initium fecit, ἀλεξιφάρμακον ad vulnus peccati sanandum efficacissimum, nempe P o e n i t e n t i a m illicò promulgauit dicens. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* ac deinceps totam Galilæam, cæterasque regiones obiuit, *sanans omnem languorem,* inquit idem B. Matthæus, *& omnem infirmitatem in populo,* spiritualem vtiq; potius quàm corporalem, vt in eundem locum annotauit. A v r e v m o s. *idcirco,* inquiens, *illas corporum ægritudines sanabat, vt istas scilicet de nostris animabus profligaret.* His igitur de causis S e r e n i s s i m e P r i n c e p s, non exiguum operæ pretium me facturum sum arbitratus, si per otium litterarium, quo post publicas Prælectiones Theologicas dudum positas satis abundabam, apiculæ instar ex limpidis diuini verbi sanctorumq; Patrum fontibus aliquem Remediorum aduersus animi morbos succum delibarem, &, vbi visum esset Maioribus, diuulgarem. Poteram quidem quorundam exemplo nullo auctore adscripto, varia ægritu-

dinum ſpiritalium Medicamenta deſcribere, ingeniique ac iudicij iis excogitandis aleam ſubire: ſed neq; is eram qui tantas naturæ vel gratiæ diuinæ dotes mihi vendicare auderem, neq; qui in opinionem adduci poſſem, vt crederẽ non potius cuiuis erudito Lectori, tam vetuſtę totq; nominibus firmatę auctoritatis prę iudicium probatum iri, quam priuati vnius commentationes. Nam, *vt in vno aliquo telo aut gladio*, quemadmodum Magnus quidam vir, ſed in diſſimili argumento ſcripſit, *multum interest à qua manu veniat: ſic in ſententia, vt penetret, valde facit robuſtæ alicuius receptæ Auctoritatis, quæ ſane veteribus adeſt, pondus.* Deinde vt aranearum textus non ideò præſtantior aut conducibilior eſt, quoniam è viſceribus ſuis fila progenuerunt, ſic confido nec huius operis contextũ viliorem fore quoniam apis exemplo libauimus ex alieno. Qvod autem hanc qualemcunq; Lucubrationem ſub Serenissimi, illuſtriſſimiq; nominis tui auſpiciis in lucem exire permiſerim, non inidoneæ, vti ſpero, cauſæ me permouerunt. Primum non conueniebat hoc ſacrum S. Patrvm Eccleſiæ Catholicæ Antiſtitum πανάριον alij, quam Eccleſiaſtico Antiſtiti in hoc Operis veſtibulo commendari, atq; ei imprimis Antistiti, qui partes omnes numerosq; in vniuerſę ditionis ſuę Archiepiſcopalis (domeſticam Aulam modeſtiſſimam prętermitto) adminiſtratione, curationeque, cum ſumma omniũ bonorum gratulatione, cumulatè hactenus expleuiſſet. Accedit, quod tanta hactenus Sereniſſimæ proſapiæ tuę, Maiorumq; tuorum

in

in Societatem nostram, quã maximis instruxere Collegiis, ac nominatim in huius prouinciæ Rhenanæ Agrippinense Collegium extitere, hodieq; existunt merita vt nisi ingratissimi videri velimus, non possimus non publicam aliquam grati animi relinquere testificationem. Neq; verò nobis quoq; Moguntinis mente excidere poterat eius temporis memoria, quo amplissima SERENITAS V. cum fratre germano P. M. Sereniss. & Reuerendiss. PHILIPPO, ex Ratisbonensi Præsule in Purpuratorũ PP. Senatum postea allecto solidum annum in hac Academia sub Societatis nostræ Doctoribus Eloquentiæ operam nauauit: suaq; eximia in DEVM, Deiparamque Religione, in Scholarum Professores obseruantia ac humanitate, in Academicos omnes memorabili modestiæ, diligentiæq; exẽplo, suæ Indolis, virtutisque Monimentum ære perennius apud nos deposuit. Quocirca diuinum æternumque NVMEN enixè precari cogimur, vt SERENIT. V. Illustriss. Reuerendissimamque nobilissimæ Ecclesiæ suæ, & Societati nostræ quam diutissimè sospitem atq; florentem conseruare velit. MOGVNTIÆ ex Archiepiscopali Collegio Societatis IESV. ANNO à Sanctiss. Deiparæ partu M. D. CIIX. in eiusdem Assumptæ ad cœlos peruigilio.

SEREN. V. ILLVSTRISS. & REVERENDISS.

Seruus & humilis Cliens.

Ioannes Busæus.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD BENEVOLVM LECTOREM.

ANTEQVAM, *beneuole* LECTOR, *ad explicanda Morborum Animi, seu vitiorum Antidota accedam, de paucis Capitibus mihi commonefaciendus videbare, quo planius Instituti mei ratio tibi constaret.* PRIMVM *est, de suscepti huius operis causa. Ea fuit non pœnitenda vtilitas, quæ in nostræ Societatis homines, aliosq; qui audiendis sacris fidelium confessionibus sese totos pro munere quod gerunt, dediderunt, atque hoc ipso se spiritales animarum Medicos profitentur, ex lectione redundare queat. Quod si & Patres, quos vocant spirituales in religiosorum Cœnobiis, vel aliis piarum* SODALITATVM *cœtibus; Parochi item & concionatores, quibus incumbit cura alios à vitiis deterrendi, atq; ad virtutis studium priuatim, publicéue cohortandi in eodem opere deprehenderint aliquid, quod industriã eorum exacuat, hoc latius horum Remediorum fructus pertinebit.* ALTERVM *est operis Epigraphe. Eam mutuatus sum à B.* EPIPHANIO *Cypri Episcopo, cuius Commentarius, quem aduersus omnes hæreses elucubrauit,* Παναρίῳ, *hoc est,* Arcę Medicæ *appellatione inscriptus est, quod propositum illi fuisset, illo Opere omnium hæreseωv morbis inde à Christiana re-*

na religionis primordio exortis medicinam facere. Cum itaque & ego apud animum meum constituissem non vni animi ægritudini, sed variis & multiplicibus mederi, non iniuria videor eiusdē nomenclatura vocabuli hanc Tractationem inscripsisse. TERTIVM *est de Fontibus, vnde hæc nostra spiritualia Antidota deprompta sunt. Ii fere quaterni sunt. Spiritus S. Oracula sacris veteris nouiq; Instrumenti codicibus mandata. S.* PATRVM *veterum, maximè autem Ecclesiæ Doctorum, Græcorum æquè ac Latinorum volumina. Philosophorū deinde quorundam Ethnicorum monita vel apophthegmata, ac demū Exēpla paucula, sacra vel prophana ceteris illustriora. Quod Fontem D. Scripturæ attinet, is tam fœcundus & exuberans est, vt vel solus administrandis omnis generis Remediis sufficiat.* Omnis morbus animæ, *inquit in Psal. 36.* B. AVG. habet in scripturis medicamentum suum. *Et S.* HIER. *in consolatione ad Iulianum.* Ad sanctarum Scripturarum grauitatem confugimus, vbi vera vulnerum medicina est, vbi dolorum certa remedia. *Et in epistola ad Eustochium Virginem prolixè laudat B.* PAVLAM *Romanam, quemadmodum variis scripturarum sententiis cōsuesset, quasi armatura Dei, omnia Satanæ tela auertere. Sed & S.* CHRY. *in Euangelium Ioannis scribens ita loquitur.* Omnium medicinarum thesaurus diuinæ scripturæ sunt: & siue stultitiam exuere, siue affectus sedare, siue pecuniarum cupiditatem expellere, siue dolores contemnere, siue fortem animum induere, siue aduersa æquo animo tolerare velimus, quam plurima hinc remedia inuenire possumus.

Ep. 4.

Hom. 36.

Secundum fontẽ, vt dixi, præbent S. PATRES *qui duplici nomine hoc spirituale Pharmacopoliũ adauxerunt. Vno, quod plerique eorum pereruditis commentariis diuinas litteras illustrarint, atq; ideo non potuerunt nõ antidota aduersus omnis generis morbos in illis tradita locupletare. Altero, q̃ pœnè omnes Episcoporum & Christiani gregis Pastorum munere (quorum non solum est oues, dum sanæ sunt, conuenienti victu pascere, sed etiam dũ ægræ sunt, sanare) in Ecclesia Dei pfuncti fuerint. Vnde apud Ezechielem Prophetam ingnauos populi pastores his verbis Deus iam olim inuectus est.* Væ pastoribus Israhel, qui pascebant semetipsos. nonne greges à pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregẽ autem meũ non pascebatis. Quod infirmũ fuit, non consolidastis, & q̃ ægrotum, non sanastis: quod confractũ est, non alligastis, & quod abiectũ est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis & cũ potentia. *Sequitur fons Ethnicorũ Philosophorum, exiguus ille quidem & aqua in vitam æternã saliente destitutus, minimè tamen contẽnendus. Sæpenumero siquidẽ vsu venit, vt qui saluberrima Christi Domini, priscorumq; Patrum consilia curandis animi morbis destinata temerè repudiant, non tamen audeant gentilium Philosophorum monita respuere, ne dum luculenta rationi repugnant, de potestate mentis exisse videantur.* POSTREMVS *fons est illustrium Exemplorum, quæ plurimum valere ad medendum animi vulneribus inde liquet, quod S.* AVG. *in enarratione Psal. 75. cum agit de exemplo vxoris*

Loth

Loth á Christo Domino apud B. Lucam allegato, ita scribat. De die iudicij cum Dominus miraretur, quid ait? Memento vxoris Loth. Omnib. dixit. Quid enim fecit vxor Loth? liberata est à Sodomis, & in via posita retrorsum respexit. Vbi respexit, ibi remansit. Facta est autem statua salis, vt illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non sint fatui, non retro respiciant ne malum exemplum dantes, ipsi remaneant & alios condiant. Nã & modo dicimus illud qui quibusdam fratribus nostris, quos viderimus velut infirmari in proposito bono. Et talis vis esse quales illi? obiicimus illis quosdam qui retro respexerunt: illi fatui sunt in se, sed alios condiunt, quando commemorantur, vt illorum exemplum timentes, isti retro ne respiciant. *Sed satis de fontibus.*

VENIO *ad Quartũ institutæ Præfationis Caput,* DE *Ordine & Modo tractationis huius Panarij. Poteram equidem initium eius facere à* PECCATIS *generatim, & inde ad singulas species gradum facere, verũ malui eorum more qui de Quæstionibus vel Casibus Conscientiæ scribunt, in ordinem Alphabeticum omnia vitia redigere ob geminũ Lectoris cõmodum. Alterum, vt cuiusq; Vitij remedium, inspecto Elencho Alphabetico, proximè hic subiecto promptius inuenire posset. Alterũ, vt lectioni omne adimeretur fastidium, quod caueri non potuisset, si capita omnia quæ similitudine aliqua argumẽti conspirant, suo ordine locata fuissent. Quod ad* MODVM *tractationis attinet, primum noris, me nõ omnia diuinæ Scripturæ, sanctorumue Patrum testimonia, sed præcipua tantum & se-*

lectiora, ne turba animum legentis obrueret, descripsisse: nec ita scrupulosè singulas periodos, salua tamẽ sententia, appendisse, quin verba aliqua interiecta compendii causa interdum prætermitterentur. Deinde iis ferè Auctoribus Tractatus citatos attribui, quibus vulgo inscribi solent, vt opus imperfectum Homiliarum in Matthæum, *B. Iohanni Chrysostomo, &* sermones ad fratres in eremo, *D. Augustino, atq; id genus alia: quoniã, vt non sint eorum Auctorum, quorum nominibus iam aliquot seculis euulgati fuerunt; ob antiquitatẽ tamen, & doctrinæ præstantiam iam pridem auctoritatem meruerunt. Postremo neq; vocabulũ* REMEDII, *vel* ANTIDOTI *cancellis æquo angustiorib. circumscribendũ existimaui; Eo enim generatim intelligo, quicquid ad vitia detestanda, ad sanandam animorum ægritudinẽ, ad mores peruersos cum melioribus commutandos iuuare potest; cum videam us hos insigni aliqua sacrarum litterarum sententia, illos graui sanctorum Patrum dicto, alios Philosophi, vel Principis Ethnici illustri apophthegmate; alios alia re, quamuis in speciẽ leui ad officium faciendum, colendamq; virtutẽ permoueri.* Imitandi. n. sunt boni medici, *inquit B.* CHRY. *in Matthæũ,* qui nõ vno curationis modo vtuntur, sed cum viderint primis remediis nõ esse depressum morbum alia atq; alia rursus excogitant, & aliquando quidem ligantes membra dolores doloribus excutiunt: aliquando verò incidunt: ita multis variisq; medendi generibus tandem corpus ad sanitatem reducunt. VALE, *& æqui boni consule, si non factum, saltem benefaciendi voluntatem.*

Hom. 30.

ELEN-

ELENCHVS
MORBORVM ANIMI,
VEL VITIORVM, PRO QVIBVS PROFLIGANDIS REMEDIA HOC OPERE præscribuntur.

A

ACEDIA. Pag. 1.
Adulatio. 5.
Ambitio. 10.
Amor sui. 13.
Auaritia. 18.

B

Blasphemia. 25.

C

Choreæ. 28.
Colloquia otiosa & vana. 32.
Conscientia scrupulosa. 35.
Consuetudo praua, 40.
Contemptus. 46.
Curiositas. 51.

D

Desolatio spiritualis. 59.
Desperatio. 64.
Detractio. 74.
Discordia. 79.
Distractio in oratione. 85.

E

Ebrietas. 91.
Exemplum malum, vel scandalum. 97.

F

Familiaritas nimia. 102.

G

Gloria vana. 109.
Gula. 117.

H

Hæresis. 125.
Hypocrisis. 131.

I

Illusiones spirituales. 136.
Immodestia. 143.
Immortificatio passionum. 152.
Impatientia in aduersis. 162.
Impatientia in morbis. 169.
Impat. in morbo cæcitatis. 171.
Impat. in podagra. 173.
Impat. in morbo lepræ. 174.
Impat. in paupertate. 182.
Impat. in damno rerum temporum. 196.
Impat. in obitu parentum, liberorum, fratrum, amicorum. 202.
Ingratitudo. 216.
Inobedientia. 229.
Inuidia. 235.
Iracundia. 245.
Iudicium proprium. 252.
Iudicium temerarium. 259.
Iuramentum. 268.

L

Linguæ abusus. 279.
Ludus Aleæ. 286.
Luxuria. 299.

M

Maledictio. 303.
Mendacium. 308.
Mortis metus immodicus. 322.
Mulierum commoratio, maxime cum clericis & monachis. 333.
Munerum corruptela. 339.
Murmuratio. 342.

N

Negotiatio illicita. 347.

O

Obstinatio. 354.
Odium. 362.
Otium. 370.

P

Peccatum generatim. 386.
Peccatum veniale. 395.
Personarum acceptio. 402.
Pigritia. 409.
Præsumptio. 414.
Procrastinatio. 421.
Proprietas religiosorum. 430.
Pudor noxius. 438.
Pusillanimitas. 442.

R

Recidiua peccatorum. 449.

S

Simonia. 458.
Societas praua. 465.
Spectacula illegitima. 476.
Superbia. 485.
Superstitio. 497.
Tepiditas spiritualis. 508.
Timor humanus & seruilis. 514.
Tristitia. 519.

V

Veneficia. 524.
Vestium luxus. 535.
Vindicatio iniuriæ. 543.
Voluntas propria. 558.
Voluptas carnalis. 566.
Votorum violatio. 573.
Vsura. 587.

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS
Prouinciæ Rhenanæ Societatis IESV.

CVM Sacræ Cæsareæ Maiestatis decreto omnibus & singulis Typographis & Bibliopolis, ac aliis quamcumq; librariam negotiationem exercentibus seriò firmiterq; inhibeatur, ne quisquam vllos libros à nostris Patribus hactenus editos, vel in posterum edendos, intra sacri Romani Imperii regnorum & dominiorum suæ Cæsareæ Maiestatis hæreditariorum fines simili, vel alio characteris genere, aut forma siue in toto, siue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clam seu palam citra iudicium ac testimonium suprà dictorum Patrum audeat, vel præsumat: concedo ego THEODORVS BVSAVS Societatis IESV per Rheni prouinciam Prouincialis Ioanni Albino Moguntinensi Typographo Facultatem excudendi PANARION aduersus animi morbos, vel vitia; variis diuinæ Scripturæ, Priscorumque Patrum antidotis instructum, & à P. IOANNE BVSAEO Societatis nostræ Theologo conscriptum, atque à deputatis ad id Patribus approbatum. IN quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra subscriptum & sigillo munitum dare voluimus. MOLSHEMII Kalendis Ianuariis. Anno M.D.C.VIII.

Theodorus Busæus, Prouincialis

ODE EXEGETICA
OMNIBVS ANIMARVM Medicis.

ADÆ propago posthuma criminum
Regnata monstris, Tartareum nefas
Altè ingemiscens, aut medelam, aut
Immedica feret ruinam.
Obsessa putri viscera toxico,
Iurata morti pectora, pectora
Cadaueroso exsucca tabo
Funeream meditantur vrnam.
Heu? quis Machaon, quis Podalirius
Intoxicatas felle venefico,
Vel funeratas iam medullas
Parte sui meliore sanet?
Quod taminatur flagitiis homo,
Tot mens venenis, tot iaculis cadit.
Fractam adtegrabit sanitatem,
Sireuomat rediuiua virus.
Ades beatis ignibus incita
Patrum corona spiritualium;
Adeste Pastores, & ægro
Qui vitium pecori timetis;
Verenda cœlo qui putealia
Deo obtinetis Preside Iudices,
Iniuriarum cognitores,
Et veniam accelerare prompti,
Adeste; noxarum vlcera tabida
Curationum mirificis modis
PANARIVM ANTIPHARMACORVM
Gorgoneo abripiet draconi.
Olim anteceſſit, qui Ierichuntici
In hospitales indigenæ plagas
Putore soluit, liberalis
In medicum Samarita sumptum.

Prælu-

Præluxit idem, sede ab eburnea.
Laborioſis actus amoribus,
Caſtella, vicos, Ciuitatum
Et plateas peragrans medendo.
Attemperatis pharmaca poculis
Potenter orbis miscuit artifex,
Vitæque amicauit ſupinos
Peſtiferis colubri ſuſurris.
Exempla tanti tanti vos Capitis trahantè
Peſſumdatarum funera Mentium
Aucti officinâ ſucci plenâ,
Antidoto reparate vitæ.
Hoc explicantur Codice Olympica
ORACVLORVM Balſama; promite
Senſu efficaci præpotentes
Peſtem Erebi tenuare ſuccos.
Sententiarum ſaluificas Sacri
PATRES, dictas in cumulum dabunt;
Dabunt ſalutem EXEMPLA, pictis
Viua, notis operoſiora.
Ergo ampliores tot Medicatibus,
Non ocioſam ſubſidio nouo
Aptate curam: interminatum
ARCHIATROS precium reponet.

PANA-

PANARIVM ANTIDOTORVM SPIRITVALIVM ADVERSVS ANIMI MORBOS ALPHABETARIO ORDINE INstructum.

A

ACEDIA

Remedia contra Acediam.

PRIMVM Remedium esto. Considera Acediam in genere suo peccatum esse lethale, & inter vitia capitalia septem numerari. Nomine enim acediæ S. Patres fere intelligunt tædium graue in exercendis actionibus piis ad salutem necessariis: vt si quis ex tædio canonicarum horarum lectionem omittat, qui ad eas dicendas ratione Ordinis vel Beneficii Ecclesiastici est obligatus. B. GREGORIVS vocat *animi tristitiam*, eiusque effectus assignat, malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem circa præcepta, & vagationem mentis erga illicita. Aug. in Psa. 106. Damas. lib. 2. cap. 14. Thom. Aq. 22. q. 35. a. 1. Greg. lib. 1. in 1. Reg. c. 14.

II. REMED. Oborto in animo fastidio, illico te ad opus præstandum accinge. *Experimento enim probatum est*, inquit CASSIANVS, *acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam.* Quod si opere inchoato difficultas aliqua obrepat, in eo persequendo fortiter persiste, quia progressus laborem reddet leuiorē. Vnde B. BERNARDVS. *Cum te torpore, acedia, vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere, aut desistere à studio spirituali.* Et iterum. *Cum inceperis tristitia implebit cor tuum, sed si perseueraueris tristitia tua conuertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus, & voluntas renouabitur, vel potius noua creabitur, vt omnia, quæ primo difficilia, imò impossibilia videbantur, cum multa currantur dulcedine & auiditate.* Cass. lib. 10. c. 25. Bern. serm. 22. in Cant. Serm. 3. de ascens.

III. REMED. Si ad tædium discutiendum, opus sué aggrediendum

fis æquo imbecilior, implora per humiles preces diuinum auxilium. *Oratio* siquidem *humiliantis se*, ait Sapiens, *penetrabit nubes, & non discedet, donec altissimus aspiciat*, & Regius Psaltes. *Prospexit in orationem humilium.* Vnde S. AVGVSTINVS agens de tædio quorundam, quos, licet probabiliter inter homines sine malorum morum querela conuersarentur, nec legere nec orare delectabat, sic scribit *Non est ista leuis tentatio. Agnosce te in illa* (tentatione tædii, cum adest) *& exclama ad Dominum, vt de necessitatibus tuis etiam hic liberet te: & de hac tentatione liberatus cum fueris, confiteantur illi miserationes eius.* Et B. BERNARDVS. *Cum te acedia, vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere, aut desistere à studio spirituali, sed iuuantis require manum trahi te obsecrans sponsæ exemplo donec denuò suscitante gratia factus promptior, alacriorq; curras & dicas. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Sic autem quamdiu adest gratia, delectare in ea, vt non te existimes donum Dei iure hæreditario possidere, ita videlicet securus de eo, quasi nunquam perdere possis, ne subitò, cum fortè retraxerit manum, & subtraxerit donum, tu animo concidas, & tristior, quàm oportet, fias.* Et paulò post. *Curabis potius, si sapis, pro consilio sapientis, in die malorum non immemor esse bonorum, atq; in die bonorum non immemor esse malorum. Ergo in die virtutis tuæ noli esse securus, sed clama ad Deum cum Propheta, & dic. Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Eccl. 35. 21.
Psal. 101. 18.
Aug. in Psal. 106.
B. serm. 22. in Cant.
Psalm. 118. 32.
Eccli. 11. 27.
Psalm. 70. 9.

IV. REMED. Si nec orationis beneficio ab omni tædio liberatus fueris, non idcirco animum desponde, sed oculos coniice in Christi Domini exemplum, qui grauissimum quoddam tædium, tum in horto orans, cum diceret. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem*, perpessus est; tũ de cruce pendens, cũ exclamaret, *Deus meus, Deus meus, vt quid derelinquisti me.* Vnde liquet tædium etiam graue posse aliquando tolerari citra culpam, modo adsit bene agendi vel patiendi voluntas, vt erat in Christo. Hęc autem vbi præsto fuerit, & de manu Dei tædii pœnam acceperis, mox suppetet tibi cum Christo, Angelica, imò diuina consolatio.

Matth. 26. 38.
Matth. 27. 46.
Luc. 22. 43.
Eccli. 7. 40.

V. REM. Serio considera hominis nouissima. *Memorare nouissima tua*, ait *S.* Scriptura, *& in æternum non peccabis.* Ac primo mortem. *Mors enim omnium vitiorum*, vt loquitur Cassianus, *est peremptoria.* 2. Iudicium particulare mortem proximè consequens, cuius seueritatem expendens vir simplex & rectus B. IOB. *Quid faciam*, inquit, *cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebo illi? semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* 3. Infernum & vitam æternam. *Frater quidam*, vt est in vitis S. Patrum, *à sene Achille rogauit, cur sedens in cella pateretur acediam? Cui senex ait. Quia necdum vidisti requiem, quam speramus, nec tormenta, quæ timemus. Si enim ea diligenter inspiceres, etiamsi vermibus plena esset cella tua vsque ad collum, tu tamen in ipsa iaceres sine acedia.*

Cass. coll. 16. c. 6.
Iob. 31. 14. & 23.
V. P. dict. 2. §. 103.

Vide plura, verbo, *Tepiditas, otium, tristitia, desolatio, pigritia.*

ADV-

ADVLATIO.

Remedia contra adulationem.

I. REMEDIVM. Considera, quam grauiter diuina scriptura hoc vitium insectetur, cum generatim in omnibus qui ex laudibus aliorum gratiam aucupantur, tum speciatim in iis, qui etiam improbis assentantur. *Væ*, inquit Isaias, *qui iustificatis impium.* Et Salomon. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterq; apud Deum.* Et iterum. *Qui dicunt impio, iustus es, maledicent eiis populi.* Tum Dauid. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Exacerbauit Dominum peccator.* Adhæc & in iis, qui probis vel malis adulantur, vt eos in fraudem aliquã inducant. Vnde in Prouerbiis dicitur. *Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.* Et Propheta Ieremias. *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est, in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut in gentem huiusmodi non vlciscetur anima mea?* Hinc Sapiens. *Melius est*, inquit, *à sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi.* Et. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis.*

Isa. 5. 23. Prouerb. 17. 15. Prouerb. 24. 24. Psal. 9. 22. Prouerb. 29. 5. Ierem. 9. 8. Eccl. 7. 6. Prouerb. 27. 6.

II. REMEDIVM. Considera, quàm acriter idem perstringant S. Patres. Vt BASILIVS in homil. in verba Psalmi. Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. *Multi enim sunt*, inquit, *qui pro bonis prauas comprobant actiones, & vitia virtutibus vicinis honestare contendunt. Nam scurrilia loquentem vrbanum ac politicum, parcum vt sobrium dispensatorem commendant, &c. In verborum namque benedictione tales omnes, execrationem vitæ suæ induunt, ac reos æternæ damnationis ob ea quæ approbant sese constituunt.* HIERONYMVS. *Propriè hæreticorum est adulari, & eorum, qui decipere cupiunt audientes, dicente Apostolo. Huiusmodi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium. Semper insidiosa, callida, blanda est adulatio, pulcreq; apud Philosophos definitur, blandus inimicus.* IOAN: CHRYSOST. *Prauitatem non æmulari tantum, verum etiam in ea viuentes laudare supplicium haud mediocre nobis conciliat: & si fas est quiddam nouum & admirandum dicere, grauius supplicium, quã manet illos ipsos, qui malè viuunt. Atq;* infra. *Nam collaudare delinquentes, quod ad supplicij pertinet æstimationem, longè plus est, quã delinquere, idq; iure optimo, eo quod hoc suffragiũ proficiscatur ab animo planè corrupto, & insanabili morbo laborante. Siquidem is, qui dum peccat, condemnat interim peccatũ suum, poterit aliquãdo ad se redire: at qui laudat malitiam, is se priuauit curatione, quã adfert pœnitentia.* AVGVSTINVS. *insanit, qui laudat q̃ nõ est bonũ. Si laudes iniquũ, eo ipso, quod iniquus est, nonne & tu iniquus es? Si laudes furem, eo ipso quod*

Pſal. 61. 5. Hier. l. 1. ce Pelag. Rom. 16. 18. Chry hom. 2. de Dauid & Saul. Aug. in Pſal. 134.

fur est, nonne & tu particeps eris? Si laudes iustum eo ipso, quod iustus est, nonne & tu inde partem habes laudando? Non enim laudares iustum, nisi amares: non amares, si nihil inde haberes. Et alibi. *Duo sunt genera persecutorum, scilicet, vituperantium & laudantium, sed plus persequitur lingua adulatoris quam manus persequentis.* PAVLINVS ad Celantiam. *Adulatorum assentationes, velut quasdam pestes animæ fuge. nihil est, quod tam facilè corrumpat mentes hominum, nihil quod tã dulci & molli vulnere animum feriat. Vnde & quidam sapiens ait. Verba adulatorum mollia, feriũt autem interiora ventris. Et Dominus loquitur per Prophetam. Populе meus, qui beatificant vos, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum dissipant. In multis isto maximè tempore regnat hoc vitium, quodq; est gravissimum, humilitatis ac benevolentiæ loco ducitur: eo fit, vt qui adulari nescit, aut invidus aut superbus putetur.*

In Psal. 59.
In Hier. ep. 14.
Proverb. 18. 8.
Isa 3. 12.

III. REMED. Considera, quid natura duce Ethnici de adulatoribus senserint. PLATO in Phædro, appellat feras humano generi pestilentes, similes veneficis, imò impuris dæmonibus, qui animos incautos funestis epulis foveant, & sordib. noxiis inquinent. BION apud Laertium rogatus, inter animalia quod esset pernicios̃ius, respõdit inter fera tyrannum, inter mansueta adulatorem. ANTISTHENES, teste Stobæo, docuit melius esse in coruos, quàm in adulatores incidere, quod hi viuentibus, illi mortuis oculos eruant; indicans tantam esse vim adulationis, vt hominem excæcet. Quare ALEXANDER Seuerus optimus Imperator, blandius aliquid in salutatione dicentem, aut abiici volebat, si loci qualitas pateretur, aut cachinno excipi, vt in eius vita scribit Ælius Lampridius. Certè è Christianis principibus LADISLAVS Poloniæ rex non veritus est palam adulantes colaphis excipere, rogatusq; cur id faceret, respondit, se percutientes repercutere.

Plato.
Laert. l. 1.
Sto. serm. 12.
Lamprid.

IV. REMED. Pone ob oculos exemplum Christi Domini, qui cum S. Ioannem Baptistam multis laudibus ornare instituisset, nec præsẽtem, nec coram eius discipulis, vt adulationis notam defugeret, collaudauit, vti sapienter animaduertit CHRYSOST. in op. imperf. *Quam bene*, inquiens, *recedentibus discipulis cœpit laudare Ioannem, non sicut quidam adulatores, qui hominem in faciẽ laudant, aut quando vident amicos eius fideles adesse, aut domesticos, quos credũt nunciaturos illi quicquid audierint. Insipiens gaudet laudari in faciẽ: vir autem sapiens, quando laudatur in facie, flagellatur in corde.* Contra verò cũ ipse à scribis & Pharisæis eorũq; discipulis per adulationem laudaretur, durius semper eis respondit, quã cum impeteretur maledictis. Nam cũ dicerent. *Magister scimus, quia verax es, & viã Dei in veritate doces, & nõ est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum*, &c. Respondit. *Quid me tẽtatis hypocritæ?* Et cum miraculorum patratorem eum agnoscerent, signumq; ab eo peterent. *Generatio*, inquit, *mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.* At alibi cum Iudæi illi obiicerent per summam

Matth. 11. 11.
Chr. hom. 27. in Matth.
Matth. 22. 16.
Matth. 12. 39.
Ioan. 8. 49.

ſummam contumeliam. *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* manſuete reſpondit. *Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico patrem meum, & vos inhonoraſtis me.* Quo exemplo diſcis, ſi quando laudum tuarum præconia audire cogaris, minimum triſtitia vultus oſtendere, tibi ea diſplicere. *iuſtos enim,* inquit alicubi B. GREGORIVS, *laus ſua cruciat, iniquos exaltat.* Et adulator, qui quærit placere, ſi diſplicere tibi ſuos conatus viderit, mox labellum comprimet. Deinde dicto aliquo ea auertere, vti, eſt illud, *non nobis domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* G. 26. mor. c. 13. Pſal. 113. 9.

V. REMED. Operam da, vt non facilè, niſi iuſta ratio ſecus poſtulet, in alienas laudes, hominum maximè adhuc viuentium, prorumpas, memor dicti ſapientis *Ante mortem ne laudes hominem quenquam:* tum ne ipſe notam adulatoris, ſuſpicionemue placendi hominibus incurras, tum ne laudato anſam præbeas elationis & iactantiæ, nihil enim eſt, vt ſupra dixit B. PAVLINVS, quod *tam dulci & molli vulnere mentem feriat,* ac adulatio: *& ſi ad tempus,* auctore S. GREGORIO *patienter ſuſcipitur augetur, & pauliſper demulcet animum, vt à rigore ſuæ rectitudinis molleſcat in delectatione ſermonis.* Vnde B. CHRYSOST. ad pop. Antioch. non dubitauit affirmare, laudum humanarum, honorumque deſpicientiam *eſſe angelicæ cuiuſdam animæ verticis cœleſtis teſtudinem tangentis.* Eccli. 11. 30. G. l. mor. 30. c. 10. Chr. hom. 43.

VIDE Plura verbo. *Gloria vana. Hypocriſis. Timor humanus.*

AMBITIO.

Remedia aduerſus ambitionem.

I. REMEDIVM. Conſidera Spiritum ſanctum in diuinis litteris nos dehortari ab ambitione, id eſt, cupiditate honorum & dignitatum. *Noli quærere,* ait ſapiẽs, *à Domino Ducatum, neque à rege cathedram, honoris.* Et ſapientum princeps CHRISTVS, cum duo eius diſcipuli ad dominatum aſpirarent, ita redarguit eorum ambitionem. *ſcitis, quia principes gentium dominantur eorũ, & qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eos: non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.* Quam eandem ſententiam repetiuit & alibi dominus cum acriter ſcribas & Phariſæos reprehendiſſet, quod amarent *primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Deinde cum iidem diſcipuli exultarent, quod demonia ipſis ſubiicerentur reſpondit, *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem,* indicans Luciferum de cœlo ad tartara deturbatum ob faſtum aliis imperandi Et addidit. *Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus ſubiiciuntur vobis.* Nec mirum eſt Chriſtum tam infeſtum fuiſſe ambitio- Eccl. 7. 4. Matt 20. 25. Matt. 23. 6. Luc. 10. 18.

bitionis vitio, cum primum caput doctrinæ Christianæ sit de humilitate contẽptu sui & contumeliis perferendis *Beati pauperes spiritu*, id est, humiles, inquit AVGVST. *quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me; gaudete & exultate.*

Matt. 5. 3.
Matt. 16. 24.
Matt. 5. 11.

II. REMEDIVM. Considera quid S. Patres de hoc vitio scripserint. S. BERNARDVS ita scribit. *Ambitio, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem.* Et paulo post *Tertia* Christi tentatio *de ambitione fuit, quando omnia regna mundi promisit, si cadens adoraret eum. Videsne quod ambitionis via adoratio diaboli est, qua videlicet ad honores & gloriam mundi perueniendum suis ille adoratoribus pollicetur?* B. GREGORIVS initio pastoralis. *Sunt nonnulli, qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris; videri Doctores appetunt, transcendere ceteros concupiscunt, atque attestante veritate, primas salutationes in foro, primos recubitus in cœnis, primas inconuentionibus quærunt cathedras: qui susceptũ curæ pastoralis officium ministrare digne tanto magis nequeunt, quanto ad huius humilitatis magisterium ex sola elatione peruenerunt. Contra quos Dominus per prophetam queritur, dicens. Ipsi regnauerunt & non ex me, principes extiterunt, & ego ignoraui. Vnde ad se quibusdam & post miracula venientibus dicit. Recedite à me operarij iniquitatis,* CHRYSOST. ad pop. Antioch. *Vt sæui quidam venti in tranquillum mare delati totum ab imo subruunt, vt & arena cum vndis misceatur, sic ambitio & turpis quæstus animam subeuntes omnia subuertunt. Excæcat mentis intuitum præsertim gloriæ furor. nam pecunias quidem contemnere volenti satis est facile: honorem autem à multis collatum despicere multi laboris indiget, magnæ sapientiæ, angelicæ cuiusdam animæ ipsum cœlestis testudinis verticem tangentis. non est enim, non est inquam, vitium ita tyrannicum & vbique dominans.* AMBROSIVS, in Lucam. *Hoc ipso perniciosior ambitio est, quod blanda quædam est consiliatricula dignitatum, & sæpe, quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, facit ambitio criminosos. Habet enim forensem gratiam, domesticum periculum, & vt dominetur alijs, prius seruit, curuatur obsequio, vt honore donetur.* CYPRIANVS. *Etiam in sinu sacerdotum ambitio dormit, ibi sub vmbra recubat, in secreto thalami se fraudulenter occultat. Simon Apostolorum temporibus venalem putans spiritum sanctum Petrum donis aggreditur, & tentat emere potestatem, per quam plura lucretur, Hæc sacrilegij forma per omnia officia graduſque discurrit, & nihil intentatum ambitio prætermittit. Nec dubitet quisquam diaboli hæc esse negotia, & mundinatores eius, quicunque hæc exercent commercia.*

Bern. in ps. 90.
Matth. 4. 10.
Greg. p. 1 c. 1.
Matt. 23. 6.
Ose. 8. 4.
Chr. hom. 43.
Ib. 4. c. 4.
Cyp. serm. de ieiun. & rent.
Act. 8. 19.

III. REMEDIVM. Considera quid Gentilium sapientissimi de ea

ea scripserint. M. TVLLII in libris de officiis hæ sunt sententiæ. *Miserrima est omnino ambitio, honorumque contentio.* Et. *Complures se scelere contaminarunt imperij cupiditate.* Et. *In liberis ciuitatibus regnandi cupiditate nihil tetrius, nihil fœdius excogitari potest.* SENECA in epistolis. *Relinque ambitum, tumida res est, vana ventosa, nullum habet terminum: tam sollicita est, nec quem ante se videat, quam ne alium post se. Laborat inuidia, & quidem duplici: & inuidetur ei, & inuidet ipse. Vides, quam hic miser sit. Confragosa in fastigium dignitatis via est.* Et rursum. *Ambitio ipsi naturæ vim parat. Non ille ire vult, sed non potest stare: non aliter, quam in præceps deiecta potentia, quibus eundi finis est, incidisse. Quid Cneum Pompeium in Africam, quid in Septentrionem, quid Mithridatem & in Armeniam & omnes Asiæ angulos traxit? infinita scilicet cupido crescendi, cum sibi vni parum magnus videretur. Quid C. Cæsarem in sua fata pariter ac publica immisit? Gloria & ambitio, & nullus supra ceteros eminendi modus. Vnum ante se ferre non potuit, cum Respub. supra se duos ferret.* Sic ille, iuxta illud LVCANI. *Nec fert Pompeius ue parem Cæsar ue priorem.* PHAVORINVS Philosophus apud Stobæum aiebat ambitiosos partim esse ridiculos, partim odiosos, partim miserabiles. Ridiculos, quod ad maiora aspirarent. Odiosos, quod ea consequerentur. Miserabiles, quod spe fallerentur sæpius, non assequerentur, quod quærebant. TIMON verò cognomento μισάνθρωπος auaritiam & ambitionem vocabat elementa malorum. Quemadmodum enim ex elementis omnia generantur naturaliter, sic ex auaritia & ambitione omnia vitia generari.

Cic. 1. offic. & 3.

Sen. ep. 8.

Luc. lib. 1. bell. ciuil.

Stob. serm. 2. de prouid.

Serm. 8. de iust.

IV. REMED. Considera exemplum Christi saluatoris ab honorum cupidirate alieniſſimi. Nam primum, *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo*, vt loquitur Apostolus, *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Deinde vt seruus per annos triginta, & fabri filius intra maternos parietes latuit. Inde in publicum progressus, quasi seruus & peccator à seruo suo Ioanne baptista cum summo honoris omnis contemptu baptizari voluit. Desertum verò ingressus, diabolum de ambitione omnium regnorum mundi ipsum tentantem acri obiurgatione repressit, dicens *Vade Satana.* Eadem & Apostolum Petrum a dedecore & contumelia futuræ passionis dehortantem coercuit. Adhæc cum populus trans mare Galileæ ob patratum miraculum eum rapere, & regem facere vellet, in montem aufugit. Et quia docuerat se non venisse ministrari, sed ministrare, tanquam minister linteo se præcinxit, & pedes discipulorum suorum, inter quos erat proditor Iudas, lauit, dicens. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Demum humiliauit se vsque ad mortem mortem autem*

Phil. 2. 6.

Matt. 3. 13.

Matt. 4. 10. Matt. 16. 23.

Ioan. 6. 15.

Matt. 20. 28. Iohan. 13. 4.

Phil. 2. 8.

autem crucis, id est, omnium ignominiosissimam, & omnibus mundi honoribus è diametro contrariam. Quod inprimis meditandum proponit B. Paulus. nam cum dixisset. *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem IESVM qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta*, subiecit. *Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem.* Recogitauit profecto B. BERNARDVS, dum alicubi ita scribit. *Erubescę superbe cinis. Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori? vtinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti Deus respondere dignetur, quod & suo increpando respondit Apostolo. Vade inquit, post me satana, quia non sapis ea, quæ Dei sunt. Quoties enim hominibus præesse desidero*, toties *Deum meum præire contendo, & vere non sapio ea quæ Dei sunt.*

Hebr. 12. 2

B. serm. 1. in Missus est.

Matt. 16. 23.

V. REMED. Considera exempla sanctorum, qui omnes dignitates, honoresque respuerunt; non omnia quidem, quia sunt innumera, sed illustriora. S. AMBROSIVS, teste Paulino, à populo & imperatore Episcopus Mediolanensis postulatus, noctu ex vrbe aufugit, & cum Ticinum iter intendisset, non sine miraculo mane deprehendit se esse in porta Mediolanensi. Sanctus HIERONYMVS ita refugit omnes honores, vt, licet sacerdos, tamen ministeria sacerdotis in suo monasterio exercere reformidarit. Sanctus CHRYSOST. teste Metaphraste, veritus ne ad honores eucheretur, in solitudinem aufugit: sed Flauianus diuinitus monitus è spelunca extractum sacerdotem fecit. vi deinde Antiochia ad Archiepiscopatum Constantinopolitanum pertractus. Sanctus MARTINVS, auctore Sulpitio, ne Diaconatum quidem, suadente sancto Hilario, suscipere voluit: ad Episcopatum autem coactus. Cum autem quidam Episcopi, vilitate personæ & habitus deterriti, consecrare eum nollent, valde gauisus est, eosdemque maiori honore deinceps, quam alios, prosecutus est. Sanctus AVGVSTINVS, vt ipse confitetur, cognita morte sui Episcopi fugit ab vrbe, sed cum vrgente populo inuitus ab Episcopo Hipponensi ad sacerdotium traheretur in ordinatione totus perfusus fuit lacrymis. B. GREGORIVS quoque, vt habet Ioannes diaconus, electus in summum pontificem non modo aufugit, sed etiam literis compellauit Mauritium imperatorem, ne consentiret electioni. Indicio autem cœlesti columnæ igneæ proditus, & pontifex factus, primus se epistolis *seruũ seruorum* appellauit. S. AMMONIVS eremita, teste Palladio, aurem sibi præcidit, ne fieret Episcopus. Sanctus MALACHIAS, vt scribit sanctus Bernardus in eius vita, non susceepisset Episcopatum, nisi Episcopi cõgregati illi anathema comminati fuissent, Omnem siquidem locum sublimem & excelsum velut præcipitium, aitidem, reformidabat. Ipse quoque sanctus BERNARDVS, & post eum

Paul. in vita.

Epiph. ep. ad Ioann.

Metap. in vita.

Sulp. in vita.

Aug. ep. 148.

Ioan. in vita.

Pall. hist. Lausiaca. c. 12.

eum S. Thomas Aquinas, S. Bernardinus, aliique complures non semel Episcopatus delatos repudiarunt. Et noti sunt hoc seculo, qui in ordinem patrum purpuratorum non ante referri se passi sunt, quam in virtute obedientiæ à summo pontifice cogerentur. Surius in vita. Cæs. Baronius. Rob. Bellar.

VI. REMEDIVM. Considera cur sancti viri iam nominati tantopere refugerint dignitatem Episcopalem. Nimirum, intelligebant, quo ad sublimius fastigium proueherentur, hoc se ad ampliorem vitæ morumque perfectionem obligari. Legerant illud sapientis. *Iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* Et. *Potentes potenter tormenta patientur.* Et illud Christi. *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Et illud Apostoli. *Obedite præpositis vestris, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Vnde vnus ex illis in Pastorali suo ita scripsit. *Prælatus tot sibi coronas multiplicat, quot Deo animas lucrifacit, sic si peruersa perpetrat, tot mortibus dignus est, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittit.* Et alius pro concione exponens Acta Apostolorum dixit. *Si nouisses quod Episcopus debet omnium onera gestare, quod aliis irascentibus detur venia, ipsi vero nequaquam, quod aliis peccantibus superest excusatio, ipsi verò minimè, haudquaquam festinasses ad primatum, haudquaquam accurrisses. Hic enim omnium linguis expositus est, omnium iudictis obiectus, & sapientium & insipientium curis perpetuis obtunditur, cum diurnis, tum nocturnis.* Et infra. *Non temere dico, sed vt affectus sum, ac sentio. Non arbitror inter sacerdotes multos esse qui salui fiant, sed multo plures, qui pereant. In causa est: quoniam rex excelsum requirit animum. Multas enim habet causas, quæ depellant ipsum à suis moribus, & innumeris oculis illi vndique opus. Non vides, quam multas res oportet adesse Episcopo, vt sit appositus ad docendum, vt tolerans malorum, vt tenax sit ac fidelis in doctrina sermonis? Quantæ hoc difficultatis? & quod alii peccant, illi imputatur. Nihil dico præterea, si vel vnus tantum decedat non initiatus, nonne totam ipsius subuertit salutem? Vnius enim animæ perditio, tantam habet iacturam, vt nulla ratio possit æstimare. Etenim si vnius animæ salus tanti est, vt ob hanc filius Dei fieret homo, tantaque pateretur, perditio, cogita, quantum concilabit pœnam? Quod si quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus est, quanto magis ille?* Sap. 6. 6. Luc. 12. 48. Hebr. 13. 17. Greg. 3. p. c. 5. Chrys. hom. 3. in Acta.

VII. REMED. Statue apud animum tuum, te nequaquam ad Magistratus, Prælaturas, aliaque honorifica officia, quæ onus aliis imperandi annexum habent, aspiraturum: & si offerantur tergiuersaturum, nisi vel cogat Maiorum auctoritas, vel caritas Christiana sapientum iudicio ita postulare videatur. Deinde nec assumpturum quamuis aliam dignitatem, licet ab onere eiusmodi immunem, nisi pater spiritualis, qui conscientiam tuam habet perspectam id existimet ad maiorem Dei gloriam sine salutis tuæ iactura cessurum. Vbi autem susceperis, opta in animo, non tibi semper ab omnibus honorem officio a-

Eccli. 3. 20. lioquin congruentem deferri, memor dicti sapientis. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. In summo honore,* inquit in

Aug. serm. 215. Greg. lib. 2. ep. 54. sermonibus de tempore Augustinus, *summa tibi sit humilitas. Honoris laus est humilitatis virtus.* Et Gregorius Magnus ad Ioannem Episcopum Rauennatem. *Nihil in Episcopali ceruice splendidius fulget, quam humilitas.*

VIDE V. *Gloria vana, superbia, vestium luxus.*

AMOR SVI.

Remedia contra amorem sui.

I. REMED. Considera quid propriè sit amor sui. Agnitio enim morbi, vt vulgo dici solet, dimidiata sanitas est. Amor ergo sui non est naturalis ille amor, quo iubemur proximos, sicut nos ipsos diligere, & de quo

Eph. 5. 29. Apostolus dixit, *Nemo vnquã carnem suã odio habuit, sed nutrit & fouet:* sed vitiosus, & à natura corrupta profectus, quo quis tantũ studet suis cõmmodis, nulla ratione habita vel diuinæ gloriæ, vel alterius finis honesti, vt docent SS. Patres. Repugnat autem hoc vitiũ è diametro caritatis virtuti, vel amori Dei, vt tradit B. AVGVST. in libris de ciuitate Dei. *Fecerunt,* inquit, *ciuitates duas amores duo: terrenã scilicet amor sui vsq; ad contemptũ Dei: cœlestẽ vero amor Dei vsq; ad contemptum sui: illa in seipsa, hæc in domino gloriatur.* Et est ra-

Bas. reg. breu. c. 54. Greg. hom. 4. in Ezech. Aug. l. 14. c. 28. dix, fons & seminariũ omnium vitiorũ, vti late declarat idem Augustinus,

Aug. l. 22. de ciu. c. 22. & indicat D. Paulus in altera ad Timotheum epistola. Nam cum dixisset.

2. Tim. 3. 2. *In nouissimis diebus erunt homines seipsos amantes,* mox subiungit, *cupidi, elati, superbi, blasphemi, parẽtibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes* &c. *& voluptatũ amatores magis, quã Dei.* Immo vix bonum aliquod opus facimus, etiamsi arbitremur ad gloriam Dei factũ, q̃ nõ isto vitio amoris sui inquinemus, dũ occultè vel gloriã vel voluptatulam aliq̃ nostram in eo quærimus. *Scimus,* inquit B. GREGOR. *quia vehementer claudit oculum cordis amor priuatus.* Quocirca omni ope contendere debes, vt hunc fontem obstruas, hanc radicem funditus exstirpes, si ad virtutum, perfectæque vitæ culmen peruenire velis.

G. hom. 4. in Ezech.

II. REM. Cõsidera amorẽ sui non solũ omnium peccatorum, grauiũ æq; ac leuium esse parentẽ & altricẽ, sed etiam esse speciẽ idololatriæ. Si enim,

Col. 3. 5. teste Apostolo, *auaritia, sim ulacrorũ seruitus est,* eo q̃ auarus, pecuniã suam, dũ ea vti nõ audet, quasi statuã in arca defixã colat & adoret: gulosorum

Phil. 3. 19. quoq; & ebriosorũ, secundũ eundẽ *Deus Venter* sit, eo q̃ neglectis veri Dei mãdatis cuticulæ tantũ curãdæ opam dare videãtur, quanto magis amor sui, suæq; voluntatis explẽdę desiderium erit idolorũ seruitꝰ, ex quo & auaritia, & gula, cæteræq; vitiorũ capitalium pestes originẽ suum ducunt.

Ez. c. 28. 2. 1. Reg. 15. 23. Quã seruitutem ob oculos nobis posuit propheta Ezechiel, dũ ait. *Dixisti, Deus ego sũ: dedisti cor tuũ quasi cor Dei.* Et Samuel, cũ regi Sauli suæ magis, q̃ diui-

diuinæ voluntati obsequenti dixit. *Quasi peccatũ ariolãdi est Deo repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Ille enim voluntatem suam Dei volũtati anteponebat, ac proinde eam supra Deũ q. colebat & venerabatur.

III. REMED. Quia autẽ hic Amor sui valde humanã mentẽ excęcat, vel vt loquitur B. GREGOR. *vehementer claudit oculũ cordis*, & idcirco non facile agnoscitur, maximè in excellentib. virtutũ operib. vt in ipsa humilitate, & vanæ gloriæ contẽptu, vt obseruauit B. AVGVST. in Confessionũ libris. *Sæpe enim*, inquit, *homo de ipso vanæ gloriæ contemptu gloriatur, ideoq; non iã de ipso gloriæ contẽptu gloriatur*: Itaq; aduertere debes, quosdã huius ꝓprii amoris effectus esse manifestos, nec à culpa læthalis peccati immunes, vt sunt septem peccata capitalia, aliaq; q̃ supra recensuit Apostolus, & in his facile ꝓprii amoris ingeniũ notatur. Alii verò sunt occulti, qui non facile agnoscũtur, & fere sunt noxæ leuioris & venialis. Exẽpli loco sunt hi. Si in edẽdo, bibendo, dormiẽdo, ambulando, aliisq; adiaphoris actionib. nõ tam necessitatis, q̃ voluptatis tuæ habeas rationẽ; si in cultu corporis, domus, suppellectilis sis exquisitior, q̃ communis hominũ mos ferat; si ob vitiũ corporis naturale, vel officii tibi impositi vilitatẽ, vel ob inopiã parentũ pudore suffũdare: si monitionẽ, vel reprehensionẽ molestè feras: si à q-busdam bonis operibus abstineas, ne à vulgo irrideare: si libenter de rebus ad laudem tuam vergentibus loquare, vel alios loquentes audias: si ob lapsum leuẽ aliorum facile ad iram accendare, si iniuriam acceptam ægrè remittas. si tristeris, cum tuum iudicium non ab omnibus probatur: si cui sis plus æquo familiaris. Et id genus alia. A. I. 26. c. 38.

IV. REM. Apud animum tuũ constitue, & in matutina oratione propone, te omnia ad gloriã Dei, non ad cómodũ tuũ facturum iuxta consiliũ Apostoli ita scribẽtis ad Corinth, *Sine mãducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriã Dei facite.* Et ad Colossenses. *Omne quodcũq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agẽtes Deo & Patri p ipsum*: ita enim fiet, vt nõ solũ amorẽ illũ ꝓprium q. domesticũ latronem conficias, sed etiã operib. alioq; adiaphoris, vt est opus edẽdi & bibendi, si in gratia Dei sis, ꝓmerearis augmentũ gratiæ & gloriæ. Si verò qd cómẽdatione dignũ priuatim, vel publicè egeris, id ex parte tua cęlare cótendas, exẽplo Christi, q cũ admiranda q̃dam patrasset, vti in sui transfiguratione, ea diuulgari vetuit: Si autẽ te inuito in publicũ emanent, ea diuinæ gratiæ, non tuæ industrię adscribe: & obrepenti cogitationi de vana gloria cũ Christo identidẽ respõde. *Ego nõ quæro gloriã meã. Et si ego glorifico meipsũ, gloria mea nihil est.* Vel illud Dauidis. *Nõ nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriã.* Operæ ꝓtium quoq; feceris, si nõ ante cubitũ cõcedas, q̃ cõscientiam tuã excusseris, nũ aliqua in re commodũ tuum, vel gloriam quæsieris. *Quisquis enim vitæ suæ custodiam*, inquit B. GREG. *negligit discutere,* Matt. 17. 9. Ioan. 8. 50. Psal. 113. 9. G. hom. 4. in Ezech.

quæ agit, quæ loquitur, quæ cogitat, aut despicit, aut nescit, sibimetipsi præsens non est, quia semetipsum quotidie exquirere aut cognoscere solicitus non est. Ille autem veraciter sibi in præsenti est, qui se in suis actibus tanquam alium attendit. nam sunt multa peccata, quæ committimus, sed idcirco nobis grauia non videntur, quia priuato nos amore diligentes, clausis nobis oculis in nostra deceptione blandimur.

Matt. 16. 24. V. REMED. Serio te dede proprii amoris abnegationi. Quod remedium dedit summus medicus Christus. *Qui vult*, inquiens *venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quod bifariam intelligi potest. Semel vt abneges te esse, quod es. Solus *Deus*

2. Tim. 2. 13. Exo. 3. 14. 2. Cor. 12. 11. *negare se non potest*, teste Apostolo. qui solus dicere potest. *Ego sum, qui sum.* Homo autem & quæuis creatura dicere potest, ego non sum, vel nihil sum, sicut dixit Paulus. *nihil*, inquit, *minus fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli, tametsi nihil sum.* Et S. Catharinæ Senensi

Raym. in eius vita. initio visionum Dominus dixit. *Ego sum qui sum. tu es, quæ non est: hoc si scis, omnes laqueos inimici franges.* Immo quiuis ita sentire debet, nisi se-

Gal. 6. 3. ductor sui esse velit. *Qui enim existimat se aliquid esse*, inquit idem Paulus, *cum nihil sit, ipse se seducit.* Qui autem nihil se esse putat, quomodo amorem sui retinere potest, vt commodum vel gloriolam in actionibus suis quærat? SECVNDO, abnegare temetipsum potes, si affectibus inordinatis renuncies, ac nouum hominem exuto vetere, vt loquitur *Apostolus*, induas. Sic enim abnegationem hanc exponit B. Basilius in regulis

Eph. 4. 24. Bas. q. 6. & 8. G. hom. 32. in Euang. Gal. 2. 20. fusius disp. & S. GREGORIVS, qui sic scribit. *Tunc nos ipsos abnegamus, cum vitamus, quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, quod per nouitatē vocamur. Pensemus, quomodo se Paulus abnegauerat, qui dicebat, Viuo autem, iam non ego: extinctus quippe fuerat sæuus ille persecutor, & viuere cæperat pius prædicator. si enim ipse esset, pius profecto non esset. Sed qui se viuere denegat, dicat, vnde est, quod sancta verba per doctrinam veritatis clamat? Protinus subdit, viuit vero in me Christus, ac si aperte dicat. Ego quidem à memetipso extinctus sum, quia carnaliter non viuo, sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritualiter viuo.* DICES, difficile esse perfecte se abnegare, & omnem inordinatum

Greg. ib. sui amorem exscindere. NON diffiteor. *Fortasse* ait idem Gregorius, *laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsum, minus quippe est, abnegare quod habet: valde autem multum est, abnegare quod est.*

Matt. 16. 24. Matt. 3. 10. Verum Christus idcirco mox adiecit (*& tollat crucem suam*) Labore indicans opus esse, securim ad hanc omnium vitiorum radicem ponēdam: crucem tibi, non Christi, sed tuam esse ferendam, nempe vt carnem tuam

Gal. 5. 24. 1. Cor. 9. 27. Gal. 6. 14. *crucifigas cum concupiscentiis eius*, sicut crucifixit Paulus, qui scripsit. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Et mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Quod si & hæc crucula tibi onerosa sit, attende ad postrema verba sententiæ Christi. (*& sequatur me*) si enim duce Christo

cruci-

crucifixo viam crucis & mortificationis ingressus fueris, omnia reddentur leuiora, quia ipse dixit: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Matt. 11. 30.

VIDE plura verbo. *Ambitio. Auaritia. Familiaritas nimia. Gloria vana. Gula. Immortificatio passionum. Iudicium proprium. Luxuria, Mortis metus. Tristitia, Voluntas propria, Voluptas carnis,*

AVARITIA.

Remedia contra Auaritiam.

I. REMED. Considera in diuinis scripturis Auaritiæ crimen omnibus aliis quasi anteponi. Sic enim loquitur Ecclesiasticus *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet.* Et paulo ante. *Auaro nihil est scelestius.* Et rursus. *Qui aurum diligit, non iustificabitur.* Paulus quoq; Apostolus auaritiam hic appellat *idolorum, vel simulacrorum seruitutem.* Deinde eædem scripturæ auaros diserte regno cœlorum excludunt, & æternis inferni pœnis addicunt. Sic enim loquitur Propheta Baruch. *Vbi sunt, qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines? Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Et Christus. *Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram.* Et. *Facilius est camelum per foramē acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* Tum Apostolus. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Ac B. IACOBVS. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum ærugināuit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.* Eccl. 10. 10. Cap. 31. 5. Ephes. 5. 5. Col. 3. 5. Bar. 3. 18. Luc. 6. 24. Matth. 19. 24. 1. Tim. 6. 9. Iac. 5. 1.

II. REMED. Considera quam grauiter S. Patres de hoc vitio censeant. BASILIVS. *Quanto diuitiæ magis augescunt, tanto plus adferunt curarum. Iudex expectatur, & auarus cogitat, ne in ius trahatur, ne orphanus suas lacrymas in foro palam faciat. Nocte consultat, quomodo mane quosdam aduocatos sibi præparet, quomodo in iudicio mentiendo pauperem destitutum opprimat. Eius animam hæ curæ continuò mordaces absumunt. Canis latrat, auarus putat furem esse. Mus forte perstrepit, & auari cor salit, quemlibet vel puerum suspectum habens. Filios iam grandes vt insidiatores aspicit, quod eorum iam ætas successionem expetere videtur, &c.* AMBROSIVS. *Exemplum auaris omnibus in Anania, à Petro punito, propositum est: vt qui eiusdem criminis reus fuerit, eiusdem supplicij in iudicij die sententia feriatur. Grande igitur malum est auaritia, imò malorum omnium est origo, sicut ait Apostolus. radix autem omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide. Videres ergo, quia qui pecuniam appetit, fidem perdit: qui aurum redigit, gratiam prodigit.* Bas. hom. 11. Amb. ser. 59. Act. 5. 5. 1. Tim. 6. 10.

Auaritia enim cæcitas est, errorem religionis inducit. Cæca, inquam, est auaritia, sed diuersis fraudum oculata ingeniis: non videt quæ diuinitatis sunt, sed cogitat quæ cupiditatis sunt. CHRYSOSTOMVS oratione in auaros. *Quid manibus auari sceleratius? quid oculis impudentius & caninum magis? non aspicit homines vt homines, neque cœlum vt cœlum, sed omnia pecuniã esse putat.* Et infra. *Vrsi & lupi, vbi saturati sunt, abstinent se cibo, isti verò non satiantur. Atqui propterea manus nobis fecit Deus, vt aliis opitulemur, nõ vt insidiemur. Talium ora etiam ferarum ora sunt, quin his etiam truculentiora. Etenim verba promũt, magis quam ferarum dentes venenum emittentia, & necem patrantia. Quod si mentem quoque talium quis excutiat, iam non feras modo, sed etiam dæmones ipsos appellabit.* AVGVSTIN. in libris de ciuitate Dei causam reddens, cur Apostolus auaritiam vocet idolorum seruitutem. *Peruersi, inquit, & auari frui volunt nummo, vti autem Deo, quoniã non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummũ colunt. Quia nimirum, licet Deũ agnoscant, & reuereantur, tanquam rerum omnium parentem, immoderato tamen affectu, quo in sordib pecuniæ inhærescunt, eum vltimum sui finem, & summũ bonum esse re & facto negare vidẽtur. Itaq; in pecunia conquirescunt, ac si nulla Dei cura & prouidentia agere deberent vnquam.* Et alibi. *non solum auarus est, qui rapit aliena, sed ẽt ille auarus est, qui cupidè seruat sua. quomodo iudicaturus est te, cum non solum seruas tua, sed etiam quæris aliena?* GREGOR. lib. 4. moral. *Rarum valde est, vt qui aurum possidet ad requiem tendat, dum per semetipsam veritas dicat. Difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum. Nam, qui hic multiplicandis diuitiis inhiant, quæ alterius vitæ gaudia sperant? Quod tamen, vt redemptor noster valde rarum, & ex solo diuino miraculo euenire posse monstraret: apud homines, inquit, hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.*

Orat. 7.

A. l. 11. c. 15.

Aug serm. 196. de temp.

Greg. c. 3.

Luc. 18. 24.

III. REMED. Considera quid Ethnici de ea senserint. CICERO in oratione pro Quintio. *Nullum, ait, est officium tam sanctum, atq; solenne, quod non auaritia comminuere, atq; violare soleat.* Et in Vatinium. *Nemo tam firmum habuit præsidium, quod auaritia non infregerit, atq; debilitauerit.* Et ibid. *Auaritia insatiabilis immensa & incredibilia potest. Ita, n. hominum mentes obstrictas tenet, vt eas nullo tempore respirare permittat.* Et li. 2. officiorum. *Nullum est vitium tetrius, quam auaritia, præsertim in Principib. & Rempub. gubernantibus. Habere enim quæstui Rempub. non modo turpe est, sed sceleratũ ẽt & nefarium.* SALVSTIVS in Catilinario. *Pecuniæ, imperiiq; libido, sunt quasi materies omniũ malorum. Nãq; auaritia fidem, probitatem, cæteras q; bonas artes subuertit: proq; his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere, edocuit.* VAL. MAXIMVS li. 9. c. 4. *Protrahatur etiam in medium Auaritia, latẽtium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ auidissima vorago, nec habẽdi fructu felix, & cupiditate quærendi miserrima* SENECA epist. 115. *Nulla auaritia sine pœna est, quamuis satis sit ipsa pœnarum. O quãtum lachrymarum, ô quantum laborum exigit? q̃ misera desideratiu, quam misera partis est? Adiice quotidianas solicitudines, quæ pro modo habendi quẽq; diſcruciant. Maiore tor-*

Cicero.

Salustius.

Valerius.

Seneca.

mento

mento pecunia possidetur, quam quæritur. Quantum damnis ingemiscunt, quæ & magna incidunt, & maiora videntur. Et epist. 108. *Non vides, quemadmodũ theatra cõsonent, quoties aliqua dicta sunt, quæ publicè agnoscimus, & consensu vera esse testamur. Desunt inopiæ multa, auaritiæ omnia. In nullum auarus bonus est, in se pessimus.*

IV. REMED. Considera exemplum Christi & sanctorum, qui auaritiæ hostes infestissimi verbis & factis fuerunt. CHRISTVS enim cum filius Dei esset, vel vt loquitur Apostolus, *in forma Dei*, Deo æqualis, rex regum & Dominus dominãtium, exinaniuit se, & *formam serui* pauperis accepit; in stabulo, vt pauper natus, pannis inuolutus, & in præsepio depositus: in sinu parentum pauperum suo labore, & alienis opibus sustẽtatus, ita vt de se dixerit. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Pauper denique & nudus in lecto crucis mortuus, & in alieno sepulcro humatus. Deinde pauperes elegit discipulos, eisque auctor fuit vt ad arctissimam totius vitæ paupertatem, relictis omnibus quæ in mundo haberent, vel habere potuissent, religione voti se obstringerent. Immò omnibus Christianis consuluit eandem paupertatis perfectionem dicens diuiti adolescenti. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperib. & habebis thesaurum in cœlo; & veni sequere me.* Quod consilium & primi Christiani, vt est in *Act*orum *A*postolicorum historia, quorum nullus *quicquam suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*, sequuti sunt, ac postea quamplurimi religiosi clerici, omnesq; monachi, eorumque fundatores. *A*ntonius, Basilius, Benedictus, Bruno, Dominicus, Franciscus, &c. idq; nonalia de causa fecerunt, quam vt ab auaritia, vel cupiditate omnium malorũ radice, vt eam describit B. *P*aulus, quam longissimè abessent. Tum vt eo capaciores essent opum cœlestiũ paupertatis professoribus promissarum; dixerat enim Christus. *Beati Pauperes Spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Dixerat diuiti adolescenti. *Et habebis thesaurum in cœlo.* Dixerat *A*postolis. *Omnis qui reliquerit domum, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Phil. 2. 6.

Luc. 9. c. 8.

Matth. 19. 28. Act. 4.

1. Tim. 6.

Matt. 5. 3. & 19. 21.

V. REMEDIVM. Considera, quam grauibus pœnis diuinitus castigata sit quorundam auaritia. Verba describam Io. CASSIANI ex libro 7. instit. monast. *Giezi ea quæ ne antea quidem possederat volens acquirere non modo gratiam Prophetiæ non meruit possidere, quam per successionẽ velut hæreditariam à suo habuit magistro suscipere: verumetiam econtrario æterna lepra sancti Eliszi maledictione perfunditur. Iudas autem volens resumere pecunias, quas antea Christũ secutus abiecerat, nõ solum ad proditionem Domini lapsus, Apostolatus perdidit gradum, sed etiã vitam ipsam communi exitu finire non meruit, eamq; biothanati morte conclusit. Ananias verò & Sapphira reseruantes partem quandam quæ ex his possederant Apostolico ore morte mulctantur.* Hæcille. Eadem de causa miserè perierunt & alii, Vt Achan anathematis reus. Saul rex post victos Amalecitas mandati diuini

Cass. c. 14. 4. Reg 5.

Matth. 26. Act. 1. 20.

Act. 5. 5.

Ios 7.1. diuini præuaricator. Iohel & Abias iudicii peruersores. Achab cum Iezabele Naboth Iesrahelitæ interfector, & vinearum cruentus occupator.
1.Reg.15.20. 3.Reg.8. 3.Reg 21. Post Apostolicum æuum & monachi auaritiæ rei non leuiter puniti sunt.
Hier. ep. 22. HIERONYMVS in Epist. ad Eustochium de re Nitriæ recenter gesta sic scribit. *Quidam ex fratribus parcior magis quam auarior, & nesciens triginta argenteis Dominum venditum, centum solidos, quos lina texendo acquisierat, moriens dereliquit. Initum est inter monachos consilium (nam in eodem loco circiter quinq; millia diuisis cellulis habitabant) quid facto opus esset. Alij pauperibus distribuendos esse dicebant: alij dandos Ecclesiæ: nonnulli parentibus remittendos. Macarius verò & Pambo, & Isidorus, & cæteri, quos Patres vocant, sancto in eis loquente Spiritu decreuerunt infodiendos esse cum eodem, dicentes: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Nec hoc crudeliter quisquam putet factum: tantus cunctos per totam Ægyptum terror inuasit, vt vnum solidum dimisisse sit criminis.* Simile exemplum est in dialogis
Greg l.4.c.55. GREGORII Magni. nam cum monachus Iustus morti vicinus deprehensus esset occultasse tres aureos in quodam medicamento, B. Gregorius tum Abbas ei dici curauit eum ab omnibus fratribus ea de causa abominatum: post mortem autem voluit corpus eius in fossam sterquilinii proiici, & tres aureos, quos reliquerat cum illo infodi, ac ab omnibus clamari. *Pecunia tua tecum sit in perditionem.*

1.Tim.6.9. VI. REMED. Considera pericula animi & corporis, in quæ auari se coniiciunt. *Nam qui volunt diuites fieri*, ait Apostolus, *incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* Verè & multos, & occultos, & arctos laqueos diabolo suppeditat auaritia. Multos, quia, vt scribit Sapiens, *creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominũ, & in muscipulam pedibus insipientium.* Occultos, quia teste Iob, *abscondita est in terra pedica eius.* adeo siquidem subtiles sunt in commerciis, maximè in vsura & Simonia, vt summi etiam Doctores vix eos agnoscant: adde quod velati sint, vel necessitate naturali, ne aliquando desint ad vitam necessaria ipsis, vel liberis: vel spirituali, vt suppetant quæ erogentur in pauperes. Arctos vero, quia tot vinculis constringitur, quot habet possessiones, & quidem duplici amore constringitur, sui videlicet & filiorum: nam in morte cum desinit eas amare sibi, adhuc amat filiis, aliisq; hæredibus. Addit Paulus eos incidere *in desideria multa inutilia, & nociua*, quia vt ait Ecclesiasticus. *Auarus nunquam implebitur pecunia.* Et Salomon. *Infernus & perditio nunquam implentur. Similiter & oculi hominum insatiabiles.* Nam quo plus opes crescunt, hoc sitim habendi magis accendunt; sicut hydropicus quo plus bibit, hoc inflatur amplius. Cum quo conuenit illud Poëtæ Ethnici. *Crescit amor nummi, quãtum ipsa pecunia crescit.* Vnde consequens est, vt auaro perinde sit opibus abundare, ac nihil habere. *Est quasi diues*, inquit idem Salomon, *cum nihil habeat.*

Iob 18.10.
Eccl 5.9.
Prou.27.20.
Iuuen. Sat. 14.
Prou.13.7.

habeat: & est quasi pauper, cum in multis diuitiis sit. Et Hieron. ep. ad Paulinum. Hieron. ep. 101.
Antiquum dictum est. Auaro tam deest, quod habet, quam quod non habet. Credẽti totus mundus diuitiarum est: infidelis autem etiam obulo indiget. Denique incidunt auari & in *desideria nociua*, iuxta Apostolum *quæ mergunt hominem in interitum, & inferunt doloribus multis.* Nam diuitiæ, vt bene quidam dixit, & magno labore acquiruntur, & multo timore possidentur, & summo dolore amittuntur. *Est & alia infirmitas pessima*, ait *Sapiens*, *quam vidi sub sole diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui: pereunt enim in afflictione pessima.* Et rursum. *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.* 1. Tim. 6. 9. Greg. l. 15. mor. c. 11. Eccl. 5. 12. Eccli. 41. 2.

VII. Remed. Considera quanta stultitia in accumulandis opibus committatur. Auaro enim thesaurizanti apud Lucam dictum est. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Prima ergo stultitia auari est, quod improbo labore congerat ea, quibus forte nunquam est fruiturus. Vnde B. Paulus voluit Timotheum diuitib. præcipere, *ne sublime sapereut, & sperarent in incerto diuitiarum.* Putant enim & diuites, se hoc aliis hominibus sapientiores, quo plura corradunt. *Sapiens sibi videtur*, inquit Salomon, *vir diues; pauper autem prudens scrutabitur eum.* 2. Stultitia est, quod thesauros cógerat, vbi omnes eius antecessores illos amiserũt, nempe in mundo. 3. quod vsurpat sibi quæ sua non sunt. *Domini est terra*, inquit Psaltes regius, *& plenitudo eius.* Quando canis duos homines sequitur, vter eius Dominus sit, nescitur, quousq; alter ab altero discesserit: sic in hac vita nescitur, quis opum collectarũ sit Dominus, at post mortem patefit, nõ esse auari, sed mundi, quia soli mundo relinquuntur. Rursum, quemadmodum, si quis ad conuiuium prælautum inuitatus existimaret omnia sua esse quæ apponũtur, & ideo mensis remotis pateras, lances & argenteas domo efferre vellet, ei à ianitore diceretur, illa eius non fuisse nisi quoad vsum, & idcirco redderet: sic auaris, qui omnia bona credũt esse sua, dum hac vita excedunt, ianitor, mors, dicit illud Pauli. *Nihil intulistis in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid potestis.* 4. Stultitia est, quod ex Domino faciat se seruum, Auarus enim possidetur à diuitiis suis, non eas possidet, nec enim aliter habet eas, quam compedes habere dicitur, qui est cõpeditus. Et ratio est, quia in omnib. obedit illis, secundum illud Ecclesiastæ. *Pecuniæ obediunt omnia.* Imò facit se mancipium earum vilissimum, quia si in morbum incidat, non audet medicum aduocare, ne iacturã pecuniæ faciat: ac licet tota vita sedulo eis cumulandis seruierit, tandem eum sine vlla mercede omnibus spoliatum dimittunt. *Diues enim cum dormierit*, ait B. Iob. *nihil secum auferet.* 5. Stultitia, vel potius insania est, quod laqueos quærat, quib. se suosque, vxorem, liberos & totam familiam strangulet & perdat in æternum. *Cor iniqui*, ait *Sapiens*, *inquit*, *mala*, id est, laqueos occultos vsuræ, simoniæ, aliorumq; occultorum cõtractuum, quibus se suosq; participes facit. Luc. 12. 20. 1. Tim. 6. 17. Prouerb. 28. 11. Psal. 23. 1. 1. Tim. 6. 7. Eccl. 10. 19. Iob. 27. 19. Prouerb. 27. 21.

C VIII. Re-

1.Tim.6.8. VIII. REM. Si diues non es, & tamen inordinatè affectus ad opes, tolle affectum, & ſtatu tuo contentus ſis. *Habentes autem alimenta*, ait Apoſtolus, *& quibus tegamur, his contenti ſimus.* Sic enim ſecurior, tranquillior, & ad virtutes cõparandas aptior exiſtes. nam & Philoſophi Ethnici, vt Crates Thebanus apud Laertiũ, opes abiecerunt, vt aptiores eſſet ad capeſſendam ſapiẽtiam. Si verò opibus abundas, non ſperes *in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo*, vt idem Apoſtolus monet, *& diues fias in bonis operib.* ſtudeásq; *facile tribuere* indigentibus, *communicare, & theſaurizare tibi fundamentum bonum in futurum vt apprehendas veram vitam. Eleemoſyna*, inquit liberalis Tobias, *ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo, eleemoſyna omnibus facientibus eam.*

Laert.lib.6.

1.Tim.6.18.

Tob.4.11.12.

VIDE V. Impatiẽtia in paupertate. Impatiẽtia in damno rerũ tẽporaliũ.

B

BLASPHEMIA.

Remedia contra blaſphemiam.

Exod.20.7. Coloſſ.3.8. PRIMVM Remediũ. Conſidera dicta Spiritus S. in ſacris literis. Primo.n. prohibet blaſphemiã, vt in Exodo. *Non aſſumes nomẽ Domini Dei tui in vanum.* multo ergo minus ad blaſphemiam. Et apud Apoſtolum. *Nũc autem deponite & vos oĩa, iram, indignationẽ, malitiã, blaſphemiam.* Et. *Sit ſermo veſter, eſt eſt, non non.* 2. grauiſſimã pœnã blaſphemis denunciat. *Educ*, ait in Leuitico, *blaſphemum extra caſtra, & ponant oẽs qui audierũt manus ſup caput eius, & lapidet eũ populus vniuerſus.* Et ad regẽ Dauid. *Quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini propter verbũ hoc, filius qui natus eſt tibi morte morietur.* Et apud Matthæum. *Omne peccatũ & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus aũt blaſphemia nõ remittetur.* Et apud Marcum. *Qui blaſphemauerit in Spiritum S. non habebit remiſſionem in æternum.*

Iac.5.12. Leu.24.14. 2.Reg.12.14. Matt.12.31. Mar.3.29.

II. REMED. Conſidera SS. Patrum ſententias. CYPRIANVS de hæreticis baptizandis. *Si cuius patri aliquis conuicium fecerit, ſi contumelioſus & procax pudorẽ eius & honorem maledico ore lacerauerit, indignatur filius, & iraſcitur & læſi patris iniuriã quibuslibet modis vindicare conatur. Tu Chriſtũ putas impiis & ſacrilegis, & in patrẽ ſuũ blaſphemis impunitatẽ dare?* BASILIVS in regulis breuioribus *Ex ea blaſphemia q̃ Phariſæi vſurparunt.* (Matt. 12.) *perſpicuũ eſt eũ etiam nũc blaſphemare Spiritum S. hoc eſt, detrahere Spiritui S. quicunq; effectus & fructus Spiritus S. aduerſario ipſius attribuit: q̃ peccatũ incurrimus pleriq; noſtrũ, q̃ ſecuri periculi ſtrenuũ ſæpenumero temere appellamus ambitioſũ, & ei qui iuſta indignatione zelũ mouetur, & eã re indicãs iras, undiq; calũniã impinguimus, & ad eũdẽ modũ alia iniquis*

Cypr.ad Iubaianum. Basil.quæſt.273.

quis addicti suspicionib. ementitis nominib de aliquo dicimus. EPHRÆM, paræneſi 43. Audes aperire os tuũ audaciter, & in cœlũ verba emittere, iuramenta atq; blaſphemias? & nõ times, ne forte falx ignea, q̃ Propheta vidit, demoretur in domo tua, donec ex ea, q̃ ſub cœlo eſt, te excidat, dum ſic audes os aperire aduerſus Deũ omnipotẽtẽ? in quẽ angeli, archangeli, Cerubin & Seraphin nõ audẽt oculos conijcere? HIERON. in epiſtolã Pauli ad Titũ, in verba. Neminẽ blaſphemare. Nõ ait, neminẽ hominẽ blaſphemare, ſed abſolute neminẽ, nõ Angelũ, non aliquam creaturã Dei. Omnia quippe q̃ à Deo facta ſunt, valde bona sũt. Quãdo Michael Archangelus cũ Diabolo diſputabat de Moyſi corpore, nõ fuit auſus inferre iudiciũ blaſphemiæ, quãto magis nos ab omni maledicto puri eſſe debemus. Merebatur diabol⁹ maledictũ, ſed per archãgeli os plaſphemia exire nõ debuit. CHRYSOST. cõtra Anomæos. Qui Deũ blaſphemãt, & p̃ nihilo putãt, ipſi lædũt ſalutẽ & perimunt. Veriſſima namq; illius ſententia eſt, q blaſphemis inquit hominib Lapidem qui ſurſum iaciunt, in ipſorum caput iaciunt. Vt. n. qui lapidẽ illo iaculatur, corp⁹ cœleſte non attingere, nedũ lacerare põt, plagã aũt ſuo capite excipit, cũ lapis eodẽ vnde iaculatus eſt redeat, ita qui beatã illã blaſphemat ſubſtantiã, vt nũq̃ offendere eam põt, ſic ferrum aduerſus animã ſuã acuit & parat, cũ ſe ingratũ Domino bene merenti exhibet. AVGVST. de morib. Manichæorũ. Eſt blaſphemia, cũ aliqua mala dicũtur de bonis. itaq; ita vulgo blaſphemia nõ accipitur, niſi mala verba de Deo dicere: de hominib namq; dubitari poteſt. Deus verò ſine controuerſia bonus eſt. Et contra mendaciũ. Ideo peius eſt blaſphemare, q̃ peierare, quoniã peierãdo falſæ rei adhibetur teſtis Deus: blaſphemãdo aũt de ipſo, falſa dicuntur de Deo. Tanto eſt autẽ quis q; inexcuſabilior, ſiue periurus ſiue blaſphem⁹, quãto magis ea q̃ peierãdo vel blaſphemãdo aſſerũt, falſa nouerũt eſſe, vel credũt. Et in epiſtola ad Bonifaciũ Comitẽ Cũ dixit Chriſtus, qui peccauerit in Spiritum S. vel qui verbũ dixerit aduerſus Spiritũ S. nõ vtiq; omne p in Spiritum S. peccatur facto, ſiue dicto, ſed aliq; certum & p̃prium intelligi voluit. Hoc autẽ eſt duritia cordis vsq; ad finẽ huj⁹ vitæ, qua homo recuſat in vnitate corporis Chriſti, q. viuificat Spiritus ſanctus remiſſionẽ accipere peccatorum. Cum enim dixiſſet diſcipulis, accipite Spiritum ſanctum, continuo ſubiecit. Si cui dimiſeritis peccata, dimittẽtur ei, ſi cui tenueritis, tenebuntur. Huic ergo dono gratiæ quicũq; reſtiterit & repugnauerit, nõ remittetur ei neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro.

Eph. tom. 2. Ioel. 3. 15. Apoc. 14. 15. Hier. in cap. 3. Iudas. v. 9. Chry. hom. 3. Eccli. 27. 28. Aug. lib. 2. ca. 11. Id. c. 19. Id. ep. 50. Matth. 12. 31. Mar. 3. 29. Luc. 12. 10. Impœnitentiæ pecc. in Spiritum S.

III. REM. Conſidera atrocitatem peccati blaſphemiæ, quam liquido diſcere potes, primo ex diuina ſcriptura, quia blaſphemiam quandã, ait, nec in hoc ſeculo, nec in futuro remitti, quod de nullo alio peccato dicitur. Deinde quia in epiſtola Iudæ dicitur, nec Michaelem Archangelũ auſum fuiſſe diabolo, licet digniſſimo, iudicium inferre blaſphemiæ 3. quia Iudæi ad auditã blaſphemiam ſolent veſtes diſcindere, vt fecit rex Ezechias audita blaſphemia Rabſacis. De qua re HIERONYMVS. Scindunt veſtes, q fuerant miſſi ad Ezechiam, quia Rapſacem audiunt blaſphemantem. Scindit & ipſe rex veſtimenta ſua, quia peccatorũ ſuorum & populi eſſe credebat, q. Rapſaces cõtra Dominũ talia ſit locutus. Vnde & Pontifex quia Saluatorẽ blaſphemaſſe credebat

Matt. 12. 31. S. Iudas. v. 9. Iſa. 37. 1. Hieron. ibid. Matth. 26. 65.

Act.14.13. *scidit vestimenta sua; & Paulus ac Barnabas deferentibus sibi Dei cultum Lycaonibus sciderunt vestimenta sua.* Denique ne nomine quidem blasphemiæ vti ausa est

Iob.2.10. vxor B. Iob, sed eius contrario, dicens. *Benedic Deo & morere.* credens eum ilico expiraturum, si maledixisset: SECVNDO discere potes ex dictis SS.

Chrys. hom.1. Patrum. Nam Chrysostomus ad populum Antiochenum. *Nullum*, inquit, *gratiarum actioni par bonum, quemadmodum blasphemia peius nihil.* Et HIE-

Hier. in apologia, & l.7.cap.18. RONYMVS aduersus Ruffinum. *Blasphemia veniam non meretur.* Et in Isaiam, dum exponit verba illa, *A populo horribili. Nihil enim* ait *horribilius blasphemia, quæ ponit in excelsum os suum. Omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ leuius est.* Et EPHRÆM. *desine, ô homo, blasphemare, ne forte idem sermo quem contemnis fiat flamma in ore tuo, & tuam linguam comburat. Nam si homo homini pugnam suscitans, etiam pace iam facta, in conspectum eius prodire erubescit, quomodo tu hodie in mundo constitutus, & cras tribunali ipsius præsentandus audes talia eloqui? & non metuis ne forte ignis de cœlo descendat, & deuoret te, dum tu sic os aduersus omnipotentem aperis? neq; vereris, ne forte terra sub te repente disrumpatur & te absorbeat?* TERTIO disce ex Ratione, eaq; multiplici, 1 quia crimine blasphemiæ contumelia afficitur Deus in propria persona, & non in rebus ab eo creatis, sicut in furto, homicidio, adulterio: maior enim est contumelia illata Principi quam subditis. 2. quia persona Dei in infinitum excedit omnes personas alias, etiam Regum & Pontificum. 3. quia in aliis peccatis contumelia infertur Deo præter intentionem: blasphemus autem primario intendit Dei contumeliam, volens quasi vindicare se de Deo. 4.

Apoc.16.10. quia est peccatum prorsus diabolicũ, & proprium damnatorum in inferno. Vnde in Apocalypsi de iis ita scribitur. *Et factum est regnum eius tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas præ dolore, & blasphemauerunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.*

IV. REMED. Considera absurditatem huius peccati, quia è diametro pugnat cum omni iustitia, caritate q;, quam Deo debemus, & ratione naturali. Nemo siquidem tam impius est, qui maledicat amico suo & benefactori, cũ & bestiæ ferocissimæ minimo beneficio mansuescant.

Ephr.l.cit. *At* à quo plura beneficia, maiora q; consecuti sumus, quam à Deo? *Quousque tandem* exclamat pius EPHRÆM in paræneſi ante citata, *exacerbamus eum qui tanta nobis bona donauit? qui puluerem è terra capiens formauit hominem, &*

Gen.2.7. *inspirauit in eum Spiritum vitæ, qui cuncta subiecit sub pedibi suis, &*

Sap.15.11. *nos dormientes custodit. & excitatos protegit, & esurientes nutrit, ac nudos vestit, pusillanimes consolatur, corripit & miseretur, qui etiam filium suum vnigenitum pro omniũ vita tradidit.*

Rom.8.32. *Nos autem pro beneficiis eius spinas & tribulos proferimus, quorum consummatio in combustionem.* Serui Regum & Principum non solum non maledicunt

2.Reg.16.10. Dominis suis, sed nec patiuntur eos vlla iniuria lacessiri ab aliis, vt legimus de Abisai Duce bellico regis Dauid, qui maledicenti Semei voluit

præscin-

præscindere caput. Sed neque Turcæ suo Mahumeto, nec Ethnici suis Diis licet falsis, maledicere audent, quãto minus nos audeamus Deo vero, æterno, optimo, maximo. Adhæc nihil æque cum omni ratione pugnat, quam amicum & benefactorem iniuria afficere, vt placeas Satanæ capitali tuo & omnium fidelium hosti, cuius instinctu omnes blasphemant: nihil denique æque stolidum & absurdum est, quã eo genere peccandi delectari, quod horret Deus & homines, quod nullam nec animę, nec corpori affert vtilitatẽ. Quamuis enim omnia peccata obsint animę, plurima tamen sunt, quæ saltem corpori aliquod allevamentum, voluptatem, vel lucrum conciliant; at blasphemiæ non solum certam animæ perniciem, verum etiam corpori sæpissime horrendum eumque subitum interitum afferunt, vt liquet ex exemplis iam subiiciendis.

V. REMEDIVM. Considera quam grauiter Deus etiam in hoc mundo peccatum blasphemiæ, non solum in Deum vel Christum, sed etiam in sanctos dictæ, castigarit. Nam inprimis, vt est in sacra Regum historia, & blasphemiã Sennacherib regis Assyriorum angelus Domini vna nocte percussit in castris Assyriorum centũ octaginta quinque millia; rex autem cum post reditum in Niniuen in templo Nesroch adoraret Deum suum, à filiis suis gladio trucidatus est. B. GREGORIVS, *libro quarto dialogorum* narrat puerum quinquennem assuetum blasphemare maiestatem Dei in sinu patris expirasse, animamque à Mauris, quos puer contremiscẽs aiebat se videre, hoc est, à dæmonibus ablatam. THOMAS Cantipratensis libro altero Apum, ita de quodam blasphemo scribit. SIMON de Tornaco Theologiæ Doctor & Professor celeberrimus Parisiis disputatione habita de humilitate doctrinæ Christi, in reprobum sẽsum datus dixit. Tres esse, qui sectis suis mundũ subiugassent, Moysen, Christum, & Mahumetum, Moysen infatuasse Iudæos, Christum Christianos, Mahumeth gentiles. Nec mora euersis oculis pro humana voce mugitum emisit, & epilepsia statim elisus in terram die tertio eiusdem morbi vindictam accepit, mutusque mansit, non nominans nisi Aleyden suam concubinam. PETRVS *Damianus in epistola ad Desiderium Abbatem Cassinensem* commemorat in Burgundiæ partibus clericum quendam in bello, cum dixisset sententiam Euangelicam Christi, *Omnis qui se humiliat exaltabitur* falsam esse, repente gladio per os instar fulminis transfixũ. MAGNVM *speculum exemplorum* agens de illustribus viris Ordinis Cistertiensis, refert aleatorem quendam, cum per omnia membra Christi & Mariæ, horrendè iurasset, sic vt præsentes aures obturarent, & pectora tunderent, ilico corruisse, atque si ense transfossus esset, voceque horrifica exclamasse. Heu heu miser, quis es, qui me interficis? Et volutatus aliquantum humi tartaream animam efflauit. Hinc in dorso eius reperta

Cantip. c. 48.

P. Dam. lib. 2. ep. 15.

Matt. 23. 12.

Spec. exemp. 43.

est plaga recens terribili hiatu dehiscens, quasi securi facta. IDEM paulo post addit de alio, qui teste Abbate Gerebaldo, cum fœdissimè iurasset per secreta B. Virginis Mariæ membra, mox immundo spiritui traditus est, oculis euersis, facie inflata, & lingua ardente ex ore longius porrecta, donec animam eiecit. VVILHELMVS *Lindanus apologetico secūdo religionis Catholicæ*, narrat, sub annum Domini 1567. in oppido Hollandiæ Aspera Anabaptistarum delirius imbutam mulierem in summa difficultate partus, Deiparam virginē appelasse scropham, cū à circumstantib. monita esset de auxilio eius inuocādo: ac cōfestim diuinitus punitā, & nigellas aliquot edidisse suculas licet emortuas. P. DAMIA. *in epistola alia ad Desiderium Abbatem* talē recensēt historiam. Honorati cuiusdam diaconi narratione didici q̄ refero. In Bononiæ partibus duo quidam viri amicitiæ fœdere iuncti in conuiuio discumbebant. Gallū coctum in mensam allatū, in multas partes, vt mos est, alter dissecuit, & pipere liquato perfudit. Tum alter. Tam egregie dissecuisti gallum, vt nec S. Petrus illum redintegrare possit. Et socius. Sed etsi Deus imperet, nunquam amplꝰ resurget. Ad quam vocem gallus repente viuus, & plumis coopertus exiliit, alas concussit, cecinit, & liquore conuiuas aspersit, q̄ in lepram conuersus est, qua non ipsi solum sed & posteri eorum laborarunt, Ab ecclesia autem perpetuæ seruitutis pœna deinceps mulctati sunt.

Lindan. cap. 11.

P. Dam. ep. 17. lib. 2.

VI. REM. Caue occasiones blasphemandi, tū ibi, tū aliis. Tibi dupliciter. Primò, ne assuescas iurare p̄ Deum, vel sanctos, iuxtà illud Sapientis. *Iurationi nō assuecat os tuū: multi enim casus in illa. Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus sanctorū non admiscearis. Et vir multū iurās implebitur iniquitate.* Secundo, vt abstineas à lusu alearum & similiꝰ, q̄ instituuntur deposita vtrinq̄ pecunia. Eo enim p̄ditur sumptus, quo alēda est familia. 2. fama, nihili enim fiunt lusores. 3. tēpus pretiosum, quo operib. bonis lucranda est vita æterna. 4. cōsuetudo blasphemādi initur. Lusores enim fere sunt blasphemi, & ludēdi cōsuetudine se tales factos non diffitētur. ALIIS verò occasionē blasphemādi nō dabis, si vitā piā sanctamq̄ instituas; ac bonis opib. vaces, *Raro iam inueniuntur* inquit AVGVST. scribens in caput 6. Ioannis, *inter Christianos, q̄ Christū lingua blasphemant, sed multi qui vita.* Et in psal. 56. *Cum Deus laudatur de bono opere tuo, opere tuo laudas Deū, Et cū blasphematur Deus de malo opere tuo, opere tuo blasphemas Deum. Itaq̄ ad aurium exhortationē canta voce, corde ne fileas, vita ne taceas. Si ergo bene agis, & q̄ manducas & bibis ad refectionē corporis sumis gratias agēs Deo, & cibus tūc & potus laudat Deum. Si verò modū naturæ debitū immoderatione voracitatis excedas, & vinolentia te ingurgites, quātaslibet laudes lingua tua sonet, vita blasphemat.* Eodē spectāt B. EPHRAEM verba, dū exponit illud Isaiæ. væ his, per quos nomen meum blasphematur inter gētes. *Quēadmodum*, inquit, *operib. bonis Deus glorificatur,*

Ecclī. 23. 9. v. 12.

Aug. tract. 27.

Ephr. in terrogat tom. 1. Isa. 52. 5. Rom. 2. 24.

ita

ita contra malis actionibus blasphematur. Nam cum infideles intuentur Christianos, & instar Ethnicorum ipsi quoq; in crapula & ebrietate vitam degant, ludentes atq; saltantes cum cytharis & tympanis, non amplius dicti tant, quod insensati sint Christiani, dum legem transgrediuntur: verum blasphemantes asserunt eos sicut traditũ à Christo acceperunt, ita & facere.

VII. REM. Simulatq; tẽtatio, vel cogitatio blasphemiæ in animo tuo exoriri cœperit, confestim in ipsis principiis, tanquã ignis infernalis scintillã excute, dicendo cum Christo, *Vade Satana* Sic enim facies, & Paulus optat dicens, *Deus pacis conterat Satanã sub pedib. vestris velociter.* Et quod præcipit B. Iacobus, *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Et B. Petrus *Cui resistite fortes in fide.* Vtcunq; enim in nostra iniuria mansuetudinẽ exerceamus, tamen Dei iniuria q̃ fit p blasphemiã, nullo modo ferẽda est. Moyses *mitissimus hominũ sup terrã* in suis iniuriis sustinendis p̃dicatur, vt liq̃t in cõtumelius à fratre & sorore ei illatis. *At* in vindicãda Dei iniuria accerrimus fuit. Etenim cum populus eo absente vitulũ aureũ fabricasset, & p Deo suo adorasset, illã insaniã cernẽs, primo *tabulas legis* à Deo acceptas *ad radicẽ mõtis confregit.* deinde vitulũ illum *cõbussit & contriuit in puluerem*, quem sparsit in aquã. Tum exillo puluere *potũ filijs Israhel dedit*, vt hoc plus vitulũ suũ horrerent. *Aaron* fratrẽ acriter obiurgauit, & ad populũ clamauit. *Si quis est Domini iungatur mecũ.* moxq; ait. *Occidat vnusquisq; fratrem suũ, & amicum & proximũ suum.* Vides, quã vehemens Moses fuerit in vindicanda Dei iniuria. Sic in omni tentatione ad peccatũ quo Dei honor violatur, nõ remisse, sed acriter agendũ est. similis Moysi Paulus fuit cũ ad Elymã Magũ dixit. *O plene dolo & omni fallacia, vsq; quo nõ desinis puertere vias Domini rectas?* & ilico eum cæcitate percussit. *Ac* verò experiẽtia p̃batum est, dicta voce Christi, *Vade Satana*, graues & horrendas tentationes fuisse p̃fligatas. Hoc antidotũ est B. IOANNIS CLIMACI ita scribentis. *Qui blasphemiæ spiritu se perturbari sentit, atque eo liberari cupit, pro certo habeat non suã animam huiusmodi cogitationem esse causam, sed impurũ illum spiritũ, qui aliquando Domino dixit. Hæc omnia tibi dabo, si p̃cidens adoraueris me. Idcirco nos quoque contẽnentes ipsũ, & quæ ab illo dicũtur nihili æstimãtes securi & intrepidi dicamus. Vade post me Satana; sermo autẽ dolusq; tuus in caput tuũ conuertetur, & in verticẽ tuum blasphemia tua descẽdet in præsenti, & in futuro sæculo. Qui præter hunc modum aduersus blasphemiæ spiritũ pugnare vult, is ei similis est, qui manibus suis coruscationem continere nititur.*

Matt. 4. 10. Rom. 16. 10. Iac. 4. 7. 1. Pet. 5. 9. Num. 12. 3. Exo. 32. 19. Act. 13. 10. Matt. 4. 10. Clim. gradu. 23. Matt. 4. 10.

VIII. REMED. Consuesce Patri spirituali patefacere, cum alias graues tentationes, tũ hanc blasphemiæ imprimis. Est eiusdem CLIMACI, qui id confirmat hoc exẽplo. *Monachus quidã studiosus cum à dæmone pturbaretur cogitatione blasphemiæ ad viginti annos, carnem suam ieiuniis & vigiliis macerare nõ destitit: cũ verò inde ullã vilitatem se cepisse sentiret, profectus consetiptã in charta perturbationem ac tentationem suam sancto cuidam ac probatissimo seni obtulit in*

Clim. ibid.

faciem

faciem prostratus, nec illum intueri valēs. Vt autē legit senior, subrisit, fratrem q̄ erigens dixit. Pone fili manū tuam super oculum meum. Quod cum feciſſet, ait illi senior. Super collum meum ſit frater hoc peccatum, quotquot annis te oppugnarit, vel oppugnaturum ſit. Tu autem id obſerua, vt hoc iam floccipendas, & nihili æſtimes. Quibus verbis ita roboratus eſt frater, vt non antè cella ſenis excederet, quā huiuſmodi morbus euaneſceret. Hoc autem is qui expertus eſt mihi poſtea enarrauit, Deo gratias referens.

IX. REMED. Conſidera exempla ſanctorum, qui nullis incommodis vel calamitatibus paſſi ſunt ſe prouocari ad maledicendum Deo vel ſanctis. Ea complura in medium producit B. CHRYSOSTOMVS, atque imprimis B. IOB in homilia, Quod nemo læditur niſi à ſeipſo. *Intuere,* inquiens, *quanta perpeſſus ſit Iob, non ab homine aliquo. ſed ab eo qui omnium hominum ſceleſtior eſt & crudelior. Quia ſi ille immanis & cruentus, tot machinis, tot fraudibus adhibitis, totque ſuppliciis non potuit cogere, vt peccaret Iob labiis ſuis ante Dominum: & hoc cum neque legem Dei accepiſſet Iob, neque redemptionis Chriſti ac reſurrectionis eius gratiam fuiſſet conſecutus: quanto magis tu his omnibus munitus, ſi velis, & ex fide auxilium Dei implores, non poteris ſuperari.* Et alibi aduerſus Iudæos. *Atqui vxor conſilium dedit vt Deo malediceret. Quid igitur? num ſubuertit ſanctum illum virum mulieris conſilium? Imo contrarium fecit, magisque ſibi ſumpſit alas, ſic etiam vt increpāret vxorem. Potius enim duxit innumera perpeti mala, quam blaſphemia vlla tantorum malorum relaxationem conſequi.* Ibidem eandē animi conſtantiā ſuſpicit in ægro triginta octo annos ad piſcinam Bethſaidam ſanitatem præſtolante. *Qui,* inquit, *quotannis currebat ad piſcinam, & quoquo anno repellebatur, nec aſſequebatur ſanitatem. quotannis conſpiciebat alios ſanari, propterea quod multos haberent à quibus curarentur, ſe verò, quoniam nullos haberet, qui ipſum exhiberent, in perpetua manere paralyſi.* Deinde in LAZARO, *qui* ait, *cum fame, cum morbo, cum ſolitudine per omnem vitam colluctatus eſt, non triginta & octo annos verſatus in his ſed per omne vitæ tempus. Sic igitur & expirauit in diuitis veſtibulo iacens, contemptus, irriſus, eſuriens, canibus obiectus pabulum. Sic autem illius corpus debilitatum erat, vt nec canes irruētes, vlceraque illius lingentes poſſet abigere.* Præterea in B. PAVLO. *Vide,* inquiens, *Paulum quanta paſſus eſt, quæ etiam enumerare difficile eſt, carceres, vincula, verbera, flagella, ſupplicia, à Iudæis lapidatur, virgis cæditur, præcipitatur, latrones incurrit, ab inimicis & falſis fratribus inſidias perfert, intus timores, foris pugnas patitur, famem, nuditatem, calumnias, inſidias, tribulationes, beſtias tolerat; & quid opus eſt multa dicere? quotidie moritur, & tamen in his omnibus non ſolū nihil blaſphemum ex ore ſuo profert, ſed & gaudet, & gloriatur, atque exultans dicit. Gaudeo autem in paſſionibus meis. Et iterum. Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus. Si ergo hic tanta patiens gaudebat, quæ erit excuſatio his, qui pro paruis iniurijs, vel verberibus, vel qualibuſcunque tribulationibus blaſphemant?*

Chryſ. Id. orat. 51. Ioan. 5.5. Luc. 16. 20. Homil. Quod nemo, &c. Coloſ. 1. 24. Rom. 5. 3.

VIDE V. *Conſuetudo prauā. Linguæ abuſus. Maledictio.*

CHO-

C
CHOREÆ
Remedia contra Choreas.

PRIMVM Remedium. Considera choreas prophanas in sacris litteris reprehēdi. In Exodo enim de Moyse ita scribitur. *Vt vidit Moyses choros, iratus est valde, proiecit tabulas, & confregit eas.* ISAIAS, de Hierosolymitanis feminis sic vaticinatur. *Pro eo, quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerant collo extento, & nutibus oculorum ibant & plaudebant, & pedibus suis composito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion.* Et EZECHIEL. *Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gauisa es ex toto affectu, idcirco extendam manum meam super te, & interficiam te.* SARA quoque apud Tobiam. *Nunquam cum ludentibus miscui me, neq; cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui.* & IEREMIAS. *non sedi in concilio ludentium.* Atque ante illos B. Iob, cum dixisset. *Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus*, subiecit, *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Quare monet Ecclesiasticus. *Cum saltatrice*, inquiens, *ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.*

Exo. 32. 19. Isa. 3. 16. Ez. 25. 6. Tob. 3. 17. Ier. 15. 17. Iob. 21. 11. Eccli. 9. 4.

II. REMED. Considera quam durè S. Patres in eas inuecti sint. Nam BASILIVS agens contra ebriosos. *Cantus*, inquit, *profanos exerces, oblitus psalmorum & hymnorum quos didicisti. Moues pedes, & insanus saltas, choreas ducis imprudens, cum genua ad Dei & domini nostri Iesu Christi cultum flectere oportebat.* Et infra. *Quando enim sedit populus manducare & bibere, tunc & surgebat ad ludendum: lusus verò illorum idololatria erat. Tunc Leuitæ contra fratres sese armantes ex eis viginti tria millia ceciderunt, sic enim manus suas, inquit historia, consecrarunt.* B. EPHRAEM in sermone quod ludicris abstinendum sit Christiano. *in rebus ludicris*, inquit, *non esse tempus à Christianis consumendum, omnes nouimus, & ex diuinis quidem scripturis hausimus.* Et rursus. *Quis demonstrare poterit conuenire Christianis cytharisare, aut tripudiare, aut cymbala pulsare?* Et multo post. *vbi citharæ ac chori & plausus manuum, ibi virorū tenebræ, & mulierum perditio, angelorum tristitia, & diaboli festum. O improbum diaboli consilium.* Adhæc in libro interrogationum & responsionum. *Nunquid* ait, *choreis, nunquid citharārum lusu delectatus est Paulus, nunquid diabolica cantica cecinit? Absit. Quis talia Christianos edocuit? non sane hæc eos docuit Petrus non Ioannes, nec quis alius diuino numine*

Basil. hom. 14. Exo. 32. 6. Ephr. tom. 1. Ibid. resp. 2.

no numine afflatus. Verum ista Draco antiquus docuit, magister omnis impuritatis. Qui docuit fornicari, qui docuit idola colere, docuit etiam ludere. Idcirco Apostolus idololatras ludentes nominauit dicens. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est. sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. GREG. Nazianzenus oratione in Christi natalem, agens de festo illo recte celebrando. Id autem, inquit, hac demum ratione consequemur, si nec domus limina sertis coronemus, nec choreas agitemus, nec vicos ornemus, &c. promptis ad vitium viis, peccatique ianuis, &c. nec comessationibus & ebrietatibus, quia malorum magistrorum mala doctrina est, vel potius malorum seminum mala seges. AMBR. de virginibus. Debet bene conscia mentis esse lætitia, non inconditis comessationibus, non nuptialibus excitata symphoniis. ibi enim intuta verecundia, illecebra suspecta est, vbi comes delitiarum est extrema, saltatio. Ab hac virgines Dei procul esse desidero. Nemo enim, vt dixit quidam secularium doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit. Quod si iuxta sapientiam secularem saltationis aut temulentia author est, aut dementia, quid diuinarum scripturarum cautum putamus exemplis, cum Ioannes prænuncius Christi saltatricis optione iugulatus, exemplo sit, plus nocuisse saltationis illecebram, quam sacrilegi furoris amentiam. Et infra. Quid ibi verecundiæ potest esse, vbi saltatur, strepitur, concrepatur? Quid dicitis vos sanctæ feminæ, videtis quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis? saltet, sed adulteræ filia. Quæ vero pudica, quæ casta est, religionem doceat filias suas, non saltationem. Io CHRYSOST. in Matthæum. Vbi inquit, saltus lasciuus, ibi diabolus certe adest. Non enim ad tripudia hæc nobis præbuit DEVS. sed vt modestè incedamus: non vt impudenter camelorum modo saliamus: nec enim solum feminæ, sed etiam cameli turpiter saliunt, sed vt in angelorum choris consistamus. Quod si corpus deforme sit impudenter saliendo, quanto magis animam fœdari credendum est. His tripudijs diabolus saltat. His à dæmonum ministris homines decipiuntur. AVGVSTINVS in sermon. de tempore. Isti infelices & miseri homines, qui balationes & saltationes ante ipsas basilicas sanctorum exercere nec metuunt, nec erubescunt, etsi Christiani ad Ecclesiam venerint, pagani de Ecclesia reuertuntur, quia ista consuetudo balandi de paganorum obseruatione remansit. Et in psalm. 32. Obserua diem sabbathi, non carnaliter, non iudaicis delicijs, qui otio abutuntur ad nequitiam. melius enim vtique tota foderent, quam tota die saltarent.

1. Cor. 10. 7. Exo. 32. &c.

Amb. lib. 3.

Chry. hom. 49.

Aug. ser. 225.

Conc. 2.

III. REMED. Considera exempla eorum qui ob choreas pessime perierunt. NICEPHORVS in historia Ecclesiastica de filia Herodiadis saltatrice ita scribit. Brumali tempore ei fluuius traijciendus erat, qui cum glacie constrictus esset, pedes eum transibat. Glacie autem rupta, idque non sine Dei numine, demergitur illa capite tenus, molliusque se mouens saltat, non in terra, sed in vndis, caput vero à reliquo corpore, non ferro, sed glaciei crustis resectum, in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet, spectaculoque eo omnibus præbito, scelestum vitæ caput in memoriam ea quæ fecerat reuocat. THOMAS Canti-

Nic. lib. 1. ca. 20.

Idem. ca. 14.

praten-

pratensis D. Thomæ Aquinatis æqualis in libro Apum exempla quæ- Tho. l.2. cap.57.
dam sui seculi commemorat. I. PVELLA *quædam in Mechlinia Brabantiæ oppido*, inquit, *vt ab eis qui præsentes fuere cognoui, sacro die Dominico cum iuuenibus diu choreas duxerat: fatigata ergo domum rediit, & dormitum pergens mox à dæmone obsidetur. ea clamante surgit familia, ligant vinculis sæuientem. mane in Hansuuich ad oratorium gloriosæ virginis extra oppidum deportatur. frequenter enim ibidem* MARIA *virtutum operatrix miracula plurima demonstrauit. Accurrant mox scholares pueri vnusque duodecim annorum audacior cæteris dæmonem adiurauit, & crucis signo pollice in vmbilico puellæ expresso fugavit.* 2. *Vidi ego adhuc puer* Ib.c.49.
in choreis procacissimam saltatricem, quæ me præsente post choreas insolenter cum a- Ibid.
dultero luctabatur, & cum cessasset, subitana morte percussa miserabiliter expirauit.
3. *In Gallia iuxta Laudunum, sicut à presbytero villæ percepimus, quidam choreas du-* Ibid.c.57.
centes supra pontem, disrupto subito ponte fortissimo in aquis validis omnes sunt submersi. 4. *Marchia in Flandriæ atque Brabantiæ districtu villa populosissima sita est, in qua dedicatio celebrata multos ad lusum traxerat. Inter quos, à Gulielmo bono & litterato presbytero, & in ijsdem partibus nato percepimus, quidam tibiten erat, qui tripudiantes iuuenes & puellas gesticulationibus suis ad carmina turpia concitabat. Hinc cælo nubibus circa vesperam obscurato omnes ad propria redierunt, solo tibicine nondum lusibus satiato, & cum saltu, tibiæque sonitu ad sua paulatim remeante: qui secuta coruscatione & tonitru fulmine percussus est; videntibus duobus pueris pastoribus, qui ad dumeta confugerant. Iidem pueri mox viderunt, quod duo nigerrimi canes ex insperato venerint, & inter se pendulum extinctli brachium deportarint. Corpus autem tibicinis sepultum quidem est in atrio Ecclesiæ, mane tamen sepulcrum patens & vacuum inuentum est, creditumque est à dæmonibus, sicut & brachium, absportatum.*

IV. REMED. Considera choreas, omnesque id genus vanas & le- Est S.Ephrem locis cit.
ues recreationes è diametro pugnare cum hominis Christiani & pii professione. Nam primo quilibet Christianus in baptismo abrenunciat Sathanæ & omnibus pompis eius. at inter pompas Sathanæ paulo ante S.Patres numerarunt choreas. 2. quia Christus iis qui discipuli sui esse volunt, tradidit omnino contraria. *Si quis vult venire post me* inquit, *abneget* Matth.16.24.
semetipsum, & tollat crucem suam. Contendite intrare per angustam portam. Beati qui lugent. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia Luc.13.24. Matth.5. Luc.6.25.
lugebitis & flebitis. 3. idem docuere Apostoli, & PAVLVS. *Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij, sed mœroris. Quod si extra disci-* Heb.12.11.
plinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filij estis. 1.Pet.2.21.
Et PETRVS. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Et S. IOANNES. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ* 1.Ioan.2.15.

Iac.4.9. *in mundo sunt.* Et IACOBVS. *Miseri estote, & lugete, & plorate. risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem.* IMMO hi ipsi verbo & exemplo docuerunt maximè gaudendum & tripudiãdum esse in aduersitatibus. *Beati,* inquit Christus, *estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, gaudete & exultate.* Et B. LVCAS Apostoli *ibant gaudentes à conspectu concilij quia digni habiti erant pro nomine Iesu contumeliam pati.* Et PAVLVS. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione vestra.* Aciterum. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in angustiis pro Christo.* Et PETRVS. *Communicantes Christi passionibus gaudete.* Et IACOBVS. *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.*

Matt.5.11. Act.5.41. 2 Cor.7.4. 1.Pet.4.13. Iac.1.1.

V. REMED. Considera; etiamsi Doctores quidam non improbent choreas moderatas in nuptiis honestis, aliisue priuatis amicorum conuentibus institutas, tamen securius esse in totum ab illis abstinere, non solum clericis & religiosis, (quibus lege Ecclesiastica vetitæ sunt) sed etiam secularibus Et ratio est, quia nunquam tam moderatæ esse posse videntur moraliter, vt omnes occasiones & pericula delinquendi absint. *Qui autem amat periculum,* inquit Sapiens *peribit in illo.* Quotusquisq; enim tam cautus & circumspectus esse poterit, qui in tanta sicut est in nuptiis, conuiuii lautitie, in mulierum puellarumque, quæ choreis fere intersunt, confessu, vel conspectu, vel auditu, vel osculis, vel loquacitate, vel vanæ gloriæ aucupio, fastu quoque, inuidia, detractione non crebro labatur & peccet?

c.Presbyteri. dist.34. exc. Laod. c.29. Eccli.3.27.

VIDE V. *Ebrietas. Immodestia Luxuria. Otium. Voluptas carnis.*

COLLOQVIA OTIOSA ET VANA,

Remedia contra illa.

I REMEDIVM Considera quid proprie verbum otiosum & vanum appelletur. B. GREGOR. ait otiosum esse, *quod aut ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret.* HIERON. vero, *quod sine vtilitate & loquentis dicitur & audientis.* Sic BASIL. in Constitut. monasticis *non otiosum sermonem* vocat, *qui est de virtute, vel ad audientium ædificationem refertur.* VANVM autem verbum eiusdem fere est significationis. IOA. CHRYS. *Vanũ.* inquit, *est, quod vtilitatis est expers.* & GRE. NYSSENVS in Ecclesiasten. *Vanum est, cuius nullus est vsus & scopus certus, licet magno studio proferatur.*

Greg.l.7.mor.c.17. Hie.in c.12. Matt. Bas.c.12. Chr.in psal.118. Nyss in c.1.

II. REM. Considera secundum S. Scripturæ, & S. Patrum dicta colloquia otiosa nó esse parui facienda. nã apud Matthæum Christus dixit. *Amen dico vobis, quoniã omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemna-*

Matt 12.36.

demnaberis. Vnde S. BASILIVS in regulis breuioribus. *Adeo magnum est otiosi verbi periculum, vt licet genere ipso de numero bonorũ sit, tamen nisi ad ædificationem fidei dirigatur, à periculo liber non est qui illud locutus est, quippe qui ex eo, q̃ ad ædificationem illud non accommodauerit, contristasse noscatur Spiritum sanctum.* Basil. q. 23.

Hoc enim apertè docuit Apostolus, cum dixit. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audiẽtibus. Et subiecit illud. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis. Quam autem pernicioſa res sit, contristasse Spiritum sanctum, de hoc verò, quid opus est vt dicatur? Eph. 4. 29. Et B. GREGOR. lib. 7. mor. *Dum ab otiosis verbis reſrenare nequaquam lingua compescitur, ad temeritatem quoq; stultæ increpationis efferatur. Quibusdam enim suæ ruinæ gradibus desidiosa mens in foueæ lapsus impellitur: nam dum otiosa verba cauere negligimus, ad noxia peruenimus.* Greg. l. 7. Et ante eum S. AMBROSIVS libro primo de officiis. *Non solum profusos,* inquit, *sed etiam omnes iocos declinandos arbitror.* Amb. c. 25. Et iterum. *Licet interdum ioca honesta, & suauia sint, tamen ab Ecclesiæ adhorrent regula: quoniam quæ in scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodũ vsurpare possumus?* Denique S. BERNARDVS in sermone de triplici custodia. *Nemo,* air, *parui æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis: Siquidem tempus acceptabile est, & dies salutis.* Et infra. *Donec transeat, inquis, tempus: quo diuinam repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remissam voluntatem, fiere commissam iniquitatem.* Bernard.

III. REMED. Considera, nulla in re magis opus esse inuocatione diuini auxilii, quàm in gubernatione linguæ. *Quis enim est,* inquit Sapiens, *qui nõ deliquerit in lingua sua?* Et *Beatus vir, qui non lapsus est in verbo.* Ac Iacobus Apostolus. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Quocirca Salomon aiebat. *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguã.* Et rex Dauid orabat. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstãtiæ labiis meis.* atq; alibi dicebat. *Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquã in lingua mea.* Qui versus cum ex initio Psalmi 38. aliquando Pamboni Abbati prælectus fuisset. *Satis est,* inquit *reliqua audiam, cum illud opere impleuero.* Multo verò post tempore rogatus, cur ad magistrum non rediret, respondit, nondum se quod didicerat, perfeciſſe. Apostolicum esse præceptum. *Estote factores verbi, & non auditores tantum.* Eccli. 19. 17. & 14. 1. Iac. 3. 2. Prouerb. 16. 1. Psal. 140. 3. Psal. 38. 2. Tripart. l. 8. c. 2. Iac. 1. 22.

IV. REMED. Considera non modo diuina gratia, sed etiam magna prudentia & circumspectione ex parte tua esse opus, vt in colloquiis habeas rationem circustantiarum, vti accurate monuit Spiritus sanctus in scripturis. Et primo Temporis, quando sit loquendum. *Mala enim aurea in lectis argenteis,* inquit Salomon, *qui loquitur verbum in tempore suo. Tempus est enim tacendi, & tempus loquendi.* 2. Personarum, quibuscum est loquendum. *In auribus insipientium,* inquit idem, *ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui.* Et *Vbi non est auditus, ne effundas sermonẽ.* Et. *In medio magnatorum loqui-* Prouerb 25. 11. Eccl 3. 7. Prouerb. 23. 9.

Eccli. 32. 13. *qui non præsumas, & vbi sunt senes, non multum loquaris.* 3. materiæ, qd loquaris. *Lingua mea,* aiebat rex Dauid, *meditabitur iustitiam tuam, toto die laudem tuam. Omnis enarratio tua,* ait Sapiens, *sit in præceptis altissimi.* Et. *Antequam loquaris disce. Si quis loquitur,* inquit B. Petrus, *quasi sermones Dei.* 4. Modi, quomodo loquaris. *Eruditus enim in verbo,* inqt Salomon, *reperiet bona.* Et. *Fauus mellis cõposita verba.* Et. *Qui prius respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. Sermo vester,* ait Apostolus, *semper in gratia sit sale cõditus, vt sciatis, quomodo oporteat vos vnicuiq; respondere.* & B. Iacobus. *Sit autem homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Has 4. circumstantias, si quis in colloquiis non considerarit, facile delinquet. *Qui enim inconsideratus est ad loquendum,* ait Salomon, *sentiet mala.*

Psal. 34. 28. Eccli. 9. 23 & 18. 19. 1. Pet. 4. 11. Prouerb. 16. 20. Prouerb. 18. 13. Coloss 4. 6. Iac. 1. 19. Prouerb. 13. 3.

V. REMED. Considera exemplum Christi, quam circumspectè in colloquiis se habuerit, nec otiosum verbum sibi excidere passus sit. Nam primo ex omni materia ansam capiebat aliquid spirituale dicendi, vt, cum egit apud Ioannem cum Samaritana de aqua haurienda, transiit ad sermonem de aqua viua saliente in vitam æternam. Et cum quidam dicerent. *Domine semper da nobis panẽ hunc.* subiecit *Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me, non esuriet.* 2. cum eo loquente ad turbas, quidam diceret. *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes loqui tibi,* deposita quasi omni affectione carnali erga eos, respondit. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Et addidit. *Quicunq; fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* 3. cum de propria eius causa sermo incideret, etiam apud Principes viros, tacebat, vt dum apud Pilatum à Principibus sacerdotum falso accusaretur. nam Matthæus refert eum ad nullum verbum, nec ipsorum, nec Pilati respondisse. *ita vt miraretur Præses vehementer.* 4. aliquando acriter in scribas & Pharisæos, aliosque aliorum seductores inuehebatur, sic vt vocaret *genimina viperarum, stultos, cæcos, hypocritas, filios diaboli.*

Ioan. 4. 13. Ioan. 6. 35. Matth. 12. 48. Matth. 27. 14. Matth. 3 7. Matth. 23. 13. 17. Ioan. 8. 44.

VI. REMED. Considera exempla sanctorum, qui ab omni otioso vel vano sermone abstinuerunt. CASSIANVS lib. 5. instit. monast. *Vidimus,* inquit, *senem Machetem nomine, hanc à Domino gratiam diuturnis precib. impetrasse, vt quotquot diebus ac noctibus agitaretur collatio spiritualis, nunquam somni corpore penitus laxaretur. Si quis verò detractionis verbum, seu otiosum tẽtasset inferre, in somnum protinus concidebat: ac sic nec vsque ad aurium eius pollutionẽ virus obloquij poterat peruenire.* VITÆ PATRVM in parte secunda exhortat. referunt quendam magnum virum gratiam à Deo obtinuisse, vt in colloquiis piis fratrum, quæ de sacris scripturis habebantur, videret sanctos Angelos astantes & plurimũ se colloquiis illis oblectantes. *Cum autem* addunt, *aliud quidpiam loquerentur, statim sancti Angeli recedebant longius. Veniebant autem porci sordidissimi, & volutabant se inter eos. Dæmones enim inspe-*

Cass. c. 39. V. P. c. 35.

cie pecorum delectabantur eorum vaniloquiis. Beatus autem senior hæc videns cõmonebat per monasteria fratres, dicens. Cohibete à multiloquio & ab otiosis sermonibus linguam, per quam malus interitus animæ generatur. S. GREGORIVS in dialogis. *Musæ puellæ paruæ quadam nocte S. Maria virgo apparuit, & coæuas & puellas in albis vestibus ostẽdit, quibus cum illa ad misceri appeteret, & in obsequio B. Virginis viuere protinus ab ea mandatum accepit, vt nihil vltra leue & puellare ageret, & à risu & iocis se abstineret, sciens per omnia, quod inter easdem virgines, quas viderat, ad eius obsequium die trigesimo veniret: quod & factum est, quia 30. die B. Virg. cum dictis puellis ad se venire conspexit, & clausis reuerenter oculis clamauit. Ecce domina venio. In qua etiam voce Spiritum reddidit.* B. GREG. TVRONICVS in vita S. Nicetii presbyteri, postea Episcopi Lugdunensis, narrat eum nulla verba nisi sancta & pia elocutum, ociosa vel iocosa nunquã: contumeliosa verò in alios vel in se coniecta negabat esse audienda, eo quod ex animi perturbatione prolata essent. S. AVGVSTINVS in libris Confessionum multis verbis commemorat, quemadmodum cum matre Monica prolixum colloquium ad ostiam Tyberinam de pulcritudine cœli & terræ habuerit, sensimque trãsierit ad sermonem de vita æterna; sic vt Monica tandem diceret. *Fili nulla iam re delector in hac vita.* Mundus enim iste inter verba ei vilescebat cum delectationibus suis. S. THOMÆ Aquinati, vt in eius vita scribitur, orandi meditandique exercitium graue non fuit, quod consuesset cum sociis duntaxat de rebus piis, & ad ædificationem proximi spectantibus loqui. VINCEN. Bellouacensis in spec. historiali refert Durannum quendam ex Abbate Episcopum Tholosanum, virum cæteroquin pium & diligentem, idcirco in purgatoriis pœnis aliquandiu detentum, quod sæpius verba risum mouentia incautè vsurpasset, indeque tandem septem fratrum monachorum silentio ad septem dies continuato fuisse ereptum.

Greg. l. 4. c. 17.

Apud Surium.

Aug. l. 9. c. 10.

SVR. in Martio.

Vinc. l. 26. c. 5.

VII. REMED. Considera, maximè si religiosus sis, cum omnes homines naturâ duce libenter & crebro loquantur de rebus suæ professioni consentaneis, secundum illud, *Tractant fabrilia fabri*, nihil esse conuenientius tibi, quam de rebus spiritualibus cum professione tua congruentibus agere, idque eo procliuius quo res spirituales sunt excellẽtiores, & vberiorem fructum secum ferũt. Quemadmodum enim, quo quis muscum aliasq; res odoriferas manu amplius versat, hoc fragrantiores odores sentit: ita quoq; quo quis tractationem rerum spiritualium crebrius in colloquium inducit, hoc animum maiori consolationum suauitate perfundit. Vt autem id libenter facias, opus est vt ad res spirituales, quod professio tua postulat, valde afficiaris. Verissimũ enim est illud PLATONIS dictum, *homines amore ipso fieri facundos ad loquendum de rebus, quas amant.* Vt enim in corporibus mixtis elementũ prædominãs, trahit ad locum,

vel

vel centrum quod appetit, reliqua elementa, ita si amor rerum spiritualium in nobis præ cæteris amoribus prædominaretur, facile mentem & linguam pertraheret ad spiritualia colloquia. At dices. Vnde mihi hunc amorem comparabo? Ex notitia rerum spiritualium: *nemo enim amare potest bonum*, inquit B. Chrysost. *quod nescit.* Notitia autem illa capitur ex feruenti oratione, diuinarum rerum contemplatione, assidua piorum librorum lectione, & spirituali collocutione & collatione.

Chry. in Matth.

VIDE V. *Linguæ abusus. Mendacium. Otium. Societas praua.*

CONSCIENTIA SCRVPVLOSA.

Remedia contra Conscient. Scrupulosam.

Eccli. 7. 9.

I. REMED. Considera quid sit scrupulosa Conscientia, quæ ab aliis dicitur Erronea, vel timida, vel pusillanimis, secundum illud Ecclesiastici. *Noli esse pusillanimis in animo tuo.* habet autem nomen à scrupulo, id est, lapillo. Vt enim hic calceo incluſus pedem excruciat ambulantis, sic quorundam piorum hominum, maximè tyronum in religione, conscientiæ inhæret suspicio, formido, & anxietas, ex nulla, vel certe leui causa orta, num rectè hoc vel illud fecerint, vt verbi causa, confessionem integram totius vitæ instituerint. Tali formidine exagitabatur initio conuersionis suæ AVGVSTINVS, cum in libris confessionum ita scribit *Multum timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non. in his omnibus periculis & laboribus vides tremorem cordis mei, & vulnera mea magis subinde à te sanari, quam mihi non infligi, sentio.*

A. l. 10. 28.

II. REMED. Oratio ad Deum & sanctos coniuncta ieiunio aliisue bonis operibus. *Si quis vestrum.* ait B. Iacobus, cum loqueretur de tentationibus, *indiget Sapientia* ad expugnandum illas, *postulet à Deo, & dabitur illi.* Quod remedium meritò Caietanus vocat diuinum, Figuram enim scrupulosi in Euangelio gerebat Lunaticus à Spiritu malo obsessus. Vt enim ille nunc in ignem, nunc in aquam se iactabat: sic scrupulosus miserè ex vna cogitatione in aliam iactatur. Atq; vt ille, teste Christo, curari nó potuit, nisi per orationem & ieiunium, sic hic difficulter sanari posse videtur nisi per orationem & ieiunium, aliaúe opera pia.

Iac. 1. 5.

Caiet. in summa la.

Matt. 17. 14.

III. REMED. Considera, si scrupulosus sis & timeas te in aliqua re peccasse, præcipue duo. Primum, te nunquam peccare, quale scunq; demum incidãt cogitationes, imaginationes, vel propensiones ad peccandum, nisi voluntate consentias, vel delecteris in ipsis. *Nullum enim peccatum est*, secundũ B. Augustinũ, *nisi sit voluntarium.* Alterum est, vt perpendas, num id quod feceris, vel in quo consensisti, vel quod facere voluisti, repugnet præcepto Dei, vel Ecclesiæ; nam si non repugnet, certus esse debes

Aug. de vera relig. c. 14.

debes non esse peccatum mortale. *Peccatum enim* secundū eundem Aug. *est dictum, factum, vel cōcupitum contra legē Dei.* De veniali siquidem lapsu nō est quod magnopere angaris, quia propter illum non excides ex gratia vel amicitia diuina; & communis est tibi cum omnibus iustis & sanctis, de quibus scriptum est. *Septies cadet iustus, & resurget.* Prou. 24. 16.

IV. REMED. Si passio scrupuli ita obscuret mentem, vt nescias statuere tecum, an consenseris, vel an legem Dei vel Ecclesiæ præuaricatus fueris, ne fide tuo iudicio, sed alieno, vt superioris, Confessarii, vel alterius Patris spiritu alis, cuius sententiam in omnibus constanter sequaris. Monet enim Sapiens. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* & S. Tobias. *Consilium semper à sapiente perquire.* Vnde S. AVGVSTINVS in quadam epistola consulit Paulino vt eiusmodi animi dubitationes cōferat cū aliquo perito Medico spirituali. Et S. ANTONINVS ex historia Dominicana refert, scrupulosum quendam à fratris Spiritu, qui ei post mortem apparuerat, consilium petiisse de scrupulis, eumq; respondisse. *Consule bonos, prudentes q; viros, & acquiesce eis.* Ac re ipsa declaratum est, hoc eis profuisse. Scribit enim idem, alique, quendam sacerdotem in cænobio S. Bernardi ita scrupulis diuexatum fuisse, vt sacrum Missæ facere non auderet, cum verò S. Bernard⁹ ei imperasset, vt sua fide confisus faceret, non solum fecit, sed etiam ab omnibus scrupulis deinceps solutus fuit. Narrat & vetustus author B. CLIMACVS monachum quendam de blasphemia 20. annis tentatum, ieiuniis & vigiliis se frustra afflixisse, donec cuidam Seniori illam aperuisset, qui ei dixit. *Super collum meum sit hoc peccatum, quot quot annis te oppugnauit, & adhuc oppugnabit, tu verò illud omninò floccipende.* Quæ tentatio ante discessum euanuit. Prou. 3. 5. Tob. 4. 19. A. ep. 250. Ant. in sum. 1. p. tit. 3. c. 10. Clim. grad. 3.

V. REMED. Si tu ipse sis superior, vel Pater spiritualis hominis scrupulosi, scrupulumq; tibi patefecerit. Primò benignè eum mone, vt totam conscientiam suam syncerè patefaciat, secundum illud Apostoli. *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in Spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Quod verò maius onus esse potest scrupulis? 2. examinandæ conscientiæ, peccataq; confitendi modum ei perscribe. 3. modum orandi congruētem morbo ei trade. 4. dissuade ei lectionem eorum librorum, qui scrupulos renouare queant, vt sunt Cassiarum, ac similiter conuersationem eorum, qui eum in scrupulis confirment. 5. mone, ne otio vacet, sed semper honesta occupatione distineatur. 6. Si anxius sit de peccatis iam olim accurratè confessis semel atq; iterum, serio prohibe illi, ne vllam amplius confessionem generalem de tota vita faciat, imò præteritorum omnium peccatorum memoriam excludat; vti fecit apud Cassianum Abbas Pinufius ita cuidā respondens. Gal. 6. 1. Cas. coll. 20. c. 9.

Quod dixisti te etiam de industria præteritorum peccatorum memoriam retractare, hoc fieri penitus nõ oportet, quinimo etiamsi violenter irrepserit: protinus extrudatur. Et
Bern. serm. 3. S. Bernardus in sermone de S. Petro & Paulo. *Ad Dominum iam conuersos*
1. Tim. 1. *non nimium cruciet præteritorum conscientia delictorum, sed tantum humiliet vos, sicut & ipsum Paulum.* 7. Ægre aditum illi præbe ad proponendum suas dubitationes & scrupulos, & si importunè vrgeat, etiã verbis appositis abterre, ac penitus exclude. 8. nullo modo permitte, vt de scrupulis & dubiis suis confiteatur, sed tãtum ea quæ manifestè peccata esse cognorit: alioquin nunquam ex animo eius scrupuli euellentur. 9. dubitationes eius semper in meliorem partem & mitiorem interpreteris: id enim fieri posse habetur in c. *estote, de regulis iuris.* & *l. proximè*, ff. *de his quæ in testam. delen.* 10. hortare, vt omnino contemnat suos scrupulos; imò sæpè expedit,
G. in tract. de regulis moral. vt docet Io. Gerson, agere contra scrupulos. Sicut enim qui lignum distortum vult facere rectum, in contrariam partem inflectit: sic qui distortam per scrupulos conscientiam habet, se in contrarium inflectere debet. 11. Si nimium anxius sit, ac etiam lacrymas profundat, monevt optimam opinionem habeat de summa Dei bonitate, & misericordia infinita, quæ longissimè superet peccatorum numerum & grauitatem. Sapientis enim vox est. *Sentite de Domino in bonitate.* Et Dauidis, viri secundum cor
Sap. 1. 1. Psal. 72. 1. Thren. 3. 25. Ezech. 18. Dei. *Quam bonus Israhel Deus his, qui recto sunt corde.* Et Ieremiæ. *Bonus est Dominus sperantibus in eum.* Et Ezechielis. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, &c. omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor.* 12. Contempletur quoque vultum speciosissimum, benignissimumq; humanitatis Christi, qualem Apostoli conspiciebant olim cum eos doceret, & ageret cum hominibus, nempe serenum, hilarem, in sui amorem rapientem, omnes solãtem, & in verba
Matth. 11. 28. illa erumpentem. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* 13. Hæc omnia si non iuuerint, & scrupulosus pergat potius suo sensui & Phantasiæ adhærescere, quam suo Patri spirituali, clarè ei dicendum est, hoc non proficisci nisi ex occulta eius superbia: eamq; superbiam esse grauiorem omnibus culpis per scrupulos in memoriam refricatis. nec posse illam curari, nisi sensum suum prorsus abneget, & simpliciter, tanquam puer iudicio superioris illum submittat.

VIDE V. *Amor sui. Desolatio spiritualis. Illusiones spirituales. Indiscretio. Inobedientia. Iudicium proprium. Pusillanimites. Timor humanus. Tristitia.*

CONSVETVDO PRAVA.

Remedia contra Consuet. prauam.

I REMED. Considera, quam grauis, ac prope incurabilis sit morbus *Cõsuetudinis prauæ.* Sicut enim diuturnos & inueteratos corporis morbos Medici corporales ægrè curant, secũdum illud sacri prouerbii. *Languor prolixior grauat medicum: breuem languorem præcidit medicus.* Sic medici Eccli.10.11. spirituales difficulter curare queunt morbum spiritualem cõsuetudinis prauæ. Quod scriptura diuina ob oculos posuit illa sententia Salomonis. *Prouerbium est. Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet* Prou.22.7. *ab ea. Difficulter enim eraditur*, vt eleganter scribit B. HIERONYMVS ad Hier. epist.7. Lætam, de institutione filiæ, *quod rudes animi perbiberunt. Recens testa diu & saporem retinet & odorem, quo primum imbuta est.* Et mox addit. *Græca narrat historia, Alexandrum potentissimum regem, orbisque domitorem, & in moribus, & in incessu, Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc paruulus fuit infectus. Procliuis est enim malorum æmulatio: & quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia.* Deinde illa IEREMIAE, qua inueteratam Iudæorum Ier.13.23. perstringit malitiam. *Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum. Non natura*, inquit in eundem locum idem Hieronymus, *sed nimia consuetudine & amore peccãdi firmatum, sic vt in naturam conuersum videatur.* Eandem difficultatem in sanando consuetudinis prauæ morbo omnes S. Patres sunt confessi. S. BASILIVS in martyrem Iulittam. *Permolestum est, & vix toleratu possibile, vel* Bas. hom.5. *ipsis brutis, amoueri à consuetudine. Equidem ipse bouem vidi ad præsepe lachrymantem sibi compascuo morte prærepto.* Et in Regulis fusius d. sput. quæst.6. *Consuetudo vetustate firmata naturæ vim solet nanciscI.* S. CHRYSOSTOM. in c.4. epist.2. ad Chrys. hom.7. Corinth. *Magna est consuetudinis tyrannis, adeoq; magna, vt perinde cogat, ac natura.* D. AVGVSTINVS. *Vincere consuetudinem dura pugna.* Et rursus. *Timebam* Aug. in Psal.30. & l.8 confes c.7 *Domine Deus ne me cito exaudires: ne formidabam quasi mortem consuetudinis mutationem.* Quo ergo consuetudo praua incurabilior morbus est, hoc efficaciora sunt vsurpanda remedia.

II. REMEDIVM est, recursus ad auxilium diuinum per ardentem ad Deum orationem. Nam vt monuit B. HIERON. in locum Ieremiæ ante citatum, etiamsi impossibile videatur apud homines pellem Æthiopicam, vel inueteratam consuetudinem mutare, tamen non est, (quod & de diuite saluando CHRISTVS dixit) impossibile Matt.19.25. apud DEVM. *Omnia possum*, inquit Apostolus, *in eo, qui me confortat.* Phil.4.13. Nec non S. Basilius, qui dixerat consuetudinem vim naturæ nanciscI Basil.q.6.reg. fus.disp.

temporis vetuſtate, diſertè aſſeuerat contractas ex conſuetudine peccandi labes aſſidua oratione poſſe abſtergi, eo quod nullum tam inueteratum ſit crimen, q̃ Deus precibus motus exſtirpare non queat. Et B. Io. CHRYSOST. ſcribens ad Theodorum lapſum, ea ratione ad ſpem certam veniæ erigit: quod ſi Dæmon eum potuerit à ſummo virtutis faſtigio in extremam deturbare malitiam, Deum multo facilius poſſe eum, non modo in priſtinam libertatem, verum etiam in excelſiorem vindicare. Exemplum huius remedii luculentum habemus in AVGVST. qui vt non ſemel queritur difficilimum ſibi aditum fuiſſe ad veram conuerſionem ob inueteratam flagitioſæ vitæ conſuetudinem, ita pariter fatetur eum ſibi orationis cum lacrymis ad Deum fuſæ beneficio tandem patefactum. Sic enim in octauo Confeſſionum libro loqtur. *Ligatus eram non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me: quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido. & dum ſeruitur libidini, facta eſt cõſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.* Ac tandè poſt multa interiecta concludit. *Ego ſub quadam fici arbore ſtraui me neſcio quomodo, & dimiſi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile ſacrificium tuum. Et non quidem his verbis, ſed in hac ſententia multa dixi tibi. Et tu Domine vſquequo? Vſquequo iraſceris in finẽ? Ne memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Sentiebã enim me abeis teneri, & iactabã voces miſerabiles. Quamdiu, quamdiu, cras & cras? quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Dicebã hæc, & flebam amariſſima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem. Tolle lege, tolle lege, &c.* qua lectione finita, *quaſi luce ſecuritatis,* inquit, *infuſa cordi meo omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.*

Chry. ep. 5.

Aug l. 8. c. 5.

Ib. cap. 12.

Pſal. 12. Pſal. 78.

III. REMEDIVM. Recurſus ad auxilium, vel conſilium humanum prudentis Patris ſpiritualis. Quod remedium proponit B. BERNARDVS in ſermone de ſeptem Spiritus ſancti donis. *Eſt conſuetudo,* inquit, *hæc grauis quædam & pernicioſa catena, ſoluenda vtique facilius, quam rumpenda: vt hic maximè vulgare illud prouerbium videatur vſurpari, induſtriam violentia potiorem: vt quemadmodum vis vi repellitur, & feruore Spiritus feruor extinguatur deſideriorum, vt maligni artem arte deludas, & conſuetudini conſilium opponas. Alioquin ſi forte violentiam quæras, & caſtigationem corporis ſperes conſuetudini præualere, timendũ omninò eſt, ne ſit pernicioſus labor, & prius ipſa ſubſtãtia deficiat, quàm inolita concupiſcentia: præſertim quod altera quædam natura ſit ipſa cõſuetudo. Neceſſarium itaque eſt conſilium, vel ab ipſo magni conſilij Angelo miniſtratum, vel ab homine aliquo ſpirituali, qui cogitationes Sathanæ, ſpiritualiaque remedia non ignoret. Legimus fratres, in eremo fornicationis Spiritu quempiam impugnatum, laudabili prorſus induſtria à Patre curatum. Aduocans enim ſenior fratrem alterum ſecretò, iuſſit vt eundem lateſtret iniurijs, & prior ipſe quaſi accepta ab eo iniuria quereretur. Anxiebatur ille, & confuſus vehementer, ſic in breui oblitus eſt priſtinæ tenta-*

Habes in vitis pp. c. 207. p. 2. & Hier. ep. 4. ad Ruſt.

tentationis, vt querenti de ea non sine admiratione plurima responderet: Papè viuere non licet, & fornicari libet? Eodem spectant illa verba S. AVGVST. in epistola ad Aurelium, dum agit de ebrietate exstirpanda, quæ apud multos longa consuetudine inualuerat. *Non asperè*, inquit, *quantum existimo, non duriter, non modo impetuosè ista tolluntur: magis docendo, quam iubendo: magis monendo, quam minando: Sic enim agendum est cum multitudine peccantium. Seueritas autẽ exercenda est in peccata paucorum.* Aug. ep. 60.

IV. REMED. Considera, in quanta pericula salutem animæ tuæ conicias, si in peccando non statim obsistas principiis. *Sero enim medicina paratur*, ait Poeta ille, *Dum mala per longas conualuere moras. Fili peccasti?* monet Ecclesiasticus, *non adijcias iterum: sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.* Ea enim peccati natura est, vt quo crebrius iteratur, hoc magis homini dominetur: sicut clauus quo sæpius malleo verberatur hoc altius infigitur. vt liquet in Petri Apostoli negatione. nam in prima tantum respondit. *Nescio quid dicis.* In secunda *negauit cum iuramento*: in tertia verò *cœpit detestari, & iurare, quia non nouisset hominem.* 2. Periculum est, ne crebra iteratio eiusdem delicti tandem transeat in consuetudinem: qua fit vt iam difficile sit resipiscere. vnde Augustinus, vt dictum est, consuetudinis mutationem reformidabat velut mortem. Deinde facit, vt grauia crimina etiã videantur leuia, *Peccata quamuis magna & horrenda*, ait idem, *cum in consuetudinem venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur, vsque adeò, vt non solum non occultanda, verum etiam iam prædicanda, ac diffamanda videantur.* Denique asperam & difficilem reddit virtutum viam. *Asperam*, inquit B. PAVLINVS ad Celantiam. *nobis & insuauem virtutum viam nimia facit vitiorum consuetudo.* 3. periculum est, ne consuetudo tandem transeat in necessitatem. *Dum seruitur libidini*, inquit Augustinus, *facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur facta est necessitas, qua trahitur & tenetur etiam inuitus animus.* Nec mirum, quia teste B. GREGOR. in moralibus, *quot vicibus prauæ frequentationis homo astringitur, tot quasi vinculis ad mentem ligatur.* 4. Periculum est contemptus, auctore S. BERNARDO, quo homo *totas concupiscentiæ laxat habenas totoque impetu fertur in præceps, sicut scriptum est. Impius, cum venerit in profundum peccatorum contemnit* 5. & vltimo Desperationis & malitiæ. Nam *si contemptus perstiterit*, it pergit idem, *accedere necesse est & malitiam, vt quam possit consolationem desperatus miser admittat: & cui non est pars in bonis, lætetur vel in malis, lætetur cum malefecerit, & exultet in rebus pessimis.* Ouid. 1. Remed. Eccli. 21. 1. Matth. 26. 70. Aug. in Enchirid. c. 80. Hier. ep. 14. Aug. l. 8. confes. cap. 3. Greg. l. 4. cap. 28. Bern. serm. de donis. Prou. 18. 3.

V. REMED. Iugis diuinorum decretorum obseruatio, bonorumque operum exercitatio. Iure siquidẽ exigitur ab eo, qui diu in flagitiis renuente conscientia perstitit, vt diutius etiam in virtutũ studio se exerceat. *Sicut fuit sensus vester*, inquit spiritus sanctus apud prophetam Baruch, *vt erraretis à Deo: decies tantum iterum conuertentes requiretis eum.* Et apud Apo- Bar. 4. 28.

Rom. 6. 19. stolum. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Hoc remedium tradit S. BASILIVS. in reg. fus. disput. *Sicut* enim, inquit, *morbi corporis inueterati non nisi longa & acri curatione sanantur : sic peccata inueterata diuturna patientia, assidua oratione, & acerrimi animi contentione curari oportet. Quod repeti is vicibus, ac multo cum labore intinctum est, tinctura excipit pressius inhærentem, & quæ vix elui queat : obiter autem colore aliquo infectum tinctura bibit facile mobilem : sic anima sanie peccatorum suppurata, & in habitu constituta malitiæ vix ac multo negotio elui potest,* Eodem spectat consilium

Bas q 6. & 55.

Chry. hom. 10. B. IOAN. CHRYSOST. qui scribens in cap. 4. Actor. Apost. suadet, vt consuetudo mala in contrariam consuetudinem bonam transferatur, & sic clauus clauo pellatur.

VI. REMED. est. Refugere omnes occasiones in vetera peccata quæ longa consuetudine occalluerunt, relabendi. Hoc remedium tradit S. BERNARD. loco supra allegato. *Qui enim tangit picem,* inquit sapiens, *inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo induet superbiam Ne commisceamini,* clamat B. Paulus, *fornicarijs, & cum huiusmodi nec cibum sumite. An nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit?* Et rursum. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Si qua ouis morbida à pastore offenditur, eam ilico à reliquo grege separat. *Vuaque conspecta,* ait ille, *liuorem ducit ab vua,* nisi maturè seiungantur. Et verbum est spiritus sancti. *Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Dices, arduam nimis sæpe esse hanc separationem, vt à coniunctissimis sodalibus. At coniunctiores nulli esse possunt parentibus, filiis, cognatis. Et tamen si illi occasionem præbeant tibi perstandi in praua consuetudine, audiendum erit dictum Christi. *Si quis veniet ad me, & non odit patrem suum & matrem & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et alibi. *Si scandalizauerit te manus tua, abscinde illam. si pes tuus, amputa illum &c. Bonum est tibi debilem, introire in vitam, quam duas manus, vel pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis.* Quid verò magis homini coniunctum, quam propria membra? *Abraham,* inquit B. CHRYSOST. de laudibus S. Pauli agens, *offerens filium suum vnigenitum, & tres pueri Babylonij corpora ignibus, ac martyres omnes infinitis se offerentes cruciatibus, non consuetudinem, sed naturam ipsam vicerunt, immo S. Paulus bona virtutum à voluntate orta in naturæ firmitatem ita conuertit, vt esset quasi virtutis statua, & non poterimus nos consuetudinem à voluntate ortam redigere ad voluntatem?* Initia quidem fugiendarum occasionum sunt difficilia, tamen vel minimus progressus omnia reddit leuiora. *Quandiu quis,* inquit idem Chrysost. in paren-

Bern. serm. de 7. don. spirit.
Eccli. 13. 1.
1. Cor. 5. 9.
1. Cor. 15. 33.
Iuuen. sat 2.
Psal. 17. 27.
Luc. 14. 26.
Marc. 9 42.
Chrys. hom. 6.

ren. ad Theodorum lapsum, *in fornace voluptatum consistit, etiamsi exemplis abundet infinitis, ipsi res esse supra vires apparet : cæterum, si vel leuiter cœperit illinc egredi, identidem procedens vim ignis à tergo relinquit, videtque ante se, & ad pedes propemodum viam roscidam, atque eximiæ facilitatis.* Chry. paræn. 1.

VII. REMED. Considera duplicem historiam Euangelicam, in quibus prauæ consuetudinis superandæ difficultas, & remedia hactenus allata ad viuum adumbrata videntur. Quod enim quædam facta Christi etiam spiritualiter intelligi debeant, non semel tradit D. AVGVSTINVS. CHRISTVS, inquiens, *ea quæ faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi, neque enim tantum miracula propter miracula faciebat, sed vt illa quæ faciebat mira essent videntibus, vera essent intelligentibus. Quemadmodum qui videt litteras in codice optime scripto, & non nouit legere, laudat quidem antiquarij manum, admirans apicum pulchritudinem, sed quid sibi velint, quid indicent illi apices nescit, & est oculis laudator, mente non cognitor. Alius autem & laudat artificium, & capit intellectum. Ita qui viderunt Christi miracula, & non intellexerunt, quid sibi vellent, mirati sunt tantum quæ facta sunt. Alij vero & facta mirati, & intellecta assecuti. Tales nos in schola Christi esse debemus.* Aug. serm. 44. de verb. dom. in Ioan.

Hæc ille. Idem docet B. GREGORIVS in homiliis Euangelicis. PRIOR historia est apud B. Ioannem de Lazaro mortuo, quatriduano, iam fœtente, manibus & pedibus ligato, ac existente in monumento, cui lapis erat impositus, ad vitam post amotum lapidem lacrymis, oratione, & clamore Christi reuocato, atque ab Apostolis vinculis soluto. Greg hom. 2. Ioan. 11. 39.

In quam historiam sic scribit AVGVSTINVS. *Moles illa imposita sepulchro, ipsa est vis dura consuetudinis, qua premitur anima, nec resurgere, nec respirare permittitur. Dictum est autem. Quatriduanus est. Reuera ad istam consuetudinem quarto quodam progressu peruenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde : secunda consensio; tertia factum; quarta consuetudo &c. Factum enim in consuetudinem vertitur, & fit quædam desperatio, vt dicatur. Quatriduanus iam putet. Venit ergo Dominus. Cui vtique facilia erant omnia, & difficultatem quandam ostendit. Ibi infremuit spiritu. ostendit multo clamore obiurgationis opus esse ad eos, qui consuetudine duruerunt. tamen ad vocem clamantis Domini rupta sunt vincula necessitatis. processit de monumento viuus, & ambulare non poterat. Et dominus ad discipulos. Soluite eum, & sinite abire &c. Hoc officium discipulis dedit, quibus ait. Quæ solueritis in terra, soluta sunt & in cœlo.* Aug. l. cit.

POSTERIOR historia est apud Marcum de surdo & muto; quem vt Dominus sanaret, primo apprehendit eum de turba seorsim 2. misit digitos in eius auriculas. 3. exspuens tetigit linguam eius. 4. suspiciens in cœlum ingemuit. Matt. 18. Marc. 7. 22.

gemuit. 5. ait illi. Ephpheta, hoc est, adaperire. Quot cerimonias non alia de causa proculdubio Christus vsurpauit, quam vt nos doceret, primo quam difficile sit peccati consuetudinem vincere 2. quibus remediis opus sit ad hunc morbum sanandum, nempe separatione à turba, id est, à praua hominum societate. tum inuocatione diuinæ gratiæ, vt auditum fidei & obedientiæ Deus nobis aperiat. Adhæc contritione de peccatis, confessione & satisfactione, &c.

VIDE. V. *Immortificatio passionum. Obstinatio. Societas praua.*

CONTEMPTVS.

Remedia contra contemptum.

1 REMED. Considera diuinarum literarum dicta de contemptu diuinarum humanarumue legum, itẽ de contemptu proximi, parentum, pauperum, &c. Primo. n. tradunt, vnde manet contemptus. Salomon siquidem ait. *impius, cum in profundum venerit peccatorum contemnit, sed sequitur eum ignominia & opprobrium.* Et iterum. *Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt: vnde & corda filiorum hominum implentur malitia & contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur.* 2. ex cõminatione pœnarum indicant, quam graue sit peccatum, Dei, legumque eius contemptus. Sic enim loquitur Deus in Prouerbiis Salomonis. *Despexistis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo & subsannabo.* Et. *Abominatio Domini est omnis illusor. Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam.* Et. *Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntque causæ & contumeliæ.* Et Ecclesiasticus. *Omnis homo qui transgreditur tectum suum, contemnens in animam suã, & dicens. Quis me videt? tenebræ circundant me, &c. quẽ vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus, &c. Hic in plateis ciuitatis vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur.* Et Isaias, *Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris? cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Et in primo libro Regum Deus. *Quicunq; glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Et in Leuitico. *Si spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, &c. ego quoq; hæc faciam vobis. Visitabo vos velociter in egestate & ardore, qui conficiat oculos vestros, consumat animas vestras.* Et Christus apud Ioannem. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eũ.* Et Apostolus ad Romanos. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? secundum duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Deinde indicant diuinæ litteræ, quam grauis sit contemptus superiorum & legum humanarũ. vt in Deuteronomio. *Qui superbierit*, inquiunt. *nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tẽpore ministrat Domino Deo tuo, & de-*

Prou. 8. 5. Eccl. 9. 3.

Prou. 1. 25.

Prou. 3. 12. Prou. 22. 10. Eccli 23. 25.

Isa. 33.

1. Reg. 2. 30. Leuit. 26. 15.

Ioan. 12. 48. Rom. 2. 4.

Deut. 17. 12.

& decreto iudicis, morietur homo ille & auferes malum de Israhel. Et in prouer- Prou. 29. 1.
biis. *Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus.* Et Christus apud B. Lucam. *Qui vos spernit, me spernit, Qui autem* Luc. 10. 16.
spernit me, spernit eum, qui misit me. Denique, quam malum sit contemnere vel irridere parentes, seniores, amicos, pauperes, iustos & alios quos suis proximos. Nam Salomon ait. *Filius sapiens lætificat patrem, & stultus ho-* Prou. 15. 20.
mo despicit, matrem suam. Et. *audi patrem tuum, qui genuit te, & ne contemnas cũ se-* Prou. 23. 22.
nuerit mater tua. Et. *Oculum, q subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ,* Prou. 30. 17.
effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ. Et Ecclesiasticus.
Ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt. Et. *Ne despicias nar-* Eccli. 8. 7. 9.
rationem præsbyterorum sapientium. Et in prouerbiis. *Qui despicit amicum suum,* Pro. 11. 12.
indigens corde est. Et *Qui despicit proximum suum, peccat.* Et *Qui despicit pauperẽ, ex-* Pro. 14. 21.
probrat factori eius. Et. *Qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Et Sapiens. Pro. 17. 5. Pro. 28. 27.
Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, &c. di- Sap. 5. 1. 3. 14.
centes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij, &c. Quid nobis pro- Bas. q. 28.
fuit superbia? &c. talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt.

II. REMEDIVM. Considera sententias SS. Patrum. S. BASILIVS in regulis fusius disputatis. *Antistitis imperium detrectare, & verbis aduersum iussa illius litigare, magno iudicio est eum, qui id faciat, multis vitiis laborare, fidei debilitate, spei ambiguitate, arrogantia morum atque superbia. Neque enim alterius dicto audiens vnquam esse quisquam recusat, nisi prius ipsum sibi consilij auctorem apud scipsum despexerit, neque qui sibi certa fide persuasit vera esse promissa Dei.* S. AVGVSTINVS de verbis Domini. *Qui facit* Aug. serm. 3. Matt. 5. 19.
quod docet, & qui quicquid imperat complet, maximus in cœlestibus sententia Domini declaratur. At verò qui quod dicit negligit, & qui quod audit contemnit, salutis reus existit, qui obseruanda contempsit, & pericula non vitauit. Amat enim mortem, qui vitæ præcepta non seruat. Vt enim per obseruantiam legis vita acquiritur, ita per contemptum mors contumacibus inuenitur, dicente Domino, Matt. 19. 17.
Si vis vitam inuenire, serua mandatum Ita enim perfectus doctor liber est à discente, quem docuit: & discipulus contemptor inexcusatus erit, qui facienda didicit, & contempsit. Et in libro de natura & gratia, agens contra Pelagium c. 29.
asserentem omne peccatum esse superbiam, *Hanc,* inquit, *sententiam sic probare conatur, omne, inquit, peccatum, nisi fallor Dei contemptus est, & omnis Dei contemptus superbia est. Quid enim tam superbum, quam Deum contemnere? omne ergo peccatum & superbia est, etiam scriptura dicente. Initium o-* Eccli. 10. 51.
mnis peccati superbia est. Quærat diligenter, & inueniet in lege multum discretum esse à ceteris peccatis peccatum superbiæ. Multa enim peccata per superbiam committuntur, sed neque omnia superbe fiunt, quæ perperam fiunt: certè à nescientibus, certe ab infirmis, certe plerumque à flentibus & gementibus. Et quidem

superbia, cum magnum sit ipsa peccatum, ita fine alijs per se ipsa est, vt etiam plerunque non in peccatis, sed in ipsis rectè factis pede celeriore superueniat & obrepat. Quod autem de superbia hic dicit, idem de Dei contemptu intelligendum est, non enim qui ex ignorantia aut infirmitate peccant Deum formaliter contemnunt. Et Theologi morales docent, contemptum esse distinctum à superbia & inobedientia peccatum. S. BERNARDVS in psalmum. *Qui habitat.* postquam exposuit quibus gradibus impius in profundum peccatorum delabatur: vt primus sit dissimulatio propriæ infirmitatis, in quo persuadet sibi homo se aliquid esse cum nihil sit: secundus, ignorantiæ sui, quo non videt sua vulnera: tertius malitiæ, quo defendit ne quidem esse vulnera, tandem subiicit. *Quartus gradus vel quartum potius præcipitium Contemptus est, vt quemadmodum scriptura dicit, Impius, cum venerit in profundum malorum, contemnit. Ex hoc & deinceps magis ac magis super eum vrget puteus os suum, dum videlicet eiusmodi animam contemptus tradit impœnitentiæ, impœnitentia obstinatione firmatur. Hoc est iam peccatum, quod neque in hoc seculo, neque in futuro remittitur, quia cor durum & induratum, nec timet Deum, nec hominem reueretur.* S. THOMAS in altera parte summæ theologicæ disputans quando transgressio regulæ monasticæ fiat ex contemptu, respondet in hæc verba. *Dicendum, quod tunc committit aliquis, vel transgreditur regulam ex contemptu, quando voluntas eius renuit subiici ordinationi legis vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam. Quando autem è conuerso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiamsi frequenter ex eadem causa vel alia simili peccatum iteret, sicut & Augustinus dicit in libro de natura & gratia, quod non omnia peccata committuntur ex contemptu superbiæ. Frequentia tamen peccati dispositionem inducit ad contemptum secundum illud prouerbiorum. impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

Nau. in man. c. 23. n. 6.
Azor. l. 4. inst. mor. c. 7.
Bern. serm. 11.
Prou. 18. 3.
Tho. 22. q. 187. à. 9. ad 3.
Aug. c. 29.
Prou. 18. 3.

III. REMEDIVM. Considera, quam grauiter puniti sint, qui contra Deum vel homines deliquerunt per contemptum. Primum sit AGAR ancillæ Saræ quæ ob despectam Dominam punita est. Agar ait scriptura, *concepisse se videns, despexit Dominam suam. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit. Cumque inuenisset eam angelus Domini dixit ad illam. Vnde venis, & quo vadis? quæ respondit. A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. Dixitque ei angelus. Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* In quæ verba AMBROSIVS agens de patriarcha Abraham. *Quod afflixit eam Sara ad iracundiam affligentis refertur: quod Agar fugit, contumeliam serui li patientia non ferebatur, quæ sibi heritis contuberuij vindicabat fastigium: indignata est iniu-*

Gen. 16. 4.
Amb. lib. 1.

iniuriam, quæ induerat insolentiam. Denique interroganti angelo, quo iret, respondit. A facie Saræ dominæ meæ ego fugio. Et hoc tumoris immodici, vt prius nomen diceret, postea dominam significaret. Illud ad iniuriam præmissum, hoc ad expressionem personæ additum. Non placuit angelo ancillæ insolentia. Et ideo dixit illi, reuertere ad dominam tuam, vt ostenderet quia tanquam superba fugiebat, ne subiecta esset dominæ, vnde addidit. Et humiliare sub manibus eius. II. exemplum est MICHOL vxoris Dauid, de qua ita loquitur Regum historia: *Cum intrasset arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem Dauid subsilientem, atque saltantem coram Domino, & despexit eum in corde suo.* Et paulo post. *Egressa Michol filia Saul in occursum Dauid ait. Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur vnus de scurris.* Deinde pœna huius contemptus subiicitur *Igitur Michol,* inquit, *filiæ Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ.* 2. Reg. 6. 16.

III. est RABSACES, ducis militium regis Assyriorum, qui vt est in eadem Regum historia, primum contemptim locutus est de populo Hierosolymitano. dicens. *Nunquid ad Dominum tuum, & ad te misit me Dominus meus, vt loquerer sermones hos, & non potius ad viros, qui sedent super murum, vt comedant stercora sua, & bibant vrinam suam vobiscum?* Deinde de Deo Hebræorum. *Hæc dicite,* inquiens, *Ezechiæ regi Iuda. Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam, neque dicas. Non tradetur Hierusalem in manus regis Assyriorum.* Ob quem incredibilem contemptum & blasphemiam, *nocte,* ait textus, *venit angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octaginta quinque millia. Et reuersus est Sennacherib in Niniuen: cumque adorasset in templo Nesroch Deum suum, Adramelech & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio.* 4. Reg. 18. & 19. c. 19. 35.

IV. est AMAN apud Assuerum regem inter Principes summi, qui quoniam Mardochæum Iudæũ ad fores palatii sedentem inter omnes mortales maxime despexerat, ita vt suadentibus amicis excelsam trabem altitudinis quinquaginta cubitorum, è qua eum suspenderet, fieri iusserit, & propter eum omnes Iudæos per literas annulo regio signatas vbique trucidari mandarit: tandem coactus est cum summa sua ignominia illum ipsum Mardochæum equo vectum, & regiis vestibus amictum per plateas circumducere, & exclamare. *Sic honorabitur, quemcunque rex voluit honorare,* ac demum in ipsam trabem, quam Mardochæo parauerat, iussu regis, adactus est. Esth. c. 3. & 7. Esth. c. 6.

V. Exemplum est Antiochi, qui contemnens Iudæos eorumque Deum, minatus se Ierosolymam in congeriem sepulchri conuersurum, & Iudæos tanquam sepultura indignos, se auibus ac feris diripiendos traditurum, insanabili & inuisibili plaga à Deo percussus est. *Vt enim finiuit,* ait historia. *hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara* 2. Mach. 9. 5.

internorum tormenta, licet ille nullo modo à sua malitia cessaret. Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium contigit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis collisione membra vexari. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans: ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur.

VI. est PHARISÆI, præ se publicanum humilem, ceteroſque homines aſpernantis. Sic enim ſcribit B. LVCAS. *Dixit autem Dominus & ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur ceteros, parabolam istam. Duo homines ascenderunt in templum, vnus Phartsæus, & alter publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat. Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus. Et publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suũ dicens. Deus propitius esto mihi peccatori.* Quis verò exitus fuit? *Dico vobis, ait Dominus, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo, quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Luc. 18.9.

IV. REMEDIVM. Conſidera aliquando peccata, quantumuis leuia, acceſſione contemptus fieri mortalia, atque ideo conſultum, in omni re fugere contemptum. Doctrina eſt S. BERNARDI in tractatu de præcepto & diſpenſatione, ad eos religioſos conſcripto qui dubitabant quãdo in tranſgreſſione monaſticæ regulæ peccaretur mortaliter. Ac primum docet boni religioſi eſſe, nec leuia cõtemnere. *Nouit*, inquiens, *veras, humilisq; obediens & minima non contemnere, & maxime curare, quæ maxima sunt: intimo quodam deuoti, sincerique animi sapore discernens, quibus de mandatis ei qui præest suis quodammodo factis respondeat cum propheta. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Psal. 118. 4. Secundo docet, quæ ſint cenſenda leuia. *Quæ* inquiens, *à Præpositis dispensationem admittunt, quia leuiori censura neglecta puniuntur, leuiora dicuntur. Ex his, verbi gratia, dico esse vel risum interdictum, vel indictum silentium. Hæc siquidem, si contra mandatum non veniunt, nec peccata sunt. Accedente mandato, si quo minus iam obseruantur, in peccatum reputantur, non tamen in crimen. Ita sane, si per subreptionem, aut obliuionem, non autem per contemptum horum transgressio contigerit, &c. Vbique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis est. Differunt autem quod neglectus quidem languor inertiæ est: contemptus verò superbiæ tumor.* Et infra. *Sed exemplis*, inquit, *clarius elucescet, quod dicimus. Si iubente seniore, vt fileam, verbum mihi forte per obliuionem elabitur, reum me fateor inobedientiæ, sed venialiter. Si ex contemptu sciens & deliberans sponte in verba prorupero, & rupero silentij legem, prævaricatorem me constituo, & criminaliter.* Si quæras, cur peccet criminaliter vel mortaliter, qui

qui in re tam leui præceptum ex contemptu deliberato transgreditur. Respondet, quia *Deus dignatus est sibimet Prælatorum imputare & reuerentiam & contemptum, specialiter conteſtans eis. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Quamobrem*, addit, *quicquid vice Dei præcipit homo; quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. Quidenim interest, vtrum per se, an per suos ministros, siue homines, siue Angelos, hominibus innoteſcat ſuum placitum Deus?* Si iterum quæras, quis dicatur ex contemptu sciens & deliberans prævaricari mandatum Prælati. Respondet, qui dicit se nolle obedire. *Denique*, ait, *in quo in obedientiæ crimen absque dubio sit, apud Samuelem animaduertite, quasi, inquit, peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Non ait, non acquiescere, sed nolle acquiescere, vt non iussionis simplex illa transgressio, sed voluntatis superba contemptio scelus idololatriæ reputetur. Non est enim idipsum, nolle obedire, & non obedire. Hoc quippe interdum erroris est, nonnunquam & infirmitatis: illud verò aut odiosæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ. Non ergo qualiscunque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam, sed repugnare, sed nolle obedire.* Secundo respondet contemptu mandati non peccari criminaliter, vel damnabiliter, nisi contemnatur & mandatum & remedium. *Partienda enim est*, inquit, *obseruatio regularis in præcepta videlicet & remedia. Præceptis instituitur vita contra peccatum, remediis restituitur post peccatum innocentia. Nam illum sanè dico securum, qui etiamsi interdum obedientiæ limitem præterit, consilium non respuit pœnitentiæ. Pars siquidem regulæ est regularis correctio, & in ea reperitur non solum bonæ vitæ instructio, sed etiam emendatio prauæ.* Et paulo post. *Et licet forttori egeat curationis medicamento, (contemptus præcepti) caret tamen morbo prævaricationis, nisi cum & ipsum forte medicamentum contemnitur.*

Luc. 10. 16.

1. Reg. 15. 23.

Idem docet Caiet. in summ. v. contemptus.

V. Remed. Considera effectus deterrimos ex contemptu graui prouenientes, tum ex parte contempti, tum ex parte cõtemnentis. Contempti quidem, quia spoliatur honore suo & bona existimatione apud homines, deinde à consecutione multorum bonorum impeditur, vt bene notauit Cardinalis Caietanus in summula. *Testantur hoc*, inquit, *iræ, rixæ, pugnæ schismata, bella, & innumera mala, quæ homo cõmittit ex hoc quod despici non sustinet. Quia igitur notabilis proximo irrogatur iniuria ex hoc quod despicitur, patet quod contẽptus proximi est peccatum mortale, formaliter loquendo, hoc est, ex intentione contemnendi. Nullus enim formaliter contemnit proximum nisi qui spernit proximum, vt spernat proximum.* Ex parte verò contemnentis, 1. quia iacturam omnium bonorum operum suorum ante præstitorum facit, sicut Pharisæus, licet ob illa se laudaret. Vnde B. Bernardvs in Cantica sic Pharisæum alloquitur. *Cum te cæteris anteponis, deles quæ feceras opera. Si quid præclarius egisti, debebas dicere. Seruus inutilis sum, quod debueram facere. feci Audi, quid*

Caiet. v. contemptus.

Bern. in Cant. serm. 13.

Isa. 48. 18.

quid dicat Deus. gloriam meã alteri non dabo. Si ergo solus cuncta fecit, quem socium habebit? cur inflaris contra publicanum, qui ideo non habet quod tu, quia non accepit quod tu? 2. quia cum contemptus omnis ferè ex superbiæ tumore, vt loquitur idem S. Bernardus, descendat, aduersarium & hostem sibi facit Deum. *Nulla enim fere est pagina sanctorum librorum*, inquit B. Augustinus in libris de doctrina Christiana, *in qua non sonet, quod Deus superbis resistit, humilibus autem det gratiam.* 3. quia à contemptu proximus gradus est, vt supra dictum est ex BERNARDO ad impœnitentiam & obstinationem, quæ sũt vitia diabolica. *Humanum enim est errare*, inquit Augustinus de verbis Apostoli, *sed diabolicum est perseuerare.* Vnde colligit B. GREGORIVS in libris moralium superbiam euid entissimum esse signum reproborum, humilitatem verò electorum. Atq; ideo 6. Remedium sit humilitas.

Aug. l. 3. c. 23.

Iac. 4. 6. 1. Pet. 5. 5. Aug serm. 24. Greg. l. 23. c. 7.

VI. REMEDIVM est humilitas, & submisso sui in omnibus. *Huius vitij*, nempe superbiæ, inquit Io. CASSIANVS in institutionibus monasticis, *non aliud certius remedium est, quam timor Dei atque humilitas, quæ de mansuetudine & cordis humilitate descendit. Quam*, addit, *nullatenus poterimus habere* (nempe perfectam) *nisi abrenunciatio vera, quæ in expoliatione omnium facultatum consistit in nobis fuerit Christi amore fundata: deinde obedientiæ iugum & subiecto simplici corde sine vlla simulatione fuerit susceptа, ita vt præter Abbatis mandatum nulla penitus voluntas viuat in nobis.* Ad hanc humilitatem pertinet, vt primò omnem tui amorem exuas & consilium Christi sequaris dicentis. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* 2. ames tui contemptum contumelias, opprobria, sicut amauit Rex Dauid saliens ante arcam Domini, dicensque ridenti Michol, *Ludam & vilior fiam.* Sicut Apostoli, dum cæsi irent gaudentes à conspectu Concilii, quod digni habiti essent contumeliam pati: Sicut amauit Christus ipse, de quo Propheta. *Dabit percutienti maxillam, saturabitur opprobriis.* Vnde B. BERNARDVS in Cantica. *Verus*, inquit, *humilis, vilis vult reputari, non humilis prædicari: gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus, quod laudes contemnit.*

Cass. l. 12. c. 31. & 32.

Matth. 16. 24.

2. Reg 6. 21. Act. 5. 41.

Thren. 3. 30. Bern. serm. 16.

VIDE V. *inobedientia. Superbia. Præsumptio.*

CVRIOSITAS.

Remedia aduersus Curiositatem.

I REMEDIVM. Considera nomine Curiositatis hic intelligi immoderatam cupiditatem cognoscendi ea, quæ scire non expedit. Nam B. AVGVSTINVS in libro de Vtilitate credendi tradit hoc distare curiosum

Aug. c. 9.

rioſum à ſtudioſo. quod quamuis vterque agatur magna cupiditate noſcendi, curioſus tamen cupidè ea requirat, quæ nihil ad ſe attinent, ſtudioſus autem contra, quæ ad ſe attinẽt. Vt autem varia ſunt, quorum cognoſcendorum cupiditate teneri potes, ſic varii quoq; poſſunt eſſe curioſitatis morbi. Præcipui ſunt quinq; 1. eſt, cognoſcendi ea quæ captum humanæ intelligentiæ fugiunt, vt myſterium SS. Trinitatis, Incarnationis, S. Euchariſtiæ, Prædeſtinationis, &c. 2. penetrandi abdita rerum naturalium. 3. eſt, habendi viſiones, & miracula videndi vel faciendi. 4. cognoſcendi res magicas, eiſq; affines, vt alchymiam & magiam naturalem 5, cognoſcendi, quæ cum vocatione vel officio pugnant, vt ſi Epiſcopus, Sacerdos, religioſus totum ſe tradat Poeſi, Grammaticæ, &c. 6. indagãdi vitia vel imperfectiones aliorum, Singulis morbis vnum vel alterum antidotum adhibebimus.

II. REMED. pro I. Curioſitate. Conſidera, quid diuina ſcriptura contra eam moneat. *Altiora te*, inquit Sapiens, *ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.* Et iterum. *Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum: Sic qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria.* Et rurſum. *In rebus ſuperuacuis, noli ſcrutari multipliciter. non eſt enim tibi neceſſarium ea quæ ſunt abſcondita videre oculis tuis.* Vnde cum Apoſtoli congregati curioſè percunctarentur CHRISTVM, an tempore ſuo reſtituturus eſſet regnum Iſrahel? Reſpondit, *non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* 2. expende quid tibi agendum ſit, ſi Deus ipſe myſterium aliquod per ſe, vel per S. ſcripturã patefaciat. Nempe quod fecerunt omnes ſancti, vt firmiſsimè illud credas, etſi ab intelligentia humana remotum. *Niſi crediderit is*, inquit Dominus apud Iſaiam, *non intelligetis. Fides enim* ait B. GREGORIVS, *non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Subiiciam exempla quatuor. Primum eſt Patriarchæ Abrahæ, qui cum mente nõ caperet, quemadmodum pene centenarius ex coniuge ſterili Sara parere poſſet, quod Deus illi promiſerat futurum, tamen *contra ſpem in ſpem credidit, dans gloriam Deo*, vt loquitur Apoſtolus, *pleniſſime ſciens, quia quæcunq; promiſit potens eſt & facere.* Vnde concludit CHRYSOSTOMVS, non curioſum eſſe in rebus intelligentiam ſuperantibus, eſſe glorificare Deum, & contra curioſum eſſe, eſſe delinquere. Alterum eſt. B. MARIAE Virginis, quæ cũ audito Angeli nuncio, quod virgo paritura eſſet Saluatorẽ, non ſatis intelligeret, quomodo id fieri poſſet, atq; illic reſpõderet, non eſſe impoſſibile apud Deũ omne verbũ, mox omni curioſitate abiecta ceſſit, & credidit, dicens. *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundũ verbũ tuũ.* Qua de re & gratulata eſt illi poſtea S. Eliſabeth, dicens. *Beata q̃ credidiſti, quoniã perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Eiuſdẽ generis ſũt exẽpla omnium

Eccli. 3. 22. Prou. 25. 27. Eccl. 3. 24. Act. 1. 6. Iſa. 7. iuxta 70. Greg hom. 26. in Euang. Rom. 4. 21. Chry. ſerm. 8. in cap. 4. ad Rom. Luc. 1. 38. verſ. 45.

Aug.l. 21. cap.7. Et ep. 3. ad Volus. omniu m in Euangeliis, à quibus Christus exegit, an crederent se posse hoc vel illud miraculum facere. Vnde Augustinus in libris de ciuitate Dei. *In rebus miris*, inquit, *summa credendi ratio est omnipotentia creatoris.* Et alibi. *Demus Deum aliquid posse, quod non fateamur inuestigare non posse.* Et ibidem. *Tota ratio facti, est potentia facientis.* TERTIVM exemplum sit S. LVDOVICI Francorum regis, qui morti proximus rogatus, num crederet filium Dei esse in sacramento Eucharistiæ quod Sacerdos attulerat, omni curiositate abiecta respondit, minus se de eo dubitare, quam si oculis videret Christum in ea forma, qua ascendit in cœlos. QVARTVM est S. ELZEARII Comitis Ariani qui vt est in vita eius apud Surium, ita firmus erat in tota fide Catholica Romana, vt affirmaret, si Franciscus Maionis Theologorum apud Lutetiam Parisiorum tum celeberrimus, & Ioannes Iuliani Confessarius, Cardinales q; omnes cum Pontifice Maximo, aliquid in fidei dogmatibus mutarent, & totus assentiretur orbis, se tamen, quamuis mille mortes perferendæ essent, nunquam mutaturum. Qui certe ab omni curiositate, & cupiditate immoderata perue stigandi diuina mysteria abfuit.

In eius vita.

27. Sep.

III. REMED. Est contra secundam Curiositatem, quæ consistit in immoderata cupiditate cognoscendi res naturales, quam prolixè reprehendit primo IOA. CHRYSOSTOMVS in homiliis in epist. ad Ephesios, tum quia multa in rerum natura sunt facta, quorũ ratio nulla reddi potest, tum quia rectius ignorantiam rerum quarundam, quam scientiam nobis adscribimus, vt si dicas te nescire, quot cyathos aquæ contineat Oceanus, quot littus arenas. Deinde AVGVSTINVS in libro de moribus Ecclesiæ *Sunt*, inquit, *qui desertis virtutibus, & nescientes, quid sit Deus, & quanta maiestas naturæ semper eodem modo manentis magnum aliquid se agere putãt, si vniuersam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè, intensissimeque perquirant: vnde etiam tanta superbia gignitur, vt in ipso cœlo, de quo disputant, sibi habitare videantur.* Et BERNARDVS in Cantica. *Sunt*, inquit, *qui scire volunt eo fine tantum vt sciant, & turpis curiositas est. & sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Qui profecto non euadent subsannantem Satyricum & ei qui eiusmodi est detantantem. Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Et sunt item, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. Sed sunt quoq; qui scire volunt, vt ædificent, & charitas est.*

Chry. hom. 19.

Aug. c. 21.

Bern. serm. 36.

Persius Sat. 1.

Remedium autem contra hanc curiositatem est, quod ibidem Doctor mellifluus assignauit, exponens verba Apostoli. *Qui se existimat aliquid scire, nõdum cognouit quemadmodum oporteat eum scire. Vides*, inquiens, *quomodo finctum & vtilitatem scientiæ in modo scientiæ constituit. Quid ergo dicit modum sciendi? Quid, nisi vt scias quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat?*

1. Cor. 8.

Quo

Quo ordine? vt id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? vt id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam, vel proximi. Sic & AVGVSTINVS lib. de vera religione. *In consideratione creaturarum non est vana & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia, & semper permanentia faciendus.* Aug.c.29.

IV. REMED. contra tertiam Curiositatem, nempe habendi visiones, & miracula videndi vel faciendi, est. Optare ex parte tua, perfectam tui abnegationem, ac præsertim amoris proprii, etiam circa res spirituales, vt omnis occasio superbiæ rescindatur. Vnde cum discipuli Christi gauderent se dicerẽt, quod dæmonia ipsis subiicerentur, statim eos repressit dicens. *Videbam Satanã sicut fulgur de cœlo cadentem:* nempe ob superbiam. Et addidit. *In hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Ita ratiocinatur Augustinus tract. 2. in epist. Ioan. Similiter cum scribæ & Pharisæi, atq; etiam Saducæi dicerent. *Magister volumus à te signum videre.* respondit. *Generatio mala & adultera signũ quærit, & non dabitur ei.* Et cum iussu Pilati productus esset ad regem Herodem, cupientem videre aliquod signum ab eo fieri, nihil illi, multa licet interroganti, respõdit. Quod ideo proculdubio factum est, quod ex curiositate mera illa signa ab iis peterentur. Itaque consultum est, vt simulatq; oborta est tuo animo eiusmodi aliqua curiositas, ilico repudies, sicut repudiauit AVGVSTINVS libro 10. Confessionum. *A te*, inquit, *Domine Deus meus, cui humilem famulatum ac simplicem debeo, quantis mecum suggestionum machinationibus agit inimicus, vt signum aliquod petam, sed obsecro te per regem nostrum, & patriam Hierusalem, simplicem, castam, vt quemadmodum longe est à me ista consensio, ita sit semper longè, atq; longius.* Didicerat hoc remedium Augustinus proculdubio ab ipso Christo, de quo tract. citato in epist. Ioannis ita scribit. *A Satana tentatus est Christus de miraculo, quando ei dixit. Mitte te deorsum, quia scriptum est. Angelis suis mandauit de te, vt suscipiant te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum. Ille restituit tentatori. Si enim faceret miraculum, non videretur, nisi aut cessisse, aut curiositate fecisse. Fecit enim, quãdo voluit tanquã Deus, sed tanquam infirmos curans: nam si tunc faceret, quasi tantum modo miraculum velle facere putaretur. Sed ne hoc homines sentirent, attende quid respondit: & quando tibi talis tentatio euenerit, dic illud & tu. Redi post me Satanas. scriptum est enim. Non tẽtabis Dominum Deum tuum: id est. si hoc fecero, tentabo Deum. Hoc dixit, quod te voluit dicere, quando tibi suggerit inimicus. Qualis homo, qualis Christianus? modo vel vnum miraculum feci?i, aut orationibus tuis mortui surrexerunt? aut febricitantes sanasti? Si verò esses alicuius meriti faceres aliquod miraculum. Respondeo & dic. Scriptum est. non tentabis Dominum Deum tuum. non ergo tentabo Deum.* Hæc ille. Luc.10.18. Matth.12. & 16. Luc.23.8. Aug.ca.35.

V. REMED. contra quartam Curiositatem magicam obuium est. Considera tantum Magos, quicquid faciunt, opera facere dæmonum.

quos Augustinus vocat. *Spiritus nocendi cupidissimos, à iustitia penitus alienos, superbia tumidos, inuidentia liuidos, fallacia callidos.* Paulus vero dicit. *Nolo autē vos socios fieri dæmoniorum.* Et *Quæ conuentio Christi ad Belial?* Deinde Deus in magos decreuit pœnam mortis, vt in Exodo. *Maleficos non patieris viuere.* Et in Deuteronomio. *Caue ne inueniatur in te qui hariolos sciscitetur, aut obseruet somnia atq; auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neq; qui pythones consulat, nec diuinos, &c. Omnia.n. hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.* Eadē seueritate magi puniuntur & legibus humanis teste Augustino, qui & in hanc sententiam omnes istas curiosas artes aperte damnauit. *Omnes,* inquiens, *artes huiusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudianda & fugienda Christiano.* Quis ergo tam noxiam curiositatem sectari velit, nisi prorsus perditū se ire affectet?

Aug. l. 8. de ciuit. c. 22.
1. Cor. 10. 20.
2. Cor. 6. 15.
Exod. 22. 18.
Deut. 18. 10.
Aug. l. cit. c. 19.
Et l. 2. de doct. Christ. c. 23.

VI. REMED. pro quinta Curiositate. Constitue apud animum tuum nulli rei operam dare, quam quæ statui, vel officio congruat, & ad maiorem Dei gloriam, proximiq; salutem tendat, secundum illud Apostoli. *Vnusquisq; in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Et. *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* Et. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Vnde B. HIERONYMVS in epistola ad Damasum Papam, agens de filio prodigo, grauiter inuehitur in Sacerdotes, qui contra vocationem suam neglectis diuinis scripturis vacabant lectioni Poetarum. *Ac nunc etiam,* inquit, *Sacerdos Dei omissis Euangeliis & Propheris videmus comœdias legere, amatoria Bucolicorum versuum verba canere: tenere Virgilium: & id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis,* Et paulo ante. *Dæmonum cib. est carmina poetarum, secularis sapientia, Rhetoricorū pompa verborum. Hæc sua omnes suauitate delectant, & dum aures versibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoq; penetrant, & pectoris interna deuinciunt. Studiosi eorum in fame veri & virtutum penuria perseuerant.* Verum & Virgines alibi, vt in Epistola ad Eustochium, de custodia Virginitatis arcet à Poetarum & Rhetorum lectione, his verbis. *Nec tibi diserta multum velis videri, aut lyrica festiuo carminis metro ludere, &c. adeo illis adulterium etiam linguæ placet. Quæ enim communicatio luci ad tenebras? Quis consensus Christo cum Belial? Quid facit cum Psalterio Horatius? cum Euangeliis Maro? cum Apostolis Cicero? nonne scandalizatur frater, si te viderit in idolio recumbentē? Et licet omnia munda mundis, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, tamen simul bibere non debemus calicem Christi, & calicem dæmoniorum.* Denique expertus est ipse, quam noxia fibi Ciceronis & Poetarum lectio fuerit in ipsa adhuc adolescentia, cum iam mundo renunciasset: Sic enim in eadem epistola deinceps scribit. *Referam tibi meæ infelicitatis historiam. Cum ante annos plurimos, domo, parentibus, sorore, cognatis propter cœlorū me regna castrassem, & Hierosolymā militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romæ summo studio ac labore confeceram, carere non poteram,*

2. Cor. 7. 20.
1. Cor. 10. 31.
2. Tim. 2. 4.
Hier. tom. 3. ep. 146.
Id. ep. 22.
2. Cor. 6. 15.

teram Itaq́ miſer ego lecturus Tullium ieiunabam. Poſt noctium crebras vigilias, poſt lachrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum eximis viſceribus eruebat, Plautus ſumebatur in manus. Si quando in memet reuerſus Prophetas legere cœpiſſem, ſermo horrebat incultus. Subiicit deinde ſe febri ęſtuantem, raptum in Spiritu ad tribunal iudicis, & cum rogatus de cõditione, Chriſtianum ſe eſſe reſpondiſſet, præſidem dixiſſe. *Mentiris. Ciceronianus es, non Chriſtianus. Vbi n. theſaurus tuus, ibi & cor tuum.* ac mox iuſſiſſe vt flagellaretur, donec diceret. *Domine ſi vnquã habuero codices ſeculares, ſi legero, te negauẽ. Nec verò,* (ſubiũgit) *ſopor ille fuerat, aut vana ſomnia, quib. ſæpe deludimur. Teſtis eſt tribunal illud, ante quod iacui: teſtis iudicium triſte, quod timui: ita mî nunquam contingat in talem incidere quæſtionem, liuentes habuiſſe ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnum, & tanto dehinc ſtudio diuina legiſſe, quanto non ante mortalia legeram.* Hucusq; ille.

VII. REMED. aduerſus ſextam curioſitatem cognoſcendorum alienorum vitiorum, eſt cognitio ſuiipſius & propriorũ defectuum. Quod tradit S. BERN. in tractatu de gradibus humilitatis. *Audi,* inquiens, *curioſe Salomonem, audi ſtulte ſapientem. Omni cuſtodia, inquit, cuſtodi cor tuũ, vt omnes videlicet ſenſus tui vigilent ad id, vnde vita procedit cuſtodiẽdum. Quo n. à te curioſe recedis? cui te interim committis? vt quid audes oculos leuare ad cœlum, qui peccaſti in cœlum? Terram intuere, vt cognoſcas teipſum. Ipſa te tibi repræſentabit, quia terra es & in terram ibis. Sin alias, non Prophetæ, non Domini, ſed Dinæ, aut Euæ imò ipſius Satanæ imitatorem te dixerim.* Et paulo ante. *Dum enim anima à ſui circumſpectione torpeſcit incuria ſui, curioſam in alios facit.* Et B. GREGORIVS. *Graue,* inquit, *curioſitatis eſt vitium, q̃ dum cuiuſlibet mentem ad inueſtigandã vitã proximi exterius ducat, ſemper ei ſua intima abſcondit, vt aliena ſciens ſe neſciat, & curioſi animus, quãto peritus fuerit alieni meriti, tãto fiat ignarus ſui.* Idem remedium tradit S. BASILIVS, eoq; refert illud dictum Moſis, *Attende tibi ipſi.* & aliud Chriſti. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo.* Deinde exemplum Phariſæi, qui apud Lucam ſugillauit vitia Publicani. In idem dictum Moyſis tractatũ integrum edidit B. EPHRAEM. & orationem, B. ISAIAS Abbas. Certe CLEMENS Alexandrinus putat ex eodẽ à ſapientib. gentilium mutatum illud γνῶθι σεαυτὸν *Noſce teipſum.* Et in lib. 3. pædagogi cap. 1. ait maximam ſcientiam eſſe, cognitionẽ ſui. Quod & docuit AVGVSTIN. initio libri de Trinitate quarti. *Laudabilior,* inq̃t, *eſt animus, cui nota eſt vel infirmitas ſua, q̃ quidem nõ reſpecta rerũ terreſtriũ cœleſtiũq; tenet ſcientiam, vias ſyderum ẽt cognitu rus, aut quas tam cognitas tenet, ignorans ipſe, qua via ingrediatur ad ſalutem, ac firmitatem ſuam.* Vnde in altero libro Soliloquiorum ait breuiſſimè perfectiſſimeq; ſic orari Deum. DEVS SEMPER IDEM, NOVERIM ME, NOVERIM TE.

Prouerb. 4. 23.

Gen. 3 & 34.

G. hom. 36. in Euang.

Baſ. hom. 3. in dictum Moyſis. Matth 7 3.

Luc 18. 11.

Ephr. tom. 2. Iſa. orat 27.

Clem. lib. 2. ſtrom.

Aug. c. 1.

Aug. c 2.

VIDE V. *Amor ſui, Colloquia otioſa. Gloria vana. Illuſiones ſpiritu ales Immortificatio paſſionum. Linguæ abuſus, Otium. Societas praua. Tentatio.*

D

DESOLATIO SPIRITVALIS.

Remedia aduersus Desolationem.

PRIMVM Remedium. Fac, vt consolationes spirituales non contemnas, aut paruifacias, eoq; magis, quo præstantiores sunt carnalibus. *Hoc distare,* inquit B. GREGORIVS, *inter delitias corporis & cordis solet, quod corporales delitiæ, cum non habentur, graue in se desiderium accẽdunt: cum verò auidè eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spiritales delitiæ, cum non habentur, in fastidio sunt: cum verò habentur, in desiderio: tantoque à comedente amplius esuriuntur, quanto & ab esuriente amplius comeduntur.* Solent quidem nonnulli imperfecti obtendere in illis delitiis non esse positam vitæ spiritualis perfectionem, sed audiant illi quod subiicit idem Pater. Hæ delitiæ *non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Quis enim amare valeat, quod ignorat? Proinde psalmista nos admonet dicens. Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Ac si aperte dicat, suauitatem eius non cognoscitis, si hanc minimè gustatis: & eo iam internas delitias animus non appetit, quanto se magis ab esu illius dulcedinis elongat.* Etsi in illis consolationib. non sit sita spiritualis perfectio; nulla tamẽ re Deus suos milites efficacius prouehere solet ad perfectionem, quam hoc spirituali dono, vt probat B. Ioannes Chrysostomus in 2. epist. ad Corinthios exemplis Iob, Abrahæ & Pauli Apostoli. & Propheta regius de se testatur, dicens, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Cordis dilatatio,* inquit Augustinus *est iustitiæ delectatio,* Nec mirum, quia est velut pignus hęreditatis nostræ, & quædam præguſtatio gaudiorum cœlestiũ, eorumq; propria, quorum cum Apostolo, *conuersatio in cœlis est.* Imò B. Bernardus in Declamatione ad verba. *Ecce reliquimus omnia,* arbitratur gaudium hoc esse centuplum, quod apud Matthæum in hoc tempore à Christo promittitur. Sensere hoc gaudium Apostoli, quibus dictum est. *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Sensit B Augustinus post conuersionem suam, vti ipse cõfitetur. Sensit S. BERNARDVS, qui ad fratrum suorum profectũ vera eius præsentis indicia, quæ crebro erat expertus, prodere non dubitauit; quæ, si velis, lege.

Greg. hom. 36. in Euang.

Psal. 33. 9.

Chry. hom. 1. Psal. 118. 32.

Aug. in Psal. 118. Eph 1. 14.

Phil. 3. 20.

Matth. 19 29. Luc. 10. 18.

Aug. lib. 10. confess. c. 40. Bern. serm. 57. & 74. in Cant.

II. REMED. est Oratio in desolatione, tum quia Deus iubet nos in omni-

omnibus afflictionibus per preces ad ſuum præſidium cõfugere, inquiens. *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te.* tum quia viri ſancti ita fecerũt, vt DAVID aliquoties in pſal. 118. *non me derelinquas vſquequaque. Fiat miſericordia tua, vt conſoletur me. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes quando conſolaberis me?* Et alibi. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* Deinde & gratias egerunt, ſi voto potiti eſſent. *Secundum multitudinem dolorum meorum,* inquit idem, *in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Et B. Paulus. *Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.* Ac tanta eſt virium noſtrarum imbecillitas, vt periculum ſit, ſi ſolatii ſaltem interni præſidium abſit, ne corruamus. Qui autem tam perfectum ſe eſſe putat, vt exiſtimet diu ſe huiuſmodi deſolationem, mæroremque animi poſſe ſuſtinere, is hoc ipſo imperfectum ſe eſſe demonſtrat. Qui enim *exiſtimat ſe eſſe aliquid, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit,* inquit Apoſtolus. Qui licet in tertium cœlum ſublatus, tamen negauit ſe eſſe perfectum. Quem locum tractãs B. AVGVST. *Quandiu hic viuis,* inquit, *ipſa perfectio eſt humilitas.*

Pſal. 49. 15. Pſal. 50. 14. Pſal. 93. 19. 2. Cor. 1. 3. Gal. 6. 3. Phil. 3. 12. Aug. in pſal. 130.

III. REMED. Eſt, examen conſcientiæ. Si enim in mærorem animi vel deſolationem incideres, mox expende, an tua culpa id acciderit, vel quia nimium addictus fueris amori rerum terrenarum, vel nimis multis negotiis te implicueris, an ſecus. Si enim culpa tua factum eſt, dole, pœnitentiam age, & affectum inordinatum reſcinde. Sicut enim DEus filiis Iſrahel non ante impertiuit dulcedinem mannæ, quàm omnem farinam Ægyptiacam conſumpſiſſent, ſic conſolatione diuina dignus non eris, niſi omnes conſolationes terrenas amputaueris. Vt lux & nebula, ſic caro & ſpiritus inter ſe conſentire non poſſunt. *Caro enim concupiſcit* ait B. Paulus, *aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.* Hoc intelligens regius vates. Renuit, inquit, *conſolari anima mea,* nempe in rebus terrenis & caducis, & ſequitur. *memor fui Dei & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus.* defecit, ob conſolationum ſpiritalium copiam, quę longe præſtabant omnibus conſolationibus mundi. Si vero poſt examen nullam in te culpam deprehendas, ad præſidium diuinum primum, vt dixi, confugias per humilem orationem, ac deinde humiliter & patienter Dei gratiam expectes, ſic enim idem vates regius fecit. *Expectans expectaui Dominum* ait *& intendit mihi. Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis. & immiſit in os meum cantic. um nouum,* id eſt, tam lætum effecit, vt inciperem cantillare.

Exo. 16. 15. Gal. 5. 17. Pſal. 76. 4. Pſal. 39. 2.

IV. REMEDIVM. Quod ſi poſt orationes, diuturnamque expectationem, non redeat priſtina conſolatio, cogita lucem illam dulcedinemque internam non fuiſſe tuam, nec merito tuo partam, ſed donum Dei à patre luminum profectum, à quo teſte B. Iacobo Apoſtolo, eſt *omne do-*

Iac. 1. 17.

num, & omne datum optimum, atque illum voluisse te frui illo dono cum esset necessarium, nunc autē subtraxisse, quod ita expediret, vel vt probet, num syncerè seruias Deo ex amore ipsius, & non ex amore tui tantū, id est, tuarum consolationum. vel quia vult te ad sublimiorem perfectionis spiritualis gradum prouehere. Solet enim consolationes illas spirituales, tanquam lac puerile, suppeditare vitæ spiritualis tyronibus & nouitiis, vt paulatim eos abducat ab illecebris mundi & carnis: Vix siquidem ex viscoso amore mundi extrahi possent, nisi alius esset amor excellētior. Cum autem extraxerit, apponit illis cibum solidum, id est, patientiam tribulationum. Vnde Apostolus. *Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, nō escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis.* Et rursus. *Cum essem paruulus, loquebar & paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Sed quando factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Auiculæ, quando sunt paruulæ, educantur in nidis, at quando grandescunt, eiiciuntur ex illis & suo labore viuunt. Abraham longe splendidius conuiuium instruxit in filii sui Isaac ablactatione, quam in eiusdem natiuitate. cur verò? nisi vt discas nihil gratius Deo esse, quam tandem à consolationum spiritualium lacte abduci, ad solidum cibum tribulationum. Atque hic Deus imprimis solet sua arcana patefacere, donaque cœlestia impertiri. *Quem docebit* Deus, inquit Isaias propheta, *scientiā? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.* Quare si contingat te post debitam præparationem adhibitam aliquando in meditationibus spiritualibus, orationibus vocalibus, aliisque piis exercitationibus distractione & ariditate mentis vexari, ne mox desponde animum, sed eas ipsas in peccatorum tuorum pœnam Deo offeras, & gratiores erunt Deo, quam si cum summo solatio, multoque lacrymarum imbre essent perfectæ. Certe non dubitandum est orationem Christi in horto ante passionem peractam hoc Deo Patri fuisse gratiorem, nobisque fructuosiorem, quo amplius omnis solatii expers fuit. Tristis enim erat anima eius vsque ad mortem.

1 Cor. 3. 2.

2 Cor. 13. 11.

Gen. 21. 8.

Isa. 28. 9.

V. REMEDIVM & perfectissimum est, si quotidie in Dominica oratione ex corde syncero dicas *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra* hoc est, voluntatem tuam conformes cum diuina, in neutram partem inclinando, nec in consolationes, nec desolationes spirituales, quia nescis vtræ tibi sint conducibiliores: sed totum relinquendo iudicio & voluntati diuinæ. Deus enim non solum scit, quid nobis magis ad salutem expediat, sed nulla alia de causa immittit nobis animi afflictiones, quam qua largitur consolationes, nempe vt maiores in virtute progressus faciamus, vt tradit B. GREGORIVS. Hoc antidoto munitus erat aduersus omnes casus B. Iob. cum cognitis grauissimis calami-

Matt. 26. 38. Matt. 6.

lamitatibus suis respondit. *Dominus dedit, Dominus abstulit, Sicut Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Eodem munitus erat & patriarcha Abraham, cum iussus esset vnigenitum filium suum immolare, firmissimè credens non posse sibi aliquid à Deo imperari, quod non in maiorem suam, filiique crederet incolumitatem. Idem nobis omnibus exemplo suo imitandum reliquit summus Medicus noster Christus Iesus, qui cum ex impendentis passionis acerbitate, tanto mærore obrueretur, vt sanguinem sudaret, peteretque tertio tam dirum calicem à patre cœlesti transferri à se, tamen semper addidit. *Verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*

Greg. l. 2. mor. c. 17. Iob. 1. 21. Gen. 22. 2. Matt. 26. 39.

REMEDIA PRO CONSERVANDA consolatione spirituali.

I. REMEDIVM est reuerentia, vt quo pluribus spiritualibus solatiis abundas, hoc maiori humilitate & reuerentia Deo seruias, conueniente admonitioni propheticæ. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et Apostolicæ. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Sicut enim qui magni pretii liquorem in vitro gestat, timidè per vias incedunt, seduloque cauent ne alicubi impingant: sic tibi cauendum est, ne spiritualis gratiæ *thesaurum*, quem teste Paulo, gestamus *in vasis fictilibus*, per incuriam effundas. Nec arbitrari debes hos duos affectus, amoris & timoris, gaudii & trepidationis, esse sibi mutuo contrarios, alterumque ab altero extinguinam veluti in puteo, quo vna situla magis deprimitur, hoc altera sublimius attollitur, & quo turris fundamenta profundius iaciuntur, hoc fastigium illius altius educitur, sic quo magis per affectū timoris te dimittes ad considerandā tuæ vilitatis abyssum, hoc amplius proficies in admiratione incomparabilis Dei bonitatis, quod te tam vilem creaturam in tantis habeat delitiis: crescente autem admiratione, necesse est vt crescat & amor, & spirituale gaudium.

Psal. 2. 11. Phil. 2. 12. 2. Cor. 4. 7.

II. REMED. est Discretio, ne mox atque cœperis delibare consolationum spiritualium delitias, quas ex meditatione, communione, ciliciis, aliisque corporis castigationibus capis, totum te illis cupide ingurgites, sed certos limites, collato cum Patre spirituali consilio, tibi circumscribas, ne valetudinem postea offendas, & in varios morbos, quod multis accidit, impingas. *Qui mel multum comedit*, inquit Salomon, *non est ei bonum.* Et. *Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in fine benedictione*

Rom. 12. 1. *ctione carebit.* Apostolus quoque monet, *vt rationabile sit obsequium nostrum.*

Cass. coll. 2. c. 1. CASSIANVS certe in collationibus suis tradit, monachum, nisi omni intentione discretionis donum fuerit assecutus, velut in cæca nocte oberrare. Imo B. BERNARDVS asseuerat virtutes etiam nobilissimas in vitia degenerare, si ab illis absit auriga virtutum discretio. Et experientia ipsa declarauit in veteribus eremitis durissimam alioquin vitam agentibus, vbi se nimium dedidissent istis consolationib⁹, turpissimè fuisse à satana transfigurãte se in angelum lucis deceptos, vt probat dictus Cassianus loco citato exemplo Heronis. Subiiciam exemplum illustre ex B. PETRO Damiano Cardinale in epistola ad Damianũ nepotem. *Hildebrandus Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus Regina Adelhaide, & Rainaldo Cumano Episcopo præsentibus, Duo, inquit, sanctos monachos vidi, & non mediocrem apud eos locum familiaritatis obtinui, qui nimirum singulis morabantur in cellulis apud monasterium, quod in loco constructum est, qui dicitur Aquisgrani: quorum videlicet alter, qui maioris videbatur esse simplicitatis, Marinus, alter autem Romanus vocabatur proprio nomine. Sed Marinus, vix vlla dies erat, in qua diabolum, vel per speciem aliquam non aspiceret, vel per somnium non audiret, adeò vt antiquus hostis sibi sæpe conpsalleret, simulque cum eo diuinæ laudis officia celebraret. Aliquando verò tenebrarum auctor se transfiguraret in angelum lucis, eique quasi legem dictando mandauit. Caue, inquit, quia angelum Dei & aspicere, & alloqui meruisti, indignum est, vt de cetero cum hominibus loquaris. Protenus ille, tanquam mandatum diuinitus accepisset, à fratrũ se funditus collocutione remouit, seque sub rigida silentij censura constrinxit. Cui cum frater Romanus primò, deinde Abbas monasterij, vt sibi loqueretur vehementer insisteret, & ille prædantis labiis* (verbum) *non mitteret. Abbas fores cellulæ violenter irrumpens, dignis indiscretum fratrem verberibus castigauit. & sic ad reddendum sermonis officium compulit. Cui mox admonendo subiunxit, idcirco, inquit, antiquus aduersarius bonorum semper operum inimicus silentium tibi tentauit imponere, vt & tu fructum fraternæ ædificationis amitteres; & illi, qui à te subleuandi erant, tuæ consolationis auxilium non haberent. Sic itaque frater, quia non malitia, sed ex simplicitate peccauerat, ad mentem quantocyus rediit, & contempta suggestione diaboli, admonitionibus pij Patris humiliter acquieuit.*

Cass. coll. 2. c. 5. Dam. lib. 6. ep. 2.

III. REMEDIVM est Silentium, vt ne facile consolationes tuas spirituales aliis diuulges, puerorum instar, qui nouis donati vestibus, aut calceis omnibus eos ostẽtant: sed nec gemitus, vel lachrymas coram aliis erumpere sinas, dicens cum Propheta Isaia. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi,* quod B. Bernardus omnium monachorum cellis inscribi optat. Sic enim primo apud alios ostentationis suspicionem effugies: deinde vanæ gloriæ, quæ velut vmbra corpus, nobilissima quæque opera sequitur, in animo locus non erit, sed nec in discrimen te coniicies totius huius spiritualis thesauri amittẽdi: sicvt iã olim coniecit se rex Ezechias: qui quod

Isa. 24. 16. Bern. ad fratres de monte Dei.

Isa. 39. 2.

omnes

omnes suos maiorumque suorum thesauros regis Babyloniorum legatis ostendisset, iudicio diuino eosdem amisit. Exemplum huius antidoti egregium nobis reliquit Christus Dominus, cum alibi, tũ inprimis, quando in monte Thabor glorioſa sui corporis transfiguratione tanto solatio tres Apostolos perfudit, vt optarent ibi perpetuam figere sedem. Vetuit enim illis, ne visionem hanc ante resurrectionem suam diuulgarent. Reliquerunt & alii sancti miraculis clari. S. VDALRICVS Augustanus Episcopus, vt est in vita eius apud Surium, cum ei die Iouis sancto sacrum Missæ facienti, SS. Fortunatus, & Adalbero antecessores vita defuncti deuinitus astitissent, dextraque supra verticem cum eo corpus Domini consecrantis apparuisset, os clericorum qui sacram Eucharistiam tunc ab eo acceperunt, digito compressit, vt visum cælarent. Sacro verò peracto idem mandauit illis sub pœna amittendæ vitæ. S. DOMINICVS quoque cum mortuum quendam vitæ restituisset, & Cardinalis quidam ei indicasset, ad gloriam Dei expedire, vt populo patefieret, respondit se potius in terras infidelium abscessurum, quam huic consilio assensurum. De S. FRANCISCO ex B. Bonauentura notum est, qui licet in oratione crebris visionibus, raptibus, & solatiis afficeretur à Domino, tamen ad socios regressus tam humiliter & abiectè se gerebat, atque si nullam singularem gratiam percepisset: docebatq; suos fratres, vt, si quando visitarentur à Domino, dicerent. *Hanc consolationem, quam de cœlo mihi misisti Domine, tuæ committo custodiæ, quia thesauri tui me sentio esse latronem.*

Matt. 17. 9.

Sur. 4. Iul.

Sur. 5. Aug.

Sur. 4. octob.

IV. REMED. Humilitas. Vt si contingat te frui multis consolationum spiritualium delitiis, non idcirco te reputes aliis meliorem, vel præ te illos tanquam animales contemnas. Sed cogita primò, delitias illas nõ esse virtutes, sed instrumenta tantum ad virtutem comparandam, sicut calcaria equiti ad cursum, arma militi ad pugnam, codex scholari ad studia: quid enim prodest scholari codex, si eum non inspiciat? Noris ergo tibi consolationes illas contingere, vt magis in amore Dei, & virtute humilitatis, hoc est, vero tui, non aliorum, contemptu proficias. 2. eas potissimum concedi imperfectis, hoc est, tyronibus & nouitiis, vt hoc lacte spirituali ab vberibus mundi ad montem virtutum superandum sensim abducantur, & ideo non habes causam te reputandi aliis perfectiorem, sed potius contra. 3. cogita, quo maiora dona à Deo acceperis, pluraque talenta, hoc te strictiorem daturum rationem, si illis vsus non fueris. *Cui enim multum datum est*, inquit Christus, *multum quæretur ab eo.* donum autem consolationis non datur, nisi ad sustinẽdos maiores labores, sicut operario conducto non datur lenticulum, nisi vt postea alacrius in vinea excolenda se exerceat. 4. Sæpe incertũ esse, vnde illæ consolationes nobis

Luc. 12. 28.

2.Cor.11.14. eueniant. Aliquando enim originem habent à dæmone se in Angelum lucis transfigurante, vt liquet in hæreticis, qui in lectione S. scripturarum crebro magnum percipiunt solatium: quod illis dæmon submini-
strat, vt in errore confirmentur. Aliquando ex nobilitate materiæ, de
Arist.l.1.de part. anim.c.5. qua meditamur: nam & Aristoteles fatetur magnam capi voluptatem, ex contemplatione orbium cœlestium & substantiarum separatarum. Aliquando ex naturali complexione, quia alii aliis sunt teneriores, & ad lacrymas prochiuiores, vt mulieres. Cuiusmodi consolationes, vti nullius sunt meriti, sic nec reddent te meliorem.

V. Remed. est. Consideratio finis consolationum. Finis enim est, obseruatio diuinorum mandatorum, & regularum proprii status, & mortificatio propriæ voluntatis. In oratione siquidem non aliud à Deo
Psal.118.131. petimus, quam gratiam obsequendi eius voluntati & præceptis. *Os meum aperui*, inquit summus ille Orator, *& attraxi Spiritum, quia mãdata tua desiderabam.* Mandata autem Dei non sunt solũ illa quæ communia sunt omnibus hominibus, vt præcepta Decalogi, verum etiam leges cuiusque sta-
Rom.13.1. tus, quia omnes status à Deo sunt. Vnde Apostolus in exitu quarundã epistolarum tam prolixè commonefacit fideles, vt conuenienter suo statui viuant, vt vir vxori, seruus Domino, filii parentibus debita præstent obsequia. Hunc finem esse debere orationum nostrarum & deuotionũ luculenter ostendit vel vnicus Psalmus 118. in quo cum numerentur septuaginta sex versus supra centum, nullus tamen ferè est, qui non faciat mentionem, vel legis, vel mandati, vel præcepti, vel sermonum, vel viarum Dei, vel iustificationum, vel verborum, &c. quæ teste Theodoreto, aliisq; idem significant. Si ergo finis orationis est obseruatio diuinorum mandatorum, quid faciunt aliud, qui orationi vacant, ad captandã consolationem, quam quod finem relinquant propter medium, portũ propter nauigationem, sanitatem propter medicinam, cuius beneficio sanitatem adipiscuntur? Iam verò ad perfectè obtemperandum voluntati diuinæ eiusque legibus, omninò necessaria est abnegatio, vel mortifica-
Matth.16.24. tio propriæ voluntatis *Si quis vult*, ait Christus, *venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* Quemadmodum enim surculus arbori inseri nequit, nisi ramus præscindatur, cui inserendus est, sic cordi nostro inseri non potest diuina voluntas, nisi ramus nostræ voluntatis prius rescin-
Col.3.5. datur; quod fit cultro mortificationis. Vnde Apostolus. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam.* Membra vocat ipsa vitia, vel animi passiones ad illa commouentes, quæ abscindendæ, & occidendæ sunt.

Vide V. *Distractio. Illusiones spirituales. Impatientia in aduersis. Pusillanimitas. Tepiditas. Tristitia.*

DESPE-

DESPERATIO.

Remedia contra desperationem.

I REMED. Considera Spiritus sancti oracula contra desperantes. Nam apud Ezechielem Prophetam ita loquitur. *Quare moriemini Israhel? quia nolo mortem peccatoris, dicit Dominus Deus, reuertimini, & viuite.* Ezech. 18. 32. & 33. 12. Et rursus. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.* Et apud Ieremiam. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Ier. 3. 1. Et Esaiam *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, &c. Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Isa. 1. 16. Deinde apud Ecclesiasticum. *Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius conuertentibus ad se?* Et iterum. *Fælix, qui non habuit animi sui tristitiam, & non excidit spe sua.* Eccli. 17. 28. B. Ioannes quoque sic loquitur. *Christus propitiatio est pro peccatis nostris: nec pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Et. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Eccli. 14. 2. 1. Ioan. 2. 2. 1. Ioan. 1. 9.

II. REMEDIVM. Considera testimonia SS. Patrum S. BASILIVS in reg. breuioribus. *Si peccata & magnitudine & numero possunt definiri: miserationes autem Dei neque magnitudine, neque numero possunt circumscribi, sine dubio non est, cur desperatio adhibenda sit, sed agnoscenda misericordia Dei, & commissa peccata detestanda.* Basil. q. 13. IOAN. CHRYSOSTOMVS procemio in Isaiam. *Et si quis innumeris peccatis sit sauciatus, si eorum pœniteat, & bonum agat, ita Deus omnia abolet, vt nullum eorum vestigium appareat.* Chrys. proœ. 2. Et alibi. *Nolo dicas, blasphemus sum: nolo dicas, persecutor sum, immundus sum: Habes omnium ostensiones. vis in nouo, vis in veteri? In veteri Dauid, in nouo Paulus. Nolo excusationes mihi afferas: nolo ignauiam prætendas. Peccasti? pœnitere. Millies peccasti? millies pœnitere. Hæc assiduè infundo medicamenta, &c. Si lapsus es, poteris surgere. In vtramuis partem habes liberum arbitrium. Si vulneratus es, adhibe tibi curam dum vivis, dum spiras, etiam in ipso lecto positus, etiam, si dici potest, animã efflans, vt iam de hoc mundo exeas. Non impedit temporis angustia misericordia Dei. Quid enim est peccatũ ad Dei misericordiam? tela araneæ, quæ vento flante nusquam comparet.* In Ps. 50. hom. 2. HIERONYMVS ad Lætam. *Nunquam sera est conuersio. Latro de cruce transiit ad paradisum. Nabuchodonozor rex Babylonis post efferationẽ corporis & cordis mentẽ recipit humanam.* Idẽ habet ad Paulum, & Sabinianum. Hier. ep. 7. 25. & 48. AVGVSTINVS de verbis Domini. *De nullo desperandum est, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit: nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impij, quantum vt reuertatur, & viuat. Paganus est hodie, vnde scis, vtrum sit futurus crastino die Christianus?* Aug. serm. 121. Et alibi.

Serm. 58. de temp. *Forte cogitat aliquis tam grauia se admisisse peccata, vt iam Dei misericordiam promeriri non possit, absit hoc à sensibus omnium peccatorum. O homo, quicunque illam peccatorum multitudinem attendis, cur & omnipotentiam cœlestis medici non attendis? Cum enim DEus velit misereri, quia bonus est & possit, quia omnipotens est, ipse contra se diuinæ bonitatis ianuam claudit, qui Deum sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit, eumque aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit.* Lib. 1. c. 19. Acrursum in libris Retractat. *De quocunque pessimo in hac vita constituto vtique non est desperandum: nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* Leo ep. 91. Leo Magnus ad Theodorum Foroiulienſem. *Qui in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio, dicente spiritu Dei per prophetam.* Isa. 30. iuxta 70. Psal 129. 7. *Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Et iterum. Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio.*

III. Remed. est Pœnitentia, vt liquet ex aliquot testimoniis tum Scripturæ, tum S. Patrum iam citatis: modo sit vera & ex syncero corde profecta. Aug. serm. 181. de temp. c. 16. *Nunquam* Deus, inquit B. Avgvstinvs, *spernit pœnitentiam, si ei syncerè & simpliciter offeratur, suscipit, libenter accipit, amplectitur omnia, quatenus eum ad priorem statum reuocet.* Et infra. *Donec sumus in hac vita, quantacunque nobis acciderint peccata, possibile est omnia ablui per pœnitentiam.* Isid. l. 2. c. 14. B. Isidorvs de summo bono. *Nullus desperare debet veniam, etiamsi circa finem vitæ ad pœnitentiam conuertatur. Vnumquemque enim* Devs *de suo fine, non de vita præterita iudicat.* Cypr. serm. de cœna dom. Et ante hos B. Cyprianvs. *Sed & in eodem articulo temporis cum iam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur: nec serum est quod verum, nec irremissibile quod voluntarium, & quæcunque necessitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia, sed in amplitudine sinus sui mater caritas prodigos suscipit reuertentes, & velit nolit Nouatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes.* Item tractatu primo contra Demetrianum, in fine.

IV. Remed. Memoria passionis Christi, quod tradit Apostolus in epistola ad Hebræos. Heb. 12. 2. *Aspicientes in authorem fidei*, inquit, *& consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, &c. recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes.* Recogita & tu, si tibi aliquando ob frequentes lapsus tentatio desperationis obrepat. Primò, quanto amore te, licet maximum peccatorem Devs pater, com-

complexus fuerit; cum B. Ioannes de eo scripserit. *Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat vitam æternam.* 2. quantum te dilexerit Dei filius, vt ad te à peccatis, & damnatione æterna liberãdum de cœlis descenderit, *formam serui*, vt loquitur Apostolus, id est, carnem humanam assumpserit factus homo, cum peccatoribus conuersatus sit & manducarit. Vnde cum Pharisæi mirarentur eum etiam cum Publicanis manducasse: respondit. *Non veni vocare iustos, sed peccatores* 3. recogita, cùm verbo vnico, gemitu vel guttula vna sanguinis potuerit omnia peccata tua, atrocissima licet & innumera expiare, totum sanguinem profuderit, *factus obediens vsque ad mortem, mortem aũt crucis*, id est, ignominiosissimam. 5. recogita tãta eum caritate exarsisse, vt si vel tu solus peccator extitisses, pro te illa passurus fuisset. Hoc sciens summus Christi amator Paulus, Galatas suos ita allocutus est. *In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Sic enim illa verba intellexit diuinus ille CHRYSOSTOMVS. *Quid facis ô Paule*, inquit, *quod communia propriè tibi vendicas? quæ q pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? Non enim dixisti, qui dilexit nos, sed qui dilexit me.* Et paulo post. *Nempe declarat par esse, vt quis q nostrum non minus gratias agat Christo, quam si ob ipsum solum aduenisset. Ne q enim recusaturus erat, vel ob vnum solum tantam exhibere dispensationem: adeo singulum quemque hominem pari caritatis modo diligit, quam diligit orbem vniuersum.* HVIVS remedii vim & efficacitatẽ notauit alicubi mellifluus BERNARDVS. *Peccaui*, inquiens, *peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte saluetur? Si ergo in mẽtem venerit tam potens, tam q efficax medicamẽtum, nulla iam possum morbi malignitate terreri. Et ideo liquet errasse illum, qui ait. Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.*

Ioa 3.16. Phil.2.7. Matth.9.13. Phil.2.8. Gal.2.20. Chrysinca.2.ad Gal. Bern.serm.61.in Cant. Isa.53.5. Gen.4.13.

V. REMED. Considera exempla eorum, qui ex grauissimis sceleribus, ob quæ diffidere de misericordia diuina posse videbantur, tandem per pœnitentiam emerserunt, & ad salutem æternam peruenerũt. vt primus parens Adam, qui lapsu suo totum mundum perdidit. Dauid, Nabuchodonozor, latro in cruce, filius prodigus, publicanus pectus tundens, Matthæus in telonio, Magdalena peccatrix, Petrus Christi abnegator, Paulus Ecclesiæ persecutor, & innumeri alii. Vnde B. BERNARDVS in solemnitate Petri & Pauli sic suos alloquitur. *Si Petrus post tam grauem lapsum ad tantam rediit eminentiam sanctitatis, quis de cætero desperet, si tamẽ egredi voluerit à peccato?* Et infra. *Audistis certè, quam misericordiam consecuti sint Apostoli nostri, vt iam nemo ex vobis super peccatis præteritis vltra quam necesse sit confundatur, in cubili conscientiæ suæ compunctus. Quid enim? fortasse peccasti in seculo? nunquid amplius Paulo? quod si & ipsa in religione, nunquid plus Petro? Attamen*

Bern.serm.3.

Cypr. *illi in toto corde pœnitentiam agentes, non modo salutem, sed & sanctitatem consecuti sunt: etiam & salutis ministeriũ & magisteriũ adepti sunt sanctitatis.* Et CYPRIAN. Martyr in sermone de cœna Domini. *Ipse Dominus noster derelictorum personam gerens in cruce, se queritur derelictum, & ne desperarent etiam in vltimis constituti, festinans in adiutoriũ illico adest, & re in arcto posita nõ differt beneficium, sed repentè indulgentiæ celeris documentum eiusdem statuit & exemplum, latroni in-*

Luc.23 43. *quiens: Hodie mecum eris in paradiso. Latrocinium damnationẽ meruerat, & supplicium: sed cor contritum pœnam mutauit in martyrium, & sanguinem in baptismum.*

VI. REMED. Reuoca in mentem omnia bona anteactæ vitæ opera. Ex illis enim magna in animo excitari solet fiducia ob aperta diuinæ

Tob.4.12. scripturæ testimonia, exemplaque sanctorum. Nam Tobias sic alloquitur filium. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus*

1.Tim.3.13. Heb.10.34. *eam.* & B. Paulus ita scribit Timotheo. *Qui bene ministrauerint, bonum gradum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide quæ est in Christo Iesu.* Et alibi. *Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. Nolite itaq; amittere con-*

1.Ioan.3.21. *fidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* & B. Ioannes. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & quæ sunt placita coram eo facimus.*

Isa.38.3. Quod ad exempla attinet. Primũ est Ezechiæ regis, qui imminente morte (quo tempore tentatio desperationis vigere solet) conuersa facie ad parietem sic orauit ad Dominum. *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Quam orationem magno cum fletu factam cõstat placuisse Deo, quia ilico exaudita est. Similiter B. Paulus vicinus morti non

2.Tim.4.6. dubitauit bona opera sua commemorare. Nam cum ad Timotheũ scribens dixisset *Ego iam delibor, & tẽpus resolutionis meæ instat,* mox subiicit. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die iustus iudex: non solum autem*

Theod. Theoph. oecum. *mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.* id est, vitam cœlesti remuneratione dignam instituunt, vt Patres exponunt. Idem fecêre plerique alii sanctissimi viri. Nam S. HIERONYMVS auctor est, S. Paulum eremitam

Hier. in vita vtriusque. ad finem vitæ *S.* Antonio dixisse. *Peracto cursu superest mihi corona iustitiæ.* S. Hilarionem verò in articulo mortis clamasse. *Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta prope annis seruisti Christo, & mortem*

Sulpi. in vita. *times?* In quæ verba exhalauit spiritum. SVLPITIVS quoque Seuerus refert D. Martinum in exitu è corpore dæmoni astanti dixisse fiducialiter. *Quid astas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies.* Et S. BONA-

Bonau. in vita eius. VENTVRA scribit extrema verba S. Francisci fuisse. *Me exspectant turbæ, donec retribuas mihi.*

VII. RE-

VII. REMED. est. Vt ad aliquem Patrem spiritualem, pium & sapientem virum, cum in aliis tentationibus, tum in hac, quæ omnium periculosissima, perfugium habeas. Monet enim Spiritus sanctus apud Sapientem. *Ne sis sapiens apud temetipsum.* Et. *Fili sine consilio nihil facies, & post factũ non pœnitebit.* Et. *Consiliarius sit tibi vnus de mille.* Et. *Qui sapiens est, audit consilia.* Vnde S. Bernard. in epist. 87. *Qui sesibi Magistrum, inquit, constituit, stulto se discipulum subdit.* Et ad fratres de monte Dei. *Tres debet monachus habere in cella. Deũ, conscientiam, & patrem spiritualem.* Idem alibi scribit S. Malachiã adhuc in seculo degentem diuinitus monitum vt patrem aliquem spiritualem deligeret, cui loco Dei obediret. PRO hoc antidoto exemplum illustre habes apud EVSEBIVM in Ecclesiastica historia de adulescẽtulo, quem B. Ioannes Apostolus Episcopo cuidã commendarat, postea autem peruersorum sodalium consuetudine seductus in omnium vitiorum gurgitem se eo vsq; præcipitarat, vt ex salutis desperatione Princeps latronum factus fuerit. Quod vt postea cognouit B. Ioannes, mox eques ætatis oblitus in viam se dedit, iuuenem fugientem insequitur & assequitur, infimis precibus obtestatur vt resipiscat, spẽ salutis promittit, se animam pro eius anima positurum, & in extremo iudicii die pro eo rationem redditurum, ac veniam omnium criminum à Christo Domino impetraturũ. cedit tantæ caritati iuuenis, resipiscit, arma abiicit, spẽ salutis recuperat, & deserta societate latronum Deo & Ecclesiæ reconciliatur. Idem exemplũ imitatus est S. EDMVNDVS Cantuariensis Archiepiscopus, qui, cum aliquando in hominem de salute sua desperantem incidisset, nec rationibus vllis ad exomologesin de peccatis faciendam permouere posset, dixit se animã suã pro eius anima deponere, modo peccata sua confiteatur, qui & confessus est. Et ante eum S. ABRAHAM eremita, qui vt neptem suam à flagitiosa vita, in qua bienniũ consumpserat, reuocaret, ementito habitu militis, eques ad eam profectus est, inuentã remotis arbitris allocutus est, dicens. *Super me sit peccatum tuum, quo hactenus amatorib. fœde prostituisti corpus tuũ: ego p eo satisfactã: ego in die iudicij pro te filia mea rationẽ reddã. Cũq; illa regereret. Nimis magna est iniquitas mea, non potest mihi esse spes salutis, respõdit. Super me sit iniquitas tua, filia mea; ex meis manib. Deus hoc peccatum requirat, tantũ veni mecũ.* Ita venit, & pœnitentiã pro peccatis suis reliquo vitæ tempore tantam egit, vt etiã miraculis clara è vita excesserit.

Prou. 3. 7. Eccli. 32. 24. Eccli. 6. 6. Prou. 12. 15.

Bern. in vita eius.

Eusl. 7. c. 17.

Ephræm. tom. 3. Sur. 16. Mart.

VIII. REMED. pro eo, qui in desperationem salutis venit, ex persuasione, quod forte non sit prædestinatus. *Fuit*, inquit B. AVGVSTINVS in libro de dono perseuerantiæ, *quidã in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quædã non facienda faceret, & facienda nõ faceret, respondebat: qualiscũq; nũc sim, talis ero, qualẽ me Deus esse præscinit. Qui p fecto & verũ dicebat, & hoc vero nõ p ficiebat in bonũ: sed vsq; adeo p fecit in malũ, vt deserta monasterij societate, fieret*

Aug. cap. 23.

fieret canis reuersus ad vomitum, & tamen adhuc, qualis sit futurus, incertum est.

Matth.4.10. Antidotum præsens est, vt quoties talis tentatio occuparit animum tuũ, illico eam repudies, dicens. *Vade Satana.* Est enim tentatio planè diabolica, cum prædestinatio sit res occultissima, soli Deo nota. Deinde Satanæ, velut offam, hæc tela regia obiice. *In te Domine speraui, non confundar in æternum.* Et. *Qui sperat in Domino sanabitur.* Paulus dicit Deum *velle omnes saluos fieri:* & B. Petrus, *nolle aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* DICES, coniectura te duci, vt credas te non esse in numero prædestinatorum, quod in eadem errata, & defectus identidem relabare. Aio, & hanc coniecturam esse fallacem. Si millies in lubrico cadas, millies, dum vires suppetunt, resurgis: cur non resurgas & à pecato? *Millies peccasti* supra monuit Chrysost. *millies pœnitere.* Esto, in extremam vsq; vitæ horam delinquas. in extremo momento resurge. *Nunquam sera est,* sæpè dixit seuerus Hieronymus & ante eum Cyprianus. *conuersio.* Si monachus es, non sinas te huius tentationis vi eo abduci vt vocationem deseras, memor dicti Christi. *Qui perseuerauerit vsq; in finem, saluus erit.* & S. BERNARDI, in epist. ad Carthusienses. *Monachus moriens, aut vix, aut nunquam à cella in infernum descendit, quia vix vnquam aliquis, nisi cœlo prædestinatus in ea vsq; ad mortem perstitit.*

Chry.l.cit.

Hier.l.cit. Cypr.de cœna d. Matth 10.22. Bern.ad frat.de monte Dei.

IX. REMEDIVM est inuocatio B. Virginis Mariæ, quod tradit S. BERNARDVS homilia 2. super Missus est. *Si insurgant,* inquit, *venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, vocam Mariam. Si criminũ immanitate turbatus, conscientiæ feditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abyssõ, cogita Mariã. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita; Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde. & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens non deuias: ipsam rogans non desperas; ipsam cogitans non erras.* Exempla complura habes in historia Lauretana Horatii Torsellini, & Iusti Lipsii miraculis B. V. Hallensis & Aspricollis.

VIDE V. *Amor sui. Blasphemia. Desolatio spiritualis. Illusiones spirituales. Immortificatio passionum. Impatientia in aduersis. Inuidia. Ira. Obstinatio. Odium. Procrastinatio. Pusillanimitas. Timor humanus. Tristitia. Vindicatio iniuriæ.*

DETRACTIO.

Remedia contra Detractionem.

Exod.22.28. I REMED. Considera sententias diuinæ scripturæ. In Exodo Deus dixit. *Diis* (superioribus) *nõ detrahes, & principi populi tui nõ maledices.* Et in

in Leuitico. *Noneris criminator, nec susurro in populo.* Et Sapiens. *Susurratori* Leu.19.16.
odium, & inimicitia, & contumelia. Et. *Si mordeat serpens in silentio, nihil minus ha-* Eccli.5.17.
bet, qui occultè detrahit. Et. *Homo assuetus in verbis improperij, omnibus diebus vi-* Eccl.10.11.
tæ suæ non erudietur. Et. *Abominatio hominum detractor.* Et. *Cum detractoribus ne* Eccli.23.10.
commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum. Et. *Susurro & bilinguis* Prou.24.9.21.
maledictus: multos enim turbauit pacem habentes. Et Apostolus *Detractores, Deo* Eccli.28.15.
odibiles. Et. *Si inuicem mordetis & comeditis: videte, ne ab inuicem consumamini.* Rom.1.30.
Deinde B. Iacobus. *Qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem suum, detrahit legi, &* Gal.5.15.
iudicat legem. id est, contemnit legem. Iac.4.11.

II. REMED. Considera sententias S. Patrum. S. ANACLETVS Papa. *Si,* inquit, *detractores quorumcunq; graui ter iudicantur, & in perditionis laqueũ* 2.q.7.c.accusatio.
cadunt, multò magis detractores, atque accusatores famulorum Dei damnantur, & in baratrum, nisi se correxerint, & per satisfactionem condignã egerint pœnitentiam, indubitanter cadunt, & vindicibus flammis exuruntur. HIERONYMVS ad Nepotianum. *Caue, ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse aliis de-* Hier.ep.2.
trahas, aut alios audias detrahentes. Parce à detractione linguæ, custodi sermones tuos, & scito, quia per cuncta, quæ de aliis loqueris, tua conscientia iudicaris, & in his ipse deprehenderis, quæ in alijs arguebas. CHRYSOST. ad pop. Antioch. *Fugiamus* Chry. hom.5.
dilecti, fugiamus detractiones, docti, quod est totum Satanicum baratrum insidiarum eius hæc infessio. Vt enim nostra negligamus, & graciores nobis reatus constituamus in hanc nos consuetudinẽ diabolus duxit. Et post. *Si quis te prætereunte stercus commoueat, hoc facientem conuicio afficis. hoc fac & erga detractores. Non enim commotũ stercus sic fœtore cartilaginem percellit, sicut aliena peccata prodita animos contristare, & perturbare solent.* S. PAVLINVS ad Celantiam. *Semper scripturæ memor esto* In Hier.ep.14.
dicentis. Noli diligere, detrahere ne eradiceris. Pauci admodum sunt, qui huic vitio re- Prou.20. iuxta
nuntient, rarọq; inuenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, vt non 70.
libenter reprehendant alienam: tantaq; huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in illud tamen quasi in extremum laqueum incidant. Tu verò hoc malum ita effuge, vt non modo non ipse detrahas, sed ne alij quidem detrahenti aliquando credas. POSSIDIVS de vita B. Augustini. *Contra pe-* Possid.c.22.
stilentiam humanæ consuetudinis in mensa ita scriptum habebat.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Et ideo omnem conuiuam à superfluis, & noxiis fabulis & detractionibus sese abstinere debere admonebat. Nam & quosdã suos familiarissimos coepiscopos illius scripturæ oblitos, & contra eam loquentes tam aspere aliquando reprehẽdit commotus, vt diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculũ surrecturũ. Quod & alij, qui illi mensæ interfuimus, experti sumus. S. BERNARDVS de dedicatione Ecclesiæ. *Proditores fiunt, quicunq; in hoc Domini ca-* Bern.serm.5.
strum inimicos eius introducere moliuntur, quales sunt vtiq; detractores Deo odibiles, Rom.1.30.

qui discordias seminant, nutriunt scandala inter fratres. Sicut enim in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum fieri diabolo manifestum est. Non miremini fratres, si durius loqui videor, quia veritas neminem palpat. Omninò proditorem se nouerit, si quis forte, quod absit, vitia quælibet in hanc domũ conatur inducere, & templum Dei speluncam facere dæmoniorum.

L. Granata conc. 3 dom. 3. Quadrag.

III. REMED. Considera, quam graue crimen sit detractio. Tam multa enim mala illius in S. scripturis, maxime Ecclesiastici 28. cap. & in S. Patrum monumentis reperimus, vt verè dici possit, ait quidam, maximam hominum partem ob hoc vnum crimẽ interire, maximè cum regnet etiam inter clericos & monachos. *Nolite errare*, inquit Apostolus, *nec*

1. Cor. 6.

fornicarij, nec idolis seruientes, nec adulteri, nec fures, nec maledici regnum Dei possidebunt. Idem asserit eos *Deo exosos.*

Rom. 1. 30.

Theologi sane scholæ volũt esse grauius furto & rapina, quod eo boni nominis existimatio ære præstãtior tollatur. Vnde Salomon dixit. *Melius est bonum nomen, quã diuitiæ multæ.* Et. *Curã*

Prou. 22. 1. Eccli 41. 15.

habe de bono nomine. Hoc enim magis permanebit tibi, quã mille thesauri pretiosi & magni. Imo cum multi plus diligant bonam famam, quam vitam, nõ dubitant illud exæquare homicidio: eo quod B. CLEMENS Romanus Papa in 1. epist. ad S. Iacobum ita scripserit. *Homicidiorũ tria genera esse dicebat*

Grat. de pœnit. dist. 1.

B. Petrus, & pœnam eorum parilem fore dicebat: sicut enim homicidas interfectores fratrum, ita detractores quoque eorum, eosque odientes homicidas esse manifestabat. Et Aug. *Nemo peritorum aut prudentium putet, quod minus sit periculum in verbis lingua mentiendo, quã manib. sanguinem fundendo.* Qua de causa passim in scripturis detractorum lingua gladio, nouaculæ acutæ, armis & sagittis cõparatur. Hieron. in Ps. 100. ait, detractionem esse peiorem fornicatione.

1. Pet. 4. 15. 11. q. 3. c. nemo.

Bern. serm. 24. in Cant.

S. BERNARDVS inde eius grauitatem exaggerat, quod caritati in primis aduersetur. *Detrahentem, inquit Dauid, secreto proximo suo, hunc persequebar. Nec mirum, cum id præcipuè vitium caritatem qua Deus est, & quidẽ cæteris acrius impugnare & persequi cognoscatur. Omnis enim qui detrahit, primum quidem seipsum prodit vacuum caritate: deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi vt is cui detrahit, veniat in contemptum, vel odium ipsis apud quos detrahit?*

IV. REMED. Considera quam latè fundatur, & quam virulentum sit, quod luculenter exposuit B. CHRYSOST. populo Antiocheno. *Detrahẽs fraternas carnes*, inquit, *comedisti, proximi carnẽ momordisti. Vnde & Paulus*

Chrysost. hom. 3.

Gal. 5. 15.

terruit dicens. Si autem vos inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini. Non infixisti dentes carni, sed animæ maledictũ, improbam suspitionẽ infixisti, vulnerasti, innumeris affecisti malis, & teipsum, & alios plures, &c. Insuper cõmunem Ecclesiæ statum læsisti: non enim omnes audientes peccatorem solum accusant, sed opprobria Christianorũ genti infliguntur, & infideles, pro eo, qui peccauit, Christianos omnes calumniis insectantur. Adhæc Dei gloriã blasphemari fecisti. Sicut. n. nomẽ Dei nobis laudabiliter viuentibus glorificatur, sic peccantibus blasphematur. Quartũ

malum, audientẽ confudisti, & sic impudentiorẽ reddidisti, inimicum eũ reddẽs. Quintum, teipsum pœnæ reum feciſti, negotia ad te nihil attinentia texens. Et S. BERN. de triplici cuſtodia, manus, linguæ, & cordis. *Numquid non eſt vipera lingua detractoris? Ferociſſima planè, nimirum quæ læthaliter tres inficiat flatu vno. Numquid non lancea eſt iſta lingua? profectò, & acutiſſima, quam tres penetrat ictu vno. Lingua,* inquit, *eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, imò triceps eſt lingua detractoris.* Addit deinde & crudeliorem eſſe lancea, ſpinis & clauis, quibus Chriſtus confixus eſt, eo quod detractor occidat ſe, audientem, & cui detrahitur. Et paulo poſt. *Dicimus, leuis res ſermo, tenera, mollis & exigua caro lingua hominis: quis ſapiens magni pendat? Leuis quidem res ſermo, quia leuiter volat, ſed grauiter vulnerat: leuiter tranſit, ſed grauiter vrit.* Alibi autem virulentiam detractorum occultam ita deſcribit. *Et ſunt ſpecies peſtis huius, dum alij quidem nudè atque irreuerenter, vti in buccam venerit virus euomunt detractionis. Alij autem quodam ſimulatæ verecundia fuco conceptam malitiam, quam retinere non poſſunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta ſuſpiria, ſicque quadam cum grauitate & tarditate, vultu mœſto, demiſſis ſupercilijs, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto perſuaſibiliorem, quanto creditur ab his, qui audiunt, corde muito, & magis condolentis affectu, quam malitioſè proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quod eum diligo ſatis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius. Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo iſtud, ſed per me nunquam innotuiſſet. At quoniam per alterum patefacta res eſt, veritatem negare non poſſum. dolens dico, reuera ita eſt.* Et addidit grande damnũ. *Nam alias quidem in pluribus valet: cæterum in hac parte, vt verum fatear, excuſari minimè poteſt.* Huc uſque ille. In eandem ſententiam conſpirant illa Chryſoſtomi. *Hoc verò,* inquit, *magis ridiculum eſt, quod cum aliquid arcanum dixerint, rogant audientem, & adiurant, ne cuiquam alteri amplius dicat: hinc declarantes, quod rem reprehenſione dignam commiſerunt. Si enim illum, vt nemini dicat, rogas, multo magis te priorem hute dicere non oportebat. Sed iucundum detrahere: imò iucundum non detrahere. Detrahens enim continenter anxius eſt, ſuſpicatur & timet, linguam ſuam mandit, tremens, ne forte aliis enuntiatum verbum magnum ſibi periculum afferat. Audiſti ſermonem, ait Sapiens, aduerſus proximum tuum? commoriatur in te confidens, quoniam non te diſrumpet. Quid eſt, commoriatur in te? extingue ipſum, defodito, ne exire permittas, oblitioni trade.*

Bern

Pſal. 56. 5.

Bern. ſerm. 24. in Cant.

Chryſ. hom. 3. ad pop.

Eccli. 19. 10.

V. REMED. Conſidera, quam ſeuerè à Deo puniti ſint detractores. Nam in libro Numerorũ ſoror Moyſis MARIA, eo quod Moyſi detraxiſſet, fœdiſſimo leprę morbo percuſſa eſt, à quo ne ipſo quidem Moyſe ſupplicante, vt ait BASILIVS, liberata fuit. Vnde B. EPHRÆM agens de morbo linguæ. *Ex teterrima Mariæ Prophetiſſæ lepra docemur, quam graue ac deteſtabile vitium ſit obtrectatio. Corpus, quod lepra infectum cernebatur, velut ſpeculum quoddam fuit animæ, quæ non perſpiciebatur, cuius indicabat maculam. Ex illa*

Num. 12. 10.

Baſ. in reg. bre. 27.

Eph. 1 tom.

carnis corruptione patefactum est, quomodo hominis detractoris corrumpatur anima? Nam sicut illa defecerat à fratre suo: ita & ab ipsa propriũ corpus defecit, vt ex semetipsa caritatẽ addiſceret. Deinde, vt est in eodẽ libro, quotquot è filiis Israhel detraxerant Moysi & Aaroni, precibus quidem Moysis à morte temporali erepti sunt, sed terrę promissionis aditu excluſi. *Dimisi peccatum populi,* inquit Dominus ad Moysen, *iuxta verbum tuum. Attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto, & in solitudine, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iurauí Patribus eorum: nec quisquã ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam.* Extat etiam diuinę in detractores vltionis exemplũ apud EVSEBIVM in Ecclesiastica historia de Narcisso Hierosolymorũ Episcopo sanctissimo, in quem tres improbi homines turpem quandam criminationis calumniam cum iuramento coniecerant. Vnus sic deierauit. *Si* verũ non dixero, igni dispeream. alter sic. *Si* mentiar, corpus sæuo morbo absumatur. Tertius autem. *Si* verum non dicam, opto vtroque orbari lumine. Narcissus verò ob indignitatem calumniæ, cum esset innoxius, in eremũ se ad multos annos recepit. At Deus non obdormiit. Primus enim, cum noctu scintilla ignis in ædes eius incidisset cum tota familia omnino conflagrauit. Alter verò, morbo, quem sibi imprecatus erat, ab imis pedum digitis, vsque ad verticẽ capitis contabuit. Tertius hoc euentu in sociis conspecto palam maleficium suum confessus est, cum tanta lacrymarum profusione, vt oculos amiserit. ADDE aliud exemplum ex IOAN. CASSIANO, de Paphnutio inuene sanctissimo, cuius virtuti inuidens quidam è numero fratrum eiusmodi dolum commentus est. Isidoro monasterii superiori questus est sibi codicem ereptum, rogatq; vt in singulorum fratrum cellis quæratur. Tres seniores designantur qui quærant. Reperitur tandem in cella Paphnutii sub palmarum plectis (ibi enim inuidus ille eum abdiderat) palam proditur in Ecclesia, vbi omnes conuenerant. Paphnutius, licet innocens, non se purgat, sed satisfactioni totũ tradit, & ad limina Ecclesiæ per duas hebdomades supplex se abiicit, noxam deprecatus. Quibus elapsis à sæuo dæmone inuidus ille frater arripitur, immaniterq; diuexatur, sed nec ab vllo seniorum eiici potuit, quia Christus gloriam illam soli reseruarat Paphnutio, cui calumnia structa erat; & facile eum exturbauit. Demum THOMAS Cantipratanus agens de detractionis malo. HVIVS, inquit, rei vindictam horribilem valde & mirabilem vidi. Noui ordine, nõre, nomine non actibus sacerdotem, qui in tantũ vitio linguæ deditus erat, vt potius de se pessima mentiretur, quam non socios, vel cohabitantes sibi criminibus infamaret. Hic ante mortẽ raptus in furias tanta in se debachatus est cæde, vt propriis dentibus linguam vaniloquam laniaret, & palam cunctis ostenderet, quod qua lingua sua dolosè egerat, & venenum

Num. 14. 20.

Eus. l. 6. c. 8.

Cass. l. 15. Coll. cap. 15.

Tho. l. 2. 2pum. c. 37.

num aspidū sub labiis eius, quasi sepulchrū patens guttur illius fœtorem teterrimum exhalauit, vt per quæ peccauerat, per eadem torqueretur.

VI. REMED. Considera in quot laqueos te induas, si consuetudinem obtrectandi aliis nō deponas. Docent enim Theologi omnes, qui id temere faciunt, ad restitutionem famæ ex iustitia teneri, secundum illud Salomonis. *Qui detrahit alicui rei, ipse sein futurum obligat.* Et B. Augustini, *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Si enim pecunia ablata restituenda est, cur non potius fama longè pecunia præstantior? Iam autem constat, quam pauci detractores laborent in ea restituenda, & vt laborent, quantę difficultates occurrant in ea restituenda. Docent enim iidē Doctores si quis falso vel conficto crimine nomen alicuius denigrarit, eum debere palam profiteri se esse mentitum, idque apposito iureiurando, si adsint, qui ei fidem alioquin habere nolint. Prouerb. 13. 15. Aug. ep. 54. ad Maced.

VII. REMED. Coniice oculos in tuos potius, quam alienos lapsus, memor dicti Moysis. *Attende tibi ipsi.* & Christi. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabē in oculo tuo non vides?* Et B. Augustini. *Nouerim te* (ô Deus) *nouerim me.* Et adagiorū etiam apud Ethnicos celebratorum. γνῶθι σεαυτὸν *Respice manticæ, quod in tergo est. Tua vineta cæde.* Quo enim præcepto caritatis à Deo iubemur proximos diligere, sicut nos ipsos, eodem iubemur, & bene iudicare, sentire & loqui de ipsis. *Filioli mei,* inquit B. Ioannes, *non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Et Dominus. *Omnia quæcunque vultis, vt vobis faciant homines & vos facite illis. Hæc enim sunt lex & Prophetæ* Deinde cum aciem oculorum mentis coniicis in teipsum, tuosque lapsus, coniice etiam in causam, fontē & radicem eorum, & vbi radicem inueneris, appone ad eam securim & rescinde. Morbi sanè detractionis nō vna est radix, nam alii ex fastu quodam aliis facile detrahunt, vt suā ostentent sapientiam: alii ex vanitate & leuitate, vt aliis placeant: alii ex inuidia, qui *aliorum lucra,* vt loquitur Hieronymus, *sua damna reputant:* vt fuit ille frater apud Cassianum: alii ex auersione ab aliquo semel in animum admissa: alii aliis de causis. Matt 7. 3. Aug. l. 2. Solil. Catul. in Scazonte. Horat. in epist. 1. Ioan. 3. 18. Matth. 7. 12.

ANTIDOTA

Pro iis qui audiunt detractorem.

I ANTIDOTVM. Considera, te si aures præbeas detractori, non modo delinquere, sed nonnunquam etiam grauius delinquere, quam detrahentem. vti ex scripturis firmaque ratione probant S. Patres. BASILIVS in regulis breuioribus, quæstione posita, qua animaduersione dignus sit detrahens fratri, & detrahentē auscultans? respondet. *Exterminandi à reliquorum societate ambo. Detrahentem enim proximo suo,* ait Dauid, *hunc* Basil reg. 26. Psal. 100. 5.

Prouerb.20. iuxta 70.

perſequebar. Et alibi dictum eſt. Detrahentem nolito libenter audire, ne ſuſtollaris.

Ephr.tom.1.

EPHRÆM agens de linguæ malo. *In propriis*, inquit, *rebus contingit vt iuſtus ſit innocens: at in alienis reus inuenitur. Nam ſi quis eo præſente virum aliquẽ iuſtum maledictis inſectetur, ipſe autem ad ea conticeſcat, nonne ſilentiũ hoc eius ipſi vertetur in crimen? Audiendo enim talem, & non reprehendendo, maledicta eius comprobare videtur tanquam vera. Atque hoc ex magnorum etiam Principum intelligi licet poteſtate. Si quis enim vel iure in Regem peccantem inuehatur, qui præſentes ſunt audire renuunt. Si quis autem adeſſe pergat & audire, iam idem in vtrumque ſupplicium conſtituitur.*

Hier.ep.4.

HIERONYMVS. ad Ruſticum. *Neque verò illa iuſta excuſatio eſt, referentibus aliis iniuriam facere non poſſum. Nemo inuito auditori libenter refert. Sagitta in lapidem nunquam figitur. interdũ reſiliens percutit dirigentem. Diſcat detractor, dum te videt non libenter audire, non facilè detrahere. Cum detractoribus, ait Salomon, non miſcearis, quia repente veniet perditio eorum, & ruinam vtriuſq; quis nouit? tam videlicet eius qui detrahit, q̃ illius qui aurem accõmodat detrahẽti.*

Prou.24.21.

In Hier.ep.14.

PAVLIN. ad Celantiam. *Nec obtrectatoribus de conſenſu autoritatem tribuas, ne eorũ vitium nutrias annuendo. Noli, inquit, ſcriptura, cõſentaneus eſſe cum derogantib. aduerſus proximum tuum, & nõ accipies ſuper illum peccatum. Et alibi. Sepi aures tuas ſpinis, noli audire linguam nequam. Vnde & beatus Dauid non ſolũ aduerſatur, ſed etiam perſequitur detrahentem. Ait enim. Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar. Eſt ſanè tale hoc vitium, quod vel in primis extingui debeat, & ab eis qui ſe ſanctè inſtituere volunt prorſus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil eſt quod ita mobilem mentem, & leuem faciat, quam facile totũ credere, & obtrectatorũ verba temerario mẽtis aſſenſu ſequi. Beatus q̃ eſt, q̃ ita ſe contra hoc vitiũ armauit, vt apud eum nemo detrahere audeat.*

Eccli.28.28.

Pſal.100.5.

Caſſ.c.29.

GASSIANVS lib. 5. inſtit. monaſt. *Vidimus ſenẽ Machetem, nomine à turbis fratrũ eminus commorantẽ hanc à Domino gratiam diuturnis precibus impetraſſe, vt ſi quis detractionis verbũ, ſeu otioſum tentaſſet inferre, in ſomnum protinus concidebat, ac ſic nec vſq; ad aurium quidem eius pollutionem virus obloquij poterat peruenire.*

Bern.lib.2.de Conſider.

Vnde liquet, quantum ille reformidarit delinquere audiẽdo detractores, Denicq; S. BERN. vulgata eſt illa ſententia. *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, nõ facile dixerim.*

II. ANTIDOTVM eſt. Vt ſocietatem detractorum, ſi quos tales noſti, ſedulo refugias, vel ab ea, ſi quãdo in eam forte fortuna incideres, illico te ſepares. Sic. n. monet Spiritus ſanctus in ſcripturis. *Remoue à te*, inquit, *os prauum, & detrahentia labia ſint procul à te.* Et iterum. *Cum detractoribus ne miſcearis.* Quod ſi commodè te ſubducere nequis, ſaltem ne facile eorum dictis fidem accommoda. *Qui cito credit*, ait Eccleſiaſticus, *leuis corde eſt, & minorabitur.* Hinc B. ISIDORVS, de ſummo bono. *Non ſolum*, inquit, *ille reus eſt, qui falſum de alio profert, ſed & is qui cito aurẽ criminibus præbet.* Et B. Paulinus loco ante citato. *Quod ſi hæc in nobis eſſet diligentia, ne paſſim obtrectatoribus crederemus, iam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quã ſeipſos viles*

Prou.4.24.& 24.21.

Eccli.19.4.

Iſid l.3.c.59.

11 q.3.c.non ſolum.

detra-

detrahendo faceret. Sed hoc ideo malum celebre est, idcirco in multis feruet hoc vitium, quia penè ab omnibus libenter auditur.

III. ANTIDOTVM est. Vt modeste detractorem corrigas, vel commonefacias, vt ad alium sermonem transeat: & si adolescens sis, liberali vultu, & oculis in terram delectis. IOAN. Chrysost. palam populo Antiocheno hoc antidotū dedit. *Dic*, inquiens, *proximo detrahenti. Habes, quem laudes? aures aperio, vt vnguenta suscipiam: Si verò malum velis dicere, obturo aures: non enim stercus & cœnum accipere sustineo.* Exemplum huius habemus triplex. Primum B. IOB. dicentis. *Conterebam molas iniqui*, id est, detractoris, *& de dentibus illius auferebam prædam.* id est, ab infamia vindicabam innoxios. Alterum regii Prophetæ dicentis. *Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar.* Tertium Christi Domini Magdalenam contra obtrectationem Iudæ & discipulorum defendentis his verbis. *Quid molesti estis huic mulieri? Bonum opus operata est in me.*

Chrysost. 3. Iob 29.17. Psal.100.5. Matth.26.10.

IV. ANTIDOTVM. Quod si corrigere non audes, excusa saltem absentes, de quibus detrahitur, adferendis tuę defensionis causis & exemplis: itaque fieri posse vt fallatur, qui contraria narrauit: quemadmodū id sibi & aliis multis in rebus similibus non rarò vsu venerit. De religiosis quidam vir nobilis malè loquebatur, atq; ecce commodū inter sermonē aspicit procul transeuntes duos. Isti, inquit, ipsi planè sunt tales, quales depinxi. Cum propius iidem accedētes caput aperuissent, agnouit alterū eorum esse eum ipsum, quo ipse olim nullū familiariorē & cariorē habuerat: atq; adeo tunc ita carū habebat, vt seipsum: sed ignorauerat scilicet eum vitæ genus mutasse. Re igitur nec opinata sic repente perculsus est, vt omnibus, qui aderant, non sibi satis præsens esse videretur.

Ex Stim. virtut. lib.5.c.23.

V. ANTIDOTVM, est. Si tanta auctoritate sint qui detrahunt, nempe parentes, præceptores, viri nobiles, magistratus, Principes, vt obstrepere non audeas, vultū saltem ad tristitiam compone, memor dicti Salomonis dicentis. *Ventus aquilo dissipat pluuias, & vultus tristis linguam detrahentem.* Sicut enim *sagitta*, inquit B. Hieronymus. *Si mittatur contra duram materiam nonnunquam in mittentem reuertitur, & vulnerat vulnerantem, ita detractor, cum tristem faciem viderit audientis, imò non audientis, sed obturantis aures suas, ne audiat iudicium sanguinis, illico conticescit, pallet vultus, hærent labia, salina siccatur.*

Prou.25.23. Hier.ep.4.

MONITA

Pro eo, cui detrahitur.

I. MONITVM. Si quis nomen tuum obtrectatione publica, priuatáue obscurarit, primum perfugium habe ad iudicium Dei & conscientiæ, & dic cum B. IOB. *Ecce in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis.*

Iob.16.20.

In

Greg. l.13. mor. c.13. Lege Greg. in ep.45. ad Pallad. lib.8. In quæ verba B. GREGORIVS sic scribit. *Omnis qui ex eo quod agit humanas laudes appetit, testem in terra quærit. Qui autem de actibus suis omnipotenti Deo placere festinat, testem se in cœlo habere cõfiderat. Et sæpe contingit, vt ipsa quoque in nobis bona opera ab incautis hominibus reprehendantur. Sed qui testem in cœlo habet reprehensiones hominum metuere nõ debet.* Deinde cum B. Paulo. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Vnde S. BERNARDVS scribens in Cantica. *Profecto,* inquit, *bona consolatio est, cum benefacientes blasphemamur à malis, si recti diligunt nos. Omninò sufficit aduersus os loquentium iniqua opinio bonorũ cum testimonio conscientiæ.*

2. Cor. 1. 12. Bern. hom. 24.

II. MONITVM est. Vt constanter perseueres in pia & inculpata vita. *Laudabuntur enim omnes,* inquit Psaltes regius, *qui iurant in eo* (nempe se præceptis diuinis obtemperaturos) *quia obstructum est os loquentium iniqua.* & S. PETRVS in priore epistola. *Carissimi,* inquit, *obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam, conuersationem vestram inter Gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* Et paulo post. *Quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.*

Psal. 61. 12. 1. Pet. 2. 11.

III. MONITVM est, vt contemnas omnes obtrectationes, & calumnias aliorum, nec velis etiã ad te perferri. Eo enim videntur pertinere illa verba Sapientis. *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* Alludere enim videtur ad morẽ agricolarum, qui agros vel vineas contra ferarũ incursus muniunt sepimento ex aculeatis spinis contexto. Græca enim sic legunt: *Ecce munias possessionem tuam spinis, & ori tuo fac valuas & obices.* QVOD monitum quam sit salutare, S. BERNARDIN. illustri sui æui exẽplo declarauit. Fuit, inquiens, iunior quidam concionator, qui in magno hominum cœtu famam senioris cuiusdam Ecclesiastæ arroserat, sed fidem non meruerat apud plebem. Senior ille, vbi rem per certos homines cognouit, pro concione omnes auditores obtestatus est, ne quis in posterũ viua voce, aut scripto, sc. sodalesue suos de iis quæ iunior ille in nomen suum effutisset, certiores redderet. Qua obtestatione effecit, vt populus senioris virtutem suspiceret, iunioris q; leuitatem ita deinceps insectaretur, vt coactus fuerit, (quod illi primarii viri pro recuperanda fama suaserant) in publica processione genibus flexis à seniore noxam deprecari.

Eccli. 28. 27. Bern. serm. 30. in cant.

IV. MONITVM. Vt munias te, sicut contra multa alia, clypeo Christianæ patientiæ. Vnde cum apud Matthæũ Apostoli dicerent Christo, Pharisæos in sermone illius scandalizatos, respondit. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Et Apostolus in priore epistola ad Corinthios. *Mihi autẽ pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neq; meipsum iudico.* Hinc

Matth. 15. 14. 1. Cor. 4. 3.

B. GRE-

B. GREGOR. alicubi sic scribit. *Cum linguæ derogantiũ corrigi nequeũt, æquanimiter sunt per omnia tolerandæ, nec obtrectationis sermo timendus est, ne dũ vitupe-ratio peruersorum metuitur, via recti operis deseratur.* Possunt in hanc rem seruire, cum aliorum sanctorum exempla quamplurima, tum inprimis Christi Saluatoris, quem Pharisæi appellarunt peccatorem, voratorem, potatorem vini, Samaritanum, blasphemum, seductorem, dæmoniacũ, &c. & tamen ne verbo quidem ad illas calumnias respondit. Imò dum coram Principe Sacerdotum, Herode, Pilato varia ei crimina falso obiectarentur, in silentio solo præsidium posuit. Nec aliud voluit facere suos discipulos: quibus dixit. *Non est discipulus super magistrum. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Et iterum. *Nõ est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Patientia vobis necessaria est,* (scribit Paulus fidelibus, qui opprobriis & tribulationibus erant spectaculum facti) *vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Deinde catalogum longum texit iustorum, qui improperia, ludibria, verbera, necemque ipsam experti adepti sunt repromissiones.

Greg. in Ezechiel. hom. 9.

Matth. 26. Luc. 23. Ioan. 19.

Matth. 10. 24.

Ioan. 15. 20.

Heb. 10. 36.

Heb. 11. 36.

V. MONITVM. Quando vero detractores in nominis tui existimatione lædenda ita excederent, vt ex taciturnitate tua immineret periculum vitæ vel famæ, aut caritas proximi, obediẽtiaúe superioris ita postularet, tum à modesta defensione non erit abstinendum. Sicut nec Christus, nec Paulus, aliiq; Apostoli abstinuerunt. Nam B. PETRVS, postquam dixerat. *Si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deũ. In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis:* tandem subiungit. *Nemo autem vestrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorũ appetitor: si autem vt Christianus, non erubescat* Et S. GREGOR. in epistola ad Theoctistam patriciam, docens quando obtrectatores tolerandi sint, & quando non. *Sunt,* inquit, *quædam scandala, quæ omnino despicienda sunt: quædam verò, cum vitari sine culpa possunt, despicienda nõ sunt, ne cum culpa seruentur. Quod sacro Euangelio testãte cognouimus, quia cum veritas diceret. Nõ quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem, & discipuli responderent, dicentes: scis, quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt? protinus respondit. Omnis plantatio, quã non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Et tamẽ cum tributum peteretur, prius rationẽ reddidit, per quam tributum soluere non deberet, atque illico subiunxit. Vt autẽ non scandalizemus eos: Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te. Quid est quod aliis scandalũ esse permisit, aliis verò venire prohibuit, nisi vt nos doceret, & illa scandala, quæ nos ad peccata implicãt, contemnere: & ea quæ placare sine peccato possumus, modis omnibus mitigare.* Et B. AVGVST. in libro de bono viduitatis. *Nec audiendi sunt, siue viri sancti, siue fœminæ, quando reprehensa in aliquo negli-*

1. Pet. 2. 20. & 4. 15.

Greg. l. 9. ep. 39. & l. 8. ep. 45. ad Pallad.

Matth. 15. 11.

Matth. 17. 26.

Aug. cap. 22.

gentia sua, per quam fit vt in malam veniant suspicionem, vnde suam vitã longé abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo *sufficere conscientiam, existimationem hominum non imprudenter solum, verumetiã crudeliter cõtemnentes, cum occidunt animas aliorum, siue blasphemantium viam Dei, quibus secundum suam suspicionem quasi turpis, quæ casta est, displicet vita sanctorum: siue etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum, atq; facinorũ vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessária est vita nostra, aliis fama nostra Et vtiq; quod aliis misericorditer ministramus ad salutem, ad nostrã quoq; redundat vtilitatem. Vnde non frustra Apostolus. Prouidemus, inquit, bona non solum coram* Deo, *verumetiam corã hominibus. Item dicit. Placete omnib. per omnia, sicut & ego omnib per omnia placeo, non quærens, quod mihi vtile est, sed q; multis, vt salui fiant. In quadã etiam exhortatione dicit.* De cetero *fratres, quæcunq; sunt vera, quæcunq; sancta, quæcunq; iusta, quæcunq; casta, quæcunq; carissima, quæcunq; bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate.*

2. Cor. 8. 21

1. Cor. 10. 33. Phil. 4. 8.

VIDE V. *Ambitio. Amor sui. Colloquia otiosa. Consuetudo praua. Curiositas. Familiaritas nimia. Gloria vana. Immortificatio passionum. Impatientia in aduersis. Inuidia. Ira. Iudicium temerarium. Linguæ abusus. Maledictio. Mendacium. Murmuratio. Societas praua. Superbia. Vindicatio iniuriæ.*

DISCORDIA

Remedia contra Discordiam, & Contentiones.

I. REMED. Considera, quid scriptura sancta, de discordia, contentionibus & rixis dicat. *Contentioni enim,* inquit Aug. epist. 64. *non resistitur, nisi crebris diuinorũ librorum testimoniis incutiatur timor, & caritas* Dei. Autores quidem earum primũ asserit Deo exosos, *Sex sunt,* inquit in Prouerbiis, *quæ odit* Deus, *& septimũ detestàtur animæ eius,* nempe, *qui seminat inter fratres discordias. Non enim est dissensionis* Deus, inquit Paulus, *sed pacis.* 2. excludit regno cœlorũ. nam in epist. ad Galatas inter opera carnis salute excludentia numerat, *dissensiones, contentiones, & rixas.* 3. appellat carnales, secundum illud. *Cum sit inter vos zelus & cõtentio, nonne carnales estis?* Tum peruersos. *Homo peruersus suscitat lites.* Et superbos. *Inter superbos semper turgia sunt.* Itẽ stultos. *Labia stulti miscent se rixis.* 4. docet, qui dissensionũ sint fructus, nempe adaugere crimina. *Abstine te à lite,* ait Sapiẽs, *& minues peccata.* Deinde subuertere audientes. *Noli contendere verbis,* monet Apostolus, *ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Adhæc quietẽ turbare. *Vir Sapiens,* ait Salomon, *si cum stulto contenderit, non inueniet requiem.* Denique euertere regna & fortunas. *Omne regnum diuisum contra se desolabitur, & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se non stabit,* dixit Saluator.

Prou. 6. 16.

1. Cor. 14. Gal. 5.

1. Cor 3. Prou. 16. 28. Prou 13. 10. Prou. 18. 6.

Eccli. 28. 10. 2. Tim. 2. 14.

Prou. 29. 9.

Matth. 12. 25.

II. RE-

II. REMED. Considera dicta S. Patrum. B. CYPR. de oratione Dominica. *Sacrificium Deo maius est pax nostra & fraterna concordia, &c. cæterum discordans & dissidens, & pacẽ cum fratribus non habens, secundum quod beatus Apostolus, & scriptura sancta testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimẽ dissensionis poterit euadere, quia sicut scriptum est. Qui fratrẽm suum odit, homicida est, &c. Quale delictũ est, quod nec martyrio sanguinis potest ablui. Quale crimẽ est, quod martyrio non potest expiari?* Et lib. de simplicit. Prælatorũ. *Inexpiabilis & grauis culpa discordiæ nec passione purgatur, &c. Qui pacem Christi & concordiã rumpit, aduersus Christum facit.* Et. *Hinc hæreses & factiæ sunt frequenter, & fiunt, dum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet vnitatem.* S. BASIL. *Nihil æquè germanos Dei cultores inter se conciliat, atq; consentientes de Deo sententiæ: sicut contra, nulla re amicitiæ facilius dissuuntur, quam diuersa animorum sententia.* GREG. NAZIANZ. in orat. de moderatione in disputationibus. *Quid in nostra doctrina præstantissimum est? pax, addam etiam vtilissimum. Contra, quid turpissimum & pernitiosissimum? voluntatum disiunctio.* HIERONYMVS libro 3. commentar. in ep. ad Galat. *Septimum locum inter carnis opera* apud Apostolum Paulum, *contentio possidet, quodam quasi sacrato, & eminenti inter vitia numero collocata. Seruum enim Domini non oportet rixari, sed esse mansuetum ad omnes, doctorem longanimem, cum mansuetudine audientem etiam eos, qui econtra disputant.* S. BERNARD. in dedicat. Ecclesiæ. *Proditores fiunt, quicunque in hoc Domini castrum inimicos eius introducere moliuntur, quales sunt vtique detractores Deo odibiles, qui discordias seminant, nutriunt scandala inter fratres. Sicut enim in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum fieri diabolo manifestum est.*

Cypr serm. 6.

1. Ioan. 3. 15.

Basor. 1. de pace.

Greg. orat. 20.

Hier. in c. 5. ad Galat.

Bern. serm. 3.

III. REMED. Resiste contentionum principiis, secundum illud. *Principiis obsta, sero medicina paratur.* hoc est, primos animi motus in colloquiis cum aliis comprime, ne in indignationẽ erumpant, & contentioni causa detur. Hoc antidotũ est B. AMBROSII libro primo officiorum. *Caueatur, inquit, iracundia, aut si præcaueri non potest cohibeatur. Mala enim illex peccati indignatio est, quæ ita animum perturbat, vt rationi non relinquat locum, &c. Quoniam autem ita plerumque motus infixus est naturæ ac moribus, vt euelli atque euinci non queat: si præuideri potuerit, ratione reprimatur, &c. Ac si præuenerit, & præoccupauerit mentem tuam iracundia, non relinquas locum tuum. Locus tuus patientia est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Aut si te contumacia respondentis mouerit ad indignationem, si non potueris mitigare mentem, reprime linguam tuam. Sic enim scriptum est. Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Deinde inquire pacem, & sequere eam.* Eodem spectant illa B. GREGORII verba in cap. 4. Iob. *Boni viri freno consilij retinent præcipitationem verbi, & caute considerant, ne relaxantes linguæ lasciuiam auditorum conscientiam incauta locutione transfigant. Vnde bene*

Ouid. de rem. amoris.

Amb. c. 21. & 22.

Psal. 33. 14.

Greg. l. 5. mor. c. 12.

Prou.17.14. *per Salomonem dicitur. Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum. Aqua quippe dimittitur, cum linguæ fluxus effrenatur. Sed dimissor aquæ caput iurgiorum efficitur, quia per linguæ incontinentiam discordiæ origo propinatur.*

IV. REMED. Si autem reformides te linguam non cohibiturum ob petulantiam vel vehementiam sodalium, optimum consilium est, se ab eorum societate disiungere. Dicit enim Sapiens. *Abstine te à lite, & peccata minues.* Nec illud dedecori tibi esse poterit. Quia vt Salomõ loquitur. *Honor est homini, qui separat se à contentionibus.* Eodem spectat consiliũ Christi dicentis. *Qui tecum vult iudicio contendere, & tunicã tollere, dimitte ei & pallium.* Hoc antidoto vsi sunt olim Abraham & Lot, Iacob & Esau fratres, qui ne rixis occasio daretur, se à sese mutuo disiunxerunt. Et post raptũ Elię Propheta Elisæus: nam cum quidã Prophetarum filii importunè vrgerent, vt mitterentur quinquaginta viri quæsitum Eliam in vicinis montibus & vallibus, ne contentioni causam daret, permisit vt mitterentur. Vnde iis reuersis dixit. *Nunquid non dixi vobis, ne mitteretis?* Eodẽ consilio in Actis Apostolorum Paulus & Barnabas, licet oraculo Spiritus sancti initio coniuncti fuissent, tandẽ diuulsi videntur. Sic.n. scribit B. CHRYSOST. *Mihi videtur disertè separatio Pauli à Barnaba facta, quod inter se dixerint. Quoniam ego nõ volo, nec tu vis, ne pugnemus, distribuamus prouincias, & ita sibi inuicem multum cedentes hoc fecerunt.* Hoc remedium superiori non omisit adiungere loco citato AMBROSIVS. *Resiste,* inquiens, *iræ, si potes: cede, si non potes, quia scriptum est. Date locum iræ. Iacob fratri indignanti piè cessit, & Rebeccæ, id est, patientiæ instructus consilio abesse maluit peregrinari, quàm excitare fratris indignationem, & tunc redire, cum fratrem mitigatum putaret. Et ideo tantam apud Deum inuenit gratiam. Quibus deinde obsequiis, quantis muneribus fratrem ipsum reconciliauit sibi, vt ille præceptæ benedictionis non meminisset, meminisset delatæ satisfactionis?*

Eccli.28.9. Prou.20.3. Matth.5.40. Gen.13.28.33. 4.Reg 2.17. Act.15.30. Amb.lib.1.offic. c.21. Rom.12.19. Gen.27.

V. REMED. Quod si occasio mutandi loci non sit, conere saltem verbis rescindere contentionem, exemplo B.Iob, qui aduersariis suis dixit. *Respondete obsecro absque contentione, & loquentes quod iustum est iudicate.* Et Apostoli scribentis ad Corinthios. *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* & S. GREG. qui cum sententiam suam de quodam Euangelii argumento pro concione exposuisset, subiecit. *Si quis contrarium sentiat, malle se alienæ sententiæ salua fidei veritate subscribere, quam cum aliquo contendere.* Quæ modestia merito tibi imitanda est etiam in publicis scholarum disputationibus (vbi qui volet ingenio cedere rarus inuenitur) quando periculum est secuturæ contentionis. Sin verò tua, alienaúe culpa colloquium vel disceptatio limites modestiæ excesserit, & vtrinque offensio aliqua secuta fuerit, proximum antidotũ sit; reconciliationis studium nõ prætermittere, dicendo porrecta

Iob.6.29. 1.Cor.11.16. Greg.hom.38. in Euangel.

recta vel non porrecta manu, *Ignosce ardori*, vel aliud. Ac S. Ambrosius quidem monet, vt cito id fiat, more puerorum, qui cum æqualibus contẽdentes facile pacificantur. *Illæ commotiones*, inquit, *in pueris innoxiæ sunt; quæ plus habent gratiæ, quàm amaritudinis. Et si cito pueri inter se mouentur, facile sedantur, & maiori suauitate in se recurrunt. Nesciunt se subdolè, artificioseq; tractare. Nolite hos contemnere pueros, de quibus Dominus ait. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Hvc pertinent quæ B. Avgvst. in regula monachis & monialibus præscripsit. *Lites*, inquit, *aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis. Qui odit fratrem suum, homicida est.* Et addit *Quicunque conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læsit, meminerit satisfactione quantocyus curare quod fecit, & ille qui læsus est sine disceptatione dimittere. Si autem inuicem se læserint, inuicem sibi debita relaxare debebũt propter orationes vestras, quas vtiq; quãto crebriores habetis, tãto saniores habere debetis.* Et in epist. ad Felicitatẽ & Rusticum. *Hæc*, inquit, *agite, vt inter vos aut non existant indignationes, aut exortæ statim celerrima pace perimantur. Maiorem date operam concordandis vobis, quam redarguendis: quia sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit, sic ira corrumpit cor, si in alium diem durauerit.*

Amb. 1. offic. c. 21.

Matth. 18. 13.

Aug. tom. 1. reg. 37. & 38. & epist. 109.

1. Ioan. 3. 15.

Aug. ep. 87.

VI. Remed. Si ex antegressa contentione, vel aliunde nata fuerit diuturnior discordia, tum opus erit admonitione Gregoriana in Pastorali. *Discordes*, ait, *admonendi sunt, vt certissimè sciant, quia quantislibet virtutibus polleant, spirituales fieri nullatenus possunt, si vniri per concordiam proximis negligũt. Scriptũ quippe est Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax. Qui ergo seruare pacem non curat, ferre fructũ Spiritus recusat. Hinc Paulus ait. Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis? Hinc iterum quoque dicit. Pacem sequimini cũ omnibus, & sanctimoniam: sine qua nemo videbit Deum. Hinc rursus admonens ait. Soliciti seruare vnitatẽ Spiritus in vinculo pacis.* Et infra. *Admonendi sunt dissidentes, vt nouerint, quod tamdiu nullum boni operis Deo sacrificium immolant, quamdiu à proximorũ caritate discordant. Scriptum namq; est. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniẽs offeres munus tuum. Ex qua præceptione pensandum est, quorum hostia repellitur, quã intolerabilis culpa monstratur. Nam cum mala cunctis bonis sequentibus diluãtur, pensemus, quanta sint mala discordiæ, quæ nisi extincta funditus fuerint, bonũ subsequi non permittunt.* Et multo post. *Admonendi sunt, qui iurgia seminant, vt cuius sint sequaces agnoscant. De apostata quippe Angelo scriptũ est, cum bonæ messi inserta fuissent zizania. Inimicus homo hoc fecit. De cuius etiã membro per Salomonẽ dicitur. Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat. Ecce, quẽ seminantem iurgia dicere voluit, prius apostatam nominauit: quia nisi more superbientis An-*

Greg. 3. part. adm. 23.

Gal. 5. 22.

1 Cor. 3. 3.

Heb. 12. 14.

Eph. 4. 3.

Matth. 5. 23.

Admon. 24.

Matth. 13. 28. Prou. 6. 12.

geli à conſpectu conditoris prius intus auerſione mentis caderet, foras poſt modum vſq; ad ſeminanda iurgia non veniret, &c. Audiant iurgiorum ſeminatores, quod ſcriptum Matth. 5. 9. eſt. Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabuntur. Atq; è diuerſo colligant, quia ſi filij Dei vocantur, qui pacem faciunt, procul dubio ſunt Satanæ filij, qui confundunt. Omnes autem, qui per diſcordiam ſeparantur à viriditate dilectionis arefiunt. Qui etſi boni operis fructus in ſuis actionibus proferunt: profecto nulli ſunt, quia non ex vnitate caritatis oriuntur. Hinc ergo perpendant ſeminantes iurgia, quàm multipliciter peccãt: qui dum vnã nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas ſimul virtutes eradicant. In vno enim malo innumera peragunt, quia ſeminando diſcordiam, caritatem, quæ nimirum omnium virtutum mater eſt, extinguunt. Quia autem nihil pretioſius eſt Deo virtute dilectionis, nihil eſt delectabilius diabolo extinctione caritatis.

VII. REMED. Conſidera exempla eorum qui ob diſcordiã diuinitus ſunt caſtigati. Primũ ſit B. GREGO. Nyſſeni in vita S. Gregorii Thaumaturgi. Euſeb. lib. 7. c. 25. *Duo*, inquiens, *fratres ex paterna hæreditate lacum vnum vindicabant, ſed neuter alterum in ſocietatem poſſeſſionis admittebat. Permittitur D. Gregorio, litem dirimendi poteſtas. Is reconciliationem ſuadet, ac vt pacis lucrum facerent pluris, quam id quod ex prouentibus caperent, hortatur. Verũ adhortatio inefficax fuit exercitus vtrinq; ex ſubditis paratur. Pridie eius diei quo bello certandum erat, cum homo Dei ad ripas ſtagni permanſiſſet, noctemq; peruigilaſſet, miraculum Moſaicum edidit in aqua, percuſſione virgæ omnem eum lacum in incultam & vaſtam terrã humoris expertẽ redigens, adeo vt ne in cõcauis quidẽ locis aliquas aquæ reliquias haberet. Sic duorum adoleſcentum controuerſiam diremit, & pax furorem excepit.* ALTERVM eſt PETRI Damiani Cardinalis. Dam. lib. 4. ep. 17. *Auctore diſcordiæ Spiritu peruerſo, cũ preſbyter preſbyterũ probroſis contumeliis & maledictis aliquando laceraſſet, alter dentibus ſtridens correpta lancea iter arripuit, atq; ad domum ſuam longius conſtitutã furibundis perare greſſibus cœpit. Sed cũ caligo noctis ſuperueniſſet, ecce quinq; nigri equites cum caballis æquè nigris obuiãt: eiq; is, qui maior videbatur, inſultat. Sæpè, inquit, inſtiti, vt in clientelam meorum contubernalium venires, nunc autẽ non poteris iugum meæ ditionis euadere.* Preſbyter nimio terrore perculſus (putans eſſe nobilẽ virum, nomine Romanum, qui illum ſolicitauerat, vt ſibi ſubditus fieret) illi manus ſubditorũ more deoſculatus, ſe herili eius fidei comiſit. *Quem protinus ille percontatus eſt. Scis, quis ſim? Reſpondit preſbyter, nõne tu es Dominus meus Romanus? At ille, abſit, abſit. Ego ſum quidam diabolus, cui tu nunc cõmiſſus es: vide vt ſtes promiſſis. Quo dicto diſparuit. Hic autem perterrefactus domum rediit, Epiſcopũ Teuzonem adiit, & me præſente pœnitentiã flagitauit. Dignitas officij ſacerdotalis illi adempta eſt, carceri cum ſpe veniæ adipiſcendæ, donec pœnitentiam adimpleſſet, incluſus.* TERTIVM eſt Thomæ Cantiprat. Thom. lib. 2. apum. c. 18. *Venerabilis Iacobus de Vitriaco crucem Hieroſolymitanam ob ſalutem multorum in Brabantia prædicauit. Contigit autem, vt paciſicaturus quadã die mortales inimicitias, iniuriam paſſum, primò ſuppliciter, deinde proſtratus pedibus eius, ſemel, iterum & tertio, cum multitudine populi præſente rogaret, nec proficeret in*

rebellem.

rebellem. Conuersus autem ad populum, dixit palam omnibus Conteſtor vos, quia qui ſpernit nos, ſpernit & eum qui mittit nos. Rogate ergo Dominum, vt tale ſignũ oſtendat in obſtinatum hominem, quo cunctis præſentibus pateat, eum hoſtiliter contra ſe in retentione odij contra proximum hoc egiſſe. Nec mora. vbi vir ſanctus orationem expleuit, miſer ille euerſis oculis tertio in terram corruit, oreque cruorem ſpumans & ſaniem maximum horroris ſpectaculum omnibus præbuit. Tunc flente populo reuerendus vir fuſa prece proſtratũ erexit. Qui mox integerrimè ſoſpitatus, vbi ante ſe inimicum vidit quaſi aliquid amiciſſimum rogaturus cum lacrymis veniam petiuit, ruenſque in oſcula eius ad lacrymas & laudem Chriſti omnium corda commouit.

VIDE V. *Amor ſui. Detractio. Gloria vana. Immortificatio paſſionum. Inuidia. Ira. Lingua abuſus. Superbia. Vindicatio.*

DISTRACTIO IN ORATIONE.

Remedia contra Diſtractionem.

I REMED: Conſidera, quemadmodum in verbo Dei ab ea abſterreare. Primo enim monet, vt non labiis tantũ, ſed ex corde & Spiritu Deum oremus. *Effundite*, inquit rex Dauid, *corã illo corda veſtra: Deus adiutor noſter in æternum.* Et, *Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine.* Et. *Deprecatus ſum faciẽ tuam in toto corde meo. Orabo Spiritu*, ait Apoſtolus, *orabo & mẽte.* Sic orabat Samuelis Prophetæ mater Anna, de qua in primo libro Regum ita ſcribitur. *Anna loquebatur in corde ſuo ad Dominum, tantum que labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* Vnde Dominus populum Iſraheliticum ſecus in oratione facientem apud Iſaiam Prophetam acriter reprehendit dicens. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* quæ verba velut Prophetica Chriſtus Dominus in Scribas & Phariſæos apud Matthæum detorſit. Deinde eodem verbo Dei monemur, vt non negligenter, ſed diligenter & vigilanter vacemus orationi. *Maledictus*, inquit Ieremias Propheta, *qui facit opus Dei negligenter.* & B. Paulus orationi *inſtate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Et rurſus. *Per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in Spiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia & obſecratione.*

Pſal. 61. 9. Pſal. 118. 145. & 58. 1. Cor. 14. 15. 1. Reg. 1. 13. Iſa. 29. 13. Matth. 15. 7. Marc. 7. 6. Ierem. 48. 10. Coloſſ. 4. 2. Epheſ. 6. 18.

II. REMED: Conſidera S. Patrum monita. B. CYPRIANVS agens de oratione Dominica diſertè ita ſcribit. *Quando ſtamus ad orationem, fratres dilectiſſimi, vigilare & incũbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis ſecularis & carnalis abſcedat, nec quicquam tunc animus, quam id ſolũ cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationẽ præfatione pmiſſa parat fratrũ mentes dicẽdo ſurſum corda,*

Cypr. l. de orat. Domin.

corda, vt dum respõdet plebs, habemus ad Dominum, admoneatur, nihil aliud se, quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, neq; ad se hostẽ Dei tempore orationis adire patiatur. S. EPHRÆM in doctrina de Panoplia spirituali. Pro arcu ad orationem manus tuas extende, sicut scriptum est. Et posuisti vt arcum æreũ brachia mea. Verè enim arcus æreus est contra inimicos expansæ in oratione manus in scientia orantis: sicut etiam sagitta directè emissa ab eo, qui arcum vibrat. Nam si inter orandum animũ vagari permittas, eris velut qui tenet quidem arcum, verum sagittam contra aduersarium dirigere nequit, illam in vanum nulla certa intentione emittens. Atque interdum hosti quidem terrorem incutit huiusmodi vulneris metus, dum te arcum vibrare considerat, cæterum sagitta non aduersus eum, sed in infinitum emittitur. S. AVGVSTINVS, exponens verba Psalmi. Quoniam te Domine suauis & mitis. Nihil, inquit, stultius, quam si seipsum quisq; palpat & seducat. Attendat ergo & videat, quãta aguntur in corde humano, quemadmodum ipsæ plærumque orationes impediantur vanis cogitationibus, ita vt vix stet cor ad Deum suum, & vult se tenere vt stet: & quodãmodo fugit à se, nec inuenit cancellos, quibus se includat, aut obices quosdam, quibus retineat auolationes suas, & vagos quosdam motus, sed stet iucundari à Deo suo. Vix est, vt occurrat talis oratio inter multas orationes. Diceret vnusquisq; sibi cõtingere, & alteri nõ contingere, nisi inueniremus in scripturis Dei, Dauid orantẽ quodam in loco, & dicentem. Quoniã inueni Domine cor meum, vt orarem ad te. Inuenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitiuum, & non posset comprehendere, & clamare ad Dominum. Quoniã cor meum dereliquit me. Itaq; fratres mei, quod hic ait. Suauis es tu & mitis, &c. videor mihi videre ad hoc dixisse mitem Deum, quia patitur ista nostra, & expectat tamen à nobis orationem, vt perficiat nos: & quando illi eam dederimus, accipit gratè & exaudit, nec meminit tantas, quas incondite fundimus, & accipit vnam, quam vix inuenimus. IOAN. CASSIANVS in Collation. Quis tantum Spiritus potuit vnquam retinere feruorem, vt non interdũ lubricis cogitationibus in ipsa quoque orationis intentione translatus repente de cœlestibus ad terrena corruerit? Quis nostrum, vt cætera peruagationum tempora prætermittam, non illo etiã momento, quo Deo supplicans ad sublimia erigit mentem, quo veniam delictorum, &c. Quæ licet omnia nõullis, qui sunt crassioribus vitiis inuoluti leuia, atq; à peccato pænè aliena videantur, scientibus tamen perfectionis bonum etiã minimarũ rerum multitudo grauissima est. S. GREGO. in verba Iob. Vt desiderium meum omnipotens audiat. Notandum, inquit, est, quod ne quaquam dicitur, preces, sed desiderium meũ omnipotens audiat. Vera quippe postulatio, non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores namq; voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Æternam enim vitam si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus. Si verò desideramus ex corde, etiam cum ore conticescimus, tacentes clamamus. Hinc est, quod in eremo populus vocibus perstrepit, & Moyses à strepitu verborum tacet, & tamen silens aure diuinæ pietatis auditur, cum dicitur. Quid clamas ad me?

Ephr. tom. 1. Psal. 17. 35.

Aug. in Psal. 85.

2. Reg. 7. 27.

Psal. 39. 13.

Cass. coll. 23. c. 7.

Greg. 2. mor. c. 18.

Exod. 14. 15.

III. RE-

III. REMEDIVM est Præparatio ad orationem, quod tradit Eccle- Eccli.18.23.
siasticus dicens: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Præparabis autem animam tuam, si cogites, cum quo tibi sit sermo habendus, & idcirco omnes alias curas & cogitationes excludas. Deinde, si omnem prauam peccandi voluntatem deponas, & si peccasti, de lapsu doleas. Nam si hoc non præstiteris, eris *quasi homo qui tentat Deum.* hoc est, qui Deum potius ad iracundiam prouocare, quam conciliare sibi velit. Simile est quod monet Sapiens in Ecclesiaste. *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo, Deus enim in cœlo, & tu super terram, idcirco sint pauci sermones tui.* Huc pertinet quod B. GREGO. scripsit in verba illa Iob. Si iniquitatem, quæ est in manu tua abstuleris à te, &c. tunc leuare poteris faciem tuam absq; macula. *Faciem,* inquit, *leuare, est in Deo animum per studium orationis attollere. Sed leuatam faciem macula inquinat, si intendentem mentem reatus sui conscientia accusat. Diffidit namq; accipere se posse quod appetit, quæ profecto remittitur nolle se adhuc facere, quod diuinitus audiuit. Hinc per Ioannem dicitur. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum, & quicquid petierimus, ab eo accipiemus.* Et paulo post. *Qua in re hoc est salubre remedium vt cum se mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc prius in oratione defleat, quod errauit: quatenus cum erroris macula fletibus tergitur, in petitione sua cordis facies ab authore munda videatur.* Et rursum. *Semper ante orationis tempora debet solicitè conspici, quicquid potest in oratione reprobari. Sæpe namque immunda vel illicita quædam in animo versamus, quoties à precibus vacamus. Sed cum se mens ad studium orationis erexerit, earum rerum imagines reuerberata patitur, quibus libenter prius otiosa premebatur, &c. Sæpe curis mundi libenter occupamur: cumque post hæc studio orationis intendimus, nequaquam se mens ad cœlestia erigit, quia pondus hanc terrenæ solicitudinis in profundum mersit.* Eccl.5.1. Iob.11.14. Greg.10.mor. c.16. 1.Ioan.3.20.

IV. REMED. Reuerentia erga Deum, hoc est, vt magna cum humilitate & reuerentia corporis atque animi, atque si Deum in sua maiestate cum omnibus sanctis præsentem spectares, exordiaris orationem mentalem vel vocalem. Sic monet in hoc genere exercitatus S. BERN. *Quid aliud,* inquit, *cogitare debet frater intrans ad orationem, quàm Propheticum illud. Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei? Omnino siquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cœlestem: illam vtiq; curiam, in qua Rex regum stellato sedet solio circundante innumerabili & ineffabili beatorum Spirituum exercitu. Vnde & ipse qui viderat, qui maiorem numerum non inuenit, mille ait, millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Quàta ergo cum reuerentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens & repens ranuncula vilis! Quam tremebundus, quam supplex, quam deniq; humilis & solicitus, & toto intentus animo maiestati gloriæ in præsentia Angelorum, in cœtibus iustorum, & congregatione assistere poterit miser hemuncio?* Et infra. *Sic igitur oret, qui orat,* Bern.serm.de 4.modisorandi. Psal.41.5. Dan.7.10.

tanquam præsentatus ei, qui sedet super excelsum thronum in Angelis, qui minime ceciderunt, & eleuatũ in hominibus, quos suscitauit de puluere inopes, & erexit de ster-
Gen.18.27. *core pauperes: sic inquam, semetipsum consideret, & sic attendat, tanquam præsentatũ Domino maiestatis, vt dicat cum Abraham. Loquar ad Dominũ meum, cum sim puluis & cinis. Et quia tuo præcepto commonit us, tua institutione formatus, id præsumo Domine fons pietatis.* Quam autem absurdum & ridiculum sit orantem in tantæ maiestatis præsentia mente distrahi & euagari his verbis declarat

Cyp.de orat. Domin. B. CYPRIAN. *Quæ autem segnitia est*, inquit, *alienari & capi ineptis cogitationib. & prophanis, cum Dominũ deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quã quod cum Deo loquaris. Quomodo te audiri à Deo postulas, cum te ipse nõ audias? Vis Deum esse memorem tui cum rogas, cum tu ipse memor tui non sis? hoc est, ab hoste in totum non cauere: hoc est, quando oras Dominum, maiestatem Dei negligentia orationis offendere: hoc est, vigilare oculis & corde dormire: cum debeat Christianus, & cum*

Cant.5.2. Col.4.2. *dormit oculis corde vigilare: sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentis in Cantico canticorum. Ego dormio, & cor meum vigilat. Quapropter solicitè & cautè Apostolus admonet dicens. Instate orationi, vigilantes in ea, docens scilicet & ostẽdens eos impetrare quod postulant de Deo posse, quos Deus videat in oratione vigilare.*

Nazianz.de cura paup. V. REMED. Iugis præsentiæ diuinæ memoria, cum in aliis vitæ actionibus, tum maximè in tota oratione. Nam ita scribit GREGO. NAZIANZ. in oratione quadam. *Non tam sæpè respirare oportet, quam Dei meminisse. Deus enim perpetuo & continenter nobis bene facit, in esse conseruans, & necessaria ministrans. Nam si vel minimo momento à nobis oculos remoueret, in nihilum redigeremur, sicut imago nostri in speculo apparens in nihilum redigitur, quã primum nos loco mouemus; & sicut calor ab aqua recedit, quoties ab igne vel sole remouetur. Vt corpus*

Psal.35.6. Basil q.21.201.& 306. *animæ, rami arboris trunco, solares radij soli vniti, vt ab illis virtutẽ suã trahant, esse debent: ita mente semper Deo vniti esse deberemus. Accedite ad eum, ait Propheta, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Et S. BASILIVS in Regulis breuioribus, quæstione posita, quomodo quis assequi possit, ne inter orandum distrahatur? respondet. *Nimirum, si certo credat Deum se ante oculos habere. Si enim Principẽ aliquis, aut præsidem intuens, & cum eo loquẽs oculos ab eo dimouere non solet, quî non tandem credibilius est intentam mentem habiturum illũ qui*

Psal.7.10. 1.Tim.2. *Deo preces adhibeat in eũ, qui scrutatur corda & renes, & illud facturũ q. scriptũ est. Leuantes puras manus sine ira & disceptatione?* Ac rursũ post quæstionẽ positã, num fieri queat, vt nunquã quis mente distrahatur. Respõdet fieri posse. *Nimirũ si quis excellentẽ electi viri Dauid mentẽ induerit, q. de seipso loquẽs ait,*

Psal.15.8. Psal.24.15. Psal.122.2. *nũc quidẽ. Prouidebã Dominũ in cõspectu meo semper, quoniã à dextris est mihi, ne cõmouear. nũc verò, oculi mei semper ad Dominũ. Alias autẽ. Ecce sicut oculi seruorũ in manib. dominorũ suorũ: sicut oculi ancillæ manib. Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominũ Deũ nostrũ. Atq. vt minore exẽplo discamus quãto studio in rebus maioribus. vti conueniat, quisq. consideret, quomodo coram aliis etiã æqualib. omni in re studeat euitare.*

tare reprehensionem in statu, ambulatione, motuq́, cutuſq́, membri, etiam locutione. Tũ perpendat veram esse promissionẽ Filij Dei. Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum. Itemq́, Spiritum S. adesse moderatorẽ, donorumq́ distributorem. Similiter Angelos custodes vniuscuiusq́, secundũ quod dictũ est à Domino. Videte ne contemnatis vnũ de pusillis istis. Dico.n. vobis, quoniã Angeli eorum Matth. 18. 10. *vident faciem patris mei, qui in cœlis est, &c. Amplius, si illud etiam implere studeat.* Psal. 33. 2. *Benedicam Dominũ in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et illud. Meditabitur in lege Domini die ac nocte. Quo videlicet mens in perẽni meditatione voluntatũ* Psal. 1. 2. *Dei occupata ne quaquã spatium inueniat, quo ad futiles cogitationes possit aberrare.*

VI. REMED. Considera humani generis hostem nulli pietatis exercitio æquè infestum esse ac attentæ & deuotę precationi, vti passim annotarunt SS. Patres. B. CYPRIANVS loco ante citato ita loquitur. *Claudatur in oratione cõtra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei* Cypr. de orat. Dom. *tempore orationis adire patiatur: obrepit enim frequenter & penetrat, subtiliter fallens preces nostras à Deo auocat, vt aliud habeamus in corde, aliud in voce, cum intentione syncera Dominũ debeat nõ vocis sonus, sed animus & sensus orare.* B. EPHR. de panoplia spirituali. *Cũ quis in scientia orat, nec sinit euagari cogitationes suas, vehementer cõtristatur inimicus, veluti acerrimo spiculo in corde percussus, &c. Quod si, dũ oras, mens tua distrahatur, siue per oculos, siue per aures, siue per cogitationes, scito hoc ipsius inimici esse opus. Neq́, nimium etiam festines tuã implere orationem, cerum teipsum paululum coargue, rursusq́, animum collige, vt scias pro quibus Deũ postules, & cur ipsum ores, ne perperã superflua verba effundas. Illud enim Sathanæ opus est, vt cogitationẽ in infinita iaculetur, nec sinat hominem in ea persistere postulatione, quam impetrare contendit. Nouit quippe, quod si perseueret homo deprecans, exaudiet eum, qui fecit illum, etiamsi innumerabilia peccata commiserit.* Sic Io. CASSIAN. alicubi scripsit, *Orationib. maximè insidiari dæmones.* Multa huius rei exempla exstant in vitis eremitarum, vt S. Antonii, Hilarionis, & aliorum sanctorum. De Hilarione obiter inter orandum distracto ita scribit B. HIERONYMVS. *Orauit semel Hilarion fixo in terram capite, & vt natura fert hominum, abducta ab oratione mẽs nescio quid aliud cogitabat: insilit dorso eius festinus gladiator, & latera calcibus, ceruicem flagello verberans. Eia, inquit, cur dormitas? cachinnansque desuper, cum defecisset, an hordeum vellet accipere sciscitabatur?* De S. Dominico auctor vitæ apud Surium ita scribit. *Nocte quadam ante aram ad preces prostratum malus dæmon interturbare volens grandem lapidem è tecto Ecclesiæ deiecit, eoque impetu, vt tota Ecclesia eius casu circumsonaret. Vsque adeo autem capitieius propinquus fuit lapis, vt ruens capitium eius contingeret. Sed viro Dei nihil se penitus mouente hostis terribiliter eiulans abscessit.* B. ÆGIDIVS vnus è S. Francisci Seraphici primis sociis, (cui oranti infestissimus erat dæmon) rogatus cur dæmones plus aduersentur homini oranti, quam aliud pium opus exercenti, respondebat. *Si quis litem alicui intendat coram*

Hiero. in eius vita. Theod. l. 3. c. 12. Sur. in vita 23. April.

iudice, is cui lis infertur omni studio laborat, ne contra ipsum sententia feratur. Sic & dæmon facit, nam quando pius homo Deum orat pro sua aliorumue salute, litem intendit dæmoni, tanquam animarum prædoni.

VII. REMED. est, vt cuagationes inter precandum, siue incuria tua, siue astu dæmonis obrepentes illico repellas. *Nam sæpe*, inquit B. GREGO. *in ipso orationis sacrificio importunè se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere, vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus. Vnde Abraham, cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aues pertulit, quas studiosè, ne oblatum sacrificium raperent, abegit. Sic nos, cum in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni Spiritus, & peruersæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino vtiliter sperat.* 2. Si æquo crebriores tibi obrepere videantur, non ideo hastã abiicias & desperes, quia suauis & misericors est Dominus. *Desperandum est*, inquit AVGVSTINVS, *de genere humano? & dicendum iam ad damnationem pertinere omnẽ hominem, cui surrepserit aliqua cogitatio oranti & interruperit orationem ipsius? Si hoc dixerimus fratres, quæ spes remaneat, non video. Porrò quia est aliqua spes ad Deum, quia magna est eius misericordia, dicamus ei. Iucunda animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Et quomodo eam leuaui? quomodo potui, quomodo tu vires dedisti. Quomodo eam fugientem apprehendere valuit & excidit tibi? quia quotiescunq; ante me stetisti, puta Deum dicere, tanta vana & superflua cogitasti, & vix mihi fixã & stabilem orationem fudisti. Quia tu es Domine suauis ac mitis. Mitis es, tolerans me. Ex ægritudine defluo. cura & stabo. Confirma, & firmus ero.* 3. Nec abrumpe tempus orationi consuetæ præstitutum, etiam si distractionibus obruare, ne victoriam dæmoni cessisse videare. Vnde S. BASILIVS in sermone commonitorio. *Caue diligenter, ne cogitationi illi animi tui assentiare, quæ ab orationis canone nondum peracto auellere te studeat. Habent enim morem hunc dæmones, vt faciendæ orationis temporibus, per speciosam aliquam laudabilis causæ simulationem nobis auctores sint, vt ab ea nos subducamus, vt quam salutem afferre nobis intelligunt, ab ea nos probabiliter abducant.* Et in Constit. monast. *Quod si flagitiosarum cogitationum vis vehementior insurgat, ne sic quidem est deiiciendus animus, ne q; susceptа certamina ex dimidia parte confecta relinquenda, sed eo vsque obfirmatè perdurandum, quoad Deus perfecta nostra constantia gratia Spiritus sancti nobis affulgeat.*

Greg 16. mor. c. 20.

Gen. 15. 11.

Aug. in Psal. 85.

Psal. 85. 4.

Basil de abdic. rerum.

Id. c. 18.

VIDE V. *Acedia. Colloquia otiosa. Desolatio spiritualis. Familiaritas nimia. Illusiones spirituales. Indiscretio. Pigritia. Pusillanimitas. Tristitia. Tepiditas.*

EBRIE-

E

EBRIETAS

Remedia contra Ebrietatem.

PRIMVM Remedium. Considera quid Spiritus sanctus in S. scripturis in Ebrietatem dixerit. Primò enim monet vt eam fugiamus apud B. Lucam. *Attendite vobis, ne forte grauentur corpora vestra in crapula & ebrietate.* Luc. 21. 34. 2. denũtiat ea iram Dei prouocari. nam sic loquitur apud Isaiam. *Væ qui cõsurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsq; ad vesperam, vt vino æstuetis.* Isa. 5. 11. & 22. Et. *Væ qui potentes estis ab bibendum vinum, & viri fortes ad miscendã ebrietatem.* Tum apud Salomonẽ. *Cui væ, cuius patri væ, cui rixæ, cui foueæ, cui sine causa vulnera, cui suffosio oculorum nonne his qui commorantur in vino & studeut calicib. epotãdis?* Prou. 23. 29. 3. mentem abalienari, apud eundem. *Ne intuearis vinum, cum splẽduerit in vitro color eius, ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit vt coluber.* Ibid. v. 31. Et apud Prophetam Abãcuc. *Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius: repletus es ignominia pro gloria.* Ab. 2. 15. Atq; Isaiam. *Sacerdos & Propheta nescierũt præ ebrietate, absorpti sunt à vino.* Isa. 28. 7. Et Oseam. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Osc. 4. 11. 4. libidinem inflammari. Nam in Prouerbiis. *Luxuriosa,* inquit, *res vinum, & tumultuosa ebrietas.* Prou. 20. 1. Et in epist. ad Ephesios. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Eph. 5. 18. 5. ea iacturam fieri vitæ & fortunarum. Vt apud Ecclesiasticum. *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adiiciet vitam.* Eccli. 37. 34. Et. *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Eccli. 19. 1. & 31. Et. *Vinum multum potatum irritationem & iram, & ruinas multas facit.* 38. 6. amitti felicitatem æternam. Clarè enim Apostolus ad Galatas scribit. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, &c dissensiones, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Gal. 5. 21. Et ad Corinthios. *Nolite errare; neque fornicarij, neque fures, neque auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regnum Dei possidebunt.* 1. Cor. 6. 10.

II. REMED. Considera, quam acriter S. Patres eam insectati sint. S. BASILIVS homilia in Ebrietatem. *Ebrietas dæmon est volũtarius ex voluptate animis nostris inditus. ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortẽ virum reddit ignauum, ex temperante facit lasciuum, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit.* Bas. hom. 14.

Sicut enim aqua igni est aduersa, sic vinum immodicum rationi, &c. Quid quæso sunt
Amb.c.16. *ebrij aliud, quam gentium idola? Oculos habent, & non vident.* S. AMBROSIVS in libro de Elia & ieiunio. *Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentiuũ insaniæ, ebrietas venenum insipientiæ. Hæc sensus hominũ mutat & formas: per hãc fiunt ex hominib. equi adhinnientes, &c. Vocẽ amittunt, colore variantur, oculis igneſcunt,*
Ca.17. *ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardeſcunt, ſenſu excedunt.* Et infra. *Quid autem obteſtationes potentium loquar? quid memorem ſacramẽta quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro ſalute Imperatorum, & qui non biberit ſit reus in deuotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro eius ſalute nõ biberit. O pia deuotionis obſequium, &c. O ſtultitia hominum, qui ebrietatẽ ſacrificium putant, qui*
Hieron.l.3. comment. 1.Cor.6.10. Luc.21.34. *æſtimant illos ebrietate placere, qui ieiunio paſſiones ſuſtinere didicerũt.* S. HIERON. in cap. 5. in epiſt. ad Galat. *Quartumdecimum locum inter carnis opera ebrietas apud Apoſtolũ tenet. Ebrioſi quippe regnum Dei non poſſidebunt. Et* Dominus ad diſcipulos: *Cauete, ait, ne forte grauẽtur corda veſtra vino & crapula. Vino hominis ſenſus euertitur, pedes corruunt, mens vacillat, libido ſuccenditur, &c. Pulchrè quidam non ignobilis orator, cum ebriũ de ſomno deſcriberet excitatum, ait. Nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat. Qua ſententia expreſſit, quodam modo nec mortuum*
Chryſ. hom. 57. Luc.21.34. Luc.16. Id.hom.3 *eum fuiſſe, nec viuum.* B. CHRYSOST. ad populum Antioch. *Vbi ebrietas, ibi diabolus: vbi turpia verba, vbi ſaturitas, illic dæmones choreas agunt. Talem habebat menſam diues ille epulo, propterea ne quidem guttæ aquæ Dominus fuit.* Et iterum. *Ebrius demon eſt voluntarius, mortuus animatus, morbus veniam non habens, ruina excuſatione carens, cõmune generis noſtri opprobrium. Non enim in conuentibus tantum inutilis ebrius, aut in priuatis & publicis negotiis, ſed & ſolo aſpectu eſt omnium grauiſſimus, fœtores exhalãs teterrimos, eructationes & oſcitationes.* Et in Matthęũ hom. 58. *Quanto melior aſinus ebrioſo eſt, quanto canis præſtantior? Omnes certè beſtiæ, cum bibunt aut comedunt, vltra quam ſatis eſt non ſumunt, etiã ſi mille homi-*
Aug.ſerm.231. *nes cogerent.* D. AVGVSTIN. in ſermonibus de tempore. *Cum ebrietatis malum ſit graue vitium, & Deo odibile, ita per vniuerſum mundum à pluribus in cõſuetudinem miſſum eſt, vt iam nec putetur eſſe peccatum, &c. Et omnes ebrioſi tales ſunt, quales paludes eſſe videntur. Naſcuntur in illis ſanguiſugæ, ranæ, & diuerſa genera vermium, quæ magis horrorem poſſunt generare, quã aliquid, quod ad victum proficiat, exhibere.*
Serm.232. Et rurſus. *Qui credit ebrietatem paruum eſſe peccatum, ſi ſe non emendarit, & pro ipſa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis æterna*
Iſid.l.2.c.43. Iſa.5.22. *ſine remedio illum pœna cruciabit.* B. ISIDOR. de ſummo bono. *Plæriſq; laus eſt, multum bibere & non inebriari. Audiant hi aduerſum ſe dicentẽ Prophetam. Væ qui potẽtes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Ex Ethnicis inſtar omnium ſit SENECA ita ad Lucilium ſcribens. *Dic quam turpe ſit,*
en.ep.83. *plus ſibi ingerere, quam capiat, & ſtomachi ſui non eſſe menſuram: quam multa ebrij faciant, quibus ſobrij erubeſcant: nihil aliud eſſe ebrietatem, quam voluntariam inſaniam, &c. Omne vitium ebrietas & intendit, & detegit, obſtantẽ malis conatibus verecundiam*

recundiam remouet. Vbi possedit animũ nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Et paulo post. *Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes, bellicosasque hostibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit: hæc contumacissimos & iugum recusantes in alienũ egit arbitrium: hæc inuictos acie mero domuit.*

III. REMED. Considera exempla eorum, qui propter ebrietatem grauiter deliquerunt. Noë, licet perfectus in generationibus per ebrietatem nudatus est in tabernaculo suo. Loth, quem Sodoma non vicit vino inebriatus geminũ commisit incestum. Sampson repletus vino per meretricem hostibus traditus est. Holopherni quia plus quam vnquam alias biberat, caput à Iudith resectum est. Filii Iob dum vinum bibunt ruina domus oppressi sunt. Herodes inter pocula S. Ioannem Baptistam capite mulctari iussit. Diues epulo ob excessum in potu, ne guttulam quidem aquæ post hanc vitam, inquit, Chrysost. habere meruit. *Refer*, inquit Seneca loco citato, *Alexandri Macedonis exemplum, qui Clytum carissimũ sibi ac fidelissimũ inter epulas transfodit, & intellecto facinore mori voluit, certe debuit. &c. Quem tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas victa temporum locorumque difficultate transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria, tutũ dimiserunt, intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit.* B. AVGVSTINVS, vel quisquis est auctor sermonum ad fratres in eremo, pro concione dixit. *Accidit hodie terribilis casus, vt omnes audistis; propter quem ad Ecclesiam Hipponensem etiam fœminas & infantes congregari præcepi. Ecce præclarissmus ciuis noster, & feredilectus ab omnibus Cyrillus filium habebat, vt scitis, quem corrigere nolebat, & luxuriosè viuendo insumpsit partem bonorum suorum. Sed ecce hodie ebrietatẽ perpessus matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, & duas sorores vulnerauit ad mortem.* THOMAS Cantiprat. libro secundo Apũ ex relatione fratris ordinis Prædicatorum. *In Gallia erãt honesti*, inquit, *quidam viri in taberna & bibebãt; cumq; incaluissent merõ, inuectus est sermo quid futurum sit post hanc vitã. Tunc vnus, vanissime decipimur à clericis, qui dicunt animas sine corporibus viuere post ruinã. Hoc dicto omnibus in risum concitatis aduenit homo statura magnus & fortis, & residens cũ illis vinũ postulat, bibit, quæritque quis inter eos sit sermo. De animabus, inquit ille, qui supra. Si quis meam vellet emere, optimo pretio darem eam, & de pretio in communi ad bibendum omnibus. Tunc cachinnantibus omnibus, ille qui superuenerat. Talem, inquit, mercatorem quæro: paratus sum eam emere, dicito quanti dabis? Et ille elato vultu. Tanti inquit. Mox conuenientibus eis in pretio, soluit emptor statim pecuniam, & lætantibus omnibus, biberunt pleno calice, non curante quicquam illo, quod animam suam vendidisset. Vespere autem facto, tempus est, inquit emptor, vt quisque nostrum ad propriã reuertatur. Vos tamen antequam separemur ferte iudicium. Si quis equum emeret, capistri vinculo alligatum, nunquid cum equo in ius ementis cederet & capistrum?*

Cui:

Gen. 9. Gen. 19. Iudith 11. c. 6. Iob 1. Matth. 14. Luc. 16. Aug serm. 33. Thom. c. 56.

Cui omnes pariter respondérunt, vtique cederet. Nec mora, venditorem quæstionis & responsionis horrore trementem, emptor cum anima & corpore videntibus omnibus sursum eleuauit in aëra, & secum, vt certũ est, ad inferna pertraxit, diabolus enim erat in hominis specie.

IV. REMED. Abstine à conuiuiis, aliisq; conuenticulis, in quibus est potandi occasio, iuxta monitionem Sapientis. *Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum.* Habes exempla illustria duorum sanctorum, Ambrosii & Augustini, qui, vt scribit Possidius. *neq; in patria petiti ibant ad conuiuium, ne temperantiæ amitteretur modus.* Quod si commodè te ab omnibus sub ducere nõ potes, vel quia à principe viro inuitaris, vel à superioribus interesse iuberis, vide ne limites sobrietatis excedas, quos tibi excedere nunquã licet, etiamsi à Rege ad bibendum cogereris. Sic enim scribit B. AVGVSTINVS. *Solent ebriosi ita se excusare, vt dicant. Persona potẽs me coegit, vt amplius biham, & in conuiuio regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, & quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus. Etiamsi ad hoc veniretur, vt tibi diceretur. Aut bibas, aut morieris, melius erat, vt caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur. Sed excusatio ista falso obicitur. Ipsi enim reges, & quicunq; alij potentes, &c. si te viderent desinisse, vt eis non acquiescas pro timore Dei inebriari, si tibi sub hora videantur irasci, postea verò te in grandi admiratione suscipiunt dicentes. Quantis eum minis & terroribus fatigauimus, & tamen nunquam eum à sobrietate separare potuimus?* Et paulo post. *Ille qui ebriati resistit, si cum Dei adiutorio perseuerarit, & pro ipsa ille aliquas pertulerit tribulationes, omnia ei Dominus ad Martyrij gloriam reputabit.*

Prou. 23. 20.

Possid. in vita Aug.

Aug. serm. 232. de temp. Psal. 140.

V. REMED. In potu ne quære voluptatem, sed tantum vitæ sustentandæ, roborandarumque corporis virium necessitatem. Ea de causa Apostolus Timotheo suo aquæ potatori præcepit, vt modico vini vteretur ob frequentes eius infirmitates. Quem finem honestũ vel alium, si animo infixũ habueris facilè pretiosiora vina declinabis, quæ corpora grauare solent. Certè seruo Dei carnem cum concupiscẽtiis suis crucifigere conanti indignũ est in potu quærere oblectamentum; imo sanctum & iustum esset illi, optare, si fieri posset, citra vllum sensus gustum, naturali necessitati tantũ facere satis, vt hoc magis assimularetur Christo ab omnib. voluptatib. terrenis alienissimo, sanctisq; omnibus, qui tã longè abẽrant à studio venãdæ alicuius illecebræ in potu, vt data opera varios modos excogitarint esculentis poculentisq; omnẽ adimendi delectationem. Quam autem carnali homini durum, asperumúe sit hoc remedium prolixè declarauit B. Augustinus in Confessionum libris. *Quis est Domine, inquiens, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum.* Et rursus. *Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus*

1. Tim. 5.

Gal. 5. 24.

Medicina amara. Aug. l. 10. c. 31.

pturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est, & non est alius, quâ transeatur, quam quo transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi & bibendi, adiungit sese tanquam pedisequa periculosa iucunditas, & plerũq; præire conatur, vt eius causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo: nec idem modus vtriusq; est, nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpè incertum fit, vtrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere, quid satis sit moderationi valetudinis, vt obtentu salutis obumbret negotium voluptatis.

VI. REMED. & optimum est, ab omni vini vsu abstinere, quo innumerabiles sancti hactenus, quo longius ab Ebrietate abessent, vsi fuere. Sapiens inquit, *Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum transferrem ad Sapientiam, deuitaremq; stultitiam.* Spiritus sanctus certè laudat apud Ieremiam Rechabitas, quod vinũ vt parerent Ionadab patri suo, non biberint. Laudat & Danielem, quod vino, aqua sola cõtentus, cum sociis abstinuerit. Gabriel Archangelus inter admirandæ sanctitatis Ioannis Baptistæ indicia ponit, quod vinum, siceramue non sit bibiturus Eusebius in historia Ecclesiastica commemorat S. MARCVM Euangelistam primis fidelibus in Ecclesia Alexandrina degentibus inter cætera virtutum exercitia à vino abstinentiam commendasse. D. Augustinus libro primo de moribus Ecclesiæ, agens de Episcopis, sacerdotibus, diaconis & monachis in Ecclesia Dei suo æuo florẽtibus, eos laudat, quod à vino abstinuerint. S. HIERONYMVS in cœlum ferens Palestinæ monachos, scribit ne ægros quidem sibi vinum indulsisse: imò hortatur sponsas Christi, hoc est, sacras virgines, vt vinũ fugiant perinde ac venenum. *Si quid*, inquit, *in me potest esse consilij, si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, vt sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Hæc aduersus adolescentiam prima arma sunt dæmonum, non sic auaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio. Facile caremus aliis vitiis, hic hostis nobis inclusus est: quocunq; pergimus, nobiscum portamus inimicum. Vinum & adolescentia duplex est incendium voluptatis, quid oleum flammæ adicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus?* Neque mirere Hieronymum adolescentibus adimere vinum, cum & gentiles olim, vt Romani, teste Æliano, vsq; ad annum ætatis trigesimum, iis ademerint.

Luc. 1. 15.
Euseb. lib. 2. c. 7.
Aug. c. 30.
Hier. ad Eustoch. de Virgin. cp. 22.
Ælian. lib. 10. var. hist. c. 9.

VII. REMED. Quod si tibi vel non libet, vel non licet, aut expedit ad tantam aspirare perfectionem, vt omne vinum ableges cereuisia vel aqua contentus, reuoca saltem prauam nimium bibendi consuetudinem paulatim ad iustam moderationem, & si difficultas in ea peruincenda occurrat, diuinam opem cum eo qui dixit, *omnia possum in eo qui me*

Phil. 4. 13.

confortat, implora. Ita consuluit B. AVGVSTINVS in sermone 331. de tempore. *Qui sunt*, inquit, *ebriosi, cum Dei adiutorio de luto facis se excutiãt vel de cloaca ebrietatis, dum adhuc tempus pœnitendi est festinent, quanta possunt celeritate Deo auxiliante consurgere, & totis animæ viribus cum Propheta supplicantes Domino dicant. Eripe me de luto, vt non inhæream, &c. Sed hic ante omnia scire debemus, quia non vna die efficiũtur homines ebriosi, sed cum paulatim per singulos dies singulos sibi, aut binos calices ad potum consuetudinarium addunt. Sic qui se de hoc malo desiderat liberare, paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat. Qui enim per partes aliquid subducere voluerit, & de ebrietate liberabitur, & intolerabilem inferni pœnam non patietur.* Et in libris Confession. *Audio vocem iubentis Dei mei. Non grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Ebrietas longè est à me, miserereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam surrepit seruo tuo: miserereberis, vt longè fiat à me. Nemo enim esse potest continens, nisi tu des. Multa nobis orantibus tribuis, & quicquid boni, antequam oremus, accipimus, à te accipimus, & vt hoc postea cognosceremus, à te accipimus. Ebriosus nunquam fui, sed ebriosos à te sobrios factos ego noui. Ergo à te factum est, vt hoc non essent, qui nunquam fuerunt, à quo factum est, vt hoc non semper essent qui fuerunt: à quo etiam factum est, vt scirent vtrique, à quo factum est.* Ac tandem concludit. *Itaque freni gutturis temperata relaxatione & constrictione tenendi sunt.*

Psal. 68. 15.

Aug. lib. 10. c. 31. Luc. 21. 34.

Crapula est intemperantia venialis.

VIII. REMED. Caue, ne quenquam inducas ad inebriandum se, vel directè, hoc est, intendendo vt ille se inebriet, vel indirectè vt compellendo ad potum, quem verisimile est inebriandum; nam secundum D. Thomę, aliorumq; Doctorum sententiam non esses immunis à peccato mortali, eo quod cooperari malo, perinde sit atque malum perpetrare. Vnde B. AMBROSIVS, dum prolixè describit potatorum mores in libro de Elia & ieiunio. *Rogas*, inquit, *ad iucunditatem, cogis ad mortem.* Et S. AVGVSTINVS, in citatis sermonibus de Tempore. *Si & te*, ait, *& alium inebriaueris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum.* Et rursus. *Quicunq; me audire contempserit, & ad bibendum pronus fuerit, vel in conuiuio suo alios adiurare, vel cogere voluerit, pro se, & pro illis in die iudicij reus erit.* Et iterum. *Qui alterum cogit, vt se plus, quam opus est bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret gladio, quam animam eius per ebrietatem necaret.*

Amb. c. 15.

Aug. serm. 230. 231.

VIDE V. *Amor sui. Choreæ. Consuetudo praua. Gula. Immortificatio passionum. Luxuria. Societas praua. Voluptas carnalis.*

EXEM-

EXEMPLVM MALVM, VEL SCANDALVM.

Remedia contra exemplum malum.

I. REMED. Considera quid Spiritus sanctus de malo Exemplo in sacris litteris tradiderit. Primo enim monet, ne nostro exemplo cuiquam offendiculo simus, & occasionem præbeamus delinquendi. *Ne ponatis*, inquit Apostolus, *offendiculum fratri, vel scandalum.* Et. *Nemini dantes* Rom. 14. 13. *vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum.* 2. monet, ne atten- 2. Cor 6. 3. damus ad exemplum vulgi, vel multitudinis. *Non sequeris*, inquit in Exo- Exod. 23. 2. do Deus, *turbam ad faciendum malum: nec in iudicio, plurimorum acquiescoes sententiæ, vt à verò deuies.* 3. declarat, quam grauiter peccet, qui prauum exemplum aliis præbet. *Væ mundo*, inquit Christus apud Matthæum, *à scandalis, væ homini, per quem scandalũ venit. Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis* Matth. 18. 7. *minimis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Et B. Paulus. *Si propter cibum tuum frater tuus* Rom. 14. 15. *contristatur, iam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et. *noli propter escam destruere opus Dei.* Et rursus. *Pec-* Ibid. 20. *cantes in fratres, & percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis.* 1. Cor. 8. 12. 4. monet, vt ab eorum societate, qui scandalũ præbent, nos segregemus. *Si oculus tuus dexter*, ait Saluator, *scandalizat te, erue eum, & proiice abs te*; Matth. 5. 29. & *& si manus tua dextera scandalizat te, abscinde eam & proice abs te.* Vnde & Pe- 18. 9. tro, scandalum aliquod sermone suo aliis danti, respondit. *Vade post me* Matth. 16. 23. *Sathana, scandalum es mihi.*

II. REMED. Considera quid idem Spiritus sanctus tradiderit de exemplo bono. Primò enim generatim omnes hortatur, vt aliis bonum exemplum præbeant. vt in epist. ad Romanos. *Vnusquisq; vestrum proximo* Rom. 15. 2. *suo placeat in bonũ ad ædificationẽ.* Et ad Corinth *Christi bonus odor sumus Deo*, 2. Cor. 2. 15. *in iis qui saluifiunt.* Et ad Philip. *Sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine repre-* Phil. 2. 15. *hensione in medio nationis prauæ: inter quos lucetis, sicut luminaria in mũdo.* Et rur- Phil. 4. 5. sus. *modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Et in priore epistola B. Petri. 1. Pet. 2. 12. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* 2. speciatim aliorũ superiores. nam Christus apud Mat- Matth. 5. 14. 16 thæum ad Apostolos ait. *Vos estis lux mundi, sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* & Paulus ad Timotheum. *Exemplum esto fidelium in verbo, & conuersatione, in* 1. Tim. 4. 12. *caritate, in fide, in castitate, vt profectus tuus manifestus sit omnibus.* Et ad Titum.

Tit.2.7. *In omnibus præbe te exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate.* Ac B. Iacobus. Iac.3.13. *Quis Sapiens & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.* 3. docet exemplum Christi imitandum, & sanctorum. Ioan.13.15. *Exemplum dedi vobis*, ait Christus ipse cum lauisset Apostolorũ pedes, *vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* & S. Petrus. 1.Pet.2.21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Isaias Propheta. Isa.51.2. *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Matathias in libris Machabæorũ ad fortiter pro Dei legibus pugnandum commemorat exemplum Phinees. 1.Mach.2.26. Paulus ad Hebræos. Heb 13.7. *Mementote Præpositorũ vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fidem.* Et ad Corinthios. 1.Cor.11.1. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

Basil.q.64. III. REMED. Considera dicta SS. Patrum. B. BASILIVS in regulis breuior. *Sane scandalizat aliquis, quandocunq; dictis, factisue legẽ violat, & exemplo suo ad legis violationẽ inducit, vt serpens Euam, & Eua Adam. Vel quandocunq; prohibet exequi voluntatẽ Dei, vt Petrus Dominum, quando dixit. Absit à te Domine, non erit tibi hoc, cui tum dictum est. Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. Vel quando ædificat animũ imbecillis ad aliquid eorum, quæ vetita sunt, secundum quod scriptũ est ab Apostolo. Si quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nõne conscientia eius, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?* Matth.18.6. Et infra. *Si in iis quæ in potestate nostra sunt res adeo formidabilis est fratrem scandalizare: quid de iis dicendũ erit, qui rebus vetitis faciendis, loquendisue scandalizant, maximè quando vel scientia maiore præditus videtur, vel in gradu aliquo censetur sacro, vt cæteris tanquã regula, exemplarue propositus esse debeat?* Naz. in Apol. 1. pro fuga. GREG. NAZIANZ. in Apologetico. *Præclarè cum eo agitur, qui nec peccando, nec suspicione laborando quamdiu fieri potest, ac ratio finit, offensionis, scandaliquæ materiam multitudini præbet: quippe cum iis etiam, qui vnum ex pusillis offenderint, quã certa, quam q; atrox & acerba ab eo, qui mentiri nescit, pœna constituta sit, non ignoremus.* Matth.18.6. Et oratione in laudem Basilii sub finem, eum tanquam *communem virtutis tabulã & exemplum omnibus Ecclesiis & hominibus proponit, in quod intuentes velut in viuam quandam legem, vitam suã dirigant.* Isa.51.2. Similiter GREG. NYSSENVS in enarratione vitæ Moseos. *Per Prophetam*, inquit, *Isaiam, diuina vox clamat. Attendite ad Abraham patrem vestrum: vt quemadmodum qui vi ventorum à recta nauigationis via in pelagus exacti sunt si ad ignem, vel cacumen montis respexerint, facile se ab errore in tutum reducunt: sic quicũq; huius vitæ fluctibus oppressi à virtute aberrant, exemplo Abrahæ quasi gubernaculo ad diuinæ voluntatis portum reuocantur.* Et paulo post. *Idcirco enim credendum est præstantissimorũ virorum vitas exquisitissimè descriptas, vt vita nostra imitatione ad virtutem rectius deducatur.* Hier. ep. 1. HIERON. in ep. ad Gerontiam, de monogamia. *Fuge personas, in quibus potest malæ conuersationis esse suspicio: neo*

paratum habeas illud à trivio. Sufficit mihi conſciẽtia mea, nõ curo, quid de me loquãtur homines. Et certè Apoſtolus prouidebat bona, non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, ne per illum nomen Dei blaſphemaretur in gentibus. Habebat vtique poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſed nolebat ſe iudicari ab infideli conſcientia, &c. Si ſcandalizat, inquit, eſca fratrem, in æternum carnem non mauducabo. Rom. 12. 17.

AVGVSTINVS in ſermonibus de tempore. *Nemo ſe circumueniat, fratres cariſſimi, nullus homo ſibi ſolum modo viuat, &, ſicut frequenter ſuggeſſi, quanto ſunque aliquis exemplo ſanctæ vitæ ædificauerit, cum tantis & pro tãtis mercedem retributionis beatæ vitæ accipiet: & quantiſcunque exemplũ malæ conuerſationis, etiamſi eum illi non ſequantur, præbuit, pro tantis ſe malis rationem nouerit redditurum.* 1. Cor. 8. 13. Aug. ſerm.

S. LEO. I. in ſermone de S. Laurentio. *Facilis ad exhortandum ſit ratio, efficax ad ſuadendum. validiora tamen ſunt exempla, quam verba, & plenius eſt opere docere, quam voce.* Eodem ſpectat quod non ſemel B. GREGORIVS docet plus exempla mouere, quam verba: & ad amorem patriæ cœleſtis, quoſdam incitari magis exemplis, quam prædicamentis. Et B. BERNARDVS. *Sermo viuus & efficax exemplum eſt operis, facile perſuadens quod intendimus, dum factibile eſſe probat quod ſuademus.* G. hom 38. in Euang. & in proem. 1. dial. Bern. ſerm. 2. de reſurr.

IV. REMED. Conſidera, quid doctiſſimi Ethnicorum de vi & efficacia exemplorum ſcripſerint. *Duo illa*, inquit Cicero, *nos maximè mouent, ſimilitudo & exemplum.* Et alibi. *Quod exemplo ſit, id etiã iure fieri putant homines.* Et SENECA ad Lucilium. *Longum itar eſt per præcepta, breue & efficax per exempla. Zenonem Clearthes nõ expreſſiſſet. ſi eum tãtum modo audiſſet. Vitæ eius interfuit, ſecreta perſpexit, obſeruauit illum, an ex formula ſua viueret. Plato & Ariſtoteles, & omnis in diuerſum itura ſapientum turba plus ex moribus, quam ex verbis Socratis traxit.* Idem epiſt. 11. docet animo fingendum talem magiſtrum virtute præſtantem, ſi re ipſa deſit, coram quo viuamus. ARISTIDES apud Platonem in Theage ſub finem ſic loquitur. *Ego, ô Socrates nihil vnquam à te didici, vt & ipſe noſti. proficiebam autem, quoties tecum vna eram, etiam ſi tantum vna in domo eſſemus, quanquam non in eodem cubiculo: magis tamen, ſi quando in eodem etiam cubiculo. Et tum quoque magis, ſi in te dicentem intuerer, quàm ſi oculos vllam in partem dirigerem: multò autem maximè ac plurimum proficiebam, ſi quando proximè te ſederem, & hærerem tibi.* Cur autem plus exemplis quam verbis & doctrinæ credatur, cauſam reddit loco citato Seneca, quia *homines plus oculis credunt quam auribus.* Cum quo conuenit illud Horatianum, *Segnius irritant animos immiſſa per aures, quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.* Ariſtoteles verò: quia quiſque procliuior eſt ad eligendum bonum in particulari, quam in vniuerſali, licet hoc illo ſit diuinius. Nam quod opere & exemplo oſtenditur, videtur ab operante electum. Vnde B. Ioannes, *Non diligamus*, inquit, *lingua, neque verbo, ſed opere & veritate.* Et B. LVCAS ſcripſit Chriſtum prius cœpiſſe facere, deinde docere. Cic. lib. 3 de oratore & ep. 4. ad Seru. Sulp. Sen. ep. 6. Horat. de arte poet. Ariſt. 10 Eth c. 1. 1. Ioan. 3. 18. Act. 1. 1.

V. REMED. Considera, quantus fructus vel ex vnius hominis pii & sancti exemplo sit consecutus. Nam imprimis ex vnius Christi Saluatoris exemplo consecuta est Apostolorum, discipulorumq; Christi, ac per eos & successores eorum totius orbis vsq; ad nostram ætatem conuersio. Idcirco enim iuxta SS. Patrum doctrinam Christus, cum esset filius Dei naturam humanã assumpsit, factus similis nobis homo, vt hoc visibili exemplo omnes ad veram virtutẽ informaremur. *Ideo,* inquit B. BASILIVS in constit. monastic. *naturam humanam suscepit, vt in se velut in tabula quadam veram nobis pietatem depingeret, eamq; omnibus ante oculos statutam pro viribus imitandam, ceu archetypum proponeret. Nec enim alia de causa corpus nostrum gessit, nisi vt quoad fieri posset, ad imitanda vitæ ipsius studia conformemus.* Deinde notum est quot millia hominum ex vnius B. ANTONII, BASILII, HIERONYMI, AVGVSTINI, BENEDICTI, ROMVALDI, BRVNONIS, BERNARDI, DOMINICI, FRANCISCI, IGNATII, & aliorum exemplo commoti sint ad vitam religiosam eremiticam vel cœnobiticam ducendam: Quam multi vnius sæpè martyris in perferendis tormentis constantia, ad fidem Christi complectendam, sanguinem etiam pro ea profundendum sint pellecti. Quanto numero etiam hoc seculo ad sodalitatem B. Virginis, aliasq; piè institutas omnis ætatis homines se certatim, ob præclara pietatis exempla quæ in sodalibus cernunt, se adiungant. Quam pauci denicq; ad veteres religiosorum cætus, in quibus vetera sanctitatis exempla defecerunt, se aggregare soleant. AVGVSTINVS sanè disertè fatetur in octauo Confessionum libro se conuersione Victorini doctissimi senis, & omnium liberalium doctrinarum peritissimi, quam illi narrauerat Simplicianus, ad suam conuersionem permotum. *Vbi,* inquit, *homo tuus Simplicianus de Victorino isto narrauit, exarsi ad imitandum. Ad hoc enim & ille narrauerat.* Et cum postea graui lucta carnis & Spiritus excruciaretur, dubitaretque num castitatem seruare posset, rursus exemplorum præsidio hanc tentationem discussit. *Aperiebatur,* inquiens, *ab ea parte qua intenderam faciem casta dignitas continentiæ, serena & non dissolutè hilaris, honestè blandiens, vt venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ & Virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fecunda mater filiorum. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret. Tu non poteris, quod isti, & istæ? An verò isti, & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Proiice te in eum, noli metuere, ne se subtrahat, vt cadas. Proiice te securus: excipiet te, & saluabit te.* Huius generis exempla passim exstant quamplurima.

Basil. c. 3.

Aug. c. 2. & 5.

Ib. c. 11.

VI. REMED. Crebro peruolue Sanctorum historias; è quibus ampla tibi suppeditabit optimorum exemplorum seges. idque facies plurimorum

morum sanctorum exemplo, maximè B. Antonii, Dominici, Thomæ Aquinatis, Brigittæ, aliorumq; qui vt habes in eorum vitis apud Surium, & ipsi eas lectitabant, & aliis earum lectionem commendabant. Deinde & totius Ecclesiæ Catholicæ, in qua vsus iam olim increbuit Martyrologiũ legendi in anniuersario cuiusq; sancti die, & nunc obtinet vitam præcipuorum quorumque sanctorum recensendi in officio diuino vel Breuiario. Eodem spectant sanctorum festa, in quibus res à sanctis gestæ non solum decantantur, sed etiam pro concione exponuntur, *ad excitandam*, vt loquitur B. AVGVSTINVS in libris contra Faustum, *eorum imitationem*. Et publica Calendaria nominibus sanctorum in singulos dies æquè apud hæreticos atque Catholicos signata. Adhæc imagines & statuæ in templis, & alibi, res à sanctis gestas exprimentes. Tum sanctorum certorum patrocinia, à quolibet pro arbitrio delectorum, & menstruæ eorundem in sodalitatibus quibusdam sorte facta electiones. Hæc enim nulla alia de causa excogitata sunt, vel inducta in mores, quam vt tam crebra commemoratione eorum, ad consectandam eorundem vitam, & pietatem magis magisque accenderemur. Quantus autem profectus vel ex sola priuata lectione vitæ sancti existere possit duobus tantum exemplis, vt cætera omittam, doceri potes. Vnum habes in Augustino ex relatione Potitiani de duobus Imperatoris aulicis, qui cum extra vrbem Treuirorum forte incidissent in casam quandam eremiticam, ibique codicem, in quo scripta erat vita S. Antonii Ægyptii, perlegissent, sic amboaccensi sunt sectandæ illius vitæ religiosæ desiderio, vt relicta militia seculari se extemplo diuino seruitio consecrarint. *Et ambo*, inquit Augustinus, *habebant sponsas. Quæ posteaquam hoc audierunt, dicauerunt etiam ipsæ virginitatem Deo.* Alterum est B. P. N. IGNATII Societatis IESV fundatoris, qui, vt prolixè in eius vita refert Petrus Ribadineira, cum militiæ seculari item deditus, lectoque ob læsum grauiter pedem affixus codicem sibi aliquem porrigi, fallendi temporis ergo, postulasset, nec alius ad manum esset, nisi qui vitam CHRISTI & sanctorum contineret, lectione illa sensim ita immutatus est, vt abiectis armis, mundoque contempto totum se diuino cultui manciparit, ac tandem viros doctissimos propositi sui sectatores sibi adiunxerit, ac religionem Societatis Iesu iam toto orbe sparsam, à sede Apostolica sæpè approbatam, condiderit.

Aug. lib. 20. c. 21.

Lib. 8. confess. c. 6.

Rib. lib. 1. c. 2.

VII. REMED. Vnius pluriumue virtute & doctrina præstantium vitam moresque tibi imitandos propone, sicut Philosophi illi veteres vitam Socratis. Sic enim monet Spiritus sanctus per Sapientẽ. *Cum Sapientibus, inquiens, & prudentibus tracta.* Et. *Cum viro sancto assiduus esto, quemcunq; cognoueris obseruantem timorẽ Dei, huius anima est secundum animã tuam.* Deinde

Eccli. 9. & 37.

S. Patres-

Amb.c.43. S. Patres, AMBROSIVS libro primo de officiis. *Sequatur conuersationis electio, vt adiungamur probatissimis quibusq; senioribus. Namq; vt æqualiũ vsus ductior, ita senum tutior est, qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentium, & velut murice probitatis inficit. Namq; si hi qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt, quanto magis adolescentes cum senibus debent nouũ sibi iter vitæ aggredi, quo minus errare possint, & à vero tramite virtutis deflectere.* HIERONYMVS ad Lætam, de institut. filiæ. *Proponatur ei (Lætæ) probæ fidei ac morum, & pudicitiæ virgo veterana, quæ illam doceat, & assuescat exẽplo ad orationes & Psalmos nocte consurgere, mane hymnos canere: tertia, sexta, nona hora stare in acie quasi bellatricem Christi.* IOAN. CASSIAN. libro quarto de institutis monast. *Considera te de paucis & electis effectum, & ne exemplo ac tepore multitudinis refrigescas, sed viue vt pauci, vt cum paucis inuenire merearis in regno Dei. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Et infra. *Exempla tibi sunt imitationis, ac vitæ perfectæ in congregatione commoranti à paucis, imò ab vno vel duobus, nõ à pluribus expetenda.* Hoc antidotum, quam salutare sit, multi sanctissimi viri exemplo suo declararunt. ac in primis S. ANTON. quem scribit B. ATHANAS. adhuc tyronem, monachorum, qui tum nondum in solitudines se abdiderant, sed in villis extra vrbem commorabantur obiisse cellas, obseruasseque sedulo singulorum virtutes & mores, vt eos imitari posset; idemque postea sectatoribus suis præscripsisse auctor est CASSIAN. libro 5. institut. monast. *Vetus est,* inquit, *beati Antonij, admirabilisque sententia monachum spiritualia mella condere cupientem, velut apem prudentissimam debere vnamquamq; virtutem ab his, qui eam familiarius possident deflorare, & in sui pectoris vase recondere. Cũctas namq; si ab vno volumus mutuari, aut difficile, aut certe nunquam idonea ad imitandum nobis exempla poterunt reperiri.* Quæ sententia licet videatur pugnare cum superiore eiusdẽ Cassiani dicentis *à pluribus non esse expetenda exempla*, non tamen pugnat, quia etsi à pluribus flosculũ aliquem virtutis decerpere possent, non tamen debebant, nisi vnum aliquẽ aut duos tanquã spiritualis vitę duces & magistros sectari. S BERNARD. ad fratres de monte Dei. *Elige tibi,* inquit, *tu ipse hominem consilio meo, cuius vitæ exẽplar sic cordi tuo insederit, reuerentia inhæserit, vt quoties eius recordatus fueris ad reuerentiã cogitati assurgas, & temetipsum ordines & componas, qui cogitatus, ac si præsens sit, in affectu mutuæ caritatis emendet in te omnia emendanda, & tamen nullum patiatur damnũ secreti sui solitudo tua. Hic præsens tibi adsit, quandocunque volueris: occurrat sæpe & cum nolueris. Increpationes eius describe tibi, &c.*

Hier. ep. 7.

Cass. lib. 4. c. 38. & 40.

Athan. in eius vita.

Cass. l. 5. c. 4.

P. Blesensis Bathon. archid. ADDE aliud exemplum PETRI BLESENSIS qui ante annos 400. in Ecclesia Dei floruit. Is in inuectiua aduersus obtrectatorem sic scribit. *Diu à retroactis temporibus aliquem tui ordinis* (Cistertiensis) *virum semper mecum habui, meæ conuersationis testem, meique corporis & animæ Angelum & custodem. Vnũ tamen elegi, & prælegi mihi dilectum Deo & hominibus, quem iudicio meo lõge differen-*

differentiis multis quædam præeminentia probatissimæ religionis illustrat, &c. Ipse procul dubio amicus Dei est, canonicæ institutionis serenissimus æmulator, suæ carnis crudelissimus aduersarius, &c. Memoriam eius posui tanquam signaculum super cor meum, cuius humilitatem, maturitatem, prudentiam, constantiam, & vt includam multa paucis, incomparabilem honestatem in interioribus meis iugi recordatione circumfero quantumcunque permittit conuersatio secularis ad exemplar illius quasi ad sigilli spiritualis imaginem me consigno.

VIDE V. *Consuetudo praua. Familiaritas nimia. Linguæ abusus. Societas praua.*

F

FAMILIARITAS NIMIA.

Remedia contra eandem.

PRIMVM Remedium. Considera familiaritatem nimiam inter ea vitia numerari, quæ speciem quandam virtutum mentiuntur, & idcirco non facile eam à virtute caritatis, vel amicitiæ posse discerni. De quo genere vitiorum sic scripsit aduersus Pelagianos HIERONYMVS. *Vicina sunt vitia virtutibus, vt si paululum declinaueris, aut errandum tibi sit, aut in præceps cadendum. Quantum inter se distant, pertinacia & perseuerantia, parsimonia & frugalitas, liberalitas & profusio, prudentia & calliditas, fortitudo & temeritas, cautela & timiditas, quorum alia ad bona, alia referuntur ad mala?* Quæ causa forte est, vt nullus ex priscis Patribus, extra S. BASILIVM in diiudicandis humanis affectibus verè lynceum, huius vitii meminisse videatur. Sed nec recentiores Scriptores, nisi paucis verbis, hunc morbum attigerunt. Hier. lib. 3.

II. REMED. Considera sedulo omnia quæ à BASILIO de hoc morbo prodita sunt. Sic enim in sermone de institutione monachorum scribit. *In communi contubernio neutiquam patitur charitatis lex aliquas coiri seorsum, aut amicitias, aut sodalitates. Siquidem nullo modo fieri potest, quin affectiones istæ, quæ in hanc magis, quàm in illam propendent partem plurimum incommodent communi omnium concordiæ. Quare æqualiter se diligere inter se omnes debent: idemq; ergo* Bas. serm. 1.

vniuersum fratrum cœtum charitatis tenendus est modus. Quod si quis inuentus fuerit qui maiore quadam animi propensione monachum fratrem, vel propinquum, vel alium quemuis quauis de causa videatur diligere, hunc castigare oportet vt iniurium publicæ charitati. Siquidem in eo quod quis aliquem plus diligit, facile indicat reliquos se in amore inferiores habere. Rursum in Constitut. monasticis. *Caritatem quidem mutuam habere inter se fratres debent, non ita tamen, vt duo tresue seorsum à cæteris sodalitatem inter se coeant, quandoquidem hoc non caritas est, sed seditio & diuisio, & eorum qui sic coeunt improbitatis indicium. Si enim communis disciplinæ decus carum haberent, qui tales sunt, sine dubio communem, æqualemque erga omnes caritatem tenerent. Si verò ipsi à reliquis sua sponte disiuncti in cœtus cœtum efficiant, vitiosa huiusmodi amicitiæ conciliatio est, & diuersam quandam à communibus institutis rem esse oportet, quæ hos inter ipsos conciliet: atque hoc profecto nihil est aliud, quam contra veterem disciplinæ stabilitatem innouatio.* Et paulo post. *Quod si firmatam quis iam vetustate disciplinam labefactare in animo habeat, ac alios etiam de fratribus secum comites trahat, hic primo quidem ab eo qui sanus sit secreto admoneri tanquam parum sanus debet. Sin secreto curari noluerit, adhibendi erunt etiam fratres aliis intelligentiores, vt est in sacro Euangelio, &c.*

Ibid. c. 30.

Matth. 18. 16.

III. REMED. Considera, in quanta pericula hæc familiaritas, licet initia habeat Spiritualia, sæpè hominem coniiciat. vt verè dici possit de eo illud Sapientis. *Est via quæ videtur homini iusta: nouissima autem eius deducunt ad mortem.* Et illud Apostoli. *Sic stulti estis, vt cum Spiritu cœperitis carne consumemini?* De hoc periculo non tacuit BASILIVS: nam in sermone de abdicatione rerum. *Iuuenis,* inquit, *siue ætate, siue animo fueris, æqualium tuorum consuetudinem defugito: ab illisque te non secus, atque ab ardentissima flamma procul abducito: quandoquidem illorum opera vsus aduersarius plerosque olim incendio dedit, & sempiterno igni cremandos addixit, ac spiritualis videlicet primo caritatis vana quadam specie illectos in teterrimam postea Pentapolitarum voraginem præcipites deturbauit.* & B. LAVRENTIVS Iustinianus in libro de disciplina & perfectione monasticæ conuersationis. *O quot sub specie caritatis seducuntur, & seducunt? O quanti simulata pereunt dilectione? Heu quam multi in principio purè & sine deceptione conuersantes ex nimia familiaritate paulatim infecti in immane præcipitium dilapsi sunt: eo miserabilius, quo fœdius? Sub veræ caritatis namque prætextu in tales subintrat amor sensualitatis, &c. Sicut amat Venus singulariter, ita & amari vult, atque cæco seductus errore ignorat se vesano amore percussum. Passione namque victus ducitur inuitus & tyrannicè superatus ad opera carnis, quadam, vt sic dicam, necessitate abstractus & illectus, ac intentione quadam latenter palliata & polita seductus, vt suum valeat assequi appetitum, Patrum ordinationes frangit, monasterij institutiones non obseruat, &c. De verbis, de actibus mutuis, de cogitationibus obscœnis tacendum est, quæ sub colore caritatis omnia ex inordinata paulatim familiaritate generantur. De talibus dicit Apostolus. Videte ne cui*

Prou. 14. 12. Gal. 5. 3.

BASIL.

B. Iustinian. cap. 12.

Spiritu

Spiritu cœperitis, carne consummemini. Proinde interdicenda est assidua & priuata conuersatio in Collegiis seruorum Christi. Gal.3.

Solent quidam respondere, se ita per Dei gratiam esse in Spiritu fundatos, vt non pertimescendum sit lapsus periculum. Sed audiant illi quid in libro *de singularitate Clericorum* obiiciat Cyprianvs. *Nimium*, inquit, *præceps est, qui transire contendit, vbi alium conspexit cecidisse, & vehementer infrænis est, cui non incutitur timor alio pereunte.* Cyprian. Et paulo post. *Vtilius est, vt infirmum se homo cognoscat, vt fortis existat, quam fortis videri velit, & infirmus emergat. De qua re præsumptores obiurgat Apostolus dicens. Si quis putat se aliquid esse, cum nihil sit, seipsum implanat.* Gal.6.3. *Ille autem tutius sibi consulit, qui circa malos semper infidus species quascunque noxias extimescit.*

IV. Remed. Esto nullum impendeat tale periculum, tamen cauerinon potest, quin nimia familiaritas occasionem det multis obloquiis, suspicionibus, scandalis, odiis & auersionibus, vt obseruauit idem Basilivs agens de institutione monachorum. *Quoniam æquali*, inquit, *inter se vicissim caritate complecti omnes debent, iustitia violatur, quoties in communi conuentu priuatæ aliquæ coitiones reperiuntur. Qui enim vnum magis quam cæteros diligit, is quod non perfectè cæteros diligat de seipso indicio est. Quocirca ex conuentu reiiciendus est amor iste singularis, ex quo suspiciones, inuidiæque oriuntur. Vbiq; enim æqualitatis defraudatio inuidiæ, odiiq; materia existit. Quare etiam præceptū à Domino nobis est, vt imitemur bonitatem illius, qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* Basil.serm.2. Matth.5.45. Et B. Ivstin. loco citato. *Interdicenda est priuata conuersatio in Collegiis seruorum Christi: quæ quanquam in nullo alio reprehensibilis sit, sine proximorum tamen scandalo fieri nequit.* Et infra. *Nam solent in conuersationibus familiaribus, nimium quæ assiduis, nisi cautè agantur, intermisceri vaniloquia, scurrilitates, detractiones & effrænati risus, per quæ mens distrahitur, compunctio dissoluitur, gratia subtrahitur, proximus malè ædificatur.* Quoniã verò aliquis excipere possit, sibi curæ nó esse, quid alii suspicentur, modo salua maneat conscientia; saltem curet ne aliis sit scandalo. *Væ homini*, inquit Christus, *per quem scandalum venit. Prouidentes bona*, ait Apostolus, *non tantum coram Deo, sed etiã coram hominibus.* Et. *Non quæ sua sunt singuli considerantes sed quæ aliorum.* Et. *Eiotæ sine offensione Iudæis & Græcis & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo.* Matth.18.7. Rom.12.17. Phil.2.4. 1.Cor.10.33. Sic exceptionem repellit B. Cyprian. libro nuper allegato, & addit. *Non iuuenibus tantum, sed & senibus congruit fratrum imbecillitati consulere, ne senectus perire prouocet iuuentutem, ex qua debent omnia salutaria documenta procedere, sicut Eleazarus in libro Machabæorũ profitetur & dicit. Præmitti malo in infernum, quã patrias leges deserere, non enim ætatem nostram dignum est fingere, vt multi adolescentiũ arbitrati Eleazarũ nonaginta annorum transisse ad vitã alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum, & corruptibile tempus vitæ per me seducantur, & odium ac maculam senectuti meæ acquiram.* 2.Mach.6.23.

Deinde non modo homini pio curæ esse debet vt salua sit conscientia, sed etiam vt fama, quemadmodum fuit Eleazaro. Quocirca hic addidit Cyprianus. *Suspicioſis tamen malam porrigit famam, & pudicitiæ bonum frustra intrinsecus laborioso agone custodit, quod forinsecus efficit infamari destruens magisterium Pauli prouidentis pariter & monentis. Vt quid, inquit, libertas mea iudicatur ab infideli conscientia?*

1.Cor.10.29.

V. Remed. Simulatq; ergo deprehendes ex familiaritate tua oriri suspiciones, offendicula, & obtrectationes in animis quorundam, illico inchoatam familiaritatem dissue, vel etiam rumpe, exemplo eorum de quibus scribit Climacvs agens de discretione. *Vidi, inquit, iuuenes se inuicem castissimo amore, ac secundũ Deum diligentes, qui tamen dum aliorũ conscientiam inde lædi conspicerent, conuenit inter eos, vt se ab inuicem ad tempus elongarent.* Neq; ille discessus imminuit mutuam eorũ dilectionem, sed potius auxit, quia maculam, qua obfuscari cœperat, sustulit. *Hi pro certo,* inquit B. Cyprianvs agens de cõiugibus post votum perpetuæ castitatis segregatis, *sese inseparabiliter diligunt, qui vt triumphos sibi inferant, à seipsis discedunt.* Imò consultum est eandem familiaritatem, antequam oriantur eiusmodi suspiciones, vel scandala, præscindere, vti prudens magister. S. Elizabeth regis Hungariæ filiæ, & Lantgrauii Thuringiæ coniugis quondã fecit. Nã in vita eius Iacobus Montanus ita scribit. *Cernens prudens magister eius Conradus toto illam nisu per pietatis opera ad celsitudinẽ sanctæ perfectionis contendere, curandum magnopere putauit, ne quid huic intentioni, vel abesset vtile, vel adesset inutile. Proinde expendens quanto sit impedimento spirituali vitæ priuata erga familiares & amicos affectio duas illi comites Isintrudem & Gutam, quarum præter cæteras singulari tenebatur amore, quam primum ademit. Teſtes sunt lacrymæ vtrinque profusæ, quid & caritatis habuerint iunctæ, & doloris senserint separatæ, &c. Ergo geminæ familiaritatis destituta solatio, & quidem gratissimo, velut aggeris obiectu præpeditum vndiq; flumen altius excrescit, discitq; supernè deposcere, quicquid minus infra consequi permittebatur.* Cum quo consentit rursum illud consilium B. Cypriani. *Præoccupandus est aditus cunctis insidiis, ne hostilitas prior obrepens occurrat improuidis. Salutare remedium est præuenire potius, quàm præueniri, & anticipare potius, quam anticipari: viribus fortibus congruit. Vbicunq; fuerit prouidentia, frustrantur vniuersa contraria. Vbi autem prouidentia negligitur, omnia contraria dominantur.* Et illud Hieronymi ad Nepotianum. *Caueto omnes suspiciones, & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita.*

Apud Sur. Nou. 19. c. 21.

Ibid.

VI. Remed. Considera quæ sint nimiæ familiaritatis indicia, hoc est, quibus notis cognoscatur familiaritatem spiritualem trãsiisse in carnalem vel sensualem, vt tanto citius caueri queat. B. Bonaventvra in Tractatu de processu religionis assignat septem. Primũ est, si familiares crebra vsurpent colloquia de rebus vanis & futilibus de aliorũ defectibus;

Bon. processu. c. 16.

fectibus; si profusi inter eos risus & obmurmurationes contra superiores. 2. si perueniant ad contactum manuum, cæterarumque corporis partium, luctas, oscula, amplexus. 3. Si munuscula vtrinque impertiant crebrius. De quo HIERONYMVS ad Nepotianum, de vita Clericorum. *Crebra*, inquit, *munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicitas, ac degustatos cibos blandasque & dulces litterulas, sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delicias & lepores, & risu dignas vrbanitates, & ceteras ineptias amatorum in comœdiis erubescimus, in seculi hominibus detestamur, quanto magis in monachis & clericis.* 4. si ægrè à sese mutuo, & non sine lacrymis diuellantur: diuulsi autem ita nonnunquam ex absentis amici recordatione mœreant, vt deuotioni suæ vacare non possint. 5, si molestè ferant alios venari suorum carorum amicitiam, & inuideant eam assecutis. 6. Si in mutuis offensis grauius exacerbentur, & difficilius reconcilientur, dicentes. Nunquam hoc vel illud ab eo expectassem. 7. si suos lapsus grauiores, ipsi inter se non corrigant, & ad alios delatos, vel defendant, vel extenuent. Hier. ep. 2.

VII. REMED. Considera, quam infirma sint eorũ præsidia, qui adduci non possunt, vt dictas familiaritates dissoluant. Alii enim obtendunt natura se procliues ad consuetudinem paucorum. Quibus iam olim respõdit B. BASIL. locis supra citatis. *Qui*, inquit, *in rebus huiusmodi naturam sequitur, is planè declarat seipsum nondũ ex toto à naturali defecisse affectu, sed adhuc regi carnis imperio.* Et rectè, nam natura etiã propendemus ad otiũ, aliaq; multa vitia, & tamen nemo docet in iis obsequendum naturæ, vel carni, sed pugnandum esse contra illam. Alii obtendunt intentionem, scopumq; bonum, quẽ sibi habeant propositum, in singulari illa familiaritate, nempe vt piis colloquiis alios ad meliorem frugem perducant. Verum alii non ex intentione quam nõ vident, sed ex externa conuersatione, quam vident colligunt, intentionem bonam esse non posse. Alii excipiunt se nihil vnquam mali cum eiusmodi familiaribus vel agere vel egisse. At Apostolus hortatur nos vt ab omni specie mali abstineamus. Magna autem species mali est in ea re, quæ tot gignit suspiciones, scandala, dissensiones, obloquia. imò magnum verè malum est, quod tollit boni nominis existimationem. *Melius enim est*, teste Sapiente, *nomen bonum quam diuitiæ multæ.* & Poeta. *Omnia si perdas, famam seruare memento.* Baſ. ep. 2. monaſt. inſtit. 1. Theſſ. 5. 22. Prou. 22. 1.

VIDE V. *Adulatio. Amor sui. Colloquia otiosa. Consuetudo praua. Curiositas. Detractio. Hypocrisis. Immodestia. Immortificatio passionum. Inconstantia. Indiscretio. Inobedientia. Iudicium proprium. Linguæ abusus. Murmuratio. Tepiditas. Voluntas propria. Voluptas carnalis.*

G

GLORIA VANA.

Remedia contra gloriam vanam.

PRIMVM Remedium. Considera quid Spiritus sanctus in diuinis literis de gloria vana patefecerit. Primo enim dehortatur nos ab aucupanda inani gloria & laude. vt apud Ieremiam. *Non glorietur Sapiens in sapiẽtia sua.* Et Apostolum. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Et Sapientẽ. *Laudet te alienus, & non os tuũ.* Et. *Noli extollere te in faciendo opere tuo.* Et apud Lucam. *Cũ feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia serui inutiles sumus. Non enim qui seipsum commendat,* vt est in epist. 2. ad Corinthios, *ille probatus est, sed quem Deus commendat.* 2. monet nullam nobis esse causam aucupãdæ gloriæ nostræ. *Quid habes,* ait per Apostolum, *quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris?* Et per Isaiam. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni.* Ac apud Ioannẽ. *Si ego glorifico meipsũ* (ait Christus ipse, qua homo) *gloria mea nihil est.* 3. docet soli Deo deberi omnẽ gloriam. *Da Domino Deo Israhel.* inquit ad Achã Iosue, *gloriam.* Et in Psalmis. *Afferte Domino gloriam & honorem, & date gloriã laudi eius.* Et. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Et apud Apostolum. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et. *Soli Deo honor & gloria.*

Ier. 9. 23.
Gal. 5. 26.
Prou. 27. 2.
Eccli. 10. 29.
Luc. 17. 10.
2. Cor. 10. 18.
1. Cor. 4. 7.
Isa. 40. 6.
Ioan. 8. 54.
Ios. 7. 19.
Psal. 28. 2.
Psal. 113. 9.
1. Cor. 1. 31.
1. Tim. 1. 17.

II. REMED. Considera quid SS. Patres in gloriam vanam dixerint. B. CYPRIANVS in sermone de ieiunio & tentationibus. *Gloriabantur,* inquit, *aliquando discipuli (Christi), & complacebant sibi in miraculis, gratulabundi, quod eis etiam dæmonia obedirent, sed repressa est increpante Domino simplicitatis eorum præsumptio. Videbam, inquit, Satanam tanquam fulgur descendẽtem de cœlo: his verbis eorum animis intimans, &c. qui ante hominis conditionem superbientis diaboli ruinam vidit.* S. BASILIVS in Constitut. monast. *Fugiamus inanẽ gloriam, dulcem spiritualium operum spoliatricem, iucundum animarum nostrarum hostem, tinea virtutum, blandissimam bonorum nostrorum deprædatricem, eandemque mellis illitu fraudis sui veneni coloratricem & mortiferi hominem mentibus poculi porrectricem. Quod opinor ea de causa facit, vt vitio se illi auidius ingurgitent, nec vlla illius expleantur satietate. Dulce quid humana imperitis gloria est.* Io. CHYSOST. ad pop. Antioch. *Vt sæui quidam venti in tranquillũ mare delati totum ab imo subruunt, vt &*

Luc. 10. 17.
Basil. in
Cary. hom. 43.

vt & arena cum vndis miſceatur, ſic exæcat mentis impetum gloriæ furor: nam pecunias quidem contemnere volenti ſatis eſt facilè honorem autẽ à multis collatum deſpicere multi laboris indiget, magnæ ſapientiæ, Angelicæ cuiuſdam animæ ipſum celeſtis teſtudinis verticem tangentis. Non eſt enim, non eſt vitium ita tyrannicum, & vbiq; dominans, ex maiori quidem, vel ex minori parte, attamen vbique. Et rurſus. *Anima cupiens honorẽ, & glorificari, non videbit regnũ cælorum Non meus eſt hic ſermo neq; mea recito verba, ſed Spiritus ſancti. Non videbit, licet virtutem operetur. Ait enim. Receperunt mercedem ſuam. Itaq; qui mercedem non accipit, quomodo cælorũ regnum videbit?* HIERONYM. ad Euſtochium, de cuſtodia Virginitatis. *Illud quoque tibi vitandum eſt, ne inanis gloriæ ardore capiaris. Quomodo, inquit Ieſus, poteſtis credere, gloriam ab hominibus accipientes? Vide, quale malum ſit, quod qui habuerit, non poteſt credere. Nos verò dicamus. Quoniã gloriatio mea tu es. Et qui gloriatur, in Domino glorietur. Et ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* AVGVSTIN. libro quinto de Ciuitate Dei. *Sanius videt, qui & amorem laudis vitiũ eſſe cognoſcit. Quod nec Poetã fugit Horatiũ, qui ait; Laudis amore tumes: ſunt certa piacula quæ te, Ter purè lecto poterunt recreare libello. Idem in carmine Lyrico ad reprimendam dominandi libidinẽ ita cecinit. Latius regnes auidum domando Spiritum, quam ſi Libyã remotis Gadibus iungas, & vterq; Pœnus ſeruiat vni.* Et rurſus. *Tã eſt hoc vitium inimicum piæ fidei, ſi maior in corde ſit cupiditas gloriæ, quam Dei timor vel amor, vt Dominus diceret. Quomodo poteſtis credere gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quærentes? Idem de quibuſdam, qui in eũ crediderant, & verebantur palam confiteri, ait Euangeliſta. Dilexerunt gloriam hominum magis quã Dei.* IO. CASSIANVS. *Septimum nobis certamen eſt contra Spiritum cenodoxiæ (quam nos vanam, ſiue inanem gloriã poſſumus appellare) multiformem, varium atq; ſubtilem, ita vt quibuſlibet perſpicaciſſimis oculis non dicũ cauteri, ſed peruideri, deprehendiq; vix poſſit.* Et infra. *Pulchrè Seniores noſtri naturam morbi huius in modum cepæ, bulborumque deſcribunt, quæ vno decoricata tegmine, alio rurſum inueniuntur induta: totieſque reperiuntur obtecta, quoties fuerint expoliata.* S. BERNARDVS in Cantica. *Gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt, dicente etiam Dauid. Qui hominibus placent confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Fratres, ſi hæc ſcitis, nemo veſtrum velit laudari in vita iſta: quia quicquid hic fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipſi furaris. Tibi enim vnde gloria putide puluis, tibi vnde?*

Hier. ep. 22.
Ioan. 5. 44.
Pſal. 3. 4.
1. Cor. 1. 31.
Gal. 1. 10.
Aug. c. 13. & 14.
Hor. lib. 1. epiſt. ad mecæn. & carm. lib. 2. ad Saluſt.
Ioan. 5. 44. & 12. 43.
Caſſ. l. 11. inſt. c. 2.
Ib. c. 5.
Bern. ſerm. 23.
Phil. 3. 19.
Pſal. 52. 6.

III. REMED. Conſidera exemplum Chriſti, Ioan. Baptiſtæ, & Apoſtolorum. Nam apud Matthæũ per Ioannis diſcipulos rogatus Chriſtus, an ipſe eſſet Meſſias, nõ reſpondit ſe eſſe, ſed dixit id ex doctrina & operibus diiudicandũ, Deinde de ſe agens in tertia perſona. *Ite*, inquit, *renunciate Ioanni, q̃ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, &c.* Adhæc nõ ſemel vetuit publicari miracula à ſe facta. Vt cum leproſo curato dixit. *Vide nemini dixeris. Ideo enim*, inquit Chryſ. *nulli dicere iubet, vt doceat non diligendã oſtenta-*

Matth. 11. 3.
Iſa. 35. 5.
Matth. 8. 4.
Chry. hom. 26. in Matth.

ostentationem, & gloriam. Nam quod alio in loco sanatum à se iubet beneficium publicare, non diuulgari seipsum iussit, sed dari gloriam Deo. Narra, inquiens, quanta tibi fecit Deus. S. IOAN. BAPTISTA non aliud fuit quam speculum contemptus humanæ gloriæ, in vita, habitu & moribus. ideo in solitudine omnem vitam egit: ideo nec Elias, nec Propheta, nec Messias, cum posset, haberi voluit, sed vox clamantis in deserto, qua nihil vanius & fragilius. PAVLVS & Barnabas, vt est in Apostolorum Actis, cum Listrenses ob sanatum claudum diuinos honores eis deferre vellent, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas clamantes & dicentes. *Viri quid hæc facitis?* Petrus quoq; & Ioannes, concurrente populo ob simile miraculum dixerunt. *Viri Israhelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?*

Luc. 8. 39.
Ioan. 1. 20.
Act. 14. 14.
Act. 3. 12.

IV. REMED. Considera quanti vanæ gloriæ contemptores fuerint alii multi sancti. D. S. Hilarione ita scribit HIERONYMVS. *Sexagesimo tertio vitæ suæ anno cernens grande monasterium, & multitudinem fratrum secum habitantium, turbasq; eorum, qui diuersis languoribus, & immundis spiritibus occupatos ad se dedu. ebant, ita vt omni genere hominum solitudo per circumitum repleretur: flebat quotidie, & incredibili desiderio cõuersationis antiquæ recordabatur. Interrogatus à fratribus quid haberet, cur se conficeret, ait. Rursum ad seculũ redij, & recepi mercedem meam in vita mea. En homines Palestinæ & vicinæ prouinciæ existimant me alicuius esse momenti, &c. Mirentur alij signa quæ fecit, mirẽtur incredibilem abstinentiam, scientiam, humilitatem. Ego nihil ita stupeo, quàm gloriam illum & honorem calcare potuisse. Concurrebant Episcopi, presbyteri, clericorum & monachorum greges, matronæ quoq; Christianorum grandis tentatio. Sed & potentes viri & iudices, vt benedictum ab eo panem & oleum acciperent: at ille nihil aliud nisi solitudinem meditabatur.* Cum qua Hieronymi admiratione consentit illud BERNARDI. *Magna,* inquit, *& rara virtus profecto est, vt magna licet operantem: magnum te nescias, & manifestam omnibus tum te solum latere sanctitatem, mirabilẽ te apparere, & contemptibilem te reputare: hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico.* S. GREGOR. Turonum Episcopus vt est in eius vita, reliquias sanctorum semper è collo gestabat, vt quoties miraculum ederet, non suis meritis, sed reliquiarũ beneficio adscriberet. S. VDALRIC. Augustanus Episcopus cum die Iouis sancto visi essent cum eo sacrum facientes sancti Fortunatus & Adalbero antecessores; dextera quoq; manus consecrãs tempore consecrationis super eũ apparuisset, tempore communionis clericis qui viderant porrectæ os compressit, vt visum occultarent, & post sub pœna amittendæ vitæ vetuit, ne patefacerent. Eadẽ de causa, cum morbum caducum curare posset, publicè id petentibus negauit. S. NICET. Treuirorum antistes, vt auctor est Gregorius Turonicus, ad cauendam inanem gloriam, signum crucis sub veste formauit, cum publicè curaret dæmo-

Hier. in eius vita.
Bern. serm. 15. in Cant.
Sur. tom. 4.
Greg. lib. de vita Patrum.

dæmoniacum. S. ANNO Archiepiscopus Coloniēsis, cum ei cæcus quidam obviam fieret dicens se visione monitum, vt aqua qua manus in Missa abluisset illineret oculos, asperis verbis eum repulit, vocans impostorem. cæcus verò cum à sacri Ministro aquam impetrasset, visum recepit. Et cum postea gratias Episcopo agere vellet, longe acrius eum excepit, quod Deum tentasset. Ministro autem qui aquam dederat leuiter alapam infregit, ac vtrique prohibuit, ne se viuo cuiquam rem propalarent, sed Deo tantum gratias agerent. S. BERNARDVS quoque nouus sui sæculi thaumaturgus, ne ob crebra miracula sibi aliquid esse videretur, in hæc verba prorupit. *Ex scripturis didici signa fieri, vel per perfectos, vel per fictos. Ego nec perfectionis mihi sum conscius, nec fictionis. Nihil ergo mihi, & signis istis, quando quidem meæ illa famæ magis, quàm vitæ nouerim exhiberi: nec ad meam fieri commendationem, sed ad commonitionem potius, ad fructum autem aliorum, & ad fouendam de me bonam opinionem.*

Sur. tom. 6. lib. 2. c. 3.

Lib. 3. vitæ cap. 6. in Surio.

V. REMED. Considera, quam lubricus, periculosus & pernicios⁹ sit morbus humanæ gloriæ. Nam velut *vmbra corpus*, teste B. Hieronymo ad Eustochium, ita gloria sequitur vbique virtutem, etiam in intimas solitudines, vt eam mirctet & perdat. *In solitudine*, inquit Cassianus, *quoq; eum-* Cass. lib. 11. c. 6.
ctorum mortalium consortia gloriæ causa fugientem persequi non cessat. Quantoq; amplius vniuersum quis vitauerit mundum, tanto eum acrius insectatur. Et infra. Ib. c. 7.
Omnia vitia superata marcescunt & dejecta per singulos dies infirmiora redduntur: hoc verò dejectum acrius conualescit. Cætera genera vitiorum eos tantum impugnare solent, quos in certamine superarint, hoc verò suos victores acrius insectatur: quantoque fuerit validius elisum, tanto vehementius victoriæ ipsius elatione congreditur. Et Ib. c. 4.
rursum. *Cui sub specie nitidæ vestis cenodoxiam non potuit diabolus generare, pro squalida & inculta conatur inserere. Quem scientiæ & elocutionis ornatu nequiuit extollere, grauitate ta. iturnitatis elidit. Si ieiunet palam, gloria vanitatis pulsatur. Si illud contemnendæ gloriæ causa contexerit, eodem vitio elationis obtunditur.* Denique hic vnus morbus omnibus virtutum thesauris, & beatitudine æterna nos expoliat. Clarè enim apud Matthæum Christus dixit, ieiunantem, orantem, vel eleemozynas dantem, vt videatur ab hominibus, recepisse in hoc mundo mercedem suam, ac idcirco frustra expectare æternam. Matt. 6. 1.
Qua de causa rectè supra B. BASILIVS, vanam gloriam omnium spiritualium bonorum latronem, Chrysost. verò *matrem gehennæ* appellauit. Bas. Const. mon. c. 11. Chry. hom. 17. in ep. ad Rom.

VI. REMED. Considera quam vilis, fluxa & caduca sit omnis humana gloria, laus, & celebritas nominis, quā tanto studio homines huius sæculi venantur. *Mihi pro minimo est*, aiebat Apostolus, ab *hominibus iudicari, aut ab humano die*. id est, fauore & existimatione humana. Imò Christus ipse dicit. *Si glorificare me volnero, gloria mea nihil est.* Sicut. n. vmbra corporis, quocunq; tandem colore corpus imbutum sit, semper nigra est, 1. Cor. 4. 3. Ioan. 8. 54.

imò nihil quod subsistat, sic omnis huius seculi gloria, quàm Patres vmbræ comparant, quacunq; tandem ex re nascatur, siue ex virtute vera, siue ex scientia, vel potentia, non nisi inane quid est in sola opinione consistens, siue eius qui honorat, siue qui honoratur. *Hæc inanis gloriæ natura*
Chry. hom. 43. ad pop. est, ait NAZIANZ. ad Nemesiũ gentilem, *vt statim decidat. Nihil hominũ gloria*, inquit B. CHRYSOST. *vilius. Nonne vides personas, quas in scena versantes induuntur, quam sint pulcræ & splendidæ? potes mihi talem aspectum in veritate monstrare? nequaquam. Nunquid vnquam earum amore captus es? Non. Quare? quia vacuæ sunt, & imitantur pulcritudinem, pulcræ tamen non sunt. Similiter & gloria inanis est, & gloriam quidem imitatur, non tamen est gloria. Dic enim mihi, quid habet boni à multis circumspici? Sicut enim larua occultat vilitatem hominis vsque ad vesperam, dimisso autem theatro, vnusquisque apparet, quod est: ita si post multas tuas laudes auditas domum reuertare, & solus sis, omnis gloria defluxerit. In forum processisti, præsentes in te conuertisti? quid amplius? nihil. extinctum est, & euanuit tanquam fumus diffusus. Quantæ sunt hæc quæso stoliditatis, quantæ dementiæ? Ad vnum itaque spectemus, quomodo Deus nos laudet.* Et paulo post. *Non potest gloriæ seruus homo, non omnium seruus esse, & ipsis seruilior mancipiis. Nec enim talia præcipimus seruis nostris, qualia captiuis suis illa. turpia & dedecore plena negotia loqui facit, & pati, & quo obsequentiorem viderit, hoc imperium plus adauget. Fugiamus itaq; hanc seruitutem, fugiamus. Dicet aliquis. Qualiter poterimus? Si philosophemur de terrenis, si cogitemus, quod præsentia omnia somniũ & vmbra sint.*

VII. REMED. Considera tuam vilitatem. Primum, quod terra sis, &
Basil hom. 3. in terram breui forte rediturus. Hoc remedium est S. BASILII scribentis in verba Moysis, Attẽde tibi ipsi. *Tibi*, inquit, *mire places ob opes, vel auitæ gentis claritudinem? immodico gaudio subsilis ob patriæ celebritatem? ob elegantiam corporis?*
Deu. 15. 9. iuxta 70. *ob honores ab omni gradu tibi delatos? Attende tibi ipsi, mortalis enim tu, quippe terræ es, & in terram abibis. Vbi iam dic, qui ciuitatũ amplissimos magistratus capessebant? Vbi inuicti rhetores? vbi exercituum Duces? vbi tyranni? Nonne omnia puluis? non sunt in fabulam versa omnia? Memoria vitæ eorum in quam paucis ossibus retinetur? In horum sepulchra desiecte parumper oculos. possẽne te speras discernere inter famulum & Dominum, pauperem & diuitem? vinctum, & eum à quo vinctus erat, Regem?* SECVNDO, quod quicquid laude vel gloria dignum habes,
1. Cor. 4. 7. 2. Cor. 3. 5. acceperis à Deo. *Quid habes*, ait Apostolus, *quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et. *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quod si ne ad cogitandũ quidem bonum sufficientes sumus, quanto minus ad eloquendum &
Ioan. 15. 5. Os. 13. 9. agendum? Vnde Christus. *Sine me*, inquit, *nihil potestis facere.* Et nobis solum peccatum est, at boni nihil. Osee ait. *Perditio tua Israhel, tantummodo in me auxilium tuum.* Et B. BERNARDVS in Cantica. *Tibi*, inquit, ô homo, vn-
Bern. serm. 33. *de gloria? putide puluis vnde tibi? De vitæ sanctitate? Sed Spiritus est qui sanctificat:*

tat: Spiritus, non dico tuus, sed Dei. Et si prodigijs aut signis effulgeas, in manu tua fiunt, sed virtute Dei. An blanditur popularis fauor, quod verbū bonum, & bene forte deprompserit? sed Christus donauit os & sapientiam. Nam lingua tua quid nisi calamus scribæ? & hoc ipsum mutuo accepisti, talentum creditum est, repetendū cum vsura. Si dicas. Deum agnosco auctorē omnium bonorum, quæ habeo, sed interim mea sunt, quæ mihi Deus dedit. Fateor tua esse, sed ita, sicut ille tua esse voluit. Voluit autem te illis rectè vti ad tuam aliorumq; salutem, non autem inde gloriari, sicut Pater filio dat vestes ad honestatē vel necessitatem, non vt inde insolescat. Rides puerum si ob plumulā galero impositam sibi vehementer placeat, quanto magis ridet te Deus, si ob scientiæ, nobilitatis, vel pietatis donum aliquod immodicè te efferas.

VIII. REMED. Quoad fieri potest virtutes tuas occulta, & occasiones captandæ gloriæ refuge. Quod remedium suggessit Dominus ipse cum apud Matthæum iubet orantem sese recipere intra cubiculum, & Matth.5.6.
ieiunantem lauare faciem, & eleemosynā dantem ita dare vt nesciat sinistra, quid faciat dextra. Sicut enim thesaurus absconditus tutior est à latronibus, & virgo domi clausa facilius castitatē seruat, quam quæ per vias vagatur, ita virtus occultata, à vana gloria & diaboli laqueis securior est. *Sicut vestem pretiosam*, inquit Chrysostomus, *cum in publico ponimus, plures* Hom.3. in Matt.
mos ad insidias prouocamus: Si verò domi recondamus, in tuto cuncta seruabimus: Sic si opes virtutum palam quasi venales assiduè portemus in mente, inimicū irritamus ad furtum, sin verò nemo alter id scierit, nisi quem nulla occulta latent, tutissimo in loco consistent. Et B. GREG. in Euangelia. *Inuentus thesaurus absconditur, vt ser-* Greg hom.8.
uetur, quia studium cœlestis desiderij à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem Spiritus iter nostrum quasi quidā latrunculi obsident: deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publicè portat in via. Hoc au- Matth.5.16.
tem dico, non vt proximi opera bona nostra non videant, cum scriptū sit: Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est: sed vt per hoc quod agimus, laudes extrinsecus non quæramus. Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, vt & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum.

IX. REMED. Assuefac te vt omnes actiones tuas, maxime mane ad gloriam Dei referas, secundum consilium Apostoli. *Siue manducatis*, in- 1.Cor.10.31.
quit, *siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriā Dei facite.* Quod remediū dedit IOAN. CASS. his verbis. *Athleta Christi qui verum & spiritualem agonē* Cass.lib.12.
certare desiderat, hanc multiformem bestiam tali remedio poterit euadere, si primitus inst.c.18.
nihil proposito vanitatis & inanis gloriæ capessendæ gratia fieri permittat. Deinde quæ bono init. o fecerit, obseruatione simili custodire nitatur. Quo autem constantius id facias, optimum erit Deum quasi præsentem & operum nostrorum

Psal.15.8. Basil.q.34. spectatorem cernere & dicere cum regio Propheta. *Prouideham Dominũ in conspectu meo semper.* Ita consulit S. BASILIVS in regulis breuioribus. Nam posita quæstione, quomodo quis possit captandæ humanæ laudis vitium declinare? respondit. *Si sibi certò persuaserit, vbique Deum adesse. Siquidem est nemo, qui cum in oculis Domini sit, cum illius dedecore, cõseruo suo malit*

Chry.hom.43. ad pop. *gratiosus esse, quam Domino.* Idem suadet CHRYSOSTOMVS. *Cum aliquid boni faciens cogites, quod & hominibus oporteat ostendere, & aliquos facti spectatores quæras, cogita quod Deus videt, & omnem illam extingues concupiscentiam. de terra recede, ad illud cœleste respicias theatrum. Homines etiam licet laudarint, mox tamen accusant, vel inuident, vel carpunt; & vt non faciant hoc, tamen nihil laudato pro-*

Chry.hom.5. in Gen. *sunt. Deus verò non ita facit, sed gaudet, nostra laudans merita.* Et alibi. *Non videtis in equorum ludis, quomodo hi qui equos agitant, non aduertunt plausum populi assidentis, nec voluptatem ex eo plausu capiunt, sed in vnum Regem in medio sedentem oculos intendunt, ac ad nutum illius attendentes totam multitudinem despiciunt. Hos & tu imiteris, non magni faciendo hominum famam, sed sententiam iudicis iusti exspectando, atque ad nutum eius omnia dirigendo.*

X. REMED. Considera exempla eorum quibus vanæ gloriæ aucupium malè cessit. Primum est Luciferi Angelorum principis, qui plus æquo ob naturæ gratiæque dona elatus cum sociis ad tartara deturbatus

Luc.10.18. est: quo exemplo Christus ad Lucam terruit 72. discipulos, cum gloriarentur, quod dæmonia ipsis subiicerentur, dicens. *Vidi Satanam, sicut*

Gen.3.5. *fulgur de cœlo cadentem.* Alterum est Adæ protoplasti, qui paradiso exter-

4.Reg.20.13. minatus est, quod diuinitatem in scientia boni & mali suasu serpentis affectasset. Tertium est Ezechiæ regis, qui quod Babyloniæ regis Legatis ex ostentatione quadam thesauros omnes suos spectandos exhibuisset, à Domino per Isaiam Prophetam grauiter increpitus est, eique denun-

Luc.18.14. ciatum est omnes illos vna cum filiis in Babylonẽ deportatũ iri. Quartum est Pharisæi apud Lucam, qui quod ex fastu quodam bona sua opera prædicasset, & se publicano peccatori antepositisset, Publicano à Domino posthabitus est, & iustificationis beneficio priuatus.

XI. REMED. Considera indicia, ex quibus cognoscas te expugnasse vanam gloriam. Primum est, si molestè feras te ab aliquo laudari. *Laus*

Greg.26. moral. c.23. *enim,* inquit B. GREGORIVS, *iustos cruciat, iniquos exaltat: sed iustos cũ cruciat purgat: iniquos verò dum lætificat, reprobos monstrat.* Et post. *Cum verò iusti sua præconia in Dei laudem tendere sentiunt, ea etiam desiderabiliter amplectuntur.* Exẽ-

Aug.10.confess. c.37.& ep.64. plum habes in AVGVSTINO qui in libris Confessionum agens de tentatione gloriæ. *Quotidiana,* inquit, *fornax nostra est humana lingua. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum. Neque enim facile colligo quam sim ab ista peste mundatior, & multũ timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei non.* Alterum est, si delecteris quidẽ aliquantulum laudibus tuis, plus

tamen

tamen ipsa veritate. *Contristor*, ait ibidem Augustinus, *aliquando laudibus meis, cum vel ea laudantur in me, in quibus ipse mihi displiceo: vel etiam bona leuiora pluris æstimantur, quam æstimanda sunt.* Et rursum. *Quid igitur tibi in hoc genere tentationis Domine confiteor? quid? nisi delectari me laudibus, sed amplius ipsa veritate, quam laudibus?* Tertium est, si gaudeas, vel certe optes gaudere cum Apostolis in contumeliis & iniuriis pro Christo: quod altissimum genus est imitandi Christum, qui opprobriis saturatus dicitur, vt non puderet nos aliquam subire pro eo ignominiam, maximè, cum sæpe necesse sit: nam vt docet Chrysostomus in Genesin, *fieri non potest, vt qui virtuti dediti sunt ab omnibus bene audiant.* Act. 5. 41. Thren. 3. 30. Chrys. hom. 23.

XII. Remed. est oratio, ac Chrysostomus quidem existimat non esse aliud remedium contra vanam gloriam. Ita enim loqitur in opere imperfecto. *Omnia mala quæ sunt in mundo, habent contraria bona per quæ superentur, vt puta fornicatio castitatem, superbia humilitatem, iracundia consuetudinem. Et nullum est malum, quod non habeat contrarium bonum, excepta vana gloria. Ita quantauis bona feceris volens compescere vanam gloriam, tanto magis excitas eam. Et causa est ista, quia omne malum ex malo nascitur, sola autem vana gloria de bono procedit, & ideo non extinguitur per bonum, sed magis nutritur. Denique inter homines peccatores tentatio vanæ gloriæ non habet locum. Fornicarius enim, aut raptor, quomodo tentetur in gloria vana, qui non habet vnde glorietur? Ergo nullum remedium potest esse contra vanam gloriam, nisi oratio sola. Et hæc ipsa vanitatem generat, nisi cautè prospexeris, si forte bene oraueris.* Chrys. hom. 15. in Matth.

Vide V. *Ambitio. Amor sui. Immortificatio passionum. Præsumptio. Superbia. Vestium luxus. Vindicatio iniuriæ.*

GVLA.

Remedia contra gulam.

I. Remed. Considera Sacræ scripturæ dicta. Primo enim hortatur vt eam fugiamus, vt in Salomonis Prouerbiis. *Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum cõferunt.* Et apud Ecclesiasticũ. *Vtere quasi homo frugi his, quæ tibi apponũtur, ne cũ manducas multum, odio habearis.* Et apud Apostolum. *Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, &c. Sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.* 2. docet ea prouocatam diuinam iram, vt ab Adam & Eua ob fructum arboris vetitæ degustatum. Huic enim dictum est. *Multiplicabo ærumnas tuas. in dolore partes filios,* Illi verò. *Maledicta terra in opere tuo. In sudore vultus tui vesceris pane.* Prou. 23. 20. Eccl. 31. 19. Rom. 13. 13. Gen. 3. 16. & 17.

Luc.17.27. Deinde ab eorum filiis tempore Noë. *In diebus Noë*, inquit Lucas, *edebant & bibebant vsque ad diem, qua intrauit Noë in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes.* Item à filiis Israel fastidientibus manna. *Adhuc carnes*, ait in Numeris, *erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis.* Et in Deuteronomio. *Filius vester si comessationibus vacat & luxuriæ, atque conuiuiis, lapidibus obruet eum populus.* Et apud Isaiam. *Comedamus & bibamus*, aiunt gulosi, *cras enim moriemur. Et reuelata est in auribus meis vox Domini. Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus exercituũ.* 3. excludit gulosos beatitudine æterna. nam in epist. ad Galatas comessationes & ebrietates numerantur inter manifesta opera carnis regno cœlorum excludentia. Et Christus apud Lucam ait. *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationẽ vestram. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.* Et diues epulatus quotidiè splendidè, sepultus est in inferno. Apostolus quoq; affirmat comessatores non seruire Deo sed ventri. *Huiusmodi*, inquiens, *Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri.* Et. *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* 4. tradit hoc vitio etiam iacturam fieri in bonis externis. Esau enim nimia ardens cupiditate edulii lenticulæ primogenita fratri vẽdidit, vt est in Genesi. Et Sapiens ait. *Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.*

Luc.16.19. Rom.16.18. Phil.3.19. Gen.25.33. Prou.21.17.

Basil. Gen 3.1. Matth.4.3. Amb.lib.1.c.5. Luc.13.25. Hier.lib.2. Chry.hom.44.

II. REMED. Considera censuram SS. Patrum in gulam. S. BASILIVS in sermone de abdicatione rerum. *Cane ne te aduersarius simili atq; primũ parentem peccato circumueniat, & quamprimum de paradiso delitiarum expellat. Nam qui callida escæ obiectione ita malitiosè vita illum spoliauit, & item IESVM eodem modo supplantaturum sperauerat, nihil est, quod is vereatur. etenim præsentissimum hoc esse venenum ille intelligit, &c. Vt enim fons aquæ si in plures sit riuulos dissectus, vicina omnia loca herbarum viriditate cõuestit, sic vitium gulæ, si per cordis tui venas se diffraxerit, indeque sensus tuos omnes irrigarit, & libidinum multarum syluam in te conseuerit, animum tuum ferarum habitaculum efficiet.* S. AMBROSIVS de Cain & Abel. *Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas. innumeris vina nocuerunt, nulli parsimonia. Plerique inter epulas fudere animas, & mensas proprio repleuere sanguine. Aliis eruditas vocem simul rapuit & sensum, & si aliquibus eruditas noxia non fuit, his ruinam fecit ebrietas. Postremo auli, quos Christus excludat. Cum intrauerit, inquit, paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium dicentes. Aperi nobis, & respondens dicit; Nescio vos vnde estis, recedite à me operarij iniquitatis. Tunc incipietis dicere. Manducauimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis. Nescio vnde estis. Audistis quid de manducantibus dixerit?* S. HIERONYM. in Iouinianum. *Esus carnium, & potus vini, ventrisq; saturitas seminariũ libidinis est.* Et paulo post. *Quod si quis existimat & abundantia ciborum potionumq; se perfrui, & vacare posse sapiẽtiæ, hoc est, & versari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, seipsum decipit.* S. CHRYS. in Ioannem

Nihil

Nihil gula pernitiosius, nihil ignominiosius est: hæc obtusum & crassum ingeniũ, hæc carnalem animam reddit: hæc cæcat intellectum, non sinit, vt quicquã perspiciat. IOA. CASS. in institutionibus monasticis. *Non sola crapula vini mentem inebriare consuevit, verumetiam cunctarũ escarum nimietas vacillantẽ eam ac nutabundã reddit, omniq; integritatis ac puritatis contemplatione despoliat.* S. GREG. in moralib. *De vẽtris ingluuie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquiũ, hebetudo sensus circa intelligentiã propagãtur.* B. ISID. de summo bono. *Sicut oẽs carnales tumiditates per abstinentiã resecãtur, ita oẽs animæ virtutes educitatis vitio destruũtur.*

Cass. lib. 5. c. 28. Greg. l. 31. c. 31. Isid. l. 2. c. 42.

III. REMED. Considera hunc gulæ morbum ante omnes alios tibi esse curandum. Nam S. BASILIVS dum instituit Virgines, & alios ad virtutis perfectionem tendentes. *Ante omnia,* inquit, *aduersus gustum virgo tota intentione pugnabit, fontesq; voluptatũ ventris, & impudicitiæ fomitẽ inde manantem à principio castitatis studio & odore siccabit, &c. Ventre enim distẽto epulis, necesse est, ea quæ sub ipso sunt membra ex humoris redundãtia ad propria & naturalia officia moueri.* Et CASSIANVS, *Prima nobis calcanda est gulæ concupiscentia, & eo vsq; extenuanda mens non solum ieiuniis, verumetiam vigiliis, lectione quoque & crebra compunctione cordis, in quibus se forsitan vel illusam, vel fictam reminiscitur, &c. donec ipsius cibi refectionem non tam iucunditati concessam, quàm oneris vice sibi impositam recognoscat.* Et infra. *Ob quod ciborũ non solum superfluus appetitus virtutum contemplatione calcandus, sed etiam ipsi naturæ necessarius tanquam castitati contrarius, non sine cordis anxietate sumendus est.* Consentit B. ISIDORVS de summo bono. *Nemo potest virtutum perfectionẽ attingere, nisi prius ventris edomuerit ingluiem.* Et ante eum B. GREGORIVS in moralibus. *Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso prius per afflictam ventris concupiscentiam carnis incentiua deuicerit.* Et iterum. *Dum venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul cunctæ virtutes obruuntur.*

Baſ. de vera Virgin. Cass. lib. 5. inst. c. 14. Isid. l. 2. c. 42. Greg. 30. mor. c. 26.

IV. REMED. Considera modos, quibus gula delinquitur, vt vnicuique congruentia adhibeantur antidota. Eos accuratè expositi eodem loco B. GREG. *Quinq; nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando namq; indigentiæ tempora præuenit, aliquando verò tempus non præuenit, sed cibos lautiores quærit, aliquando quælibet sumenda sint præparari accuratius expetit. aliquando autẽ & qualitati ciborum & tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensurã moderatæ refectionis excedit. nonnunquã verò & abiectius est quod desiderat, & tamen ipso æstu immensi desiderij deterius peccat. Mortis quippe sententiã patris ore Ionathas meruit, quia in gustu mellis constitutũ edendi tempus anteceſſit. Et ex Ægypto populus edulus in eremo occubuit, quia delectato mãna cibos carniũ petiit, quos lautiores putauit. Et prima filiorũ Heli culpa suborta est, quod ex eorum voto sacerdotis puer non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quærere, quas accuratius exhiberet. Et cum ad Hierusalẽ dicitur. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia. aperte ostenditur, q. idcirco salutẽ perdidit, quia (ũ)*

lib. c. 27. 1. Reg. 14. 44. Num. 11. 33. 1. Reg. 2. 15. Ezechi. 6. 49.

superl ia-

superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit. Et primogenitorum gloriam Esaü amisit, quia magno æstu desiderij vilem cibum, scilicet lenticulam concupiuit: quam dum vendendis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret,
Cass.coll.5.c.11. *indicauit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est.* CASSIANVS tres tantum modos ex dictis assignat, primum, secundum & quartum.

I. *Antidotum contra primum modum.*

PRIMO modo medeberis, si obserues certum tempus comedendi, vt prandii & cœnæ. Vnde CASSIANVS. *Monachus hanc inprimis cautionem*
Cass.l.5.inst.5. 20.& 23. *sibi indicat, vt non potus quicquam, non esus vlla oblectatione deuictus, ante statutionem legitimam, communemque refectionis horam extra mensam percipere sibimet prorsus indulgeat, &c. Similiter quoque canonicum somni tempus, mensuramque custodiat.*
Coll.5.c.11.& 17. Et alibi. *Ante horam canonicam,* inquit, *absolutio ieiunij nullatenus præsumēda est, &c.* hinc enim *monasterij odium gignitur, atq; exinde horror, & intolerantia eiusdem concrescit habitaculi: quam sine dubio mox discessio, aut fuga velocissima subse-*
V.P.parte 2.c.5. *quetur.* Quod si aliquando difficile tibi sit vsque ad statam horam sustinere, imitare exemplum eius, qui in vitis Patrum cum autore dæmone fame vrgeretur hora prima diei, imperauit sibi, vt expectaret vsque ad tertiam: & cum tertia esset, vsque ad sextam: & cum sexta, porrò vsque ad nonam, quæ erat stata prandii. Qua exercitatione secundo, tertioue repetita, sic dæmonem, famemque vicit, vt nec post biduum esuriret. Ad
Eccl.10.16. hoc antidotum pertinet illud Ecclesiastæ. *Væ tibi terra cuius Principes mane comedunt. Beata terra, cuius Principes vescuntur tempore suo,* id est, stato, ait Gregorius Thaumaturgus in huius loci commentario.

II. *Antitodum contra modum 2. & 3.*

SECVNDO, contra lautitiem, & laboriosum apparatum eduliorum sama viliores & communes atque parabiles cibos. Sic enim monet B.
Bas.de vera virginit. BASILIVS. *Omnibus in locis,* inquiens, *cibus qui sit ad victū necessarius solerti ratione inquirendus, condimentorumq; elaboratæ blanditiæ vt voluptatis illecebræ repudiandæ.* HIERONYM. contra Iouinianum. *Ne tales accipiamus cibos, quos aut*
H.lib.2. *difficulter digerere, aut comesos magno partos & perditos labore doleamus. Holerum, pomorum ac leguminum, & facilior apparatus est, & arte impendiisq; cocorū non indiget, & sine cura sustentat humanū corpus, moderateq; sumptus leuiori digestione cōcoquitur.* Et infra. *Epicurus voluptatis assertor omnes suos libros repleuit holeribus*

& pomis

& pomis, & vilibus cibis dicit esse viuendum, quia carnes & exquisitæ epulæ ingenti cura ac miseria præparentur. GASSIANVS in institution. monasticis. *Est cibus eligendus non tantum qui concupiscentiæ flagrantis æstus temperet, minusque succendat, verumetiam qui ad parandum sit facilis, & quem ad comedendum opportunior vilioris pretij compendium præstet, quique sit conuersationi fratrum esuique communis?* Et paulo post. *Quicquid autem extra consuetudinem præsumitur vsumque communem, vt vanitatis & gloriæ, atque ostentationis morbo pollutum antiquissima Patrum traditio notauit.* NEQVE ideo, siue secularis, siue religiosus sis, arceris ab omnibus lautioribus mensis, quando vel necessitas, vel honestas, vel obedientia maioribus debita exigit. Constat enim Christũ Dominũ & nuptiis, in quibus lautiores cibi apponi solent, aliisq; conuiuiis diuitum interfuisse. Et caritas sæpè persuadet, vt de consueta seueritate aliquid remittamus, ad recreandos hospites, quorum conuersatio nobis proficua est, vel quibus consuetudine nostra commodare possumus. Id modo dico, dum hi respectus absunt, nos quantum in nobis est subterfugere debere istas lautitias. Cass. lib. 5. c. 23.

III. *Antidotum contra modum 4.*

QVARTVS Gulæ morbus iuxta S. Gregorium erat, quando in quantitate sumendi mẽsura moderatæ refectionis exceditur: cui medebere, si tantum cibi sumas, quantũ ad vires corporis pro ratione status, & officii, quod exerces, corroborandas satis fuerit. Certa enim mẽsura, quæ omnibus sit communis, præfigi non potest. Quod enim vni parum est, alteri satis est: & vbi hic peccat vitio gulę, ibi ille nimia se macerat abstinentia. Ita tradit B. BASIL. *Quoniam*, inquiens, *innatum nobis corporis vehiculum, neque nimis laxando fræna, neq; rursus immodicè illa retinendo ad virtutis cursum producere oportet, idcirco & corporum status, & habitus, & ciborum qualitates solerter explorare conueniet, vt valido quidẽ ac vegeto corpori frena immittamus, & per inediam frigidiores q; cibos redundantiam caloris arceamus: porrò senili & frigescenti cibi potus q; adiumentum ad sustentandas vires ingeramus.* Basil. de Virgin.

Idẽ habet Cassianus. Vt verò cognoscas, quantũ cibi cuiq; sufficere ad vires corporis tuendas debeat, S. DOROTHEVS, & alii sancti præscribunt: Vt quisq; experientia magistra discat & obseruet, quanta cibi copia soleat stomachũ grauare, ac deinde paulatim de illa copia detrahat, donec nullam amplius in digestione sentiat difficultatem. Cõtra quoq; notet, quanta cibi tenuitas & parsimonia imbecilliorem reddat, vt officio quod sustinet ægrè facere satis possit. Quo animaduerso paulatim eo vsq; commeatũ augeat, donec integræ suppetant vires ad omnes functiones consuetas Cass. coll. 2. c. 12. Dorot. serm 9.

explendas. Quam ergo quantitatem cibi sufficere tibi reipsa cognoris, eam ordinariè vsurpa. Quod si dubius & anceps hæreas, quanta cib copia tibi sit necessaria, potius naturali inclinationi repugna, quam saue, eo quod, vt vulgo fertur, appetitus sit nequam, & colore necessitatis
Ephes 5.29. facilè in fraudem inducamur. *nemo enim carnem suam*, inquit Apostolus, *vnquam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam.*

IV. *Antidotum contra modum 5.*

QVINTVS gulæ morbus erat nimio desiderii æstu ferri in viliores cibos, instar Esau in edulium lenticulæ. quem morbum & alii Patres
Basil. notarunt vt S. BASILIVS in sermone de abdicatione, dum ait, *Gulæ vitium non in escarum copia naturæ suæ vim exerere nouit, sed in voluptate, atque gustatu li-*
Aug. c. 12. *cet modicis admodum vtare.* Et B. AVGVSTINVS libro 3. de doctrina Christiana. *Fieri potest, vt sapiens pretiosissimo vtatur cibo sine vitio cupiditatis: insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum ardescat.* Antidotum autem
huius morbi generale est, nempe, vt nimiam cupiditatem coerceas: quæ
Eccli. 37.32. æquè in pretioso, ac vili potest esse edulio. Vnde Sapiens. *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam.* & Apostolus. *Carnis cu-*
Rom. 13.14. *ram ne feceritis in desideriis.* Et loco citato AVG. *Sanius quisq; maluerit more Do-*
Gen. 25.33. *mini pisce vesci, quam lenticula more Esau nepotis Abrahæ, aut hordeo more iumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræq; bestiæ, quia viliorib⁹ aluntur escis. Nam in omnibus huiusmodi rebus, non ex earum rerum natura, quibus*
Greg. 30. mor. c. 27. *vtimur, sed ex causa vtendi, & modo appetendi, vel probandũ est, vel improbandum, quod facimus.* Et GREG. *Neq; cibus, sed appetitus in vitio est. Vnde & lautiores cibos plerunq; sine culpa sumimus, & abiectiores non sine reatu conscientiæ degustamus.*
Gen. 3. *Esau quippe primatum per lentieulam perdidit, & Elias in eremo virtutem Spiritus carnes edendo seruauit. Vnde & antiquus hostis, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit, & primum sibi hominem, non carne sed pomo*
Matth. 4.3. *subdidit, & secundum non carne, sed pane tentauit. Hinc est quod plerumque culpa committitur, etiam cum abiecta & vilia sumuntur.*

V. REM. Quoniam necessitati cibi sumendi coniuncta est semper voluptas, vide vt ne occasione necessitatis sinas te rapi vltra metas neces-
Greg. c. 28. sitatis. *Sic. n. voluptas.* ait B. GREG. loco allegato. *sub necessitate se palliat, vt vix eam perfectius quisq; discernat. Sæpe autẽ in edendi via furtiuè adiuncta voluptas subsequitur: nonnunquã verò impudenter libera etiã præire conatur. Facile verò est deprehendere, cum voluptas eius necessitatẽ præuenit: sed valde difficile est discernere, cum in ipso esu necessario se occulta subiungit. Nam quia præuenit naturæ appetitum*
Aug. c. 31. *sequitur, quasi à tergo veniens cautius videtur.* Et B. AVG. lib. 10. Confessionũ.

In hac

In his tentationibus constitutus certo quotidie aduersus concupiscentiam manducandi & bibendi. Quis n. est Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia homo peccator sum. Et iterum. *Hoc me docuisti, vt quemadmodũ medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Et infra. *Quia quod saluti satis est, delectationi parũ est. Sæpe incertum fit, vtrum adhuc necessaria corporis cura subsidiũ petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertũ hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderatione valetudinis, vt obtentu salutis obumbret negotiũ voluptatis.* Et rursus. *His tẽtationibus quotidie conor resistere, & inuoco dextrã tuam, ad salutem meam, & ad te refero æstus meos, quia consilium mihi de hac re nondũ stat. Audiui vocẽ tuam. Post cõcupiscentias tuas ne eas, & à voluptate tua auertere. Omnia possũ, inquit Apostolus, in eo qui me cõfortat, Da q̃ iubes, & iube q̃ vis.* Hæc ille. Hęc autẽ non eo dicta sũt à Gregorio & Augustino, vt velint nullã debere esse in cibo oblectationẽ, sed id tantũ contendunt, non esse oblectationẽ illam quærendã tanquã scopum & finem, ac ideo amplectendã tantum, quatenus seruit necessitati. Quanquã seruus Dei hoc longius à gulæ vitio discedet, quo sincerius solã necessitatẽ in cibo spectarit, & quæsierit. Spectabit autẽ, quãdo veras voluptates in diuinarũ rerum contemplatione fuerit aucupatus. *Nequaquã enim,* inquit CASSIANVS, *poterimus escarum præsentiũ spernere voluptates, nisi mens contemplationi diuinæ defixa, amore virtutum potius, & pulcritudine cœlestium delectetur.* Deinde, si antequam cibum sumat, statuat se tantum rationem vtilitatis tanquam magistram & ducem in cibo sumendo secuturum, vt habet. BASILIVS in regulis breuioribus.

Eccli. 18. 30. Phil. 4. 13.

Cass. lib. 5. inst. c. 14.

Basil. q. 126.

VI. REMED. In omnibus cibis vita semper satietatem, siue pretiosi sint, siue viles. Nam apud Ezechielem Hierosolyma ob saturitatẽ panis Sodomę comparatur. & B. HIER. in Iouinianũ ita scribit. *Sed & ex vilissimis cibis vitanda satietas est. Nihil enim ita obruit animum, vt plenus venter, & exæstuans, & huc illucq̃ se vertens, & in ructus, vel in crepitus ventorũ efflatione respirans.* Et CASS. *Generalis hic continentiæ modus est, vt secundũ capacitatẽ viriũ, vel corporis, vel ætatis tantũ sibimet cibi vnusquisq; concedat, quantũ sustentatio carnis, non quantũ desideriũ saturitatis exposcit.* Palladius in historia Lausiaca scribit, ISIDORVM Sacerdotẽ, etiamsi quotidie tantũ cibi sumeret, quantũ satis esset ad tuendã corporis incolumitatẽ, tamẽ magnã temperantiæ laudẽ apud oẽs meruisse, q̃ nunquã satur è mensa surrexisset. CASS. quoq; non obscurè laudat quendam eremi cultorẽ è Senioribus partiũ Syriæ, qui confessus sit se, licet sexiẽs diuersis aduenientibus fratribus mensam posuisset, & cũ omnib. cibũ sũpsisset, nondũ esse saturũ, sed adhuc esurire. QVOD si cui difficile videatur ad tantã frugalitatis pfectionẽ aspirare, ob contrariã multorum annorũ consuetudinẽ, quib. cõsuêrit largiori cibo

Ezech 16. 49.

Hier. lib. 2.

Cass. coll. 2. c. 23, 23.

Pallad. c. 2.

Cass. l. 5. inst. c. 25.

potuq; se reficere, is norit se inuocato diuino auxilio posse prauã consuetudinem paulatim melioris beneficio expugnare. Exemplum habet
Aug. lib. 10. c. 31. B. AVGVSTINI, qui post conuersionem suam, vt est in Confessionum libris, quotidianum in hoc genere contra carnem bellum susce pit. *In his tentationibus*, inquit, *positus certo quotidie aduersus concupiscentiam manducandi & bibendi. Non est enim, quod semel præcidere, & vlterius non attingere decernam, sicut de concubitu potui. Itaque freni gutturis temperata relaxatione & constrictione*
Poss. c. 22. *tenendi sunt.* Et POSSIDIVS in eius vita scribit eum mensa vsum frugali & parca, quæ inter olera & legumina, aliquando carnes propter hospites & infirmiores quosque contineret. Deinde in ipsa mensa, magis lectionem vel disputationem, quàm epulationem potationemque dilexisse.
C. 27. Adhæc secum commorantibus & conuiuantibus numerum poculorum præfixisse. Denique exemplo Ambrosii in sua patria petitũ ad conuiuia non iuisse, ne temperantiæ amitteretur modus. ALTERVM exem-
Dor. in eius vita. plum est B. DOROTHEI, qui cum Dositheum quendam viri primarii filium inter delitias sæculi educatum instituendum suscepisset, initium fecit ab expugnatione gulæ, ac principio copiã illi fecit comedendi quantum vellet. tum de consuetæ portionis partibus duodecim vnam ademit, & post aliquot dies rogauit, num famem sentiret. cumque respondisset exiguam se sentire, iussit eum continuare, donec nullam amplius sentiret. Dein cepit ex duodecim statæ portionis partibus subtrahere binas, eoque plures, donec ad moderationem legibus temperantiæ conuenientem peruentum est.

VII. REMED. Considera sedulo frugalitatem omnium sanctorum
Hier. ep. 22. ab orbe condito, de quibus multa S. HIERON. in epist. ad Eustochium,
Eus. hom. de ieiun. de custodia Virginit. libro secundo in Iouinianum, Basilius, aliiq; Patres. Primum Adam & Eua, eorumq; posteri ad duo annorum millia victitarunt arborũ fructibus, & terræ oleribus. Populus Israheliticus totos 40.
Num. 11. 34. annos manna & aqua vixit; morte punitus simulatq; carnes cõcupiuit.
3. Reg. 19. 6. Vnde & sepulcra eorum dicta sunt *sepulcra concupiscentiæ.* Eliæ Prophetæ sub quercu lasso per Angelũ mittitur prandium, collyrida panis & vas
4. Reg. 4. 39. aquæ. Elisæus filios Prophetarum inuitat ad prandium herbarum agrestium. Danieli in lacum leonum mittitur *messorum prandium, vt arbitror,* in-
Dan. 14. 35. quit Hieronym. *rusticanum.* Ananias, Misael Azarias in Babylone captiui
Dan. 1. 12. contempta regis mensa leguminibus vescũtur, aquamq; bibunt & pulchriores fiunt. Christus turbam quinq; millium pane pauit, quem nos ob
Ioan. 6. 11. vilitatem parui ducimus. Matthæus Apostolus, teste Clemente Alexan-
Clem. l. 2. pædag. c. 2. drino, solis holeribus cum pane vitam tolerauit. Iacobus frater Domini
Eus. l. 2. hist. c. 22. vino & carne, teste Egesippo, abstinuit. Marci Euãgelistæ discipuli pane,
Hier. de viris ill. sale, hysopo, & aqua contenti fuere, & Eusebius & Hieronymus probat ex Phi-

ex Philone. Quam frugalitatem secutæ cum S. Antonio, & S. Hilarione, per aliquot secula multæ eremitarum myriades. Paulus primus eremita dactilis initio, post dimidiato pane per coruũ quotidie diuinitus misso, semel autem integro cum hospite S. Antonio vixit, vt habet in eius vita Hieronymus, qui & asserit in epist. ad Eustochium, pro luxuria reputatum, si monachus coctum aliquid comederet. CASSIANVS ex sententia Abbatis Moysis dicit refectionem ordinariam monachorum à senioribus statutum duo paximatia, id est, duos paruulos panes, *quos*, inquit, *vix libræ vnius pondus habere certissimum est*. Denique quanta in parsimonia multi alii extra eremum, & cœnobia vixerint, ostendunt vitæ sanctorum. Hier. ep. 22. Cass. l. 2. coll. c. 19.

VIDE V. *Amor sui. Choreæ. Ebrietas. Luxuria, Voluptas carnis.*

H

HÆRESIS.

Remedia contra hæresin.

PRIMVM Remedium. Considera, quid de crimine hæreseos, hereticisq; diuina oracula pronuncient. Hæresin sane inter manifesta lethalia crimina, quæ nos regno cœlorum arceant, annumerant. *Manifesta*, inquit Apostolus, *sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, &c. rixæ, dissensiones, hæreses, inuidiæ, &c. & his similia, quæ prædico vobis, sicut & prædixi, quoniã, qui hæc agunt, regnũ Dei nõ possidebunt.* Gal. 5. Vnde B. Petrus, hæreses vocat, *sectas perditionis*, quia hæretici sua doctrina se aliosq; in æternũ perdunt. 2. Christus Saluator vocat hæreticos *falsos Prophetas, lupos rapaces, pseudochristos, fures & latrones.* B. Paulus verò *pseudoapostolos, operarios subdolos, homines seipsos amantes, cupidos, elatos, blasphemos, sceleslos, sine affectione, proditores, proteruos, voluptatum amatores magis quã Dei, proprio iudicio condẽnatos.* S. Petrus, *pseudoprophetas, magistros mendaces, seruos corruptionis, indoctos & instabiles.* S. Iohannes. *Antichristos & seductores.* B. Iudas, *nubes sine aqua, arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.* 2. Pet. 2. Matth. 7. Matth. 24. Ioan. 10. 2. Cor. 11. 1. Tim. 3. Tit. 3. 1. Pet. 2. 1. Ioan. 2. 2. Ioan. 7. Quia oracula diuina tradunt fidem, quæ contraria est hæresi, necessariũ esse

Heb.11.6. ad salutē. *Sine fide impoßibile* est, inquit Apostolus, *placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inqui, entibus se remunerator est.*

II. REMED. Considera SS. Patrum dicta. Primò enim diabolum faciunt parentem auctoremque hæresum vt B. Ignatius ad Trallianos, & Cyprianus de vnitate Ecclesiæ; nec iniuria, quia teste Saluatore, diabolus *ab initio fuit mendax & pater mendacij.* quid enim aliud est hæresis, nisi mendax & fallax doctrina? 2. matrem hæresum aiunt esse superbiam. *Omnes, hæretici*, inquit Tertullianus, *tument, omnes scientiam pollicentur.* Et Hieronymus in Abdiam. *Quis hæreticorum non in superbiam extollitur?* Deinde Augustinus libro de Pastoribus. *Diuersis locis*, inquit, *sunt diuersæ, sed vna mater superbia omnes hæreses genuit, sicut vna mater nostra Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diuisos.* 3. negant appellandos Christianos. Vt Ignatius, Cyprianus locis citatis & Hieron. contra Luciferianos. *Si enim hæretici sunt*, inquit Tertullianus de præscript. *Christiani esse non possunt.* Et B. AVGVSTINVS in Enchirid. *Si diligenter, quæ ad Christum pertinent, cogitentur, nomine tenus inuenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt, re verò ipsa non est apud eos.* 4. conferunt idololatris, vt Tertull. Origenes, Irenęus, imò faciūt deteriores idololatris, vt Hieron. in Ezech. Imò & Iudæis vt Ambrosius in sermonibus, atque adeò ipso diabolo, vt idem libro tertio de fide. *Hæretici*, addit Hieron. in Isaiam, *omnes vincunt impietate.* 5. comparant eosdem fœdissimis ferocissimisque bestiis. Ignat. ep. ad Smyrnæos canibus rabidis, serpentibus, basiliscis, & squamosis draconibus. B. Cypr. lupis & canibus. Ambrosius noctuis, & vulpibus, Hieronymus Scarabæis. Vincentius Lyrinensis ranis & muscis morituris. Augustinus cimicibus, qui, vt habet libro 4. in Iulianum. c. 9. *dum viuunt mordent, mortui autem fœtent.*

Ign. in ep. 5.
Cyprian. initio.
Ioan. 8. 44.
Tertul de præscript.
Hier. in cap. 1. Abdiæ.
Aug. c. 8.
Aug c. 5.
Tertul. de præs.
Orig. hom. 11. in Ierem.
Hieron. in c. 9.
Amb. serm. 92.
Hier. in c. 18.
Cypr. ep. 52.
Amb. serm. 43.
Aug. in Psal. 80.
Hier. in c. 2. Abac.
Vincent in commonit.

III. REMED. Abstine à colloquio & consuetudine hæreticorum. Id præscribit Apostolus Tito, licet Episcopo. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correctionem deuita, sciens, quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Dicitur autem proprio iudicio condemnatus, teste B. Hieronymo, *propterea quod adulter, fornicator, homicida, & cætera vitia per Sacerdotes ab Ecclesia propellūtur. Hæretici antē in semetipsos sententiam ferunt arbitrio suo de Ecclesia recedentes, quæ recessio propriæ conscientiæ videtur esse damnatio.* Et ad Timotheum. *Profana & inaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit. Deuita*, inquit in suo commonitorio Lyrinensis, *quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscū, ne te non solum tactu, sed etiam visu affectuque percutiant. Quid est prophana? quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, ab Ecclesiæ penetralibus, quæ est templum Dei penitus extranea.* Similiter monet B. Ioannes in altera epistola. *Si quis hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum nec AVE ei dixeritis. Qui enim dicit illi*

Tit. 3. 10.
Hieron.
1. Tim. 1. 16.
Vinc. Lyr.
v. 10.

AVE

AVE, communicat operibus eius malignis. In quæ verba idem Vincentius. *Quam doctrinam? nisi Catholicam & vniuersalem, & vnam eandemque per singulas ætatum successiones incorrupta veritatis traditione manentem, & vsque in secula sine fine mansuram?* IDEM antidotum nobis præscripserunt Patres. Vt CYPRIANVS in epist. ad Cornelium. *Declinent fortiter & euitent dilectissimi fratres nostri verba & colloquia eorum, quorum sermo vt cancer serpit.* Et infra. *Nulla cum talibus commercia, nulla cõuiuia, nulla colloquia misceantur, simusque ab eis tàm separati, quàm sunt illi ab Ecclesia profugi.* AVGVSTINVS in epistola 62. *Hæreticum sicut vitandum monemus, ne infirmos, & paruulos fallat, ita non abnuimus quibuscunque modis possumus corrigendum.* LEO sermone de passione Domini *Viperea hæreticorum vitate colloquia, nihil vobis commune sit cum eis, qui solo sunt nomine Christiani.* EXEMPLO quoq; suo omnes sancti id declararunt. Ita de Apostolis testatur, eorumq; discipulis B. IRENÆVS. *Tantũ,* inquit, *Apostoli & horũ discipuli habuerunt timorem, vt neque verbo tenus communicarent alicui eorũ, qui adulterauerant veritatẽ. Ioannes discipulus Domini in Epheso iens lauari, cum vidisset intus Cerinthum exiliuit de balneo non lotus, dicens, quod timeat ne balneũ concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis. Et ipse Polycarpus Marcioni aliquando occurrẽti, & dicenti sibi, Cognoscenos, respondit, cognosco te primogenitũ Satanæ.* De S. ANTONIO eremita ita scribit Athanasius. *Manichæis aut aliis hæreticis nunquam saltem amicabilia verba largitus est, denuncians talium amicitiam atq; sermones perditionem esse animæ. Sic etiã Arianos detestabatur vt omnibus diceret, ne iuxta quidem eos esse accedendum. Et ipse B. Antonius iam moriturus. Hæreticorum, inquit, & schismaticorum venena vitate, meumq; circa eos odium sectamini. Scitis ipsi quod nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis vnquam fuerit.* S. HILARIVS, quantum abhorruerit ab sui temporis hæreticis Arianis, non obscurè declarat, cum ita scribit libro contra Auxentiũ. *Mihi non erit aliud quàm diabolus, quia Arianus est.* S. HIERONYMVS, quia summo odio prosequebatur hæreticos, ac vicissim summoperè exosus erat illis, ita scribit in Pelagianos. *Fateor, me nunquam hæreticis pepercisse, & omni egisse studio, vt hostes Ecclesiæ mei quoque hostes fierent.*

Cyprian. ep. 55.

Leo serm. 8.

Iren. l. 3. c. 3.

Ath. in eius vita.

Chrys. Hier. lib. 1.

IV. REMEDIVM. Abstine & à librorum hæreticorum lectione, cum enim hæreses nil aliud sint, quam venenum pestis, lepra, vt S. Patres docent, Cypranus, Theodoretus, Augustinus & Gregorius Magnus, certè & à librorum, in quibus venenum illud pestiferum continetur, abstinendum est tractatione. *Vt solet,* inquit Nazianzenus agens de libris hæreticis, *lethale poculum mellis dulcedine temperatũ suauitate fallente perimere, sic & hoc malum per blandimenta aurium audientium sensus quadam labe contaminans, contagione adhærentes inficit.* Quare Isaias Abbas oratione. 4. monachis suis inter cetera præcipit his verbis. *Si librum inueneris, qui dicatur esse hæreticorum, caue illum leges, ne veneno mortifero cor tuum impleat,*

Cypr. ep. 40. Th. in Psal. 1. A. l. 2 quæst. Euang. c. 40. G. 18. mor. c. 9. Naz. lib de fide.

Est in tom. 2. bibl. SS. PP. Marg.

sed

sed in ea doctrina, quàm in Ecclesia sancta didicisti ita persiste, vt ei nihil addas, nihil detrahas. B. EPHRÆM, vt est in eius vita, duos pestilētes Apollinaris hæretici libros, cum à fœmina quadā mutuo accepisset, ita singula folia conglutinauit, vt nunquam vsui cuiquam esse possent, ratus optimè se ea ratione de Ecclesia Catholica mereri. In PRATO Spirituali Sophronii tale narratur exemplum. *Abbas Cyriacus presbyter Lauræ Calamonis narrauit nobis dicens. Die quadam vidi per somnum mulierem honesta facie purpura indutam, & cum ea viros duos habitu venerando, & aspectu præclaro. Arbitratus autem sum mulierem illam esse dominam nostram Dei genitricem, eosque qui cum illa erant viros, S. Ioannem Baptistam, & S. Ioannem Theologum & Euangelistam. Egressusque de cellula orabam illam vt ingrederetur: quæ non consensit. Permansi ergò diutius obsecrans, ac dicens. Ne quæso auertatur humilis factus confusus, & alia plura huiusmodi. Illa igitur, vt me vidit instare precibus, seuerius mihi respondit dicens. Habes intra cellam tuam inimicum meum, & vis vt ingrediar? Et his dictis abscessit. Euigilans autem ego affligi cœpi, & cogitabam, num peccatum aliquod mente contra illam admisissem, nullus enim erat alius in cella. Nihil autem peccati inueniens, nimio mœrore absorptus surrexi, arripuique librum vt lectione mœrorem leuarem, quem mutuo ab Isichio Hierosolymitanæ Ecclesiæ presbytero acceperam. Euoluensque librum inueni duos impij Nestorij libros in fine voluminis scriptos, moxque agnoui hunc esse Dominæ nostræ B. Mariæ inimicum. Tunc surgens abij, librumque Isichio reddidi, dicens me plus detrimenti, quàm vtilitatis ex eo reportasse. Cum verò causam ille scisciteretur, omnem rei ordinem illi retuli. Qui zelo Dei succensus protinus illos duos Nestorij libros ex volumine præcidit, & igni tradidit, dicens. Non manebit in cella mea Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ inimicus.*

Apud Sur.

Prat. c. 46.

V. REMED. est humilitas, si enim hæresum mater est superbia, vt dictum est, necesse est vt humilitate eam à nobis arceamus. Hoc remediū pro amplectenda fide Catholica B. Augustinus dedit Dioscoro his verbis. *Non aliam tibi ad capessendam & obtinendā veritatem viam munias, quàm qua munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas: & quoties interrogaret hoc dicerē: non quo alia non sint præcepta, quæ dicātur, sed nisi humilitas omnia quæcunq; benefacimus, & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita, quā intueamur, & apposita cui adhæreamus, & impositā, qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudētibus totū extorquet de manu superbia: vitia quippe cæterain peccatis; superbia verò etiam in rectè factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittātur. Itaq; sicut Rhetor ille nobilissimus, cum interrogatus esset quid ei primū videretur in eloquentiæ præceptis obseruare oportere, pronunciationem dicitur respondisse; cum quæreretur, quid secundo, eandē pronunciationem: quid tertio, nihil aliud quam pronunciationē dixisse. sic si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil me aliud respondere nisi humilitatem*

Aug. ep. 56.

tem liberet etsi forte alia dicere necessitas cogeret. Cur autem hoc antidotũ contra hæresin sit necessarium ex duplici capite liquet. Primo ex parte fidei Catholicæ. hæreticus siquidem ille dicitur, qui rectam fidem deseruit: at recta fides haberi nequit sine humilitate, qua in captiuitatem, vt loquitur Apostolus, redigatur intellectus. *Fides enim est substantia,* teste eodem, vel fundamentum *rerum sperandarum, argumentũ non apparentium.* Vnde B. Augustinus in Ioannem. *Quid est fides,* inquit, *nisi credere quod non vides?* Credimus enim altissima mysteria vt S. Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, Resurrectionis mortuorum & alia, licet ea non videamus, aut intelligamus. Secundò ex parte Catholicæ Ecclesiæ, quę est mater nostra, & magistra fidei. *Non enim potest Deum habere Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem,* inquit B. Cyprianus. Et Augustinus. *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoueret auctoritas.* At hæreticus is dicitur, qui renuit audire Ecclesiam, eiusque caput Pontificem Romanum, & Patres omnes, qui sunt eius corpus, pluris q; facit sui cerebri in explanãdis scripturis commenta, quam totam antiquitatem. Quomodo autem talis adduci poterit, vt iudicium suum subiiciat summo Pontifici, Conciliis, S. Patribus, sine antidoto magnæ humilitatis?

2. Cor. 10. Heb. 11. 1. Aug. tract. 40. Cyp. de vnit. Eccles. Aug. c. 5. in Epist. Man.

VI. REMEDIVM est ORATIO, vel diuini auxilii inuocatio. Est eiusdem S. AVGVSTINI qui confitetur se hoc antidoto tandem è tenebris sectæ Manichæorum emersisse. Sic enim scribit in libro de vtilitate credendi. *Magnam deliberationem iam in Italia constitutus habui, non vtrum manerem in illa secta, in quam me incidisse pœnitebat, sed quonam modo verum inueniendum esset.* Et paulo post. *Sæpè mihi videbatur nõ posse inueniri, magni q; fluctus cogitationum mearum in Academicorum suffragium ferebantur. Sæpè rursus intuens, quantum poteram, mentem humanam tàm viuacem, tàm sagacem, tàm perspicacẽ non putabam latere veritatem, nisi quodinea quærẽdi modus lateret, eundem q; ipsum modum, ab aliqua diuina auctoritate esse sumendum. Restabat quærere, quænam esset illa auctoritas, cũ in tantis dissensionibus se quisq; illam traditurũ polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis sylua, cui demum inseri multum pigebat. Restabat autem ALIVD nihil in tantis periculis, quàm vt diuinam prouidentiã lachrymosis & miserabilibus vocibus, vt opem mihi ferret, deprecarer. Atq; id sedulò faciebam.* Qua autem occasione & via ad preces & lacrymas peruenerit prolixè narrat ipse libro Confessionum octauo sub finem, ac tandem cap. 12. *Ego,* inquit, *sub quadã fici arbore straui me, nescio quomodo, & dimisi habenas lachrymis, & proruperunt fluminа oculorum meorum, acceptabile sacrificiũ tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi. Et tu Domine vsquequò? Vsquequo Domine trascoris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, & iactabã voces miserabiles? Quamdiu, quamdiu, cras & cras. Quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis mea? Et ecce audio vocem de vi-*

Aug. c. 8. Psal. 6. Psal. 78.

Rom.13.13. *cina domo cum tantu dicentis, tolle lege*. Aperuit ergo codicem Apostoli, legit quæ primò occurrerunt verba. Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, &c. *Nec vltra*, addit, *volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo omnes dubitationis tenebræ diffugerunt*. Conuersionem deinde suam per litteras patefecit S. AMBROSIO, à quo & baptizatus est.

VII. REMED. Non aliud crede, quã quod Ecclesia Catholica credit & credendum esse præcipit, rationemq; eius & causam redde, quod Spiritus S. in sacris litteris doceat eam non posse errare vel deficere. Nã apud Matthæũ Christus promisit B. Petro ne inferi quidẽ portas prævalituras contra Ecclesiã super ipsum ædificandam. Et B. Paulus clarè testatur *Ecclesiam esse columnã & firmamentũ veritatis*. Nec hæretici id negare possunt, nisi verbum Dei euertant. Vnde LVTHERVS in epistola contra Ioannem Wurst docuit *Ecclesiam nõ posse mendacia & errores docere, ne quidem in vno articulo*: Si enim vel vnum mendacium in ea deprehendatur, totã fore falsam. Oecolampadius in Isaiã. pag. 37. 285. & 286. *solam in luce versari, Spiritumq; sanctum semper habere præsentem, & non errare*. Caluinus in Psal. 102. v. 19. & Psal. 22. v. 31 32. & Petrus Martyr. in locis commun. 437. *eã variis modis seruari, perpetuam & inuictam esse*. Nec dicere possunt hæretici apud se esse illam Catholicam Ecclesiam: quia, vt monet VINCENTIVS Lyrinensis. *In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandũ est, vt id teneamus, quod vbiq;, quod semper, q. ab omnibus creditum est. Hoc est etenim verè proprieq; Catholicum, q. ipsa vis nominis ratioq; declarat, quæ omnia verè vniuersaliter comprehendit: Sed hoc ita demum fit: si sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autẽ vniuersitatem hoc modo, si hanc vnam fidem verã esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatẽ verò ita, si ab his nullatenus recedamus sensibus, quos sanctos maiores ac Patres nostros celebrasse manifestũ est. Consensionẽ quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certè pænè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorũ definitiones, sententias q; sectemur*. Et B. AVG. secundũ hanc expositionẽ dicit se in Catholicæ Ecclesiæ gremio teneri. *Multa*, inquit, *sunt quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorũ atq; gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionẽ Dominus commendauit vsq; ad præsentem Episcopatũ successio Sacerdotum. Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod nõ sine causa inter tàm multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt eũ omnes hæretici Catholicos se dici velint: quærenti tamẽ peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorũ, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.*

Matth. 16. 18. 1. Tim. 3. 16.

Lyrin. in common. c. 3.

Aug. con. ep. Man. c. 4.

VIII. REM. In magna veneratione habeas omnes sacros ritus & cerimonias, consuetudines, & præcepta Catholicæ Ecclesiæ. Quod. n. sal præstat carnibus, vagina gladio, cortex arbori, & folia fructibus, hoc cærimoniæ

rimoniæ religioni Catholicæ; declarant enim non solũ illam, sed etiam fouent, nutriunt, augent & cõfirmant. Vnde B. Augustinus lib. 19. cõtra Faustũ Manichæum, meritò scripsit absq; externis cærimoniis impossibile esse seruare religionẽ. Accedit, q̃ rudibus & imperitis vicẽ subeant scripturę & picturę. Sępeq; ex vna ceremonia Ecclesię intelligũt magnũ aliquod mysteriũ, q̃ vix ꝓbari possit. Nã August. lib. 1. de peccatorũ meritis & remissione ꝓbat necessariò cõfitendũ peccatũ originale, (esto q̃ nullũ testimoniũ suppeteret ex scripturis) ex eo solũ, q̃ paruuli exorcizãtur, & insufflantur ante baptismũ, & iubentur per ora gestantium renũciare diabolo & pompis eius. Si. n. nulli obnoxii sint peccato, nõ dominatur eis diabolus, nec egent insufflatione. Deinde per eas Catholici ab hæreticis distinguũtur. Cæremoniæ siquidẽ sunt quasi symbola militaria quibus castra sanctorũ discernũtur ab agminibus dæmonũ. Vnde Ecclesia statim initio mutauit Sabbathũ in diẽ Dominicum, ne cũ Iudęis cõueniret, & postea noluit Pascha celebrari 14. luna mensis primi, ne, vt habet Eusebius libr. 5. hist. Ecclesiast. Iudaizare videremur. Atq; olim sancti maluerũt quęlibet aduersa tolerare, quàm symbola religionis abiicere, ne viderẽtur religionis desertores. Sic. n. Eleazarus in secũdo Machabæorũ maluit crudeliter occidi, q̃ simulare se edisse suillam, dicebat enim, si id faceret, oẽs arbitraturos se deseruisse Hebræorũ religionẽ, cuius exemplũ secuti sunt septẽ Machabęi fratres. Et Tertullianus in libro de corona militis cõmemorat quendã Christianum militẽ maluisse innumeris supplicijs affici, quàm cum cæteris laurea coronari, eo q̃ tunc cerimonia erat Christianorũ, non coronari laurea, ne idololatræ iudicarentur. Sic hoc tempore apertè colligimus aliquẽ esse Caluinistã, si nolit se cruce consignare, aut ad nomen Iesu pronunciatum caput aperire.

Aug. c. 19.

Aug. c. 34.

Euse. c. 23.

2. Mach. c. 6. & 7.

IX. REMED. Si non potes effugere vel disputationem, vel collationem de rebus fidei cum hæretico, (cui tamen te doctrina inferiorẽ non esse existimas) primũ ab eo percõtare, vnde sua argumenta velit depromere contra fidem Catholicam. Si respondeat, vt solent, ex scripturis diuinis, oppone illi nullam vel incertã ex scripturis sperari victoriam, nisi prius constet, vtri sint possessores scripturæ, illi an nos, & vbi sit vera fides & potestas exponendi scripturas. Ita tradit TERTVLL. libro de præscriptionibus. *Non*, inquit, *ad scripturas prouocandum est, nec in his constituendũ certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est. Nã etsi nõ ita euaderet conlatio scripturarũ, vt vtram q̃ partẽ parẽ fisteret, ordo rerũ desiderabat illud prius proponi, q̃ nunc solũ discutiendum est. Quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturæ. A quo, & per quos, & quãdo & quibus sit tradita disciplina, quâ fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ illic erit veritas scripturarum & expositionũ & omnium traditionum Christianarum.* SECVNDO nulla & incerta

Tert. c. 15.

est ex scripturis pugna, nisi cõstet de vero sensu & intelligentia scripturę,
Hil. lib. 2. de Trin. *De intelligentia enim hæresis, nõ de scriptura est*, inquit Hilarius. *Sensus & non sermo fit crimen.* Et Hieron. in epist. ad Galatas. *Non putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu: non in superficie sed in medulla, non in sermonũ foliis, sed in radice rationis.*
Aug. ep. 222. Deinde Avgvstinvs epist. ad Consentium. *Intellectum*, inquit, *valde ama; quia & ipsæ scripturæ sanctæ, quæ magnarum rerum ante intelligentiam suadent fidem, nisi eas rectè intelligas, vtiles tibi esse non possunt. Omnes enim hæretici, qui eas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores, ac per hoc, non quod eas contemnant, sed quod non intelligant hæretici sunt.* Vnde autem veram intelligentiã hauriemus, ab ipsisne nuper natis Lutheranis & Caluinianis, an ab Ecclesia Catholica, q̃ ante
Lyrin. c. 2. multa secula fuit? Non ab ipsis. *Quia* ipsi, vt habet S. Vincentius Lyrinẽsis, *scripturam sacram, pro ipsa sua altitudine nõ vno eodemq; sensu vniuersi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter, alius atq; alius interpretatur, vt penè quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Nouatianus aliter Photinus, aliter Sabellius intelligit.* Aliter Lutherus, aliter Caluinus, aliter Suenckfeldius. Nec valet exceptio, illam non à se petendam, sed à collatione ipsarum scripturarum. Atqui alia collatione, v. c. de verbis Christi, *Hoc est corpus meum*, vtuntur Caluiniani, alia Lutherani ad astruendam suam hæresin. Nullum ergò ad veram intelligentiam assequendam superest refugium, nisi ad Ecclesiam Catholicam, quàm scripturæ com-
Aug. c. 15. mendat, autoritas. vt sapientissimè monuit Augustinus. *Quoniam*, enim, inquit libro 1. cõtra Cresconium, *sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quã sine vlla ambiguitate sancta scriptura demonstrat.* Cur autẽ potius Ecclesię Catholicæ (id est, expositioni omnium Patrum, quotquot post Christum fuerunt eorundemque collationi), quam collationi nouitiorum Prædicantiũ
Id. c. 19. subscribere debeamus, clarè probat idem Augustinus in libro de vnitate Ecclesię. *Puto*, inquiens, *si aliquis Sapiens extitisset, cui Dominus Iesus Christus testimoniũ perhibet, & de hac quæstione consuleretur à nobis, nullo modo dubitare deberemus id facere, quod ille dixisset, ne non tam ipsi, quàm Domino Iesu Christo, cuius testimonio commendabatur, repugnare iudicaremur. Perhibet autem testimoniũ Chris-*
Luc. 24. 46. *tus Ecclesiæ suæ: Ecce Euangelium, lege, vbi ait. Oportebat Christũ pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiã & remissionem peccatorũ per omnes gentes incipiẽtibus ab Hierusalem. Quomodo ergò suscepit ista Ecclesia per omnes gentes incipientibus ab Hierusalẽ, remotis omnibus ambagibus & tergiuersationibus, sic suscipiendus es. Quod si non vis, non mihi aut cuiquam hominum, qui vult ita suscipere, sed ipsi saluatori contra salutem tuam perniciosissimè reluctaris, qui te sic suscipiendum esse non vis credere, quemadmodum suscipit illa Ecclesia quã testimonio suo commendat ille, cui fateris nefarium esse non credere.* Agit autem Augustinus contra

tra

tra Donatistas, qui contendebant hæreticos non esse suscipiendos sine anabaptismo, cum enim illi vrgerent, ex scriptura non posse probari esse ita suscipiendos, respondet Augustinus suscipi ex consuetudine Ecclesiæ, quam scriptura commendat. Nec aliter responderet de aliis omnibus quæ non sunt in scriptura. Vt quod Euangelium Matthæi sit verè Matthæi, quod vetus testamentum, & singuli eius libri sint verè verbum Dei, id enim non scimus nisi traditione Ecclesiæ, quam vt ducem & Magistram infallibilem nobis commendat scriptura. Vnde non dubitauit scribere idem Augustinus. *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoneret auctoritas.* Primum ergò, vt omnes abscindantur quæstiones, quærendũ est vbi sit vera Ecclesia & vera fides: ea enim inuenta, constabit quæ sint germanæ scripturæ, & quæ germana & vera expositio scripturarum, vt supra dicebat Tertullianus. Aug.con.epist. Manich.c.5.

VIDE V. *Amor sui. Contentio. Curiositas. Iudicium proprium. Obstinatio. Superbia.*

HYPOCRISIS.

Remedia aduersus hypocrisin.

I. REMED. Considera quid Spiritus sanctus in diuinis literis contra hypocritas, simulatores & dolosos homines enunciet. Primo enim arguit & vetat hypocrisin. Nam apud Isaiam ait. *Omnis hypocrita est & nequam.* Et apud Sapientem. *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum.* Et Matthæum. *Hypocrita eiice primum trabẽ de oculo tuo.* Et Lucam. *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra,* Et iterum. *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* 2. comminatur eis, & maledicit, vt apud Iob. *Spes hypocritæ peribit. Non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius.* Et. *Simulatores & callidi prouocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint.* Et apud Dauidem. *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Et Salomonem. *Abominatio Domini est omnis illusor.* Et Ieremiam. *Pacẽ cum amico suo loquitur, & occultè ei ponit insidias. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus?* Et Malachiã. *Maledictus dolosus.* Certè apud Matthæũ. in solo capite 23. octo maledictiones fulminat Spiritus sanctus, vel Christus in hypocritas. 3. declarat eos iacturã facturos in vita & bonis temporalibus, vt apud B. Iob. *Congregatio hypocritæ sterilis.* Et. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Et apud Psalmistã. *Dolosi non dimidiabunt dies suos.* Et Sapientem. *Ingrediens duas vias non habebit successus.* 4. docet facturos iactura gratiæ diuinæ & vitæ æternæ. Vt apud Iob. *Non veniet in conspectum Dei omnis* Iob.8.13. Iob.36.13. Psal.5.7. Prou.3.32. Ier.9.8. Iob.15.34. Iob.20.5. Psal.54.24. Iob.13.16.

Sap.1.5. Iob.27.9. Matth.24.51. *hypocrita.* Et apud Sapientem. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Et. *Quæ est spes hypocritæ, si auarè rapiat, & si liberet Deus animam eius. Numquid audiet Deus clamorem eius, cum venerit super eum angustia?* Et apud Matthæum. *Partem q; eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus & stridor dentium.*

Cyp.serm.de ieiun. II. REMED. Considera S. Patrum testimonia. B. CYPRIANVS. *Tanta,* inquit, *est hypocritarum dementia vt fœtoribus pro odoribus abutantur, & pretiosa vilia, & aspera suauia arbitrentur, & fauorum sapor omniũ dulcedinum superet condimenta, omnis q; delira sensualitas contrariis delectetur.* S. AMBROSIVS libro 7. Epistolarum ad Constantium. *Nemo etiam in dolo loquatur ad proximũ suum. Laqueus est in labiis nostris, & sæpè vnusquisq; sermonibus suis nõ explicatur, sed inuoluitur. Fouea alta est os maleuoli, grande innocẽtiæ præcipitiũ, sed maius maleuolentiæ. Innocens, dum credit facilè, cito labitur, sed tamen iste lapsus resurgit: maledicus autẽ suis artibus præcipitatur, vnde nunquã exiliat, atq; euadat. Ponderet ergo vnusquisq; sermones suos non cum fraude & dolo.*

Amb.ep.44. Lact. lib.4. c.17. LACTANTIVS in libris institutionum. *Circumcisio instituta est à Deo, vt figura esset secundæ circumcisionis, quando datur pectus, vt significaret aperto & simplici corde debere nos viuere, ne aliquod facinus inter conscientiæ secreta velemus.* S. BASIL. in Hexæmeron. *Non silebo polypi dolos ac suracitatem. Is cuicunq; saxo adhæserit, illius colorem subit, atq; adeo vt piscium complures ad ipsum de improuiso nantes, tanquã ad Saxũ appellant, paratam q; se prædam illi offerant. Tales sunt (hypocritæ) qui sobrietatẽ cum sobriis laudant. intemperantes sunt cum intemperantibus, atq; ad id, quod cuiq; placet suam omnino sententiam vertunt. Quos euitare facile nemo potest, propterea quod pietatis prætextu prauitas eorum fucata & adornata profundè latet.*

Baſ. hom.7. Chryſ. hom.19. S. CHRYS. in Matthæũ in imperfecto. *Nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatum bonum. nam manifestum malũ quasi malum fugitur & cauetur: malum autem sub specie boni cœlatum, dum non cognoscitur, nec cauetur: sed quasi bonũ suscipitur. Sic serui diaboli tunc pessimè Christianitatẽ corrumpunt, quando se simulant Christianos, de quibus monet suos & nos Christus,*

Matth.7.15. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniũt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autẽ sunt lupi rapaces. Quia magna virtus est hominũ cognoscere malum, & firma tutela*

Id hom.45. *salutis est scire quẽ fugias.* Et rursũ in verba. væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritę, q similes estis sepulchris dealbatis. *Corpora,* inquit, *peccatorum sepulcra dicũtur mortuorum, quia anima mortua est in corpore peccatoris. Sicut ergo sepulcrũ, quamdiu clausum est pulcrũ videtur foris; si vero fuerit apertũ, horribile est: sic & simulatores bonorum, quandiu non cognoscuntur laudabiles sunt: cum autẽ cogniti fuerint, inueniũtur abominabiles.*

Aug. in Pſal. 63. S. AVG. in Psalmos. *Simulata innocentia nõ est innocẽtia. simulata æquitas nõ est æquitas, sed duplex iniquitas, quia & iniquitas est, & simulatio.*

Greg. lib.8. c.36. S. GREG. in libris Moralium. *Hypocritæ operaturi laudes suas cogitant: laudati autẽ secum taciti in cogitationibus versant. Gaudent se præcipuos in humana æstimatione claruisse. Cum q; inflati fauoribus apud semetipsos intumescũt, sæpe mirãtur taciti etiã ipsi quod sunt. Videri quotidie semetipsis altiores cupiunt, ac mirã inuentio-*

inuentionibus in opere excrescunt: quia sicut virtus humilitatis omne vitium eneruat, sic arrogantia roborat. Cogit nam q̃ mentẽ inuenescere, & contra vires valere, quia & q̃ negat vigor valetudinis, amor imperat laudis. Vnde & factis suis arbitros inquirunt. Si verò eorũ operi testes deesse cõtingat, narrant ipsi quæ gesserint. Cum q̃ efferri fauorib. cœperint. sæpe eisdẽ suis operibus, q̃ egisse se referunt, mẽtiendo aliquid adiungũt. S. BERN. in Cãtica. *Hi (hypocritæ hæretici) oues sunt habitu, astu vulpes, actu & crudelitate lupi. Hi sunt q̃ boni videri, non esse: mali nõ videri, sed esse volunt. Mali sũt, & boni videri volũt, ne soli sint mali: mali videri timẽt, ne parũ sint mali. Etenim minus semp malitia palã nocuit, nec vnquã bonus, nisi boni simulatione deceptus est.* Bern. serm. 66

III. REM. Considera quis propriè dicatur Hypocrita. S. BAS. in homilia de ieiunio. *Hypocrita*, inquit, *dicitur histrio, qui in theatro personã sustinet alienã: sepè heri, cum sit seruus: aut regis, cũ sit priuatus. Itidẽ in hac vita pleriq̃ vitã suã velut è proscenio ad ostentationẽ componunt, aliud in corde gerentes, aliud in specie hominum oculis præ se ferẽtes.* Et AVG. in sermonẽ Domini in monte. *Sunt hypocritæ simulatores, tanquã pnunciatores alienarũ personarũ, sicut in theatricis fabulis, &c. sic in omni vita humana, quisquis se vult videri quod nõ est, hypocrita est. Simulat. n. iustum, & nõ exhibet, quia totum fructum in laude hominũ ponit: quã possunt etiã simulantes percipere, dum fallunt eos quib. videntur boni, ab eis q̃ laudantur. Sed tales ab inspectore cordis Deo mercedẽ non capiunt, nisi fallaciæ supplicium. rectissimeq̃ his dicitur. Recedite à me operarij dolosi: nomen enim meum habuistis, sed opera mea non fecistis.* GREG. NAZIANZ. comparat hypocritam *meretrici, quæ situt, cum natiua pulcritudine destituta est, ad colores, pigmenta & fucos cõfugere solet: ita hypocrita cum specie solidæ perfectæque virtutis careat, adumbrationem quandam pietatis externã simulat, qua eorum oculos retinet, qui adumbrata virtutis simulatione capiuntur.* Hinc colligit B. Hieronymus agens cõtra Pelagianos, *quamuis aliis vitiis carere possimus, hypocriseos tamen maculam habere non posse, aut paucorum esse aut nullorum*; nam qui vult se videri quod non est, hypocrita est. Basil. hom. 1. Aug. lib. 2. c. 3. Hieron. in c. 22. Matth. Greg. orat. funebri Patris. Hieron. lib. 2. Aug. serm. 59. de temp.

IV. REMED. Considera, quam laudata sit in scripturis, & S. Patribus virtus cõtraria hypocrisi, nempe simplicitas, qua is simplex dicitur; qui est omnis simulationis, fictionis & doli expers, qui non cogitat malum, nec suspicatur de aliis, qui malũ malo nõ repẽdit, qui loquitur & agit sicut sentit. Ab hac. n. inprimis in diuinis literis laudatur Iob, Deo dicẽte ad Satã. *Numquid considerasti seruũ meũ Iob q̃ non sit ei similis in terra, vir simplex &* Iob 1. 3. *rectus?* Et Patriarcha Iacob. *Iacob autẽ*, inq̃t, *vir simplex habitabat in tabernaculis.* Et in psalmis, dicitur regno cœlorũ dignº. nã Dauid cũ dixisset. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo* subiecit *Qui loquitur veritatẽ in corde suo: q̃ nõ egit dolũ in lingua sua: nec fecit pximo suo malũ: q̃ iurat pximo suo & nõ decipit, &c.* Et Nathanael, quo cõspecto Christº dixit. *Ecce verè Israhelita, in quo dolus nõ* Iob. 1. 47. est. Imò Christº ipse, de quo B. Petrus. *Qui peccatũ nõ fecit, nec inuẽtus est dolus* 1. Pet. 2. 22. *more eius; q̃ cũ malediceretur nõ maledicebat.* Deinde hanc cõmendat Christus Matth. 10. 16.

Apo-

1.Cor.14. 1.Pet.2.2. Apostolis, dicens. *Estote simplices, sicut columbæ.* Paulus Corinthius. *Malitia paruuli estote.* Petrus electis aduenis. *Deponentes,* inquiens, *omnẽ malitiam, & omnem dolum & simulationes, &c. sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo*

Prou.3.32.10.28. *lac concupiscite.* Cõmendauit & ante illos Salomon. *Cum simplicibus,* inquit, *sermocinatio eius.* id est, Dei. *Voluntas eius in his qui simpliciter ambulant. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Qui ambulat simpliciter, saluus erit.* Ter-

Aug.q.53. tio commendant simplicitatem S. Patres, vt AVGVSTINVS in libro 83. quæstionum. *Sicut prope summa & diuina virtus est,* inquit, *neminem decipere, sic*

Amb.c.22.& 24. *vltimum vitium est, quemlibet decipere.* Et AMBROSIVS libro secundo officiorum. *Quinetiam verborum ipsorum, & præceptorum esse mensurã conuenit, ne aut nimia remissio, videatur, aut nimia seueritas. Plerique enim remissiores malunt esse, vt videantur boni. Sed nihil simulatum & fictum veræ virtutis esse certum est, quinetiam & diuturnũ esse non solet. In principio vernat, in processu tanquã flosculus dissipatur & soluitur: quod autẽ verum ac syncerum, alta radice fundatur.* Et infra: *Ergo bonis artibus, & syncero proposito nitendum ad honorẽ arbitror, maximè Ecclesiasticum. Ad omnia abundat animi directa simplicitas, satisque se ipsa commendat.* Et

Hier.ep.13. HIERONYMVS ad Paulinum, de institutione monachi. *Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos, & serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidiis. Nam multum distat in vitio, vel decipere posse, vel decipi Christianum.*

Isa.16. Et libro 7. in Isaiam, sub finem. *Si castum esse me simulo, & aliud est in conscientia mea: habeo non gloriã mercenarij, sed supplicia peccatoris. Et in comparatione duorum malorum, leuius malum est, apertè peccare, quàm simulare & fingere*

Chry.hom.7. *sanctitatem.* Denique CHRYSOST. in Acta Apostolorum. *Quis non obstupesceret, quis non admiraretur hominem moribus simplicem, vel quis non iungeret se ei, qui subdolus non est? aut quorum aliorum est salus, quorũ præter hos eximia illa felicitas? Nonné Pastoribus initio Euangelium prædicatum est? nonnè Ioseph simplex homo erat, adeò vt nec per adulterij suspicionem perterreretur, quo peccato perpe-*

Prou.15. *trando consentiret? Nonnè agrestes fuci expertes elegit* (in Apostolos?) *Anima enim, inquit, benedicta omnis simplex. Et iterum. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Dicat aliquis. Nonné & prudentia opus est? At quid aliud est simplicitas, quam prudentia? Quando enim nihil suspicaris mali, neque moliris malum, quando nihil fers molestè, neq; vindictam meditari poteris. Via quædam est ad Philosophiã simplicitas.* Et paulo post. *Quid igitur, si in malos inciderit viros talis? Deus, qui præcepit esse simplices, porriget manum, quid simplicius erat Dauide? quid Saule malignius? Vter igitur superauit? quid Ioseph us? nonnè simpliciter appellabat heram. illa eum contra callidè? & quid quæso detrimenti inde passus est? Quid Abele fuit apertius? Quid Caino maleficentius? Idem Ioseph us nonne citra fucum agebat cum fratribus? nonne propter hoc probatus fuit, eo quod ipse quidem omnia absque suspicatione loquebatur, illi autem malitiosè insidiabantur? & poterat Deus permittere illum nõ incidere in illos, sed permisit, vt ostenderetur miraculum, quod illi quidẽ quod poterant, conarentur, ille tamen vicit.*

V. RE-

V. REMED. Considera exempla eorum, quibus pessimè cessit hypocrisis, vel simulatio. Primum est AMBROSII de Absolone, *Absolon*, inquit, *erat Dauidis regis filius, decore insignis, egregius forma, præstans iuuenta: ita vt vir talis in Israhel non reperiretur, à vestigio pedis vsq; ad verticẽ immaculatus. Is fecit sibi currus & equos, & viros quinquaginta, qui præcurrerent ante eum. Surgebat diluculo, & stabat ante portã in via: & si quem aduertisset regis iudicia quærentem, accedebat ad eum, dicens: Ex qua ciuitate es tu? respondit ille. ex vna tribu sum de tribubus Israel, seruus tuus. Referebat Absolon. Verba tua bona sunt & directa, & quite audiat non est tibi datus à rege. Quis constituet me iudicẽ? Et quisquis ad me veniet, cuicunq; fuerit iudicium necessariũ iustificabo illum. Talibus delinibat singulos sermonibus. Et cum accederent adorare eum extendens manus suas, apprehendebat, atq; osculabatur eos. Sic conuertit in se corda omnium, dum blanditiæ huiusmodi intimorũ tangunt viscerũ sensum. Sed delicati isti & ambitiosi elegerunt honorabilia & grata ad tempus & iucunda: vbi autẽ parua processit dilatio, &c. non potuerunt tolerare ac sustinere, &c. Liquet igitur ea esse perpetua ac solida, quæ vera sunt, & quæ syncerè potius, quam dolo congregantur. Ea verò quæ simulatione atq; assentatione parta sunt, nõ posse diu perseuerare:* ALTERVM est eiusdem de Gabaonitis. *Vbiq; honestatis præponderat consideratio, quæ dolum excludit, fraudem eiicit. Vnde rectè generalem Dauid Propheta prompsit sententiam, dicens. Nec fecit proximo suo malum. Non solũ itaq; in contractibus, sed etiam generaliter in omnibus dolus abesse debet, aperienda simplicitas, intimanda veritas est. Veterem autem istam de dolo non Iurisperitorum formulam, sed patriarcharum sententiam scriptura diuina euidenter expressit in libro testamenti veteris, qui Iesu Naue inscribitur. Nam cum exisset fama per populos siccatum esse mare in Hebræorũ transitu, &c. corruisse muros Iericho, &c. Gabaonitæ metuentes validam manum venerunt cum versutia simulantes se de terra longinqua esse, diuq; peregrinatos dirupisse calciamenta, detriuisse amictus vestium, quare veterascentium indicia monstrarunt. Causam autẽ tanti laboris, emerendæ pacis & ineundæ cum Hebræis esse amicitiæ cupiditatem, & cœperunt ab Iesu Naue poscere, secum firmaret societatem. Et quia adhuc erat ignarus locorum, atq; incolarum insçius, non cognouit fraudes eorum, neque Dominum interrogauit, sed cito credidit. Adeo sancta erat illis temporibus fides, vt fallere aliquos posse non crederetur, &c. Hoc est, innocentem esse, ignorare quod noceat: & si circumscribitur ab aliquo, de omnibus tamen bene iudicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur. Hac igitur mentis suæ deuotione inclinatus vt crederet, testamentum disposuit, pacem dedit, confirmauit societatem. Sed vbi in terras eorũ ventum est, deprehensa fraude, quod cum essent finitimi aduenas se esse simulauerant, circumscriptũ se populus patrũ indignari cœpit. Iesus tamen pacem quam dederat reuocandã non censuit, quia firmata erat Sacramenti religione: ne dum alienã perfidiam arguit, suam fidem solueret. Multauit tamen eos vilioris obsequio ministerij. Clementior sententia, sed diuturnior. Manet enim officijs pœna veteris astutiæ hæreditario in hunc diem ministerio deputata.* TERTIVM est eiusdem de Anania &

Amb. 2. offic. c. 22.

2. Reg 15.

Id. l. 3. offic. c. 10.

Psal. 143.

Ios. 3. 6. 9.

Simplicitas.

Ib. c. 11.

Act. 5. Sapphira. *Regula*, inquit, *iustitiæ manifesta est, quod à vero declinare virum non deceat bonum, nec damno iniusto afficere quenquam, nec dolo aliquid annectere, fraudisue componere. Quid euidentius eo, quod Ananias, quia fraudauit de pretio agri sui, quem ipse vendiderat, & portionem pretij tanquam summæ totius numerum ante pedes posuit Apostolorum, sicut reus fraudis interiit? Licuit vtique illi nihil offerre, & hoc sine fraude fecisset: sed quia fraudem admisciuit, non liberalitatis gratiam reportauit, sed fallaciæ pœnam exoluit.*

Exempla tria ex historia Ecclesiastica.

Trip. lib. 9. c. 48. S. Epiph Cypr. Episcopus. PRIMVM est in historia Tripartita Cassiodori. *Quidam pauperes studentes Epiphanium arte deludere, vt eis aliquid daret, cum iter ageret, vnus eorum supinum se prostrauit in terra, alter verò stabat quasi mortuum deflens, nec habens vnde eum sepelire posset. Epiphanius autem superueniens orauit, vt sub quiete dormiret, & sepulturæ necessaria præbuit, simulque consolatus est flentem dicens. Quiesce fili à lachrymis: non enim fletu resuscitari poterit. Cumque discessisset Epiphanius, cœpit ille pulsare socium, vt resurgeret Et cum hoc secundo fecisset, dicens. Surge hodie tuis laboribus epulemur: & ille penitus non sentiret, cognoscens verè mortuum, cucurrit ad Epiphanium flens & petens, vt eius socium suscitaret. At ille consolatus est eum, hortans ne ferret grauiter, quod euenerat, non tamen defunctum denuo suscitauit. Hoc enim credo prouidè gestum, vt ministri Dei non facilè deludantur.* SECVNDVM est priori simile in vita B. GREGORII Thaumaturgi descripta à GREGORII Nysseno de duobus pauperibus Hebræis, quorum alter se mortuum in via publica confinxerat, alter verò mortem fictè deplorans necessaria ad funus à Gregorio illac iter habente postulabat. cui pallium suum B. Gregorius illico iniecit, & ceptum iter prosecutus est. At pallii iniectio animam è iacentis corpore eiecit. TERTIVM est B. GREGORII in quarto Dialogorum. *Est*, inquit, *apud nos nunc Athanasius ex Isauria presbyter, qui in diebus suis Iconij rem terribilem narrat euenisse. Ibi namque, vt ait, quoddam monasterium Thongolaton dicitur, in quo quidam monachus magnæ æstimationis habebatur, bonis quippe cernebatur moribus, atque in omni actione sua compositus, sed sicut ex fine res patuit, longe aliter, quàm apparebat, fuit. Nam cum iciunare se cum fratribus demonstraret, occultè manducare consueuerat. Quod eius vitium fratres omnino nesciebant. Sed corporis superueniente molestia ad vitæ extrema perductus est. Quicum iam esset in fine, fratres ad se omnes, qui monasterio inerant, congregari fecit. At illi tali, vt putabant, viro moriente, magnum quid ac delectabile se ab eo audire crediderant. Quibus ipse afflictus & tremens compulsus est prodere, cui hosti traditus cogebatur exire. Nam dixit. Quando me vobiscum credebatis iciunare, occultè comedebam: & ecce nunc ad deuorandum draconi*

S. Greg. Neocæs. Episc.

Greg. c. 38.

traditus

traditus sum, qui cauda sua mea genua, pedesque colligauit, caput verò suum intra meum os mittens Spiritum meum ebibens extrahit. Quibus dictis statim defunctus est, atque vt pœnitendo se liberare potuisset à dracone, quem viderat, expectatus non est. Quod nimirum constat, quia ad solam vtilitatem audientium viderit, qui eum hostem, cui traditus fuerat & innotuit, & non euasit.

VI. REMED. Considera exempla eorum, qui discrimen capitis adire maluerunt, quàm simulare se fecisse, quod non fecerant. Primum est nonagenarii senis Eleazari, de quo in libris Machabæorum, cui cum quidam persuadere conarentur, secreto, vt vesceretur carnibus, quibus ei vesci licebat, vt ita simularetur manducasse, quod rex Antiochus imperauerat, de sacrificii carnibus, respondit cito, se malle mori. *Non enim*, inquit, *ætati nostræ dignum est fingere, vt multi adolescentes, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. Nam etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum omnipotentis, nec viuus, nec defunctus effugiam.* 2. Matth. 6. ALTERVM exemplum sit S. Anastasii Martyris, Persæ, qui cum Cæsareæ Palestinæ à Marizabana Persarum Duce post multos cruciatus, per certum hominem rogatus esset, vt verbo saltem vnico suam religionem inficiaretur: (quid enim, inquit, ea ex re detrimenti capies, cum cor non simul loquatur?) eum à carcere & suppliciis solutum iri. Ilico Anastasius post fusas preces respondit. Neque tu me, neque vllus alius impulerit me, vt hoc faciam: non ô rex & Deus, ne specie quidem tuum nomen, neque in somnis, aut vllo alio modo videris negantem. Vnde & in Persidem auectus est, & martyrii corona ibidem ornatus. In Surio. 22. Ianuar.

VII. REMED. Considera vitium hypocriseos hoc magis tibi esse execrandum & fugiendum, quo hominem similiorem reddit diabolo. Prima enim in scripturis sanctis proprietas diaboli est, quod cum ipse sit Spiritus tenebrarum teterrimus, tamen ad fallendos homines *transfiguret se in Angelum lucis:* non secùs hypocritæ, cum ipsi intus & in cute pleni sint immunditia & iniquitate, tamen secundum externam speciem venditant se tanquam probos & sanctos. Altera proprietas est, quod sit *mendax, imò pater*, & auctor, *mendacij*, sic prorsus, vt *dum mentitur ex propriis loquatur.* Ita enim disertè testatur Christus apud Ioannem. Vnde B. Augustinus in libris de ciuitate Dei scribit eos *ad decipiendum nos semper esse vigilantissimos*, imò *miris modis fallacia delectari:* Haud secus scribæ & Pharisæi, quos CHRISTVS toties vocat hypocritas, simulatione sua nihil aliud faciebant reipsa, quam quod mentirentur, & conarentur per fraudem capere in sermone Dominum. Quare & in eodem sermone apud Ioannem, vbi diabolum patrem mendacii appellauit 2. Cor. 11. 14. Ioan. 8. 44. Aug. lib. 3. c. 7. & l. 4. c. 31. Matth. 22. 15. Ioan. 8. 44.

Matth.23.33. apertè eis obiecit. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Ac certe apud Matthæum iisdem, multis alioquin sceleribus coopertis, non solam hypocrisin cum tot maledictionibus exprobasset, & serpentes ac genimina viperarum nuncupasset, nisi flagitium in iis fuisset prorsus diabolicum.

VIII. REMED. Considera non omnes simulationes, fictionesue imò etiam dolos semper esse vitiosos, vel mendacia, sed quasdã esse pias simulationes & pios dolos, vt fuit ille de quo Apostolus, *Cũ essem astutus, dolo vos cæpi.* Exempla suppetunt multa. Primum est Christi Domini, qui coram duobus discipulis euntibus in Emmaus simulauit se peregrinũ, finxitq; se longius ire, vt eis hospitalitatis secũ exercendæ ansam præberet. 2. est B. Pauli, qui in priore Epistola ad Corinthios profitetur se infirmis infirmũ, Iudæis Iudæum, gentilibus gentilẽ, imò omnibus omnia factum, vt omnes lucrifaceret & faceret saluos. quod reipsa præstitit, cũ Timotheum curauit circumcidi, & ipse in Cenchris palam totondit caput, ne videretur legẽ Moysis eiusq; ceremonias abominari. Vnde Augustinus ad Consentium. *Quod Paulus ait. Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem, compatiendo id fecit, non mentiendo: Fit enim quisque tanquam ille, cui vult subuenire, quando tanta misericordia subuenit, quanta sibi subueniri vellet si ipse esset in eadem miseria constitutus. Ita fit tanquã ille, non quia fallit illum, sed quia se cogitat sicut illum.* 3. exemplũ est S. Athanasii. Nam, vt est in eius historia, coacto ad Tyrum Concilio cum Ariani Episcopi subornassent mulierculam quæ accusaret Athanasium, quod hospitio acceptus sibi stuprũ per vim intulisset: introductus est Athanasius & vna cum eo, Timotheus presbyter, qui simulans se esse Athanasium. Egoné, inquit, mulier apud te sum diuersatus? ego te violaui? cui illa petulanter. Tu mihi vim intulisti. Qua fraude cognita reiecta est mulieris impudentia. 4. est B. Abrahami eremitæ, qui vt cognouit neptem suã Mariam, quam in omni pietate instituerat, oblapsum in fornicationem, fuga elapsam, turpique quæstu alicubi omnibus corpus suũ prostituere, abiecto amictu heremitico assumpsit militarem, nullis sumptibus laboribusque parcens donec eam inueniat. Vbi inuenit in quodam diuersorio, simulat apud hospitem se magno eius amore teneri, cœnam opiparã curat instrui, mensæ illã adhibet, libere vna cum illa carnibus, à quibus quinquaginta iam annos abstinuerat, vescitur, à cœna eam in intimum cubile abducit, remotisq; arbitris detracto pileo è capite declarat quisnã sit. illa vbi veterem patruum & magistrum agnouit tota contremiscere & supplex ad pedes illius labi. Senex contra eam erigere, veniam spondere de lapsibus, se rationem pro ipsa redditurum in die iudicii, si resipiscat. ergo ad mentem & eremum cum eo rediit, tantasq; de se reliquo vitæ cursu pœnas

2.Cor.12.16. Lucæ 24.

1.Cor.9.22.

Act.16.3. Act.18.18. Aug. contra mendac.c.12.

In Surio. 2. Maii. Ruffin.lib.10. c.17.

In Sur.16.Martii. & Ephræm. tom.3.

nas exegit, vt etiam miraculis claruerit, & in cœlitum numerum relata sit.

VIDE V. *Adulatio. Amor sui. Immortificatio passionum. Inconstantia. Linguæ abusus. Mendacium. Timor humanus.*

I

ILLVSIONES SPIRITVALES.

Remedia pro illis discernendis à diuinis inspirationibus.

PRIMVM Remedium est ex parte materiæ inspiratæ. Considera, an visiones, reuelationes, & quicquid tibi inspiratur, sit consentaneum diuinis litteris, traditioni, communi doctrinæ Ecclesiæ Romanæ, & rectæ rationi. nam si non fuerit, certo scire debes non esse inspirationem diuinam, sed illusionem dæmonis. Vnde Christus Saluator omnes tentationes sibi à dæmone in deserto factas, quia non congruebant cum diuinis litteris, testimoniis earundum repressit. Matth. 4.

II. REMED. ex parte eorum, qui discernere possunt adulterinas inspirationes, à veris & salutaribus, vti ordinariè sunt viri doctrina & pietate præstantes. Quales consules, quoties ambigis de inspiratione diuinane sit an diabolica. Docet enim D. Paulus. *Omnia probate, quod bonum est tenete.* & S. Ioannes. *Nolite omni Spiritui credere; sed probate Spiritus si ex Deo sint.* Quod autem non quiuis simplex laicus probare possit, an Spiritus ex Deo sit, inde liquet, quod Apostolus in priore epistola ad Corinthios discretionem Spirituũ numeret inter dona Dei, quæ Theologi vocant gratias gratis datas, quæ paucis dantur. Vnde & in eadem dicit. *Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat, quæ scribo vobis. Sciat me,* inquit B. HIERONYMVS in epistola ad Minerium & Alexandrum, *illud Apostoli libenter audire. Omnia probate, quod bonum est tenete. Et Saluatoris verba dicentis. Estote probati numularij: vt si quis nummus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur. Qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur.* 1. Thess. 5. 21. 1. Ioan. 4. 1. 1. Cor. 12. 10. Ib. c. 14. 37. Hier. ep. 152.

III. REMED. est ex parte subiecti, vel personæ cui facta est inspiratio. Hic enim Pater spiritualis, qui delectus erit in probatorem Spiritus, memor esse debet dicti TERTVLLIANI, vt non fidem ex persona, sed personam ex fide æstimet & probet. ac primo indagare, num is cui visiones, vel inspirationes illæ contingunt sit integri & sani cerebri; nam si non sit, mox amandandus est, monenduſque esse mera phantasmata. 2. an sit fœmina. cum ea enim longè cautius agendum erit, quam cum viro, quia dæmon per eam primum parentem decepit, sicut initio Christianismi per Maximillam, & Priscillam Nouatianos & Montanistas, ac inter hos nostrum doctissimum Tertullianum, vt apparet ex libro de anima, vbi probat animam nostram esse corporeã ex visione Priscillæ, quæ in Ecclesia tempore diuini officii per extasin rapiebatur, & loquebatur cum Angelis. 3. sitné diues vel pauper: nam diuiti facile obrepit superbia, pauperi verò simulatio. 4. an publicam cum multis, vel priuatam cum paucis: religiosis vel secularibus, probis vel improbis vitam agat. Nam vt ait Psalmista. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente, innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Et Salomon. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit.* Et. *Qui communicauerit superbo, induet superbiam.* SECVNDO debet Pater spiritualis, eum qui suas vel visiones vel inspirationes patefecerit, potius obiurgare quam laudare, serioque monere ne fidem facile illis præstet, ac docere, vt quoties contingunt dicat cum Petro ex humilitate. *Exi à me, quia homo peccator sum.* aut cum eremita illo, qui dæmoni apparenti in specie Gabrielis archangeli, dixit. Forte ad alium à Deo missus es, ego enim visitatione Angelorum non sum dignus. Quod si obiurgationem, vel monitionem hanc molestè ferat, facile probaueris an spiritus ex Deo fuerit. *Qui enim odit increpationes,* inquit Sapiens, *insipiens est.* Et. *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris.*

Tertull. de præscript.

Tert. c. 9.

Psal. 17. 26.

Prou. 13. 20. Eccli. 13. 1.

Luc. 5. 8. Vitæ PP. lib. de obed. c. 35.

Prou. 12. 13. Eccli. 21. 7.

V. REMEDIVM ex parte signorum, quæ ordinariè solent diuinam inspirationem antecedere, quæ annotauit S. BERNARDVS in Cantica. Primum est, si homo intus, vel foris moueatur ad tuendam iustitiam. *Iustitia* enim *& iudicium præparatio sedis tuæ*, ait Psaltes. 2. est, si moueatur ad sectandam humilitatem, caritatem fraternam, obedientiã erga prælatos, puritatemque maximè cordis & pacem. *Beati mundo corde*, ait Christus, *quia ipsi Deum videbunt.* Et Dauid. *In pace factus est locus eius.* 3. Si sentiat recordatione peccatorum conscientiam pungi & vri, doleatque toto corde de peccatis. *Ignis ante ipsum præcedit*, inquit idem. Et. *Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde.* Ac Dominus apud Isaiam. *Ad quẽ respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementem sermones meos?* 4. est B. AVGVSTINI in libris Confessionum, si initio quidem turbet, maxime hominem minus spiritualem, ac terreat, sed mox cõsoletur. *Inhorresca*

Bern. serm. 57.

Psal. 88. 15.

Matth. 5. 8. Psal. 75. 3.

Psal. 96. Psal 33. 19. Isa. vlt. 2.

Aug. lib. 11. c. 9.

resco, inquit, *in quantũ dissimilis ei sum: inardesco, in quantum similis ei sum.* Proprium enim Spiritus diuini consolari: terror verò est tantum signũ bonum Spiritus aduentãtis. Malus verò Spiritus in Angelũ lucis trãsfiguratus primo aspectu exhilarat animã vt oculos aspectus rosæ, sed mox cõtristat, ac tandẽ eam in desperationẽ & obstinationẽ conatur inducere.

VI. REMED. est ex parte signorum, quæ comitantur vel sequuntur diuinam inspirationem. S. GREGORIVS in quarto dialogorũ libro generatim vnum signũ proponit. *Sancti*, inquit, *viri inter illusiones, atq; reuelationes ipsas visionum voces, aut imagines quodam intimo sapore discernunt vt sciant, vel quid à bono Spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiãtur.* Sic B. Augustinus in 6. Confess. libro c. 13. scribit S. Monicam matrem suam dicere solitam, *se nescio, quo sapore, quem verbis explicare non poterat, discernere, quid interesset inter Deũ reuelantem, & animam suã somniantem.* S. BERNARDVS vero loco citato pressius illa persequitur his verbis. *Si non solũ compungeris in sermone (ædificante ad pietatem,* vel inspiratione) *sed & conuerteris totus ad Dominum, iurans* I. Signum. *& statuens custodire iudicia iustitiæ eius, etiã adesse ipsum iam noueris, præsertim si te inardescere sentias amore eius. Etenim vtrũq; de illo legis, & ignẽ videlicet ante ipsum præcedere, & ipsum nihilominus ignem esse. Moyses siquidem de illo dicit, quia Deus ignis consumẽs est* Pergit deinde ad alterum signum, & ait. *Porro hoc igne consumpta omni labe peccati, & rubigine vitiorũ, si iam emundata ac serenata conscientia* II. *sequatur subita quædã, atq; insolita latitudo mentis, & infusio luminis illuminantis intellectum, vel ad scientiam scripturarum, vel ad mysteriorũ notitiam, quorum alterum propter nos oblectandos, alterũ propter ædificandos proximos reor dari: oculus respicientis procul dubio est iste educens quasi lumen iustitiã tuam, &c.* Subiicit & tertium. *Post hunc*, inquiens, *tantæ dignationis ac miserationis respectum sequitur vox* III. *blandè & leniter diuinam insinuans voluntatem, quæ non est alius, quàm ipse amor, qui otiosus esse non potest, de his quæ Dei sunt solicitans & suadens. Denique audit* IV. *sponsa, vt surgat & properet, haud dubium, quin ad animarum lucra. Hoc siquidem vera & casta contemplatio habet, vt mentem, quam diuino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi Deo, quieum similiter diligant, vt otium contemplationis pro studio prædicationis libenter intermittat.*

VII. REMEDIVM est Oratio. Licet enim donum discretionis spirituum gratis detur, tamen à Deo rarò communicatur, nisi iis, qui ardenter illud ab eo postularint: atq; etiã sanctitate vitæ morumq; ad illud se compararint. *Si quis nostrũ*, inquit idem BERN. *integrè & perfectè iuxta verbum Sapiẽtis cor suum tradat ad vigilandum diluculo ad Dominũ, qui fecit illum, &* Bern. s. 57. in Cant. Eccli. 39. 6. *in conspectu altissimi deprecetur, simulq; votis omnib. studeat secundum Isaiã Prophe-* Isa. 40 3. *tam parare vias Domini, rectas facere semitas Dei sui, cui cũ Propheta sit dicere. Oculi* Psal. 24. 15. *mei semper ad Dominum.* Et. *Quia prouidebã Dominum in cõspectu meo semper nõne* Psal. 15 8. Psal. 23. 5. *hic accipiet benedictionẽ à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo? Visitabitur*

profecto

profecto frequenter, nec vnquam ignorabit tempus visitationis suæ, quantum libet is, qui in Spiritu visitat, clandestinus veniat, & furtiuus, vtpote verecundus amator.

Rich.p.2.c33. Addit RICHARDVS Victorinus scribens in Cantica, non solum orandum Dominum, antequam veniat inspiratio, sed etiam postquam obtenta est, vt permaneat & nos perficiat, inq; in omni vitæ actione dirigat.

VIDE V. *Desolatio spiritualis. Distractio in oratione. Indiscretio Iudicium proprium. Præsumptio. Superbia. Voluntas propria,*

IMMODESTIA.

Remedia contra immodestiam.

I. REMED. Considera, quid nomine Modestiæ intelligatur, vt hoc certius innotescat morbus immodestiæ. Intelligitur autem compositio quædam externa morum ex virtutibus animo inhærentibus nata, & ad ædificandum proximũ idonea. Sicut enim post hanc vitam in cœlo ex interna animarum beatarũ gloria, eximius quidam splendor externus in corpus redundabit, sic proportione quadam in hac vita ex interna animi compositione & pulchritudine, compositio quædam venusta in externa corporis membra, actionesque, vt vultum, incessum, habitum,

Amb.lib.1.c18. sermonemque statui cuiusq; congruentem deriuatur. Vnde B. AMBROSIVS in libris Officiorum virtutem modestię *à modo scientiæ quid deceret appellatam* arbitratur. Cui consentiens Augustinus in libro de vita beata.

Aug. non longe à fine. *Modestia*, inquit, *vtique dicta est à modo, & à temperie temperantia. Vbi autem modus est, atque temperies, nec plus est quicquam, nec minus.* Qui ergo compositionem illam externam, quam exigit cuiusque status, vt Ecclesiasticus vel Religiosus, non habet, eum scias morbo immodestiæ laborare.

II. REMED. Considera Spiritum sanctum in sacris litteris nos commonefacere, vt ex compositione externa morum coniecturã faciamus

Eccli.19.26. de statu hominis. *Ex visu*, ait Ecclesiasticus, *cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentiũ, & ingressus hominis, enũtiant de illo.* Et rursum. *Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem Sapiens vix*

Eccl.21.23. *tacitè ridebit.* Salomon quoq; apostatã his notis vult cognosci. *Homo apo-*

Prou.6.12. *stata*, inquiens, *vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malũ, & omni tempore iurgia seminat.* Et alibi. *Oculi*

Prou.17.24. *stultorũ in finibus terræ.* 2. arguit incompositos mores, vt filiarum Sion

Isa.3.16. apud Isaiam. *Pro eo*, inquit, *quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant: ambulabant pedibus suis & composito*

Prou.10.10. *gradu incedebant, decaluabit Dominus verticẽ earum.* Et in Prouerbiis. *Qui annuit oculo,*

oculo, dabit dolorem. Et. *Qui festinus est pedibus offendit.* 3. varia præcepta variis hominum statibus passim præscribit, quæ longum esset percensere, nominatim autem adolescentiæ. *Adolescens*, inquit, *loquere in tua causa vix.* Et *In medio magnatorum non præsumas, & vbi sunt senes non multum loquaris.* Deinde per Apostolum viris & mulieribus. *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum, omnis autem mulier orans & prophetans non velato capite, deturpat caput suum, &c. vir quidem non debet velare caput suum.* Et per B. Petrum. *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* 4. commendat speciatim modestiam, decorum & compositionem externam. *Omnia*, ait per B. Paulum, ad Corinthios, *honestè, & secundum ordinem fiant in vobis.* Et ad Philippenses. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Et ad colossenses. *Induite vos sicut electi Dei, &c. humilitatem, modestiam, patientiam.* Et apud B. Petrum. *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, &c. sed cum modestia & timore, conscientiam habentes bonam, vt in eo quod detrahunt vobis confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem.* Et ad Titum. vult omnes esse *modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Quæ enim desursum est sapientia*, ait B. Iacobus, *pacifica est, modesta, suadibilis, bonis consentiens.*

Prou. 19. 2. Eccli. 32. 10. v. 13: 1. Cor. 11. 4. 1. Pet. 3. 3. 1. Cor. 14. 40. Phil. 4. 5. Col. 3. 12. 1. Pet. 3. 15. Tit. 3. 2. Iac. 3. 17.

III. REMED. Considera S. Patrum sententias S. BASILIVS in regulis fusius disputatis de modestia vestitus ita scribit. *Imbecilliorib. veluti pædagogi disciplina fit quædam, qua inuiti etiam à rebus flagitiosis prohibentur, hæc quæ in vestitu foris apparet professio. Vt igitur, peculiaris quidam in vestitu est ornatus militis, alius Senatoris, item q; aliorum alius, vnde vt plurimum de dignitate illorum capitur coniectura: Sic decorum quoque ac consentaneum esse videtur, hominem Christianum in vestitu etiam præcipuum aliquid à cæteris seruare oportere, per quod traditum ab Apostolo modestum illum ornatum conseruet. Qui quidem modo censens statuit Episcopum ornatum esse debere, modo mulieribus, vt in habitu ornato incedant, præcipit, ita tamen scilicet, vt ornatus ille cum vita Christiani hominis congruere intelligatur. Eadem in calceamentis ratio est, vt videlicet, quod quam minimum præferat curiositatis, minimoq; sumptu parari possit, & ad necessarium modo vitæ vsum sit satis. Hic canon perpetuo tenore seruetur.* Et in epistola ad Gregorium Theologum, *Tunica cinctu appressa sit corpori & astricta, cinctus neque muliebrem in modum ilia exuperet, neque præluxus tunicam fluxam efficiat, Incessus esto, nec segnis, ne animum dissolutum declaret, nec rursus insolenter incitatus, ne consternatos impetus animi significet. Vnum modo sit vestitus propositum, operimentum vt existat, ab æstus frigoris q; iniuria corpus defendens.* Et alibi de modestia risus. *Illud etiam non mediocriter caueri debet ab iis qui colendæ pietati student, ne in risum præter modum effusi sint, quia intemperantiam non abesse à se significat, & animi motus nequaquam sedatos declarat. At modicè ridere, eoq; animi sui hilaritatem leniter significare, non est contra decorum, quatenus illud tantum indicetur, quod scriptum est. Cor gaudens exhilarat faciem*

Basil. quæst. 25. 1. Tim. 2 & 3. Bas. ep. 1. Id in reg. f. disp. q. 17. Prou. 15. 13.

Illud autem, in immanes cachinnos prorumpere, & corpore subsaltare, nequaquam est eius qui animo compositio sit, aut plane probo, & compote sui. Huiusmodi genus risus

Eccl.2.2. Eccl.7.7. Naz. orat. *etiam Ecclesiastes damnans, tanquam rem animi constantiæ & grauitati maximè contrariam sic dicit. Risum reputaui errorem. Et sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.* GREG. NAZIANZ. in oratione de moderatione in disputationibus seruanda ita scribit de modestia in sermone. *Modestiæ laudem ipse certe huic tribuerim, non qui de seipso pauca, idque apud paucos & rarò commemoret, nec qui humiliorem & abiectiorem humiliter affatur, sed qui parcè & moderatè de Deo loquitur, ac quædã proloqui, quædam præmere & retinere, quorundam etiã inscitiam fateri nouit, atq; ei sermone cedit, cui loquendi munus commissum est, &c. Turpe est profecto, cum in veste ac victus ratione non magnificentiam, sed vilitatẽ amplectaris, &c. in diuinis disputationib. principatũ ac tyrannidem tibi vendicare, ac supra omnes legis Doctores supercilio attollere, vbi humilitas non solũ gloriam habet, verum etiã securitatẽ.* De eadem & S. AMBROSIVS lib. 1. officiorũ. *Ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorũ sermo resonet tuus. Speculũ enim mẽtis plerung*

Amb. c. 18. 1.Pet.3 4. *in verbis refulget. Ipsum vocis sonũ libres modestia, ne cuiusquam offendat aurem vox fortior.* Et paulo post. *oremus in incorruptione quieti & modesti spiritus, qui est ante Deũ locuples, vt ait Petrus. Magna igitur modestia, quæ cum sit etiã iuris sui remissior, nihil sibi vsurpans, nihil vindicans, & quodãmodo intra vires suas contractior, dines est apud Deũ, apud quẽ nemo dines. Dines est modestia, quia portio Dei est.* Et rursus. *Est etiam in ipso motu gestu, incessu, tenenda verecundia,* vel modestia. *Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus aut lenior, aut iactantior, aut turbidior: aut contra grauior, & cõstantior, & purior & maturior*

Hier. ep. 4. *æstimatur.* Itaq; VOX *quædã est animi, corporis motus,* HIERONYMVS in epistola ad Rusticũ monachũ. *De ludo monasteriorũ huiuscemodi volumus egredi milites, quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutũ est.* Et supra. *Sordidæ vestes, candidæ mẽtis indicia sint: vilis tunica contemptum seculi probet: ita duntaxat, ne animus tumeat, ne habitus, sermoq; dissentiat.* Et in epist. ad Marcellã de ægrotatione Blesillæ. *Nos quia serica veste nõ vtimur monachi iudicamur: quia ebrij non sumus, nec cachinno ora dissoluimus continentes vocamur & tristes. Si tunica non candueri, statim illud è triuio. Impostor & græcus est.* B. PROSPER in l. bris de vita con-

Id. ep. 23. Prosp. lib. 3. c. 19. templatiua. *Temperantiæ est* (modestiæ) *q. reuerentiã senioribus exhibemus, æquales germanitus honoramus, iuniorib. gratiã paternæ dilectionis impendimus, q. præstamus loquenti seniori silentiũ, quod ipsius ad loquendum præstolamur imperiũ, quod non attollimus immoderatũ in collocutionibus sonum, quod risui prorumpere non permittimus in cachinnum.*

IV. REMED. Considera exempla eorum, ex quorum prauis in adolescentia moribus sapientes coniecere aliquando fore perditissimos. Ea quidem complura sunt, sed duo exstant maxime illustria. Alterum est

Naz. orat. 1. in Julian. de IVLIANO apostata Cæsare, de quo GREG. NAZIANZ. eius contuber-

nalis

nalis ita scripsit. Cum Athenis cum eo versarer, *non malum huius viri coniectorem me fuisse memini. Me morũ ipsius inconstantia, atq; incredibilis quædam mentis emotio vatem efficiebat, si quidem vates ille optimus est, qui rectè coniicere nouit. Neque enim mihi quicquam boni ominari videbantur, ceruix usn stata, humeri subsultantes, & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens & vagus, furiosæque intuens, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam & contemptũ spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus petulantes, & effrænati, nutus & renutus temerarij, sermo hærens, spiritus concisus, interrogationes stultæ & præcipites, responsiones his nihilo meliores*, &c. *Quid singula describere necesse est? Talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognoui. Quod si quidam ex eis, qui tum simul erant, quidq; dixerim audierunt, nunc mihi præsto essent, haud ægrè testarentur. Quibus, vt hæc conspexi, statim proloeutus sum. Quale malum Romanorum terra nutrit? præfatus licet, ac mihi, vt falsus vates essem, imprecatus.* ALTERVM exemplum affert B. AMBROSIVS libro primo Officior. *Meministis*. inquit, *filij quendam amicum cum sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in clerum à me non receptum, quod gestus eius plurimum dedeceret. Alterum quoque, cum in clero reperissem, iussisse, ne vnquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Idque dixi, cum redderetur post offensam muneri. Hoc solum excepi. Nec fefellit sententia. Vterque enim ab Ecclesia recessit: vt qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter Arianæ infestationis tempore fidem deseruit: alter pecuniæ studio, ne iudicium subiret, sacerdotem se nostrum negauit. Lucebat in illorum incessu imago leuitatis, species quædam scurrarum percursantium.* Si dicas, hæc naturæ fuisse vitia, atq; ideo emendari non potuisse, respondet ibidem Ambrosius. *Si quid sanè in natura vitij est, industria emendet: vt ars desit, non desit correctio.* Nam & in feris belluis, industria & pœnis naturalia vitia sæpe expugnata scimus. Amb. c. 18.

V. REMED. Considera exempla eorum, de quorum virtute eximia q; sanctitate, ex vultu, incessu, habitu, sermone aliisq; externis morib. coniectura facta est. Satis erunt duo. Primum Christi saluatoris, cuius modestiam internam & externam nemo superauit, cum fuerit ipsa modestia. Vnde Apostolus ad conciliandã sibi Corinthiorũ fidem sic obtestatur illos. *Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi.* Et Hieronymus in explanatione psalmi 44. ad Principiam virginem. *Nulli dubium*, inquit, *est veritatem, & modestiam, & iustitiam, Christum appellari, qui dicit. Ego sum via, veritas, & vita. Et discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Et quia factus est nobis à Deo iustitia, & redẽptio & sanctitas. Hæc autem vniuersa dicuntur in corpore, vt exigãtur in membris.* Quanta autem vis in vultu Christi fuerit, non semel idẽ auctor exposuit, vt in Matthæũ. vbi agens de subita conuersione B. Matthæi. Certe, inquit, *fulgor ipse, & maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana Christi facie relucebat ex primo ad se videntes* 2. Cor. 10. 1 Hier. tom. 3. Io. 14. 6. Matth. 11. 29. 1. Cor. 1. 30. Hier. in c. 9. Matt.

trahere poterat aſpectu. Si enim in magnete lapide & ſuccinis hæc eſſe vis dicitur, vt anulos & ſtipulam, & feſtucas ſibi copulent: quanto magis Dominus omnium creaturarum ad ſe trahere poterat, quos volebat. Et rurſus alibi. *Mihi inter omnia ſigna, quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, vt poſtea crucifigeretur, Scribis & Phariſæis contra ſe ſæuientibus, & videntibus lucra ſua deſtrui, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, menſaſq; ſubuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus. Igneum enim quiddam atque ſydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maieſtas lucebat in facie.* Demum in Epiſt. ad Principiam. *Vniuerſis*, inquit, *pulchrior eſt virgo de virgine qui non ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt. Niſi enim habuiſſet, & in vultu quiddam ſydereum, nunquam cum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli, nec qui ad comprehendendum eum venerant corruiſſent.* De vi SERMONIS habemus teſtimonium apud B. Ioannem, vbi Phariſæorum miniſtri dicunt. *Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.* & apud Lucam, vbi Nazareni *mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius.* Et apud Matthæum dicentem. *Erat docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ & Phariſæi.* Quem locum exponens B. GREGORIVS, *Cum imperio*, inquit, *docetur, quod prius agitur, quam dicatur. Nam doctrinæ ſubtrahit fiduciam, quando conſcientia præpedit linguam; vnde etiam de Domino ſcriptum eſt. Erat enim docens, ſicut poteſtatem habens, non ſicut Scribæ & Phariſæi. Singulariter namque & principaliter ſolus ex poteſtate bona locutus eſt, quia ex infirmitate mala nulla cõmiſit.* DE RISV teſtatur B. BASILIVS in reg. fuſius diſputatis his verbis. Riſum effuſum tanquam rem grauitati contrariam *Dominus oſtendit, qui ſuſceptis ceteris, quæ neceſſario corpus ſequuntur, affectionibus, iisq; omnibus, quæ virtutis teſtificationem habent, veluti laſſitudinem, & miſericordiam aduerſus calamitoſos, riſu, quantum ex Euangeliorum hiſtoria cognoſci poteſt, vſus nunquam ſit, contraq; omnes, quotquot ab eo tenentur, miſeros appellauerit.* ALTERVM exemplum ſit Deiparæ Virginis, quod loco ſupra citato agens de modeſtiæ, vel verecundiæ laude propoſuit AMBROSIVS dicens. *Hic pudor in ipſo cognitionis ingreſſu Domini matrem commendat legentibus, & tanquam teſtis locuples, dignam quæ ad tale munus eligeretur, aſtruit: quod in cubiculo, quod ſola quod ſalutata ab Angelo tacet & mota eſt introitu eius, quod ad virilis ſexus ſpeciem peregrinam turbatur aſpectus virginis. Itaq; quamuis eſſet humilis, præ verecundia tamen non reſalutauit, nec vllum reſponſum retulit, niſi vbi de ſuſcipienda Domini generatione cognouit, vt qualitatem effectus diſceret, non vt ſermonem reſilleret.* Et in libris de Virginibus. *Sit*, inquit, *vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas vitaq; MARIÆ, de qua velut in ſpeculo reſulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis &c. Virgo erat non ſolum corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſyncerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior. Intenta operi,*

verecunda

Id in c. 21. Matth.

H. ep. 140.

Ioan. 7. 46. Luc. 4. 22.

Matth. 7. 29.

Greg. lib. 23. mor. c. 7.

Baſ. q. 17.

Luc. 6. 25.

Amb. l. 1. offic. c. 18.

Luc. 1.

Id. lib. 2.

verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere, nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, &c. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit à propinquis? quando festiuit humilem? quando derisit debilem? quando vitauit inopem? Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis, &c. multa quæ sequuntur. Refert DIONYSIVS Carthusianus & alii, Dionysium Areopagitam, cum ex Græcia aliquando in Iudæam venisset, & B. Virginem Mariam conuenisset, tanta claritate fulgentem eius vultum conspexisse, vt præ nimio stupore deficiens in terram ceciderit, dixeritq; nisi ratione naturali & fide cognouisset aliam esse diuinitatem, se hanc ipsam Virginem loco diuinitatis habiturum fuisse. Diony. in c. 3. de diuin. nomin. Areop.

VI. REMED. Considera non solum consilii, sed præcepti quoque videri homini, maximè Ecclesiastico & Religioso, vt externa compositione talis studeat videri ad maiorem Dei gloriam, eorumq; quibuscum viuit ædificationem, qualem professio status postulat. Huc enim pertinent illa Christi Domini ad Apostolos, omnesq; eorum successores verba. *Vos estis lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, &c.* Et illa Apostoli. *Prouidentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Et. *Rogamus vos fratres, vt abundetis magis, & operam detis vt quieti sitis, & vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt.* Et. *Oportet autem illum* (nempe Episcopum, & Sacerdotem) *testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt.* Et. *De cetero fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ: si qua virtus, si qua laus disciplinæ hæc cogitate.* Neq; enim satis est tibi bonam habere conscientiam, sed etiam necesse est te tueri bonam tui famam, quod non potest fieri nisi internis virtutibus externa quoque respondeat conuersatio, vt ex testimoniis allegatis fusè probat in libro de bono Viduitatis B. Augustinus. *Quisquis*, inquiens, *à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit sibi bene facit: quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. Et vtique quod aliis misericorditer ministramus ad salutem, ad nostram quoque redundat vtilitatem.* Accedit, quod vt minima quæque labecula in facie maiorem adfert deformitatem, quam magnæ cicatrices in corporibus, ita quoque in hominibus Ecclesiasticis ac Religiosis, qui sunt quasi facies Ecclesiæ Dei, minimus externæ compositionis defectus plus offensionis damniq; afferat proximis, quam enormes etiam aliorum membrorum, hoc est, secularium lapsus. Vnde S. BASILIVS in regulis fusius disputatis. *NEQVE enim*, inquit, *si quid indecorum geritur, id similiter & in obscuris hominibus, & in iis qui illustres sunt, animaduerti perinde solet. Nam de vulgo aliquem, aut alioqui obscurum, si in publico quis pu-* Matth. 5. 14. Rom. 12. 17. 1. Thess. 4. 11. 1. Tim. 3. 7. Phil. 4. 8. Aug. c. 22. Basil. q. 28.

blicet, aut scurriles voces emittat, aut in ganeo crebro versetur, aut alia eiusmodi flagitiosè agat, haud facile quisquam attenderit, quippe cum quisq; existimet facta illa universo vitæ eius instituto respondere. At qui vitæ genus perfectum profitetur, hunc si vel
Matth. 7. 6. *latum vnguem ab officio suo recedere visus sit, omnes confestim observant, ipsiq; probis loco illud obiiciunt, & faciunt, quod in Euangelio scriptum est. conuersi dirumpent vos.*

VII. REMED. Considera, ob causas dictas omnes religionum fundatores regulas quasdam modestiæ suis sectatoribus præscripsisse. Vnde S. BASILIVS in sermone de ascesi. *Monachum*, inquit, *oportet corpus quietum, habitum nõ sordentem sed honestum, vocem moderatam, sermonem compositum habere, in cibo potioneq; minime turbulentum esse, sed sedatum potius & grauem, coram maioribus natu silere, non esse ad risum procliuem, oculos habere ad terram directos, animum ad cœlum erectum, manib. laborare, sanctorum pedes lauare, à congressu mulierum abstinere, &c.* S. AVGVSTINVS in Regula. *In incessu, statu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Oculi vestri etsi iaciantur in aliquam fœminarum, figantur in nulla. Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Quando proceditis simul ambulate: cum veneritis, quo itis, simul state, &c.* S. BENEDICTVS in cap. de Humilitate. *In oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro, vel vbicunq; sedens, ambulans vel stans, inclinato semper sit capite, & defixis in terram aspectibus.* S. FRANCISCVS in regula. *Consulo, moneo, & hortor fratres meos in Domino Iesu Christo, vt quando vadunt per mundũ, non litigent, neq; cõtendant verbis, aut alios tudicent, sed sint mites, pacifici, & modesti, mansueti & humiles.* B. DOROTHEVS in sermone quodam. *Hæc est modestia & grata compositio, primum non circumferre huc & illuc oculos, sed quæ ante te sunt solum intueri, neq; vana & otiosa loqui, sed tantum necessaria.* B. P. N. IGNATIVS Societatis IESV institutor quoque edidit magno studio tredecim modestiæ religiosæ leges, vt testatur in eius vita PETRVS Ribadineira. Quas Regulas proculdubio Patres illi non tã studiosè condidissent, nisi animaduertissent eas & maximè in religiosos suorum ordinum homines congruere, & non parum valere ad majorem proximi ædificationem, eo quod *de exterioris hominis motu*, vt loquitur in institutionibus monasticis CASSIANVS, *interioris statum* homines æstimare soleant, conuenienter dicto Christi. *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

S. Bened. in Regradu 13. S. Franc. in reg. c. 3. Doroth. serm. 24. Ribad. lib. 5. c. 1. Matth. 7. 16.

VIII. REMED. Considera, etiam minimam leuitatem, quo magis ab ea abhorreas, nocere perfectioni vitæ spiritualis. Id docere te possunt duo exempla à B. GREGORIO in dialogorum libro relata. Vnum est B. ISAAC serui Dei. *Hic enim*, ait ille, *cum virtute abstinentiæ, contemptu rerum transeuntium, Prophetiæ Spiritu, orationis intentione esset incomparabiliter præditus vnum erat quod in eo reprehensibile esse videbatur, quia nonnunquam ei tanta lætitia inerat, vt illis tot virtutib. nisi sciretur esse plenus, nullo modo crederetur.* Rationem autem eius rei mox subiicit Gregorius. *Magna*, inquiens, *est omnipotentis Dei dispen-*

Greg. lib. 3. c. 14.

dispensatio & plerunque contingit, vt quibus maiora bona præstat, minora non tribuat, vt semper eorum animus habeat vnde se reprehendat; quatenus dum appetunt perfecti esse, nec possint, se minimè extollant: Sed discant, quia ex semetipsis maiora bona non habent, qui in semetipsis vincere parua vitia non possunt. ALTERVM est MVSÆ puellæ. *Probus*, inquit, *Dei famulus de sorore sua, nomine MVSA, puella parua narrare consueuit, quod quadam nocte ei per visionem sancta Dei genitrix virgo Maria apparuit, atque coætaneas ei in albis vestibus puellas ostendit. Quibus illa cum admiscerі appeteret, sed se eis iungere non auderet, B. Mariæ Virginis est voce requisita, an velit cum eis esse, atq; in eius obsequio viuere? Cui cum puella eadem diceret, volo: ab ea protinus mandatum accepit, vt nihil vltra leue & puellare ageret, & à risu & iocis se abstineret: sciens per omnia, quod inter easdem virgines, quas viderat, ad eius obsequium die trigesimo veniret. Quibus visis in cunctis suis moribus puella mutata est, omnemq; à se leuitatem puellaris vitæ magna grauitatis detersit manu. Cumq; eam parentes mutatæ esse mirarentur, requisita rem retulit, quid sibi beata Dei genitrix iusserit, vel quadie itura esset ad obsequium eius indicauit. Tunc post vigesimum quintum diem febre correpta est. Die autem trigesimo, cum hora eius exitus propinquasset, eandem beatam genitricem Dei cum puellis, quas per visionem viderat, ad se venire conspexit. Cui se etiam vocanti respondere cœpit, & depressis reuerenter oculis aperta voce clamare. Ecce Domina venio, ecce Domina venio. In qua etiam voce Spiritum tradidit.* Greglib. 4. c. 17.

VIDE V. *Choreæ. Curiositas. Ebrietas. Exemplum malum. Familiaritas nimia. Linguæ abusus. Vestium luxus. Voluptas carnalis.*

IMMORTIFICATIO PASSIONVM.

Remedia contra immortificationem.

I REMED. Considera, quid sit propriè mortificare passiones animi, & facile intelliges, quid sit immortificatio earum. Mortificas siquidē illas, cum perturbationes animi, v. c. iræ, vel odii simulatq; exortæ fuerint domas, cum carnis cupiditatem ad cibum vel potum immoderatum pronæ coerces, cum iudicium voluntatemque propriam sponte subiicis alienæ. Nam sicut homo occisus, vel mortuus, etiamsi contumeliis laudibusue afficiatur, nullum mœroris vel gaudii indicium præbet: ita homo verè mortificatus, etiamsi multis incommodis iniuriisue afficiatur, nullum signum iræ, vel impatientiæ prodit, imó magnam aliquando ex illis capit voluptatem. Perfectissimè autem mortificabis passiones illas, si nō modo cupiditates carnis & sensuum coerceas in illicitis, hoc est, in iis quæ lege diuina vel humana vetita sunt, sed etiam in licitis, vt si à licitis cibis, potu, summo, lecto, recreatione, aliisque corporis commodis, quod est omnium

omnium religiosorum, aliorumque Dei seruorum proprium, aliquid tibi subtraxeris. De quibus B. AVGVSTINVS in libro de Fide ad Petrum ita scripsit. *Humiles serui Christi, qui cupiunt Domino suo sine impedimento absque animi noxia cogitatione seruire, coniugia omninò non appetunt, & à carnibus & vino abstinent, in quantum corporis valetudo permittit, non quia peccatum est aut coniugem habere, aut vinum carnesuè percipere, sed quia mundioris vitæ instituta sectantur, & corpora castigare volunt.* Et S. GREGORIVS in quarto dialogorum agens de sancto quodam presbytero, qui ad tuendam castitatem etiam piis & religiosis fœminis aditum ad se negabat. *Habent,* inquit, *quippe sancti viri hoc proprium, vt quo semper ab illicitis longe sint, à se plerumque etiam licita abscindant.* Immortificationis itaque morbo laborat, qui suis passionibus animi, cupiditatibusque carnis, siue in illicitis, siue licitis facilè obsequitur, & indulget.

Aug. c. 3. 14. 42.

Greg. c. 11.

II. REMED. Considera quid S. scripturæ moneant. Primum enim monent, vt cupiditates carnis mortificemus. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis,* inquit Apostolus, *viuetis.* Et. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiã, &c.* 2. vt concupiscentiis carnis, quod idem est, non pareamus. *Post concupiscentias tuas* ait Ecclesiasticus, *non eas.* Et Paulus. Non regnet *peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* Et. *Carnis curam ne feceritis in desideriis* Et. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Et B. Petrus. *abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.* 3. vt affligamus carnem. Nam Christus ait. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me non est me dignus.* Apostolus clamat. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne quando reprobus efficiar,* Et. *Christo confixus sum cruci.* Et. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* 4. vt odiamus & abnegemus nosipsos. *Qui non odit animam suam,* ait Christus, apud Lucam, *non potest meus esse discipulus.* Et. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Per animam autem Christus intellexit non eius naturam, sed vitiosos eius affectus, & carnales inclinationes, sicut & per abnegationem, cupiditatum carnalium refrenationem, vt exposuit B. Basilius in regulis fusius disputatis. 5. monent vt pœnitentiam agamus cum ieiunio, cilicio, cinere, lacrymis. deinde vt iram, effusam lætitiam, mœrorem, desperationem aliasque animi passiones expugnemus, quæ sunt particulares mortificationes.

Rom. 8. 13. Coloss. 3. 5.

Eccli. 18. 30. Rom. 6. 12 Rom. 13. 14. Gal. 5. 16. 1. Pet. 2. 11. Matth. 10. 38. 1. Cor. 9. 27. Gal. 2. 19, Gal. 5. 24.

Luc. 14. 26. & 9. 23.

III. REMED. Considera quid scripserint S. Patres de mortificatione passionum, vel cupiditatum. B. CYPRIANVS in libro de bono pudicitiæ. *Qui cupiditates tollit, & metus sustulit, nam ex cupiditatibus metus veniunt, qui cupiditates vincit, de peccato triumphat, qui cupiditates vincit, malum generis humani sub pedibus suis iacere ostendit, qui cupiditates vicit, pacem sibi perpetuam dedit, qui cupiditates vicit, libertatem sibi, quod est etiam ingenuis difficillimum, reddidit.*

Cypr. de disciplina, & p.

GREG.

GREG. NAZIANZ. in orationibus de Pace. *Nihil vsuiq; tam expetendum, quàm vt animi pace fruatur, affectibusq; imperet.* BAS. in hexameron. *Sane in hoc creatus es princeps, vt imperites affectibus, vt dominere bestiis, reptilib. & præsis simul & volatilibus, &c. Tuis fac imperes cogitationibus, imperator vt sis quæ sunt omniũ. Ad hanc doctrinæ formulam collatus nobis principatus per animalia mores nostros concinno ordine moderatur, & eo dirigit, vt nostri ipsorum discamus esse Domini. Absurdũ enim fuerit, si is non vni imperet genti, qui ipse domi ex alieno pendeat arbitrio, is administrandæ reipublicæ præficiatur, qui in intimis ædibus captiuus præmitur iugo vilissimi scorti, nec rem familiarem rite dispensat. Nemo quod venatu non prehenderit leonem, contempsui patuit, aut morte multatus est. iræ intemperiem qui non domuit, nulli non fuit deridiculus.* EPHRÆM in sermone Ascetico. *Passiones in anima ex minima causa generantur, & non exterminatæ infinitã quandã pariunt rerum diuinarum, propriæq; salutis dispicientiã. Cernis in ære næuum viridem, rubiginemq; quemadmodum in profundum deprimatur, atq; altius penetret. Intelligis, quid efficiat in anima passio neglecta? nisi eraseris rubiginem, non auferes maculam: & nisi carnis naturam attriueris, fugare passiones non poteris.* AMBROS. libro primo officiorum, de virtutis studio. *Caueat etiam motus animi sui. Sunt enim motus, in quibus est appetitus ille, qui quasi quodam prorumpit impetu. Vnde græcè ὁρμὴ dicitur, quod vi quadam se repente proripiat. Nõ mediocris in his vis quædã animi atq; naturæ est. Quæ tamen vis gemina est. Vna in appetitu, altera in ratione posita, quæ appetitum refrænet, & sibi obedientem præstet, & ducat quo velit, & tanquã sedulo magisterio edoceat, quid fieri, quid euitari oporteat, & horæ dominatrici obtemperet.* Et rursus. *Iure ea fortitudo vocatur, quãdo vnusquisq; seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atq; inflectitur, nõ aduersis perturbatur, nõ extollitur secundis, & quasi vento quodã, circumfertur vaiarũ rerũ mutatione. Quid autẽ excelsius & magnificentius q̃ exercere mentem, afficere carnẽ, & in seruitutẽ redigere, vt obediat imperio, consiliis obtemperet, vt in adeundis laoribus impigrè exequatur propositũ animi ac voluntatẽ?* HIER. in Peligianos. *Quatuor sunt perturbationes, quib. vexatur genus humanum: duæ præsentis, & duæ futuri: duæ bonorũ & duæ malorum. Ægritudo, quæ græcè dicitur λύπη, & gaudiũ, ꝙ illi χαρὰν vel ἡδονὴν vocant, alterũ boni, alterũ mali: excedimus q̃ mensurã, si gaudeamus super his quæ nõ debemus, diuitiis, potentia, honoribus, inimicorũ infelicitate, vel mortibus: aut econtrario præsentiũ malorũ dolore cruciamur, aduersis, exiliis, paupertate, languore, & mortibus propinquorũ, ꝙ Apostolus fieri prohibet: & rursum, si cupiamus ea quæ arbitramur bona, hæreditates, honores, prosperitates omnium rerum, & corporũ sanitatem, & cætera, quorum præsentia gaudio fruimur, & metuamus illa, quæ putamus aduersa. Quibus ad perfectum carere iuxta Stoicos, Zenonem videlicet & Chrysippum, possibile est: iuxta Periapeticos autem & difficile, & impossibile, cui sententiæ omnis scripturæ sanctæ consentit auctoritas. Vnde & Iosephus Machabæorum scriptor historiæ, frangi & regi posse dixit perturbationes animi, nõ eradicari, & quinq; Tusculanarum quæstionum Ciceronis libri his disputationibus referti sunt.* AVGVSTINVS

Naz. orat. 3. de pace.
Bas. hom. 11. Gen. 1.
Ephr. tom. 2.
Amb. c. 37
Id. c. 36.
Hier. lib. 2.
Aug. serm. 11.

Rom. 8.13. de verbis Apostoli. Si Spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis. *Hoc est opus vestrum in hac vita, actiones carnis Spiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frenare, interimere. Quam multos enim proficientes, non iam delectant, quæ antea delectabant? Quando ergo delectabat, & non ei consentiebatur: quia iam non delectat, mortificatum est. Calca mortuum, transi ad viuum. calca iacentem, conflige cum resistente. Mortua est enim vna delectatio, sed viuit altera: illam dum non consentis mortificas. cum cœperit omnino non delectare, mortificasti. Hæc est actio nostra, hæc est, militia nostra.* GREGORIVS in verba Iob. Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. *Possunt per terræ bestias motus carnis intelligi, qui dum mentem nostram irrationabilia suadendo lacessunt, contra nos bestialiter insurgunt. Sed cum cor diuina sub lege deprimitur, etiam carnis incentiua detumescunt, vt etsi tentando submurmurant, neq; quam tamen vsque ad effectum operum, quasi ad aperti morsus rabiem exurgunt. Quis enim adhuc in hac corruptibili carne subsistens, has terræ bestias plenè edomat, cum ille ad tertium cœlum raptus egregius prædicator dicat. Video aliã legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis? Sed aliud est has bestias in campo operis sæuientes aspicere, aliud intra cordis caueam frementes tenere.* Redactæ namque intra claustra continentiæ, etsi adhuc tentando rugiunt, vsque ad morsum tamen, vt diximus, actionis illicitæ non excedunt. ADDE duos Ethnicos. M. T. CICERO in Tusculanis. *Tota Philosophorum vita, vt ait Plato, commentatio mortis est. Nam quid aliud agimus, cum à voluptate, id est, à corpore, cum à re familiari, quæ est famula & ministra corporis, cum à republ. cum à negotio seuocamus animum, quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad seipsum aduocamus, secum esse cogimus? Secernere autem animum à corpore, nequicquam aliud est, quàm emori discere. Quare hoc commentemur, mihi crede, disiungamusq; nos à corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc & dii erimus in terris, cum illi cœlesti vitæ simile: & cum illuc ex his vinculis emissi fuerimus, minus tardabitur cursus animorum.* L. ANNÆVS SENECA ad Lucilium. *Alexander quidem Persas, & Hyrcanos & Indos, & quicquid gentium vsque in Oceanum extendit Oriens, vastabat, fugabatq. Sed ipse modo occiso amico, modo amisso iacebat in tenebris, alias desiderium suum mœrens, victor tot regum atq; populorum, iræ tristitiæq; succubuit. Id enim egerat, vt omnia potius haberet in potestate, quam affectus. O quam magnis homines erroribus tenentur, qui ius dominandi trans maria cupiunt mittere, felicissimosq; se iudicant, si multas per milites prouincias obtinent, & nouas veteribus adiungunt, ignari quod sit illud ingens, paratumq; regnum. Imperare sibi maximum Imperium est.* Hæc ille, conuenienter sanè cum dicto Salomonis. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium.*

Greg. 6. moral. c. 22. Iob 5.25.

Rom. 7.23.

Cic. lib. 1. Tusc. q.

Sen. ep. 113.

Prou. 16. 32.

IV. REMED. Considera exempla eorum qui affectus suos etiam in rebus licitis coercuerunt. Primum est regis Dauidis à multis celebratum. Nam B. Ambrosius in libro primo de sancto Iacob, & vita beata à gens de passionum compressione. *Quem, inquit, de hominibus meliorem & fortiorum*

Amb. c. 1. 2. Reg. 23.17.

fortiorem assumemus, quàm sanctum Dauid, qui cupiditatem, qua concupierat aquam de lacu Bethleem hostili interclusam exercitu sibi auferre non potuit, potuit mitigare? Nam cum aliis vtiq; defuisse non inuenimus, id est, tanto exercitus numero, cum vtiq, multo minus regi deesse potuerit ex ceteris fontibus aqua, irrationabilem quandam concupiscentiam passus, desiderauit eam, quæ hostium erat circumfusione vallata: vnde sine maximo periculo non potuisset deferri. Aquæ ait. Quis mihi dabit potum de lacu, qui est in Bethleem, ad portam? Et cum essent reperti tres viri, qui hostium castra præciderent, & deferrent aquam, quam summo desiderio desiderasset, cognoscens quod periculo alieno aqua sibi eadem constitisset, profudit illam Domino, ne sanguinem illorum, qui eam detulerant, bibere videretur. Quæ res indicio est, quod concupiscentia quidem rationē præueniat, sed ratio cupiditati resistat. ALIERVM est Valentiniani Imperatoris ab eodē Ambrosio in oratione funebri commemoratum. *Valentinianus quoq; in delicto Prophetæ similis ait. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris. Nec solum dixit, sed etiam ante correxit errorem, quàm disceret esse lapsum alicuius erroris. Et quid iam de aliis dicam, qui etiam ludo iuuentutis putauerit abstinendum, resecandam ætatis licentiam, seueritatis publicæ duritiem molliendam. Ferebatur primò ludis Circensibus delectari, sic illud abstersit, vt ne solennib. quidē Principū natalibus, vel imperialis honoris gratia Circenses putaret esse celebrandos. Aiebant aliqui ferarum eum venationibus occupari, atq; ab actibus publicis intentionem eius abduci. Omnes feras vno momento iussit interfici. Iactabant inuidi, quod præmaturè prandium peteret: cœpit ita frequentare ieiunium, vt plerumq; ipse impransus conuiuium solenne suis Comitibus exhiberet, quo & religioni sacræ satisfaceret, & Principis humanitati. Scenicæ cuiusdam forma ac decore deperire Romæ adolescentes nobiles nunciabatur. Iussit eam ad comitatum venire. Deductam tamen, nunquam aut spectauit, aut vidit. Postea redire præcepit: vt & omnes agnoscerent irritum eius non esse mandatum, & adolescentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipse qui potuit habere in potestate, despexerat. Et hæc fecit, cum adhuc non haberet vxorem.* Eodem referre potes exemplum CHRISTI Domini qui cum sub horam sextam, id est, circa meridiem, vt exponit Augustinus, ex itinere fatigatus discipulos emendorum ciborum causa in ciuitatem Sichar misisset, iis regressis nihil voluit comedere. *Interrogabant eum discipuli*, ait B. Ioannes, *dicentes. Rabbi manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli adinuicem. Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Iesus. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* NEQVE Gentiles desunt, qui hac virtute morficandi se excelluerint. Fertur Catonem minorem, belli Imperatorem, grauissima siti cum toto exercitu in summo cœli æstu laborantem, cum pauxillum aquæ in galea à milite oblatum esset, manu quidem eam excepisse, sed mox in terram abiecisse, ne solus solatiolo illo, quod aliis communicare nequibat, frueretur.

Amb. de obitū Imp. Psal. 24. 7.

Amb. lib. 83. quæst. q. 64.

Ioan. 4. 33.

Fulgos. lib. 4. c. 6.

V. REMED. est, vt simulatque perturbationem aliquam in animo

Psal.136.9. Aug.in Psal.36. exortam senseris, eam coerceas. *Beatus* inquit, Psalmista regius. *qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* In quæ verba AVGVSTINVS. *Qui sunt paruuli Babyloniæ? Nascentes malæ cupiditates. Sunt enim, qui cum veteri cupiditate rixantur. Quando nascitur cupiditas, antequã robur faciat aduersum te mala consuetudo cum paruula est. Ne enim cupiditas nequã prauæ consuetudinis robur accipiat, cum paruula est, elide illam. Sed times, elisa non moriatur, ad petram elide. Petra autem erat Christus.*

.Cor 10. 4. Matth. 7. 25. Ephr.tom. 2. *In Petra ædificamini, si non vultis tolli aut à ventis, aut à pluuia.* Et EPHRAEM in sermone de perfectione Monachi. *Nisi citius passiones, quæ in te cernuntur, sustuleris, hulcus efficiunt: nisiq; paruam putredinem curaueris in infinitum excrescet, omnemq; substantiam tuam corrumpet.* Huc facit quod B. DOROTHEVS commemorat senem quendam Monachorum Patrẽ discipulo suo imperasse, vt paruam cupressum in sylua euelleret, quæ vna manu statim euulsa est; deinde maiusculã ostendisse, eamq; binis manib. euulsam: postea maiorem, donec ad quintam ventũ est, quæ non potuit ab eo solo euelli. Tum senem dixisse. Sic se habent passiones nostræ; dum paruulæ sunt, facile expugnantur: quo autẽ diutius conualuerint, ægrius, nec nisi summo adhibito studio, & adiunctis sanctioribus, qui oratione & cõsilio succurrant.

Doroth. ser. 11.

VI. REMED. est, etiamsi in ortu compressæ sint, non otiari sed assidue renascentes cupiditatum ramos resecare. *Quis enim ita ad vnguem, inquit S. BERNARDVS in Cantica, omnia à se superflua resecauit, vt nil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse, sæpe putandum est: imò si fieri possit, semper, quia semper quod putari oportet, si non dissimulas, inuenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, & non magis suppressa velis, nolis, intra fines tu s habitat Iebusæus, subiugari potest, sed nõ exterminari.* Et infra. *Scrutemur, inquit, iuxta Prophetã vias nostras, & studia nostra, & in eo se quisq; iudicet profecisse, non cum non inuenerit quod reprehendat, sed cum quod inuenerit reprehendet. Tunc te nõ frustra scrutatus es, si tum opus esse scrutinio aduertisti.* Eodem tendit AVGVSTINVS, cum in libris de Trinitate exponens locum Apostoli. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus eius, induite, nouum,* ita scribit. *Sane ista renouatio non momento vno fit ipsius conuersionis, sicut momento vno fit illa in baptismo renouatio remissionis omnium peccatorum: neq; enim vel vnum quantulumcunq; remanet, quod non remittatur: sed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, reualescere: itemq; aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus, quod eo factum est, secunda curatione sanare: ita prima curatio est causam remouere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum, secunda ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis. De qua re apertissimè Apostolus locutus est, dicens. Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem.*

Bern.serm.58.

Iud. 1. Thren. 3.

Aug.lib.14.c.17.

2.Cor. 4. 16.

VII. RE-

VII. REMED. est loco prauarum affectionum in animo plantare bonas, quod tradit Io. CASSIANVS, dicens. *Non possunt desideria præsentium rerum, vel reprimi, vel auelli, nisi pro istis affectibus noxiis, quis cupimus amputari, alij salutares fuerint intromissi. Nullatenus enim valet viuacitas mentis absq; alicuius desiderij, vel timoris, gaudij vel mœroris affectione subsistere, nisi hæc eadem fuerint in bonam partem immutata.* ET BERNARDVS in capite ieiunii tractans verba. *Conuertimini ad me in toto corde vestro. Attende*, inquit, *solerter, quid diligas, quid metuas, vnde gaudeas, aut contristeris, &c. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est, & de his accipiendum puto, quod dicitur, vt in toto corde conuertaris ad Dominum. Conuertatur proinde amor tuus, vt nihil omnino diligas, nisi ipsum, aut certe propter ipsum. Conuertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia peruersus est timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum. Sic & gaudium tuum & tristitia æquè conuertatur ad ipsum. Hoc autem ita fiet, si non nisi secundum eum doleas aut læteris.*

Cass. coll. 12. c. 5

Bern. serm. 2. Ioel. 2. 12.

VIII. REMED. est, tempestiue, hoc est, à prima adolescentia domandarum animi affectionum, inserendarumque virtutum studium inchoare: quod præscribit in psalmum 118. S. AMBROSIVS his verbis. *Præturrit ætatis maturitatem, quisquis in adolescentia positus senilem grauitatem induit, & iuueniles annos veterana quadam continentia regit, feruoremque virentis corporis incana morum maturitate componit. Nam quid potest habere laudis, si effœtum corpus voluptatibus, & iam senectutis gelu frigidum deuotionis officia depositio iam segnior vigore conuertat? nō est corona, nisi vbi fuerit difficilioris lucta certaminis.* Et paulo post. *Bonus est enim Dominus sustinentibus, Hieremias dicit. Et bonum est viro, qui graue portauit iugum à iuuentute, sedebit singulariter, & silebit, quia tulit iugum verbi. Qui enim à iuuentute, iugum portauerit, & habens maturi moderaminis tenerior a volens colla subdiderit, sedebit singulariter, remotus à strepitu interpellantiū passionum, & quietus silebit: cui necesse iam non sit iurgari cum corpore, decertare cum variis cupiditatibus, quia tulit iugum verbi anima, quæ quærit Deum, quæ captiuas sibi fecit omnes delicias iuuentutis. Vnde fortasse & illud Dominicum. Non clamabit, neque contendet, neque audiet quisquam in plateis vocem eius, non solum ad defensionis sientium, absolutionisque contemptum, sed etiam ad compressiones omnium accipere possumus corporalium voluptatum.*

Amb. ser. 19.

Thren. 3. 25. & 27.

Matth. 12. 19.

IX. REMED. est, in examine conscientiæ quotidiano studiose, expendere, ad quas animi perturbationes à natura sis propensus, quibus cogitationbus mens tua sæpius agitetur. Solemus enim de iis rebus crebrius cogitare, quas impensius amamus. *Vis nosse* ait. S. FVLGENTIVS in homilia quadam, *vbi sit thesaurus tuus? attende quid ames. vis nosse, quid ames? attende, quid cogites. Hoc est enim. Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Itaque quemadmodum, qui vult ventos explorare, obseruat nubes, nam si v. c. moueantur meridiem versus, certum est ventum à septentrionibus

Fulg. de S. Confess. Matth. 6. 21.

flare: sic qui vult cognoscere quæ passio maximè in animo dominetur, notare debet quo feruantur cogitationes, si enim feruantur ad honores mundi, non dubium est in eius corde spirare Eoream superbiæ; si ad delicias & voluptates, Austrum concupiscentiæ; si ad vindictam, iracundiæ typhonem. Breuiter quales sunt fœtus, tales sunt & eorum parentes, respondet enim fructibus arbor, causæ effectus. Hoc argumento Apostolus conuicit Corinthios esse carnales, dicens, *Cum sit inter vos Zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Accedit, quod dæmon infestus generis humani hostis, vt hominem citius præcipitem agat in flagitii voraginem, explorare solet cuiusque propensiones & affectus, vt tradit B. GREGORIVS libro 14. moralium. *Intuetur*, inquiens, *inimicus generis humani vniuscuiusque mores, cui vitio sint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoscit facilius inclinari mentem, vt blandis ac lætis moribus sæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam: asperis verò mentibus iram, superbiam, vel crudelitatem proponat. Ibi ergo decipulam ponit, vbi esse semitam mentis conspicit: quia illic periculum, deceptionis inserit vbi viâ esse inuenerit propinquæ cogitationis.* Quamprimum ergo per examen prauam aliquam inclinationem eiusmodi inte deprehenderis, ad eam domandam & expugnandam te accinge. *Ita enim* nobis, inquit CASSIANVS, *aduersus vitia arripienda sunt prælia, vt vnusquisque vitium, quo maximè infestatur explorans aduersus illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis ac solicitudinem erga illius impugnationem, obseruationemque defigens.* Et infra *Cum principalis cordis nostri intentio, velut specialem sibi pugnam aduersus vnam exceperit passionem, pro ipsa orabit attentius, peculiari solicitudine ac studio supplicans, vt eam diligentius obseruare, & per hæc scelerem mereatur obtinere victoriam.* Et rursum. *Cumque se abea* (passione,) *senserit absolutum, rursum latebras sui cordis simili intentione perlustret, & exploret quam sibi inter reliquas perspexerit diriorem atque aduersus eam specialius omnia spiritus arma commoueat.*

1. Cor. 3.

Greg. c. 6.

Cass. coll. c. 14. Examen particulare.

X. REMEDIVM. Considera, quantæ sint vtilitates mortificationis passionum. I. est, quod naturam corruptam in nobis quadantenus restituat. In eo enim præcipue sita erat in statu innocentiæ naturæ humanæ integritas, quod ratio Deo, corpus verò cum omnibus suis facultatibus sentiendi, appetendique subiectum erat rationi, at beneficio mortificationis efficitur, vt passiones ad mediocritatem redigantur, & lineam rectæ rationis non excedant. Quod multi sancti in hac vita consecuti fuerunt, vt ille *senex* apud CASSIANVM, *qui cum apud Alexandriam turbis infidelium circumfusus non solum maledictis, verumetiam grauissimis impellentium vrgeretur iniuriis, eique à subsannantibus diceretur. Quid miraculi Christus vester quem colitis, fecit? Ille inquit, vt his ac maioribus, si intuleritis, non moueat*

Cass. coll. 11. c. 13

net offendar iniurijs. 2. est, quod preces nostras reddat efficaciores. *Quotquot viros virtutum vidimus, ait* B. CYPRIANVS, *sine ieiunio non legimus ascendisse, nec aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset. Quoties aliquid à Deo obtinere conati sunt, ieiunijs incubuere & lacrymis, & pernoctantes in orationibus cilicijs carni hærentibus supplices beneficia postularunt.* Cypr. serm. de ieiun.

3. quod valeat ad satisfactionem pro Peccatis. *Cogitandum summoperè est,* inquit GREGORIVS in Euangelia, *vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, & quia commisit prohibita, sibimet abscindere debeat etiam concessa.* Greg hom. n. 34.

4. quod prosit ad expugnandas dæmonis tentationes. Id docuit Christus, cum dixit. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi per ieiunium & orationem.* Matt. 17. 20. Aug. serm. 65. de temp. In quæ verba Augustinus. *Vide quanta sit ieiuniorum virtus, vt id facere ieiunia valeant, quod Apostoli nequiuerunt.* 5. quod inprimis commoueat homines ad vitæ emendationem. Vnde B. Petrus, cum in epistola priore hortatus fuisset fideles, vt exemplo Christi armarent se contra inordinatas carnis cupiditates, mortificationemque crucis Christiamplecterentur, mox addit. *In quo admirantur, non currentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem.* 1. Pet. 4. 4. Certe S. Iohannes Baptista, verus hominis mortificati typus, nouo seueritatis vitæ exemplo omnes Hierosolymitas, Iudæam totam & Iordanis accolas exciuit, vt confiterentur lapsus suos, vellentque ab eo baptizari. Matth. 3. 5. Denique ad vitæ spiritualis perfectionem nullum instrumentum, mediumue aptius est affectionum mortificatione: quo enim plus eas subegeris, eò minus à perfectionis fastigio aberis, hoc est, à caritate, *quæ* secundum Apostolum *est vinculum perfectionis. Nutrimentum enim charitatis,* inquit alicubi Augustinus, *est imminutio cupiditatis: perfectio nulla cupiditas. Quisquis igitur eam nutrire vult, insitet minuendis cupiditatibus.* Aug. l. 83. q. 36. Ber. serm. 30. in Cant. Vnde BEATVS BERNARDVS non dubitat studium mortificationis, quod vigere solet apud religiosæ vitæ cultores comparare martyrio, nam exponens verba Christi. Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. *perdet eam dixit, siue ponendo,* inquit, *vt martyr, siue affligendo vt pœnitens. Quanquam genus martyrij est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* Matt. 10. 38.

XI. REMED. Considera, quanta non modo vtilitas, sed etiam necessitas sit sanandi morbum immortificationis, 1. quia testimonia S. scripturæ supra citata docent, non esse dignos Christo, nec discipulos Christi, qui non abnegant se & tollunt crucem suã, & qui non oderint animã, id est, animales motus, qui carnem suã non crucifigunt cũ vitiis & concupiscẽtiis; at hæc præstari nequeũt sine mortificatione. 2. quia quotiescũq; periculum Rem. 1.

cullum est præuaricandi legem diuinam vel humanã, tenemur sub peccato mortali cohibere passionem in nobis dominantem. 3. quia Aristoteles, Plutarchus aliique philosophi docent nulli mortalium aditum patere ad comprehendendas humanas scientias, nisi perturbationes animi compescuerit: quanto minus patebit ad diuinam: imò virtus omnis secundum S. Thomæ Aquinatis doctrinam requirit sedatas in animo passiones, vt mansuetudo verbi causa, animum ab omni iracundia immunem. 4. quia passiones sunt omnium vitiorum fontes. Vnde B. Iacobus: *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris.* Sunt ergo obstruendi per mortificationem. *mortificatione voluntatum*, ait Cassianus, *extirpantur atque marcescunt vitia vniuersa.* 5. quia proprium, si non cuiusuis Christiani, saltem religiosi, qui semel mundo renunciauit, ex doctrina Abbatis Pynuffii apud eundem Cassianum, est, *mortificatas, & crucifixas cum Christo habere concupiscentias, & affectus carnales vniuersos. Sicut ergo*, inquit, *crucifixus quis iam non pro animi sui motu membra sua quoquam mouendi habet potestatem, ita & nos voluntates nostras, ac desideria, non secundum id quod nobis suaue est, ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, qua nos illa constrinxerit, applicare debemus.*

ac. 4. 1.

Cass. l. 4. instit. c. 43. lb. c. 34. & 35.

VIDE. V. *Ambitio, Amor sui. Consuetudo praua. Curiositas. Familiaritas nimia. Immodestia. Impatientia in aduersis, Inobedientia. Ira Iudicium proprium. Linguæ abusus. Odium. peccatum. Superbia. Tentatio. Timor humanus. Tristitia. Vindicatio iniuriæ. Voluntas propria. Voluptas carnalis.*

IMPATIENTIA IN ADVERSIS.

Remedia contra Impatientiam in aduersis generatim.

PRIMVM Remedium. Considera spiritus sancti oracula penè innumera de aduersis patienter ferendis. Primo enim patientiam laudat, impatientiam reprehendit. *Qui patiens est*, inquit in prouerbiis, *multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est exaltat stultitiam suam.* Et apud Ecclesiasticum. *væ his, qui perdiderunt sustinentiam.* 2. hortatur ad patientiam apud B. Iacobum. *Patientes estote fratres vsque ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum.* & apud Salomonem. *Disciplinam Domini fili ne abiicias, nec deficias cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus corripit & quasi pater in filio complacet sibi.* 3. numerat eam in epist. ad Galatas inter fructus Spiri-

Prou. 14. 29. Eccl. 2. 16. ac. 5. 8.

Pro. 3. 11.

Galat. 5. 22.

Spiritus sancti. Facit eam notam & characterem seruorum Dei. *Seruum enim Domini non oportet litigare*, ait Apostolus, *sed mansuetum esse ad omnes, docibilem & patientem.* Et. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, &c.* Imo & notam filiorum Dei. *Flagellat enim omnem filium quem recipit. Quis enim filius quem non corripit pater*, ait idem? *Quia acceptus eras Deo*, ait Angelus ad Tobiam, *necesse fuit, vt tentatio probaret te.* 4. commendat patientiam afflictionum tanquam donum Dei. *vobis donatum est*, ait per Apostolum, *pro Christo non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Et apud B. Petrum. *Hæc est gratia Dei, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniustè* 5. docet Deum adesse in tribulationibus & consolari. *Clamabit ad me*, inquit ipse, *& ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum.* Et Dauid, *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas?* & mox subiicit, *multiplicasti magnificentiam tuam, & conuersus consolatus es me.*

2. Tim. 2. 24. 2. Cor. 6. 4. Heb. 12. 7. Tob. 12. 13. Phil. 1. 29. 1. Pet. 2. 19. Psal. 90. 15. Psal. 70. 20.

II. REMED. Considera dicta veterum Patrum. CYPRIANVS. *Patientia est, quæ nos Deo & commendat, & seruat: ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frenat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in coniunctis & maritatis individuam charitatem, facit humiles in prosperis, in aduersis fortes, contra iniurias & contumelias mites, docet delinquentibus cito ignoscere, si ipse delinquas, diu & multum rogare, tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones & martyria consummat.* TERTVLIANVS. *Patientia fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, exomologesin assignat, carnem regit, spiritum seruat, manum continet, tentationes conculcat, scandala pellit, pauperem consolatur, diuitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, gentilem incitat, seruum Domino, Dominũ Deo commendat, fœminã exornat, virum approbat, amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene, in omni sexu, in omni ætate formosa est.* Et rursus. *Matrix impatientia in omne delictum, diffundens de suo fonte varias criminum venas. Omne peccatum impatientiæ asscribendum. Malum impatientia est boni: nemo impudicus, non impatiens pudicitiæ, & improbus probitatis, & impius pietatis, & inquietus quietis.* BASILIVS in admonitione quadam. *Fili patientiam arripe, quia maxima virtus animæ, vt velociter ad sublimitatem perfectionis possis ascendere. Retributionem patientiæ tuæ ne quæras ab homine, vt in futuro possis accipere ab æterno Domino æternam retributionem. Patientia grandis est medela animæ: impatientia autem est pernicies cordis.* HIERONYMVS in epistola ad Eustochium. *Ne immensum volumẽ extendam, quære & inuenies singulos (sanctos) aduersa perpessos. Solus in deliciis Solomon fuit & forsitan ideo corruit. Quem enim diligit Dominus corripit.*

Cypr. de bono cap. 1. Tertull. de patient. Basil. in admon. ad fil. spirit. Hier. de custod virgin. ep. 22. Heb. 12. 6.

pit. Castigat autem omnem filium, quem recipit. Nonne melius est breui tempore dimicare, ferre vallum, arma sumere, lassescere sub lorica, & postea gaudere victorem? quam impatientia vnius horæ seruire perpetuo. nihil amantibus durum est, nullus difficilis cupienti labor est. &c. Quando tibi videtur graue esse quod sustines Pauli secundam epistolam ad Corinthios lege. In laboribus, plurimum, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, &c. Quis nostrum saltem minimam portionem de catalogo harum sibi potest vindicare virtutum? IOAN. CHRYSOST. in epistol. ad Philippenses *Pro Christo pati,* inquit, *munus est maioris admirationis, quam sit reuera mortuos excitare, & signa miranda patrare. Nam illic quidē debitor sum, hic verò debitorem habeo Christum.* Et ad populum Antiochenum. *Si corpus rectè dicimus beatum, quod potest absq; sui offensione ferre frigus, & calores, & famē, & inopiam, & viæ difficultates, aliasque ærumnas, quanto magis beatam oportet vocare animam, quæ viriliter & fortiter omnes omnium molestiarum incursus ferre potest, & cor suum per omnia nulli seruituti obnoxiū seruare.* GREGORIVS in Euangelia. *Verè radix omnium, custosq; virtutum est patientia, cuius proprium munus alienæ mala æquanimiter perpeti, & contra eum quoq; qui mala irrogat, nullo dolore morderi, & quod ait Apostolus, non vinci à malo, sed vincere in bono malum. Quanto autem culmine virtus patientiæ polleat, Salomon indicat, dicens. Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Minor est ergo victoria vrbes expugnare, quia extra sunt, qui vincuntur: maius autem est, quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus superatur, & semetipsum sibi subijcit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ sternit.*

Chry. hom. 4.

Id. hom. 1.

Greg. hom. 35.

Rom. 12. 21. Prou. 16. 32.

III. REMED. Confidera sententias hominis Ethnici SENECÆ de hac re, quæ merito molles omnes & delicatos pudefacere possunt. nam in vnico solo libello, cuius inscriptio est. *Quare bonis viris mala accidant cum sit prouidentia,* hæc eius sunt dicta. CAP. I. *Deus bonum virum in delicijs non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat. Quare multa bonis viris aduersa eueniunt? nihil accidere bono viro mali potest.* CAP. II. *Omnia aduersa exercitationes putat. Quis autem, vir modo, & erectus ad honesta, non est laboris appetens iussi, & adofficia cum periculo promptus? cui non industrio otium pœna est? Marcet sine aduersario virtus. Tunc apparet, quanta sit, quantum valeat, polleatque, cum quid possit, patientia ostendit.* Et infra. *Ego non miror, si quando voluptatem capiunt Dij, dum spectant magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate. nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi feram venabulo excepit, si leonis incursum interritus pertulit, tantoque spectaculum est gratius, quanto honestior id fecit.* CAP. III. *Inter multa magnifica Demetrij nostri & hæc vox est. Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil vnquam euenit aduersi. non enim licuit illi, se experiri. indignus visus est, à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignauissimum quemque refugit.* Et inferius. *Quid Regulo fortuna nocuit, quod illum documentum sui, documentum patientiæ fecit? Figunt*

Sen. lib. de prouidentia.

cutem clausi, & quocunque fatigatum corpus reclinauit, vulneri incumbit, & in perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina. Quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriæ. CAP. IV. *Prospera in plebem, ac vilia ingenia deueniunt; at calamitates, terroresque mortalium sub iugum mittere, proprium magni viri est.* Et iterum. *Miserum te iudico, quod nunquam fuisti miser. transisti sine aduersario vitam. nemo scit, quid potueris. ne tu quidem ipse, opus est enim ad notitiam sui experimento. Militares viri gloriantur vulneribus. gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas. calamitas virtutis occasio est. Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis. Nemo eorum qui exeunt dicit. Male de me Imperator meruit, sed, bene iudicauit. præceptores plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Nunquam virtutis molle documentum est. verberat nos & lacerat fortuna. Patiamur. non est sæuitia. certamen est.* CAP. V. *Labor optimos citat. Senatus per totum diem sæpe consulitur, cum illo tempore vilissimus quisque aut in popina lateat, aut tempus in aliquo circulo terat, &c. Ignis aurum probat, miseria fortes viros. Vide quam altè ascendere debeat virtus. Scias illi non per secura vadendum esse. Humilis & inertis est tuta sectari.* Eccli. 40.2.

IV. REMED. Considera neminem in hoc mundo immunem esse ab afflictionibus. *Occupatio magna*, ait sapiens, *creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Quare nec infans immunis est. *Vnusquisque nostrum*, ait Cyprianus, *cum nascitur, & hospitio mundi huius excipitur, initium sumit à lachrymis, & quamuis adhuc omnium ignarus, nihil aliud nouit in illa ipsa prima natiuitate, quam flere.* Cypr. de bono patient.

Neque reges & Principes. *Veruntamen nec rex* inquit Chrysostomus ad pop. Antiochenum *procul à curis & cruce vitam agit, sed vitam viuit plenam multis tribulationibus. Ecce Saul primus regnauit apud Iudæos, quantis molestiis & vexationibus? Et post illum Dauid innumeris probatus malis. Salomon, Abias, Ezechias, Iosias similiter.* Chry. hom. 66.

Salomon certe omnia huius vitæ commoda expertus dixit. *Vidi cuncta quæ sunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.* Eccl. 1. 14.

Fortassis excipies improbos, qui suis obsequuntur cupiditatibus: at illi pluribus afflictionibus sunt obnoxii, quã alii. *Nam inter omnes tribulationes humanæ animæ*, inquit Augustinus *nulla maior est tribulatio, quàm conscientia delictorum. Namque sibi vulnus non sit sanusque sit intus hominis, quod conscientia vocatur, vbicunq; alibi passus fuerit tribulationes illuc confugiat, & ibi inueniet Deum. Si autem ibi requies non est, propter abundantiam iniquitatis, quo confugiet homo?* Aug. in psal. 45.

V. REMEDIVM. Considera, licet afflictiones in hac vita communes sint iustorũ & improborum, eas tamẽ propriè esse iustorum & Christianorum, ac semper fuisse *Multæ tribulationes iustorũ*, ait Psalmista. Et B. Lucas in Actis. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Et Paulus. *Omnes, qui piè viuere volunt in Christo Iesu, persecutionẽ patientur.* Psal. 33. 20. Act 14. 21. 2. Tim 3. 12. Aug. in psal. 55

Quæ verba ex-

pendens S. Augustinus. *Nemo sibi dicat*, inquit, *fuerunt tribulationes apud patres nostros, apud nos non sunt. Si putas te nondum habere tribulationes nondum cœpisti esse Christianus. Et vbi est vox Apostoli. Omnes qui volunt in Christo piè viuere* 2. Tim. 3. *persecutionem patientur. Si ergo non pateris pro Christo vllam tribulationem, vide,* Luc. 14. 27. *ne nondum cœperis in Christo pie viuere.* Huic doctrinæ consentiunt & illa verba Saluatoris. *Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus*, quod non est aliud dicere, quam expertem tribulationum non posse esse Christianum. Omnis enim Christi discipulus Christianus est, Act. 11. 26. & omnis Christianus Christi discipulus. Discipuli enim Christi, in actis Heb. 12. 6. cognominati sunt Christiani. Conspirant & illa Apostoli. *Quem diligit Dominus castigat. Flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseuerate. Tanquam filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius quem non corripit pater?* Aug. lib. de Past. *Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filii estis.* Vnde AVGVSTINVS. *Flagellat Deus omnem filium quem recipit & tu forte exceptus eris? si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* Amb. lib. 1. ep. 4 Quare non dubitat B. Ambrosius alicubi patientiam tribulationum appellare *matrem fidelium*.

VI. REMEDIVM. Considera causas, ob quas Deus voluerit filios & Chry. hom. 6. ad pop. Ant. amicos suos, imò etiam alios, exerceri afflictionib. Prima est IOA. CHRYSOSTOMI, vt animus noster ab amore temporalium bonorum auocaretur ad amanda æterna. *Si enim*, inquit ille, *cum sunt tot tristia, tot pericula & curæ tam libenter præsenti immoramur vitæ: si nihil horum esset, & omnis ærumnæ expers esset vita nostra, quando vnquam futura desideraremus? Sic Deus permisit Iudæos lateritio opere & luto in Ægypto grauari, vt ærumnarum magnitudine cruciati ad Deum clamarent*, & ad terram promissam aspirarent. Aug. serm. 111. de temp. & 149. *O infelicitas generis humani*, exlamat AVGVSTINVS, *amarus est mundus, & diligitur: putas si dulcis esset, qualiter amaretur? turbatur mundus, & amatur mundus, quid si tranquillus esset mundus? Flores eius quomodo colligeres, qui à spinis non re ocas manum?* Prou. 17. 3. II. Causa est, vt sic probetur virtus iustorum *sicut* igne, inquit Salomon, *probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus*. Et Ecclesiasticus. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis*. Eccli. 27. 6. Iob. 23. 10. Hinc Iob se à Deo probatum dixit, *quasi aurum quod per ignem transit*. & Tobiæ cætitate percusso Angelus dixit: *Quia acceptus eras Deo, necesse erat, vt probatio tentaret te*. Tob. 12. 13. Nec dubitauit rex Dauid eam à Domino postulare, dicens. *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos & cor meum*. Psal. 25. 2. Quomodo autem probatus fuerit, alibi testatur, dum ait. *Probasti cor meū & visitasti nocte. Quia ipsum cor meū*, inquit ibidem Augustinus, *visitatione tribulationis probatū est, igne me examinasti, & nō est inuenta in me iniquitas*. Psal. 16. 3. Hinc est quod Apostolus tribulationis quasi effectū faciat probationem. *Tribulatio*, inquiens, *patientiā operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem* Rom. 5. 3.

III. vt

III. Vt intellectus noster, maximè dum adhuc in peccatis hæremus, illuminetur. *Vexatio*, inquit Isaias Propheta, *dabit intellectum*. Et Salomon. *Virga atque correptio tribuit Sapientiam*. Et Ecclesiasticus. *Qui non est tentatus, quid scit?* Fratres Ioseph non ante cognouerunt sceleris sui in ipsum patrati atrocitatem, quàm cum in afflictione dicerent. *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum*. Et rex Nabuchodonosor, apud Danielem beneficio tribulationum obtinuit, vt verum Deum & regem in cœlis agnosceret. Filius prodigus quoque cauterio earundem iniustus, agnouit miseriam suam & ad domum paternam reuertit. IV. vt purgemur à peccatis. *Pius & misericors est Deus*, ait Ecclesiasticus, *& remittet in die tribulationis peccata*. Et. *In die tribulationis commemorabitur tui, & sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua*. & Sara apud Tobam. *In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te*. Vnde Chrysostomus ad populum Anthiochenum. *Peccatum*, inquit, *sanies est: pœna ferrum medicinale; sicut igitur saniem habens, si non secatur, est in maioribus malis: ita peccans, si non puniatur, omnium est miserrimus, &* Gregorius. *Psalmista, ait. Ego ad flagella paratus sum: quia enim viri sancti mentis suæ corruptionis vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manum medici ad sectiones parant, vt aperto vulnere virus peccati exeat, quod sana cute intus occidebat*. Vbi aduerte, beneficio afflictionum etiam pœnas peccatis debitas tolli, si patienter tolerentur. Nam ait B. Paulus. *A Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur*. Et quidam apud Iob. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. Quid enim senario numero*, inquit B. Gregorius, *quem septimus sequitur, nisi præsentis vitæ operatio, decursusque signatur, &c. In sex itaque nos tribulationibus Dominus liberat, ne nos in septima*, (qua Dominus ab omni opere quieuit, & retributio æternæ quietis indicatur) *malum tangat, quia per paternæ pietatis eruditionem præsentis vitæ labore nos atterit, sed in aduentu iudicij à verbere abscondit, vt tanto tunc ad salutem certiores exhibeat, quanto nunc flagella durius secant*.

Isa. 28. 19. Prou. 29. 15. Eccli. 34. 9. Gen. 42. 21. Dan. 4. 34. Luc. 15. 18. Eccli. 2. 3. Eccli. 3. 17. Tob. 3. 13. Chrys. hom. 6. Greg. 7. mor. c. 8. 1. Cor. 11. 32. Iob. 5. 19.

VII. Remed. Considera nos per multarum ærumnarum tolerantiam fieri in hac vita beatos. *Beati*, inquit magister veritatis, *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Si quid patimini*, ait B. Petrus, *propter iustitiam, beati. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis*. Et B Iacobus. *Beatus vir, qui suffert tentationem*. Et Iob *Beatus homo, qui corripitur à Deo*. At dices. In beatitudine, summum est gaudium, solatium, & gloria. Et hæc sunt in ærumnis pro Christo perpessis. Nam cum Dominus dixisset. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint*, mox addit, *gaudete & exultate quoniã merces vestra copiosa est in cœlis*. Vnde Apostoli, vt est in eorum Actis, *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*. Et Paulus. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. Et, *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat conso-*

Matth. 5. 10. 1. Pet. 3. 14. Iac. 1. 12. Iob 5. 17. Matth. 5. 11. Act. 5. 41. 2. Cor. 7. 4.

Psal.93.19. latio nostra. Haud secus rex Dauid. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Gloria quoq; summa illis non deest, quia B. Petrus causam reddens cur opprobria passi sint beatitudinem subiicit. *Quoniã quod est honoris, gloriæ & virtutis, & qui est eius Spiritus, super vos requiescet.* Nemo ignorat in quantam gloriam B. Iob cesserit

1.Pet.4.14.

Chry.hom.5.ad p. Ant. inuicta illa patientia in doloribus, vt non dubitet scribere B. Chrysostomus etiam *simum in quo sedebat Iob, omni tribunali regio esse venerabiliorẽ: & multi nunc*, inquit, *longam transmarinam peregrinationem à terræ finibus suscipientes in Arabiam abeunt vt simum illum cernant, & conspicati terram deosculentur, quæ illius victoris certamina, & cruorem omni auro pretiosiorem excepit.* Atque hac de causa Gregorius Nazianzenus in epistola 64. ad Philagrium Stoicos præ Peripateticis collaudat, quod res externas nullum ad beatitudinem impedimentum afferre dicant, sed virum bonum beatum esse, etiamsi in Phalaridis tauro concremetur.

VIII. REM ED. Considera in altera quoque vita nulli parata maiora

Matth.5.3. præmia, quã multa in nomine Christi passis. *Beati pauperes Spiritu*, ait Christus, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, &c. quoniã merces vestra copiosa est in cœlis.* Et Apostolus *Quod in præsenti est*

2.Cor.4.17. *momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternũ gloria*

Heb.12.11. *pondus operatur in nobis.* Et rursus *Omnis disciplina in præsenti quidẽ nõ videtur esse*

Iob.19.25. *gaudij, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* Hac consideratione in calamitatib. suis erectus B. Iob, dicebat. *Scio, q redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum. Et rursum circundabor pelle mea & in carne mea videbo Deũ. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Idẽ spectabat

Tob.4.23. sanctus Tobias, cũ in exilio his verbis filiũ solaretur. *Noli timere fili mi, pauperẽ quidem vitam gerimus, sed multa bona habebim⁹, si timuerimus Deũ, & recessimus ab omni peccato, & fecerim⁹ bene.* Et S. Paulus, cũ Romanis pmitteret eos

Rom.8.17. fore *filios Dei & hæredes, hæredes quidẽ Dei cohæredes autẽ Christi*, addidit, *si tamẽ*

1 Cor.2.9. *cõpatimur, vt & conglorificemur. Existimo. n. quod non sunt condignæ passiones huius*

Esa.25.8. *tẽporis ad futurã gloriã, q̃ reuelabitur in nobis. Oculꝰ* siquidẽ, vt alibi ex Isaia Propheta recitat, *nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ ꝓparauit Deꝰ tis, q̃ diligũt illũ.* Vbi Deus ipse, vt est in Apoc. B. Ioannis. *absterget omnẽ lacrymã ab oculis beatorũ, & mors vltra nõ erit, neq; luctus neq; clamor, neq; dolor erit vltra.*

Apoc.21.4. Esa.25.8.

IX. REM. Considera exemplũ vitæ & mortis Christi, *Qui enim dicit se in*

1 Ioan.2.6. *Christo manere*, inquit B. Ioannes. *debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* & B.

1 Pet.2.21. Petrus ait. *Christus passus est ꝓ nobis, vobis relinquens exemplũ, vt sequamini vestigia eius.* Et S. Paulus. *Recogitate eum, qui talẽ sustinuit à peccatorib. aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes.* Quantos autẽ la-

Heb.12.3. bores & afflictiones sustinuerit Christus nõ solum in morte, sed etiam in

vita

vita tota fuse prosequitur B. Cyp. *Omnes*, inquit, *actus eius ab ipso statim aduentu patientia comite signantur, q̃ primũ de illa sublimitate cœlesti ad terrena descendens nõ aspernatur Dei filius carnẽ hominis induere, & cũ peccator ipse nõ esset, aliena peccata portaret, &c. Dominus baptizatur à seruo. dieb. quadraginta ieiunat, p quẽ ceteri saginantur. Cũ diabolo tentante congreditur, & inimicũ tantũ vicisse cõtentus, nil vltra verba conatur. Dignatus est etiã pedes Apostolorũ lauare. Nec mirandũ q̃ circa obediẽtes talis extiterit, q Iudã potuit vsq; ad extremũ longa patientia sustinere, tibũ cũ inimico sumere, hostẽ domesticũ scire, nec palã ostendere, traditorix osculũ non recusare. In Iudæis vero tolerandis æquanimitas quanta, & quanta patientia? incredulos ad fidẽ suadendo flectere, obsequio ingratos fouere, cõtradicentib. respõdere leniter, superbos sustinere clementer, humiliter persequentibus cedere, Prophetarũ interfectores, & aduersum Deũ semp rebelles vsq; ad crucis & passionis horã velle colligere. Sub ista autẽ passione, & cruce, priusq; ad crudelitatẽ necis, & effusionẽ sanguinis veniretur, q̃ cõticiorũ, pbra patienter audita, q̃ contumeliarũ tolerata ludibria, &c.* multa, ac tandẽ concludit. *Quid potest patientius, qd benignius dici? Talis est Christi ac tanta patientia: q̃ nisi tanta ac talis existeret, Paulũ quoq; Apostolũ Ecclesia nõ haberet.* Hoc Christi exẽplũ oẽs sancti, nõ solũ quotquot post Christũ fuerunt sed etiã quotquot ab orbe condito floruerunt, sunt imprimis imitati, vti docere pergit Cypr. *Inuenimus*, inquiẽs, *& Patriarchas & Prophetas, & iustos oẽs, q figurã Christi imagine præeunte portabãt, nihil magis custodisse in laude virtutũ suarũ, q̃ p patientiã fortit & stabilĩ æquanimitate tenuerunt. Sic Abel originẽ martyrij, & passionẽ iusti hominis initians primus & dedicans aduersus fratrẽ fratricidã nõ resistit, nec reluctatur, sed humilis & mitis patienter occiditur. Sic Abrahã Deo credẽs: & radicẽ ac fundamẽtũ fidei primũ instituẽs tentatus in filio nõ dubitat, neq; cũctatur, sed p̃ceptis Dei tota patiẽtia deuotionis obsequitur. Et Isaac ad hostiæ Dominicæ similitudinẽ præfiguratus, quando à patre immolandus offertur, patiens inuenitur, &c. Tot deni q̃ Prophetæ interfecti, tot gloriosi martyres gloriosis mortib. honorati, q̃ oẽs ad cœlestes coronas patientiæ laude venerunt.* Cypr. l. de b par.

X. Remed. est Oratio, quod Deus ipse præscripsit. *Inuoca me*, ait apud Psalmistam, *in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me.* Et. *Clamabit ad me, & exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Et apud Matthæũ, & Marcum impendente captiuitate, dixit. *Vigilate, & orate, vt nõ intretis in tentationem.* Et apud Lucam. *Vigilate, omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sũt.* 2. Dauid fatetur se in afflictionibus confugisse ad hoc antidotum, & exauditum. *Domine*, inquit, *quid multiplicati sunt qui tribulant me? Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo.* Et *Cum inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi.* Fatetur & sæpe de aliis, vt in Psal. 106. vbi sæpius repetitur hic versus. *Clamauerunt ad Dominũ cum tribularentur, & de necessitatib. eorũ liberauit eos.* 3. In sola scriptura multa exempla extant eorum, q ad hoc ssidiũ refugerũ, vt in lib. primo Reg. Annæ vxoris Elcanæ, q [illegible] b Pfal. 49. 15. Pfal. 90. 15. Matth 26. 41. Mar 4. 8. Luc 2 6. Pfal 3. 2. Pfal. 4. 2. Pfal 106. 1 Reg. 1. 20.

2 Par. 20.12. æmula oratione sua meruit filium Prophetam Samuelem. Et in priore Paralipomenon, Regis Iosaphat, qui ab hostibus vndique pressus, ad preces confugiens. *Quum ignoremus*, ait, *quid agere debeamus, hoc solum habemus residuum, vt oculos nostros ad te dirigamus.* Sic Susanna castissima in extremo vitæ & infamiæ periculo posita ad orationem confugit dicens. *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contra me.* moxque Spiritum pueri Danielis Deus excitat, qui eam liberauit. Omitto cætera. Quare D. Augustinus non dubitat Orationem vocare *clauem cœli.* & B. Paulinus *naufragorum tabulam*, quæ inter fluctus tribulationum nos ad portum deducat. S. Chrysostomus *animæ solem*, quia vt sol mundum, sic oratio mentem illuminet.

Dan. 13 42.

Aug. serm. 226. de temp.
Paul ep. 31.
Chry lib. 1. de orando Deum.

XI. REMED. est Sacra Communio, quæ dicitur Eucharistia, hoc est, bona gratia, quia continet donum Dei maximum, quale ab orbe condito datum non est, nempe ipsum gratiæ auctorem: quem dubium non est in sacramento piè acceptum magnas vires submini strare in afflictione vel persecutione existentibus, tum quia typus est Dominicæ passionis, ratione sacrificii incruenti, in quo Eucharistia conficitur, tum quia Christus mandauit illud in memoriam suæ passionis offerri & sumi. Quare in primis Ecclesiæ Christianæ incunabilis, quibus grauissimæ ob tyrannorum persecutiones erant fidelium afflictiones, quotidiana communione se roborabant ad illas sustinendas. Hoc antidotum præscripsit B. CYPRIANVS sui temporis Confessoribus, vt alacriores ad sanguinem suum pro Christo profundendum essent. *Cum ad hoc fiat*, inquit in quadam epistola, *Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus?* Et infra *Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium; & mens deficit, quam non recepta Eucharistiæ igit & accendit.* Ad præfigurandum autem hoc mysterium iam olim Propheta Dauid cecinit. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Et Elias ex persecutione impiæ Iezabelis de via fessus ministerio Angelico pane subcineritio pastus est, sic vt dies quadraginta noctesque iter deinceps continuauerit. Quid enim aliud designat panis subcineritius, nisi corpus Domini sub cineribus specierum panis delitescens? Ad hæc Elisæus pulmentum agrestibus & amaris herbis pro filiis Prophetarum decoctum iniectione farinæ reddidit gustatu saue. Denique Daniel inter feros leonum rictus prandio messorio Habacuc diuinitus refocillatus est.

Luc. 22.19.

Cypr. lib. 1. ep. 2.

Psal. 22.5.
3. Reg. 19.6.

4. Reg. 4.41.

Dan. 14.38.

Greg. hō. 35. in Euangel.

XII. REMED. Præmeditatio futurarum afflictionum. *Minus enim*, inquit B. GREGORIVS, *iacula ferunt, quæ præuidentur, & nos tolerabilius mund*

mundi mala suscipimus, si contra hæc præscientiæ clypæum munimur. Ea de causa Christus cum aliis, tum Apostolis imprimis futuras persecutiones accuratè prædixit, vt ne postquam euenissent, aut scandalizarentur, aut conturbarentur. *Hæc,* inquiens, *locutus sum vobis, vt nõ scandalizemini. Absq; Synagogis facient vos.* Et. *Hæc locutus sum vobis, vt, cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Hoc antidotum gentiles quoq; Philosophi magni fecerunt: nam ita scribit SENECA. *Nisi quicquid fieri potest pro futuro habeas, das in te vires rebus aduersis, quas infregit quisquis prior vidit.* Et iterum in Naturalibus Quæstionibus. *Quia naturam oculis, non ratione comprehendimus, nec cogitamus quid illa facere possit, sed tantum quid fecerit, damus huius negligentiæ pœnas tanquam nouis territi, cum illa non sint noua, sed insolita.* Et in Epistolis. *Quæ alij diu patiendo leuia faciunt, vir Sapiens leuia facit diu cogitando.* ANAXAGORAS verò hoc præsidio munitus, teste Laertio, nunciata filiorum morte nihil turbatus respondit, *sciebam me genuisse mortales.* Et Seuerus Imperator, auctore Dione Nicæo, vrnam sibi parari voluit in qua sepeliretur, quam cre-bro manibus contrectans dicebat. *Tu virum capies, quẽ totus orbis capere non potuit.* idque fecit, vt memoriam mortis retineret. Eadem de causa ex notis S. Ioannes Eleemosynarius Patriarcha Alexandrinus, iussit sibi extrui monumentum, licet imperfectum. Solennibus autem festis in conspectu multorum voluit sibi à fabris dici. *Monumentum tuum Domine, adhuc imperfectum est: iube ergo vt tandem perficiatur: incertum enim est, qua hora mors ventura sit.*

Ioan. 16. 14. Sen. l. de tranquil. c. 11. Id. lib. 6. q. 3. Ep. 77. Laert. l. 2. Dion. in eius vita. Sur. in vita.

XIII. REM. est Pœnitentia vera, interna & externa, quo remedio diuinæ literæ plenæ sunt. Quoties. n. filii Israel in aliqua afflictione magna fuere, eã pœnitentiæ præsidio in sacco, cinere & ieiunio actæ auerterunt, vt liquet in historia Iudith, Machab. & alibi. Idẽ fecere Niniuitæ gentiles, cum quibus & iumenta saccis induta ieiunarunt. *Si gens illa,* inquit Deus apud Ieremiam Prophetam, *pœnitentiam egerit à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei.* Et apud Ioelem. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, in fletu, & in planctu, & canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, &c. Et respondit Dominus, & dixit populo suo. Ecce ego mittam vobis frumentum & vinum, & oleum, & replebimini eis, & non dabo vos vltra opprobrium in gentibus.* Hoc antidotum B. GREG. NAZIANZENVS oratione in plagam grandinis commẽdauit, populo suo cum fruges iam maturę grandine percussæ fuissent. *Cum Deus* inquit, *non nisi coactus nostris peccatis percutiat, quid afferri potest quin nativa sua bonitate vtens indulgentem se nobis præbiturus sit, modo nosmetipsos nostri misereat, iustisque patris visceribus viã patefaciamus. ac proinde in lacrymis seminemus, vt in exultatione metamus. Niniuitas imitemur, non Sodomitas. peccato medeamur, ne cum peccato conficiamur. Ionam concionantem audiamus, ne ignis & sulphuris illuuie*

Iud. 4. & 9. 1. Mach. 2. 3. Ion. 3. Ierem. 18. 8. Ioel. 2. 12. v. 19. Psal. 125. 5.

obruamur. Et iterum *In lacrymis animas vestras possidete, iram cohibete, vestra vitæ studia meliora facite, ieiunium sanctificate, curationem proclamate, quemadmodum vos mecum beatus Ioel cohortatur, cõgregate seniores, infantes vbera lactantes, ætatem commiserandam, Deiq; misericordia præcipuè dignam.*

Ioel.2.16.

VIDE. V. *Amor sui. Auaritia. Desperatio. Impatientia in morbis. Impatientia in damnis temporalib. Impat. in morte aliorum. Ira. Maledictio. Mortis metus. Murmuratio. Obstinatio. Odium. Pusillanimitas. Tentatio. Tristitia. Vindicatio iniuriæ.*

IMPATIENTIA IN MORBIS.

Remedia contra impat. in morbis.

Eccli.38.3.

I. REMED. Considera sacrarum litterarum testimonia. Primum enim docent Medicos non esse negligendos. *Honora*, inquit Ecclesiasticus, *Medicum propter necessitatem, etenim illum creauit altissimus. A Deo est enim omnis medela.* Et. *Altissimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit ea.* 2. diuinum auxilium implorandum. *Fili* ait idem, *in infirmitate tua ne despicias teipsum, sed ora Dominum & ipse curabit te.* 3. Sacerdotum quoq; opem requirendam pro sacramentorum administratione. *Infirmatur quis in vobis,* ait Apostolus Iacobus, *inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus.* 4. causam morborum esse inquinem, & alia peccata. Ait enim Sapiens. *In multis escis erit infirmitas.* Et Christus cuidam sanato dixit. *Noli amplius peccare, ne tibi aliquid deterius contingat.*

Ibid.9.

Iac.5.14.

Eccli.37.33.
Ioan.5.14.

Cyp. serm. 3.

II. REMED. Considera SS. Patrum dicta. B. CYPRIANVS de bono Patientiæ. *Ad varia quoque carnis incommoda, & crebros corporis, durosq; cruciatus, quibus humanum genus quotidie fatigatur, & patitur, patientia necessaria est. Examinandis autem nobis, atq; explorandis diuersi importantur labores, & multiplex tentationum qualitas irrogatur, de iacturis facultatum, de ardoribus febrium, de cruciatu vulnerum, de amissione charorum. Nec aliud magis iniustos discernit & iustos, quam quod in aduersis per impatientiam queritur & blasphemat iniustus, patientia iustus probatur, sicut scriptum est. In dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam igne probatur aurum atq; argentum.* S. BAS. in Hexameron. *Morbus, paupertas, ignobilitas, mors cæteraq; id genus, quæ hominibus sunt tristia, non proprie malis adnumeranda veniunt: propterea quod neq; ea, quæ istis aduersantur, inter maxima bona numeramus quæ quidem partim à natura prodeunt, partim verò multis etiam vtiliter accidisse videntur.* S. GREG. NAZIANZ. ad Philagrium. *Honestum esse censeo te dolori resistere, atque animo vel nunc maxime expurgari, ad morbum nihil*

Eccli.2.5.
Bas.hom.2.

Naz. ep.79.

aliud

aliud esse dutere, quam vtilem quandam institutionem: hoc est, vt & corporea omnia, & quicquid fluxum est & caducum aspernans, totum te cœlesti parti addicas, nec præsenti tempori, sed futuro ævo viuas, mortisque meditationem, vt Plato ait, hanc vitam existimes. IOAN. CHRYSOST. in homilia de Patientia. Nihil est, nihil, inquam, tam horridum, tamque tremendum, quod hi, qui vel morbo, aut pœnis diseruciantur, non superent, si diuino sint amore incensi: ita vt neque ignis, neque ferrum, neque inopia, neque languor aliquis, neque mors, neque aliud quippiam huiusmodi graue aut molestum appareat ei, qui hunc sit erga Deum amorem consecutus. SENECA ad Lucilium. Tria hæc, inquit, in omni morbo grauia sunt: metus mortis, dolor corporis, intermissio voluptatum. Contra primum hoc dat antidotum. Non tantum morbi, sed totius vitæ remedium est, contemnere mortem. Multorum mortem distulit morbus, & saluti illis fuit videri perire. Morieris, non quia ægrotas, sed quia viuis. Contra secundum tale. Magnos cruciatus habet morbus, sed hos tolerabiles interualla faciunt. Hoc solatium vasti doloris est, quod necesse est desinas illum sentire, si nimis senseris. Vir magnus ac prudens animum deducit à corpore, & multum cum meliore & diuina parte versatur: cum hac querula & fragili quantum necesse est. Leuis dolor est, si nihil illi opinio adiecerit. Contra, si exhortari te cœperis, ac dicere, nihil est, aut certe exiguum est. duremus. iam desinet. leuem illum, dum putas facies. Omnia ex opinione suspensa sunt. In ipsis positus difficultatibus dicat. Forsan & hæc olim meminisse iuuabit. Toto contra illum pugnet animo. vincetur, si cesserit. vincet, si se contra dolorem suum intenderit. Vtrum vis, longum esse morbum aut breuem? Si longus est, habet intercapedinem, dat refectioni locum. Breuis morbus ac præceps, alterutrum faciet, aut extinguetur, aut extinguet. Quid autem interest, non sit, an non sim? in vtroque finis dolendi est. Illud quoque proderit ad alias cogitationes auertere animum, & à dolore discedere. Cogita quid honestè, quid fortiter feceris. Tunc tibi fortissimus quisque & victor doloris occurrat. Ille, qui dum varices exsecandas præberet, legere librum perseuerauit. Ille, qui non desiit ridere, cum ob hoc ipsum irati tortores omnia instrumenta crudelitatis experirentur. Non vincetur dolor ratione, qui victus est risu? Contra tertium, hoc est, intermissionem voluptatum tale subiicit antidotum. Duo sunt genera voluptatum. corporales morbus inhibet, non tamen tollit. imò si verum æstimes, incitat. Magis iuuat bibere sitientem. gratior est esurienti cibus. Quicquid ex abstinentia contigit, auidius excipitur. Illas verò animi voluptates, quæ maiores, certioresq; sunt, nemo medicus ægro negat. has quisquis sequitur, & bene intelligit, omnia sensuum blandimenta contemnit. O infelicem ægrum. quare? quia non vinum niue diluit, &c.

Plato. in Phædone.

Ser. ep. 78.

III. REMED. Operam medici, si morbus sit grauior tuus, vel aliorum implora, vt copiosè suadet S. BASILIVS in regulis fusius disputatis his rationibus. 1. quia diuina scriptura medicinam inter dona Dei numerat, medicosq; iubet propter necessitatem honorari. 2. quia aliis artibus sine noxa vtimur, ad incommoda corporis depellenda, vt agricultura

Ba. quæst 55. Eccli. 38. 1.

ad cauendam famem, textrina ad tegendam nuditatem, architectura ad declinandas cœli iniurias, ergo & arte medicinæ, ad arcendos morbos. 3. quia Deus idcirco herbis, aliisq; rebus in terra mariq; creatis varias indidit virtutes, vt industria humana iis vteretur ad curãdos morbos. 4. quia hæc ars valet etiam ad colendam continentiam. *Siquidem animaduerto*, inquit Basilius, *ab ea & delicias amputari, & crapulam damnari, epularum præterea varietatem, & exquisitam nimis condimentorum solertiam tanquam inutilem improbari. In summa deniq; indigentiam ab ea sanitatis matrem appellari.* Hinc sequitur ne religiosos quidem delinquere, si medicorum opera in profligandis morbis vtantur, cum Basilius religiosus ipse ad religiosos hæc scripserit. Aug. ep. 109. Et S. Augustinus in regula quam monachis præscripsit, ita loquitur. *Cuius infirmitatis necessitas cogit lauandum corpus non longius differatur. Fiat sine murmure de consilio medici, ita vt etiamsi nolit, iubente Præposita faciat, quod faciendum est pro salute. Si autem velit, & forte non expedit, suæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim, etiamsi noceat, prodesse creditur, quod delectat. Deniq; si latens est dolor in corpore famulæ Dei, dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur: sed tamen vtrum sanando illi dolori, quod delectat expediat, si non est certum, medicus consolatur.*

IV. REMED. Ita require Medici industriam, vt tamen præcipue fiduciam colloces in diuino auxilio. *Etenim*, inquit idem BASILIVS loco citato, *cum illud, incolumitatis suæ spem omnem habere in manibus Medicorum, planè iumentorum simile sit, (quod quidem vsu venire miseris nonnullis animaduertimus, qui etiam non verentur apertè liberatores suos illos appellare) tum hoc, omnes penitus, quæ ab ea proficiscantur, vtilitates fugere, hominum est valde in sua sententia pertinacium.* Amb. lib. 1. c. 10. Et AMBROSIVS de Cain & Abel. *Ne videamur de humanis artibus, hoc est medendi peritia, herbarumq; succis speraſſe magis remedium, quam de Deo subsidium poposciſſe, ad ipsum prius est confugiendum qui nostræ curare possit animæ passiones, verum quidam præpostero ordine ante ab hominibus sibi opem arcescunt.* Hier. in c. 26. Et B. HIERONYMVS scribens in Isaiam. *Nihil*, inquit, *absque misericordia Dei ars medendi valet.* Probat autem S. BASILIVS in misericordia Dei imprimis fidendum exemplo regis Ezechiæ. 4. Reg. 20. 7. Licet enim Isaias Propheta massam ficorum vlceri eius applicari iussisset, tamen ad eum dixit. *Quod erit signum quia Dominus me sanabit.* Domino nimirum non ficubus tribuens sanitatem. 2. quia Deus vult nos per media etiam naturalia curari, vt clarius Dei beneficium nobis innotescat, quippe cum & ficus & aliæ medicinæ autorem vendicent Deum. 3. quia non omnes morbi à natura, vel à vitiosa victus ratione ortum ducunt, qui ferè egent arte Medici, sed sæpe sunt peccatorum nostrorum flagella. Heb. 12. 6. *Quem enim Dominus diligit, castigat.* Et Apostolus ait, *Ideo inter vos* (indigne scilicet communicantes) 1. Cor. 11. 30. *multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Quales imitari debent eum, qui apud Michæam dixit. *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei.* Mich. 7. 9. Et fructus dignos pœnitentiæ Matt. 3. 8.

nitentiæ facere: & verborum Domini meminisse. *Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare.* Deinde quia Deus alios affligit morbis, vt testatam reddat eorum virtutem vt B. Iob, alios vt copiosius in altero sæculo eos remuneret, vt Lazarum; alios vt ne quis aliquid fastigio humano maius eis inesse putet vt Paulum, cui Lycaones sacrificare voluerunt. Qui certe opem medicorum non implorarunt. Hæc omnia BASILIVS. 4. quia nonnulli sancti, vt ostenderent, quantam fiduciam haberent in Deo, medicinas neglexere. *Medicinam carnalem*, inquit S. Agatha, *corpori meo nunquam exhibui, sed habeo Dominum Iesum Christũ, qui solo sermone restaurat vniuersa.* Et S. EGIDIVS Athenienſis è stirpe regia ad Rhodani ostia solitarius, cum à venatoribus regis Francorum sagitta in incertum missa sauciatus esset, non modo medicinam corpori admittere noluit, sed etiam Deum orauit ne læsa caro sanitatem reciperet, vt corporis dolor longius ab animo arceret cogitationes voluptatum. Hæc in Deum fiducia cum maximè inesse debeat hominibus religiosis, vtpote qui maiorem sanctitatem profitentur, ita aliquando B. BERNARD. scripsit ad fratres de S. Anastasio, qui variis afflictabantur morbis. *Compatior vtique, & multum ego compatior infirmitati corporum, sed timenda multo magis ampliusque cauenda infirmitas animarum. Propterea minimè competit religioni vestræ medicinas quærere corporales, sed nec expedit saluti. Nam de vilibus quidem herbis, & quæ pauperes deceant interdum aliquid sumere tolerabile est, & hoc aliquando solet fieri. At verò species emere, quærere medicos, accipere potiones religioni indecens est, & contrarium puritati; maximeque ordinis nostri, nec honestati congruit, nec puritati. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scimus autem, quia qui in carne viuunt, Deo placere non possunt. Spiritualia proinde spiritualibus comparanda, & quærenda potio humilitatis, & clamandum in toto corde. Sana animam meam Domine, quia peccaui tibi.* Eodem tendunt, quæ alibi dixit, in eos qui plus æquo valetudini cõseruandæ student. *Qui voluerit, inquit Christus, animam suam saluam facere, perdet eam. Quid hic vos diuitis ciborum obseruatores, morum neglectores? Hyppocrates & sequaces eius docent animas saluas facere in hoc mundo: Christus & eius discipuli perdere. Quemnam vos ex duobus sequi magistrum eligitis? At manifestum se facit, qui sic disputat. hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori vel stomacho nocet.* Et infra. *Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomachum grauat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, pisces de stagno, aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Quale est hoc, vt in totis fluuiis, agris, hortis, cellarijsue reperiri vix possit, quod comedas? puta te quæso, monachum esse, non medicum, nec de complexione iudicandum, sed de professione.* Conuenit cum hoc monito Bernardino exemplum è cænobio Bernardino, à VINCENTIO Bellouacensi descriptum. Fuit, in quiens, in Claraualle monachus corpore infirmus, & in obseruatione medicamentorum curiosus, qui noctu per

Ioan. 5. 14. Iob. 2. 7. Luc. 16. 20. Act. 14. 12.

In eius vita apud Sur. Sur. in eius vita

Bern. ep. 322.

Matth. 6. 31. Rom. 8. 9. 1. Cor. 2. 13. Psal. 40. 5. Id. serm. 30. in Cant.

Vinc. lib. 7. Spec. histor. c. 104.

visum, cum fratres omnes ad diuinum officium persoluendum templum intrarent, conspexit B. V. Mariam iuxta Ecclesiæ fores singulis fratribus cochlear suauissimo antidoto plenum è pixide porrigentem, sibi autem dicentem. nunquid tu meo medicamẽto opus habes? nonne sapiens ipse medicus es, & tui curam geris? Vade ergo: mihi enim tantũ curæ sunt, qui fiduciam suam iactant in Dominum & filium meum. Quo facto, cum ille pudore suffusus, veniam delicti supplex petiisset, benigna mater illi idem antidotum obtulit. sumpsit, conualuit, & deinceps abdicatis medicamentis, communibus cibis contentus fuit.

V. REMEDIVM. Considera à Deo immitti morbos, ac proinde non immitti nisi bono fine, vt tu scililet resipiscas, & vitam tuam corrigas.

Aug. c. 3. *Tussi laboras*, inquit, AVGVSTINVS in libro de visitatione infirmorum, *plumone deficis, cibum stomachus respuit, phtisi decoqueris, vinum fastidis, dysenteria sauciaris, multimodo morborum genere afficeris? sed & hæc, si oculum habes, si cordatus es, Dei tota, sunt. disciplinam patris ne abijcias fili*, &c. *Vis scire, quia infirmitas*

Prou. 3. 11. 2. Cor. 12. *corporis salutem animæ parturit? audi Dominum Apostolo respondentem. virtus in infirmitate perficitur. ac si dicat. Complectere, quam pateris infirmitatem, quoniam*

Amb. lib. 2. ep. 9. *ita proficies de virtute in virtutem.* Exemplum huius rei habes apud Ambrosium ad Bellicium ægrum ita scribentem. *Iactatum te graui ægritudine significasti mihi te credidisse in Dominũ Iesum, & iam cepisse reualescere. Ad salutem igitur ea infirmitas fuit, plus aculei, quam periculi ferens, quia diu promissum remordebas. Hoc est, quod ait. Percutiam, & sanabo. percussit infirmitate, & sanauit fide.*

Deut. 32. 39. Hinc fit vt morborũ, aliarumq; afflictionum expertes in suis peccatis obdurati maneant, quod exprobrat B. Ieremias Moabitis docens ideo illos

Ierem. 48. 11. in sceleribus perstitisse, quod nunquam, vti filii Israhel captiui abducti sint, aut cũ aduersa fortuna conflictati. *Feculis* inquiens, *fuit Moab ab adolescentia sua & requieuit in fecibus suis: nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abijt, idcirco permansit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus.* Sicut enim vas prauo odore perfusum, eundem semper retinet, nisi fecibus ejectis aqua calida decoctum vel etiam ambustum nouo liquore imbuatur, sic animus peccatis assuetus nouum saporem non ante induit, quam noua aliqua afflictione vexatus saniora consilia acceptet. Facit nimirum Deus in peccatoribus lucrandis, quod peritus piscator in capiendis hamo piscibus. Nam vt ille longa arundine piscando, vbi escam piscis magnus accepit, non statim illum violenter ex aquis extrahit, sed sinit altius hamum in stomachum demitti. vbi autem infixus fuerit paulatim piscem ad ripam trahit, ne filum abrumpatur: sic Deus hominem ex peccati limo extracturus ad æternæ vitæ ripam, escam quidem illi proponit cœleste præmium, sed vt illam arripiat timorem inferni velut hamum subiicit, vt parum præmii desiderio accensus, partim diui

diuino timore tactus, peccata deserat. sed quia ex affectionum prauarum aquis, quibus immersus est, statim extrahi non potest, vt dicti timoris hamus altius infigatur pectori, graui & periculoso corporis morbo, aliisque afflictionibus eum exercet, vt postquam totus timore Dei concussus fuerit, & desiderio vitæ æternæ incensus, facile viam virtutis capessat & sanitati reddatur.

VI. REMED. Considera fructus spirituales, qui ex morbis oriuntur. Deducunt siquidem, vti generatim de omnibus afflictionibus supra dictum est, hominem, primo in notitiam sui & Dei. 2. præseruant à peccatis. 3. augent, si patienter tolerentur, gratiam & meritum, ac proinde & gratiorem Deo reddunt. 4. similem Christo & sanctis efficiunt. Christ s enim apud Isaiam, dicitur *vir dolorum*, qui nostros languores & infirmitates tulit. 5. supplent voluntariam satisfactionem pro peccatis. Hos fructus spirituales spectans S. Petrus Apostolus noluit propriam filiam S. Petronillam cum febri conflictantem sanitati restituere, sciens illi id prodesse ad seruandam virginitatem. Cum enim quidam valde mirarentur, cur cum alios etiam sola vmbra curaret, non idem beneficium præstaret filiæ, curauit quidem illam ad tempus, iussitque discumbentibus ministrare, sed ministerio peracto voluit eandem ad lectulum redire. Eadem de causa BENIAMIN eremita, cum sola oratione alios infirmos curaret, noluit tamen seipsum intercutis morbo laborantem curare: rogabatque eos qui sui miserebantur, vt non tam corporis, quam animæ curam gererent, veniamque à Domino exorarent peccatorum quæ sanus commisisset. Itaque quod peccator foret angebatur, quod æger nihil. Eodem pertinet, quod in S. THOMAE Cantuariensis Archiepiscopi vita proditum est, quendam scilicet valetudinis recuperandæ causa sepulchrum eius adiisse, votique compotem factum. Deinde dubitare secum cæpisse, num sanitas æquè ac prior morbus ad animæ salutem profutura foret, itaque ad sepulchrum martyris rediisse, petiisseque si sanitas non prodesset, in morbum pristinum recideret, atque recidisse. De S. ROMIRO quoque eremita legimus, cum quotannis graui morbo tentaretur à Deo, doluisse, quod vno anno liber esset, atque si à Deo tunc desertus fuisset.

Isa. 53.

Ex S. Marcello de eius vita.

Trip. l. 8. c. 2.

V. pp. 2. p. c. 148.

VII. REMED. Considera exempla sanctorum, qui patienter morbos etiã grauissimos sustinuerunt. Primus sit IOB, toto prsus corpore tabidus & putridus, & a planta pedis vsque ad verticẽ capitis fœdo vlcere confectus, quem *vulnerum vastitas*, inquit B. CYPRIANVS *& tabescentes ac defluntes artus, vermium quoque edax pœna consumpsit*: & super hæc testa saniem radens & sedens in sterquilinio, licet amicorum vxorisque conuitijs valde exasperatus esset, nullum impatientiæ signũ dedit, sed

Iob. 1.

Cypr. l. de patientia.

Iob.2.10. Iob. 6. 10. Hier.ep.27. dixit. *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus? Affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sancti.* 2. PAVLA Romana, teste Hieronymo ad Eustochium, cum febri laboraret, & stomachi cruditate cibum non digereret, vt modico vino vteretur, nec medicorũ placitis, nec religiosorum suasibus, immò nec S. Epiphanii, (quem Hieronymus submiserat) impelli potuit, nolens ab vitæ monasticæ instituto ne in ægritudine quidem declinare. Multo enim tempore aquam bibens magis expauit vini gustum, quàm infirmitatis periculum. Immo Epiphanius testatus est se senem ferre persuasum, ne vinum biberet. 3. SERVVLVS mendicus toto vitæ tempore paralysi laborans, autore B. GREGORIO in libro 4. dialogorum, ita vt in lectica iacens omnino se commouere non posset, semper in doloris accessionibus Deo gratias agebat, & hymnos decantabat: quare & moriens angelorum recreatus est concẽtu, & mortuus odore suauissimo domicilii locum compleuit. 4. GALLA Romana Symmachi Consularis viri filia, teste eodem Gregorio, cum intra annos puellares marito viduata ægrotaret, corpore toto in tabificam scabredinem verso, Medicis aientibus morituram, nisi coniugium iteraret, vel mentum pilosum viri instar habituram, neglexit medicorum consilium, quiduis pati parata, quam nubere. Mammillam deinde vlceribus plenã ita tolerauit, vt morti proxima apparente sibi B. Petro Apostolo, non vt curaretur rogarit, sed an sibi dimissa essent peccata Quæ dimissa audiens, plus ex hoc consolationis cæpit, quam ex morbo doloris. 5. S. HILDEGARDIS virgo nobilissima Bingensis, vt est in eius vita apud Surium, licet morbis continenter vexata in lecto decumberet, ipsius mortis imago, tamen mirandis claruit visionibus, futurorumque prædictionibus, omnesq; ægrotos tum ad se venientes, tum etiam absentes in somnis eis apparens, sanitati restituit. Quo exemplo, aliorumque multorum similium, vt liquet ex vitis sanctorum, discis ægrè iudicari posse, num ægritudo corporis posthabenda sit incolumitati.

Greg.c.14. & hom.15.in Euang.

Greg.4.dial.c. 13.

Sur.17. Sept.

VIII. REMED. est Abstinere à peccatis; scriptura enim sacra clarè docet peccata nostra plerumq; morborum causam esse, vt annotauit B. Hieronymus in cap. 9. Matthæi, vbi cum paralyticus iacens in lecto Christo oblatus esset sanandus, Christus respondit. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, vt tanquam peritissimus medicus ostenderet se causam & radicem paralysis tollere. Vnde cum apud Iohannem, ægrum illum, qui per triginta octo annos ad piscinam iacuerat, curasset, ait illi. *Vade & noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat.* Sic Apostolus in priore epistola ad Corinthios indicat ob indignam Eucharistiæ sacræ perceptionem quosdam morbis à Deo affligi. *Propter* hoc inquiens, *inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Et mox antidotum subiiciens, ait. *Si nos*

Matth. 9. 2. Ioan. 5. 14.

nos ipsos diiudicaremus, per examen conscientiæ, & confessionem peccatorum, *non vtique iudicaremur*, id est, puniremur à Deo. Hoc ita firmum habuit Ecclesia Catholica, nempe peccata esse morborum causas, vt INNOCENTIVS III. Papa in Concilio Lateranensi, vt habetur in Decretalibus, titulo *de Pœnitentijs & remissionibus*, legem tulerit, ne medicus ægro ante corporis medicamenta subministret, quam sacerdoti, medico spirituali, peccata confessus fuerit. c. cum infirmitas.

Antidota pro impatientia in morbo cæcitatis.

I REMED. Considera, si cæcus sis, te occasionem habere multa peccata cauendi. Omnia enim peccata B. Ioannes, in epistola priore, ad tres fontes reuocat. concupiscentiam carnis, oculorum, & superbiam vitæ. Quare nec opus habes, aut cum Dauide dicere. *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* aut conqueri cum Ieremia. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Certe melius fuisset Dauidi esse cæco, quam videre Bethsabee. Satis est, si interim oculi animi tibi non desint, quibus essentia diuina contemplanda est, quam Angeli semper contemplantur in cœlo. Hoc antidotum etiam Ethnici Philosophi suis in solatium præscripsere. *Oculos te perdidisse ploras?* inquit SENECA, *habet & nox suas voluptates. Quam multis cupiditatibus via incisa est, quam multis rebus carebis, quas ne videres, vel eruendi erant. Non intelligis partem innocentiæ esse cæcitatem? Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum quam concupiscat, huic vrbem & mala omnia. Certe irritamenta sunt vitiorum ducesque scelerum.* Hæc ille. Cum quo congruit illud sapientis. *Nequius oculo quid creatum est?* Vnde Hieronymus. *Quosdam,* inquit, *philosophos legimus effodisse sibi oculos, ne à contemplatione philosophiæ auocarentur.* 1. Ioan. 2. 16. Psal. 118. 37. Thren. 3. 51. Matth. 18. 10. In excerptis. Eccl. 31. Hieron. lib. 2. in Iouin.

II. REMEDIVM. Considera exempla eorum qui cæcitatem æquo animo tulerunt. TOBIAS senior stercoribus calidis hyrundinum excæcatus nihil contristatus gratias agit Deo: ob quam patientiam anno quarto post visum recipere meruit per angelum, rursusque gratias Deo agens ait. *Benedico te Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, & tu saluasti me.* PYGMENIVS presbyter Romanus, teste BEDA, æquo animo ferebat se oculis captum, quod potestas adempta esset hostes Ecclesiæ cernendi. vnde cũ Iulianus apostatata Cæsar ei obuiã factus, dixisset. Gratias ago Diis, ô Pygmeni, quod te video; contra ille. Gratias ago Deo meo, respondit, quod te non video, tam forti animo tyrannũ contemnens, quam cæcitatem. post martyrii corona donatus, cæpit videre, quæ oculus non vidit. DIDYMVS *Alexandrinus*, ait Hieronymus, *captus à parua ætate oculis, & ob id elemen-* Tob. 2. 11. Tob. 11. 17. B. in martyrol. Hier. in cat. Script. Eccl.

torum quoque ignarus, tantum miraculum sui omnibus præbuit, vt dialecticam quoque & geometriam, quæ vel maximè visu indiget, vsque ad perfectum didicerit, &

Ep. ad Castrutium. 33. *plura opera, ac nobilia conscripsit.* Et alibi. *Didymus vir eruditissimus captus oculis, cum isset ad B. Antonium Alexandriæ agentem, inter cæteras sermocinationes, quas de Scripturis sanctis habebant, cum Antonius admiraretur eius ingenium, & acumen animi collaudaret, sciscitans ait. Num tristis es, quod oculis carnis careas? Cum ille pudore reticeret, secundo tertioque interrogans, tandem elicuit, vt mœrorem animi simpliciter fateretur. Cui Antonius. miror, ait, prudentem virum eius rei dolere damno, quam formicæ, & muscæ & culices habent, & non lætari illius possessione, quam sancti soli & Apostoli meruerunt. Ex quo perutides, quod multò melius sit spiritu videre, quam carne, & illos oculos possidere, in quos peccati festuca non possit incidere.* S. GREGORIVS quoque in quarto dialogorum de venerabili Abbate, nomine SPE, tale refert exemplum. *Hunc omnipotens Deus ab æterno verbere flagellando protexit, & quantum eum diligeret, postmodum perfectè sanando monstrauit. Eius namq; oculos per 40. annorum spacium continuæ cæcitatis tenebris pressit, &c. Qui cum flagello fatigaretur corporis, habebat per Spiritus sancti custodiam consolationem cordis. Cum vero iam anni quadragesimi fuisset in cæcitate tempus expletum, ei Dominus lumen reddidit, & vicinum suum obitum denunciauit, atque vt monasterijs circumquaque constructis verbum vitæ prædicaret admonuit: quatenus corporis recepto lumine, visitatis in circuitu fratribus cordis lumen aperiret. Quintodecimo autem die ad monasterium suum reuersus, corpore Christi susceptо inter voces psalmos cantantium fratrum animam Deo reddidit, exeunte eius ex ore columba in conspectu omnium, in testimonium simplicitatis, qua Domino seruiuit.*

Greg. c. 10.

Apud Surium tom. 1. In S. VEDASTI quoque historia, cum Atrebati corpus eius in alium locum transferretur, legimus Audomarum Episcopum cæcum, cum optaret videre sancti ossa, ilico visum recepisse. Deinde, cum orasset si minus animæ conduceret donum videndi, rediret infirmitas, iterato oculis captum fuisse.

Apud Sur. tom. 3. Denique S. LVTGARDIS virgo, auc ore Thoma Cantipratense, cæca facta magis quam ante visionibus diuinis claruit, eamque monuit per visum Christus ipse, vt patienter cæcitatem toleraret; liberam siquidem fore à purgatorio, & multa visuram in cœlis, quæ iam non videret.

III. REMED. Considera, si forte reformides, te peccatis tuis causam dedisse cæcitati, & ideo in magno mœrore sis, quæ Hieronymus scripsit ad Castrutium eadem de causa mœrentē. *Obsecro,* inquiens, *ne imbecillitatem corporis, quam sustines, de peccato tibi existimes euenisse. Quod quidem & Apostoli*

Hier. ep. 33.

Ioan. 9. 2. *suspicantes de eo qui natus erat cæcus ex vtero, interrogantesque Dominum Saluatorem: iste peccauit, an parentes eius, vt cæcus nasceretur? audiunt. Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei.* Et rursus. *Si cæcitatis causam putas esse peccatum, & id Dei inferre iram, quod crebro medici remedijs, in simula-*

bis Isaac, qui in tantum lucis expers fuit, vt etiam, cui nollet, errore deceptus, benediceret. Refert crimen in Iacob, cuius caligauerat acies: & cum interioribus oculis, & spiritu prophetali longè post futura prospiceret, & Christum cerneret de stirpe regia esse venturum, Ephraim & Manassen videre non poterat. Deinde ad Abigaum item cæcum. Nec doleas, inquit, si non habeas, quod formiculæ, & muscæ & serpentes habent, id est, carnis oculos sed illum te oculum habere lætare, de quo in cantico dicitur Canticorum. Vulnerasti me soror mea sponsa vno de oculis tuis, quo Deus videtur: de quo à Moyse dicitur. Transiens videbo visionem hanc magnam. Denique quosdam etiam mundi philosophos legimus, vt totam cogitationem ad mentis cogerent puritatem, sibi oculos eruisse. Ep. 52. Cant. 4. Exod. 3.

ANTIDOTA

Pro Impatientia in morbo podagræ.

I. REMED. Considera hunc morbum tibi cum multis etiam sanctissimis virs esse communem, vndecunque tibi acciderit; ac imprimis, cum S. GREGORIO Magno Romano Pontifice, qui se & alios podagricos non semel cõsolatus est per epistolas. Et primum ad Italicam patritiã & Venantiũ ita scribit. *Peccatis meis exigentibus ecce iã vndecim menses sunt, quod valde rarum est, si de lecto surgere aliquando potuero. Tantis enim podagræ, tantisque molestiarum doloribus premor, vt vita mea mihi grauissima pœna sit. Quotidie enim in dolore deficio & mortis remedium expectando suspiro.* Et ad Eulogium patriarcham Alexandrinum. *Ecce enim iam biennium pœnè expletur, quo lectulo teneor, tantisq; podagræ doloribus affligor, vt vix in diebus festis vsq; ad horarum trium spatium surgere valeam Missarum solemnia celebrare, mox autem compellor cum graui dolore decumbere, vt cruciatum meũ possim interrumpente gemitu tolerare. Qui dolor interdũ mihi lentus est, interdum nimius. Sed neque ita lentus, vt recedat, neque nimius vt interficiat. Vnde fit, vt qui quotidie in morte sum, quotidie repellar à morte. Nec mirum, quia peccator grauis talis corruptionis carcere diu teneor inclusus. Vnde compellor clamare. Educ de carcere animam meam,* Et ad Venantium Episcopum Syracusanum antidota præscribit. *Podagræ doloribus torqueor, qui & mihi & vobis non dispariliter nociui, dum apud nos vehementer excrescunt, nos decrescere à vita fecerunt. Inter quos, quid aliud debemus, nisi semper delicta nostra ad memoriam reuocare, atque omnipotenti Deo gratias agere? Quoniam qui ex carnis blandimento multa peccauimus, ex carnis afflictione purgamur. Sciendum quoque est nobis, quia pœna præsens si animum afflicti conuertit, finis est culpæ præcedentis. Si autem ad timorem Domini mini nè conuertit, initium est pœnæ sequentis. Curandum igitur nobis est, & in fletibus tota mentis conuersione vigilandum, ne de tormento ad tormenta transeamus. Considerandum quoque est, quantum* Greg. 7. epist. 127. Id. l. 8. ep. 35. Psal. 141. 8. G. lib. 9. ep. 29.

Heb. 12.6. *erga nos dispensatione pietatis agit conditor noster quod morte dignos assiduè percutit, & tamen adhuc minimè occidit. Nos ergo habemus iudicium, quia derelicti non sumus, qui assiduè flagellamur teste scriptura, quæ dicit. Quem diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. &c.* Idem B. Gregorius in libro primo dialogorum commemorat Marcellini Anconitani Episcopi sanctitati minimè obstitisse podagræ morbum, quo minus miraculis illustris esset: quippe manibus licet gestatus, alienis vrbis incendium ex aduerso corpus suum flammis obiiciens de repente cessare fecit, virtute quam pedibus potentior. Scilicet terra denegata est illi calcanda, vt hoc liberius cœlum mente conscenderet.

Cic. lib. 3. II. Remed. Considera, quid de articulorum doloribus constanter ferendis etiam Ethnici philosophi senserint, scripserintq; M. T. Cicero in Tusculanarum quæstionũ libris. *Solebat*, inquit, *narrare Pompeius, se cũ Rhodum venisset, decedens ex Syria, audire voluisse Posidonium; sed cum audiuisset eum grauiter esse ægrum, quod vehementer eius artus laborarent, voluisse tamen nobilissimum Philosophorum visere. Quem, vt vidisset, & salutauisset, honorificisq; verbis prosecutus esset, moleste q; se dixisset ferre, quod eum non posset audire. At ille. Tu verò, inquit, potes: nec committam, vt dolor corporis efficiat, vt frustra tantus vir ad me venerit. Itaque narrabat eum grauiter & copiosè de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod honestum esset cubantem, disputasse: cumque quasi faces ei doloris admouerentur, sæpe dixisse. Nihil agis dolor: quamuis sis molestus, nunquam te esse confitebor malum.* Eandem sententiam amplectitur Tullius, nam mox subiicit. *Hoc igitur tibi proponea, mplitudinem, & quasi quandam exaggerationem quàm altissimam animi quæ maximè eminet contemnendis & despiciendis doloribus, vnam esse omnium rem pulcherrimam, eoque pulchriorem, si vacet populo, neque plausum captans se tantum ipsa delectet, &c. quia nullum theatrũ virtuti conscientia maius est.* Idem L. Ann. Sen. ep. 78. Seneca. nam ages de morborum doloribus fortiter perferendis, inde probat & podagræ dolores cõtemnendos, quod amantissima nostri natura ita disposuerit, vt dolorẽ aut tolerabilem aut breuẽ faceret. *Maxime*, inquiens, *dolores consistunt in maxerrimis corporis partibus. Nerui, articuliq; & quicquid aliud exile est, acerrimè sæuit, cum in arcto vitia concepit. Sed cito hæ partes obstupescunt, & ipso dolore sensum doloris amittunt. Sic podagra, & chiragra, & omnis vertebrarum dolor, neruorumque interquiescit, cum illa quæ torquebat debeuit. omnium istorum prima verminatio vexat, impetus mora extinguitur, & finis dolendi est, obtorpuisse.* In excerp. Et alibi. *Dolor imminet, si exiguus est, feramus: leuis est patientia. Si grauis est, feramus: non leuis est gloria. Dolor clamorem exprimat, dum secreta non exprimat. Non potest homo par dolori esse, nec rationi dolor. Dura res est dolor, immò tu mollis. Pauci dolorem ferre potuerunt. Simus ex paucis. Imbecilles natura sumus. naturam infamare nolite. illa nos fortes genuit. Fugiamus dolorem. Quid, quod ille sequitur fugientes?*

AN-

ANTIDOTA.

Pro impatientia in morbo lepra.

I. ANTIDOTVM est Patientia, quia lepræ morbus opinione hominũ habetur maximus omnium & miseratione dignissimus. tum quia incurabilis est, tum quia totum hominis corpus deformat & exedit vsque ad ossa, ac omnibus hominib. etiam parentibus, fratribus & amicis abominabile reddit, vt eius conspectum & societatem ferre non possint, vt latè describit GREGORIVS Nazianzenus in oratione de pauperum amore. Vnde AVGVSTINVS, vel si quis alius est auctor, in sermonibus ad fratres in eremo, sic alloquitur leprosos. Aug. serm. 32.

Fratres mei dilectissimi, scio quod percussit vos Deus, & leprosi facti estis vsq; ad diem mortis vestræ. Ideo obsecro vos in Domino, vt non deficiatis in tribulationibus, quæ sunt pro gloria vestra. Si stomachus doleat, si venter infletur, si totius corporis dolor vos inquietat, si calamitas vos vndique vexat, semper vos lætificet in omnibus laboribus vitæ huius amor vester in Deum, & pia patientia, & certa spes supernorum. Despiciamus sanitatem, & æternã quietem & sanitatem recipiemus. Vobis languentibus patientia summè necessaria est. Nullus enim beatus esse poterit, nullus cœlorum ciuis efficitur, nullus amicus Dei constituitur, qui inter mala patiens non inuentus fuerit.

II. ANTIDOTVM. Considerare patientiam Iob, non solum quia D. Iacobus nominatim eius patientiam omnibus spectandam proponit, sed quia S. Patres diserte testantur Iob cum aliis plurimis morbis, tum quoque lepra exitiali, quam vocant elephantiasin, laborasse. Vt Chrysostomus, Apollinaris, Beda, Philippus presbyter, & alii. Augustini loco citato verba sunt hæc, *Ecce sanctus Iob, iustus, sapiens, dives, rectus & timens Deum, & tamen leprosus efficitur, non conqueritur, extra castra proiicitur, ab hominibus despicitur & deseritur. Ab vxore blasphematur.* Iac. 5. 11.

L ex enim lata in Leuitico est. *Quicunq; maculatus fuerit lepra, omni tempore quo leprosus est & immundus solus habitabit extra castra.* Leu. 13. 46.

Vnde & in libris Regum legimus regem Azariam, qui & Ozias, lepra percussum à Deo, vrbe & regno cedere, & in domo libera morari. 4. Reg. 15. 5. 2. Par. 26. 21.

Iob autem sedisse in sterquilinio extra ciuitatẽ aperte habet editio LXX. interpretum & S. Patres fatentur ideo Iob figuram fuisse patientis Christi *extra portam passi.* Heb. 13. 12.

Deinde, sicut leprosi abominabiles esse solent etiam fratribus suis & amicis, ita & Iob. *Fratres meos,* inquit, *longe fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me: dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerunt obliti sunt mei.* Iob. 19. 13.

Denique sicut leprosi implacabili pruritu vexari solent, ita & Iob, sic vt coactus fuerit *testa saniem radere*; solent enim in leprosis digiti intumescere & putrescere, vt vnguibus se scabere nequeant. Iob. 2. 8.

III. ANTIDOTVM est conuertere oculos in Christum crucifixum, quem Iobo coniunxit B. Iacobus. *Vidimus eum*, inquit Propheta Isaias, *& nonerat ei species neq; decor, despectũ & nouissimum virorum, & quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum. Et nos putauimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum.* Iac.5.11. Isa.53.2.3.4. Verè leprosus apparebat, quia corpus eius secundũ varias partes intumuerat, prout magis minusue flagris, spinis, clauisque erat exulceratum. Varius quoque color erat, nunc pallidus, nunc ater, nunc rubens, nunc liuidus ex vibicibus flagellorum; capilli, oculi, faciesq; tota sanguine & sputo fœdata, ac ita deformata, vt Pilatus solum eius conspectum putauerit sufficere ad obdurata Iudæorum corda mollienda. Vnde AVGVST. ad leprosos. Aug.l.cit. *Nihil tam salutiferum est, quam quotidie cogitare, quanta pro nobis pertulit Deus & homo. Ecce enim saluator passus est, leprosus in cruce factus est, patiens factus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Quod si feceritis, non solum infirmitatem nõ molestè portabitis, sed cum Propheta clamare voce & opere non desistetis* 1.Pet.2.21. *Deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.* Psal.30.11. HINC forte factum est, Christum sæpe dignatum sanctis suis apparere in specie leprosi, vt Martyrio Monacho apud B. GREGORIVM ita scribentem. Gre.hom.39. in Euang. *In terra Lycaoniæ Martyrius vitæ valde venerabilis monachus fuit, qui pergens ad monasterium quoddam leprosum quendã inuenit in via, ad hospitium suum redire volentem quidem, sed non valentem. Eum itaq; pallio suo constrictum super humerum leuauit, & detulit, vicinusq; monasterio, ad quod tendebat magna voce clamauit. Currite, ianuas monasterij citò aperite, quia frater Martyrius venit Dominum portans. Statim verò vt Martyrius ad monasterij aditum peruenit, is qui leprosus putabatur de collo exiliens, & in specie vera Christi Dei & hominis apparens ad cœlum rediit dicens. Martyri tu me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super cœlos. Narrabat autem postea Martyrius, quod cum eum portasset, pondus minimè sensisset. nec mirum, quia portabat portantem omnia.*

ANTIDOTA

Pro Impatientia in Paupertate.

I ANTIDOTVM. Considera Spiritus sancti oracula in verbo Dei complrura. Primó enim monet, ne cor vel spem figas in diuitiis, vt in Psalmis. *Diuitiæ si affluant nolite cor apponere.* Et in prouerbiis. *Qui confidit in diuitiis suis corruet.* Et apud Ecclesiasticum *Memento paupertatis in tempore abundantiæ.* Et. *Beatus diues, qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris.* Et apud Paulum *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum.* 2. docet diuitias causam præbere multis tentationibus, vt apud Sapientem. *Multi dati sunt in auro casus, & facta est in specie illius perdi-*

Psal.61.11. Prou.11.28. Eccli.18.25. Eccli.31.8. 1.Tim.6.17. Eccli.31.6.& 11.10.

tioillorum. Et. *Si dives fueris, non eris immunis à delicto.* & apud Apostolum. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* 3. docet diuites auaros esse regno cœlorum exclusos. *Vbi sunt,* ait Baruch, *qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines? exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Et apud Lucam Christus. *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.* Et. *Facilius est camelũ per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* 4. monet ne soliciti simus de rebus temporalibus. Vt apud Matthæum. *Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neq; corpori vestro, quid induamini. Quærite primum regnum Dei & hæc omnia adiicientur vobis.* 5. vt contenti simus victu & amictu. Vnde in prouerbiis Salomon. *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam. quis est Dominus?* Et Apostolus. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* 6. consulit omnibus perfectam paupertatem, qua omnia deserantur. Vt apud Matthæum, adolescenti diuiti. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* 7. paupertatem laudat. Vt in Psalmis. *Melius est modicum iusto.* Et in Prouerbiis. *Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni & insatiabiles.* 8. pauperibus promittit regnum cœlorum. Nam Tobias ad filium sic loquitur. *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* Et rex Dauid. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Et Christus. *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et Lucas. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ* 9. denuntiat nos pauperes in mundũ venisse, & pauperes exituros. *Nihil enim intulimus in hunc mundum,* ait Apostolus, *haud dubium, quod nec auferre quid possumus.* Et Iob ditissimus, omnib. spoliatus. *Nudus,* inquit, *egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum.*

1. Tim. 6. 9. Bar. 3. 18. Luc. 6. 24. & 18. 25. Matt. 6. 25. 33. Prou. 30. 8. 1. Tim. 6. 8. Matt. 19. 21. Psal. 36. 16. Prou. 15. 16. Tob. 4. 23. Psal. 67. 11. Matth. 5. 3. Luc. 16. 22. 1. Tim. 6. 7. Iob. 1. 21.

II. Remed. Considera S. Patrum sententias. Cyp. sermone de Oratione Dominica. Paulus in epistola ad Timotheum *docet non tantum contemnendas, sed & periculosas esse diuitias, illic esse radicem malorum blandientium, cæcitatem mentis humanæ occulta deprædatione fallentium. Vnde & diuitem stultũ seculares copias cogitantem, & se exuberantium fructuum largitate iactantem redarguit Deus dicens. Stulte hac nocte expostulatur anima tua, q̃ ergo parasti, cuius erunt? Contra autem Dominus perfectũ & consummatũ docet fieri, qui omnibus suis venditis, atq; in vsum pauperum distributis thesaurum sibi cõdit in cœlo. Eum dicit posse se sequi, & gloriam Dominicæ passionis imitari. qui expeditus & succinctus nullis laqueis rei familiaris inuoluitur.* Si dicas, vnde paup ille omnib. destitutus se alet? Respondet Cypr. Dominum, ideo nos docuisse orare, Panẽ quotidianũ da nobis hodie. *Neq; enim,* inquit, *deesse quotidianus cibus potest iusto, cũ scriptũ sit. Non occidit Dominus fame animã iusti. Et iterũ. Iunior fui, senui, & nõ vidi iustum derelictũ, neq;*

Cypr. serm. 6. 1. Tim. 6. 9. Luc. 12. 20. Mattth. 19. 21. Prou. 10. 3. Psal. 36. 25.

Matth.6.31. neq; semen eius quærens panem. Item Dominus promittat & dicat. Nolite cogitare dicentes, quid edemus, aut quid bibemus, aut quid vestiemur? hæc enim nationes quærunt. Scit autem Pater vester, quia horum omnium indigetis. Quærite primum regnum & iustitiam Dei, & hæc omnia apponentur vobis. Nam cum sint Dei omnia, habenti Dominum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Danieli in Leonum lacu iussu regis incluso, prandium diuinitus procuratur. Sic alitur Elias in fuga & solitudine coruis ministrantibus. BASILIVS in Psalmum decimum quartum. Nullam paupertas conciliat homini turpitudinem. Hoc vno pauperes à diuitibus differimus, quod securi sumus, atque eos vigilantes continuo, nos dormientes ridemus: præterea in magna quiete agentes eos in magna rerum perturbatione constitutos ipsi aspicimus. Et in homilia de Ira. Quid miser angeris pauperis appellatione? Reminiscere, quod quemadmodum nudus in mundum venisti, nudus etiam egressurus es. Quid enim nudo pauperius? Nihil profecto grane audisti, nisi tibi ipse, quæ sunt obiecta, agnoscas. Quis vnquam ob paupertatem in carcerem ductus est? Nam egere non turpe quidē, aut aliquod probrum fuerit, sed paupertatem generosè non ferre. Memor sis Domini nostri Iesu Christi, qui cum dives esset, nostri gratia egere voluit. IOAN. CHRYSOST. homilia de auaritia. Paupertas est tutum asylum, portus tranquillus, perpetua securitas, deliciæ periculorum expertes, voluptas syncera, vita turbationum nescia, vita fluctuum ignara, copia inexpugnabilis, Philosophiæ parens, frenum intemperantiæ, supplicij sublatio, radix modestiæ. Et paulo post. Si quando in nauigijs est onus iusto grauius, demergit cymbam; cum verò est moderatum, prospero fertur cursu. Idem vsu venit in nostris ædibus. Cum vltra quam vsus postulat congeris pecunias, exigui venti procella, & quius rerum inexpectatarum incursus demergit cymbam. at si tantum reponas, quantum postulat necessitas, etiamsi vehemens turbo ingruat, facile percurris vndas. Noli igitur plus concupiscere, quam exigit necessitas, ne totum amittas. An non vides, quod agricolæ vitem putant, ne vim omnem in pampinis & palmitibus, sed in radice proferat? Idem & tu facito. Quod si facere recuses rebus prosperis, expectes aduersas. In tranquillitate tempestatem expecta, in sanitate morbum, in diuitijs paupertatem & mendicitatem. Memento, inquit, scriptura, tempus famis in tempore abundantiæ, egestatum in diebus opulentiæ. AMBROSIVS in Hexæmeron. Attende tibi pauper, quia anima tua pretiosa est, & si caro mortalis, diuturna anima: & si tibi deest pecunia, non deest gratia: & si non est domus ampla, non diffusa possessio, cœlum patet, terra libera est. Omnibus in commune elementa donata sunt, patent æquè diuitibus, atque pauperibus ornamenta mundi. Nunquid pulchriora pretiosissimarum domorum aurata laquearia, quàm cuius facies stellis insignita fulgentibus. Nunquid lautiora diuitum rura, quam spatia arborum? Maiorem domum tu habes pauper, in qua clamas, & exaudiris. O Israelinquit Propheta, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius: magnus & non habet finem, altus & immensus. Domus Dei diuiti est communis & pauperi. Difficile est tamen diuitem intrare regnum Dei. Et rursus. Beata est si bona sua meuerit cum veritate paupertas, & omnibus præferenda thesauris: quia melius est exi-

Chryſ.

Eccli. 18. 25.

Amb. lib. 6. c. 8.

Baruch. 3. 24.

Matth. 19. 23.

Li b. 5. c. 8.

guum

guum tum Dei timore, quam thesauri magni sine timore eius. Quantum est enim, quod hominem alat? aut si quæris, quod etiam abundet aliis ad gratiam, id quoq; non multum est. Aug. de verbis Apostoli. *Felicitas magna Christianorum, quibus datum est, vt paupertate faciant pretium regni cœlorum. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inuenire. Vis nosse, quam locuples sit? Cœlum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod videmus paupertati indultum? Vt ad regnum cœlorum veniret dives, possessione sua obtinere posset: nunc obtinet vt contemptu perueniat.* Aug. serm. 29. Et in sermone de Natali Domini. *Vobis dico pauperes, q̃ mendicatis, qui de eleemosyna Christianorum viuitis. Consolamini, consolamini, tribulatio vestra conuertetur in gaudiũ, & dolor vester in lætitiam. Non vobis sit ingratum, quod mendicatis, nec ideo in corde vestro aliquid contra Deum dicatis, quia ille iustus & pius est in omnibus suis. Et te ideo fecit pauperem, vt sufferendo breuem inopiam, æternam vitam acquireres. Et ideo patientes estote, & expectate Dominum.* Aug. serm. 7. de temp. Leo I. sermone de Quadragesima. *Semper dives est Christiana paupertas, quia plus est, quod habet quam quod non habet. Nec pauet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est in omnium rerum Domino omnia possidere. Operantibus ergo quæ bona sunt non est omnino metuendũ, ne eis desit facultas operandi, cum & in duobus nummis Euangelicæ illius viduæ sit laudata donatio, & pro calice aquæ frigidæ præmium habet gratuita largitio. Ex affectib. enim piorum benignitatis mensura taxatur.* Leo serm. 4. Luc. 21. 1. Seneca ad Lucilium. *Multis ad Philosophandum obstitere diuitiæ: paupertas expedita est, secura est. Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi simi lis. Non potest studiũ salutare fieri, sine frugalitatis cura. frugalitas autem paupertas voluntaria est. At necessaria deerunt. Deesse non poterunt, quia natura minimum petit. Naturæ autem se Sapiens accommodat.* Et rursum. *Nemo alius est Deo dignus, quam qui opes contempsit: quarum possessione tibi non interdico, sed efficere volo, vt eas intrepide possideas: quod vno consequeris modo, si te etiam sine illis beatè viuturum persuaseris tibi, si illas tanquam exituras semper aspexeris.* Et. *Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, vt contentus sis temetipso, & ex te nascentibus bonis. Quæ potest esse felicitas Deo propior? Redige te ad parua, ex quibus cadere non possis. Ille ingentis animi est, qui diuitias, circumfusas sibi multum diuq; miratus, quod ad se venerint, ridet, suasq; audit magis esse, quam sentit. Multum est non corrumpi diuitiarum contubernio. Magnus est ille qui in diuitiis pauper est: sed securior, qui caret diuitiis.* Sen. ep. 7. Ep. 18. Ep. 20.

III. Antidotvm. Considera paupertatem Christi, nostri Ducis, & antesignani, Pastoris & magistri, imò creatoris & redemptoris: *qui propter vos, inquit Apostolus, egenus factus est cum esset dives, vt eius inopia vos diuites essetis. Qui cum in forma Dei esset semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* 2. Cor. 8. 9. Phil. 2. 7. *Dives apud Patrem*, inquit Augustinus, *& pauper apud nos; dives in cœlo, pauper in terra; dives Deus, pauper homo.* Aug. in Psal. 40. Quam paupertatem, teste B. Bernardo in sermone de natali Domini, statim in ortu in corpore suo dedicauit, cum infans in stabulo natus

 Bern. serm. 4.

est, pannis inuolutus, & positus in præsepio: eamque graphicè describit
Cypr. serm. de natiu. B. CYPRIANVS. *Nulla domus ambitio, nisi reclinatorium in stabulo, mater in fœno, filius in præsepio. Tale elegit fabricator mundi hospitium: huiusmodi habuit delicias sacræ Virginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro byssо in ornatu regio laciniæ congeruntur. pedissequas substantia familiaris non patitur, mancipiorum obsequia sumptus tenuis, & inops mensa excludit.* Et infra. *Nihil in illa paupertate videbatur diuinum, non his quibus reuelatum est desuper, quorum primi fuere pastores, quorum innocentia & simplicitas electa est, vt laus Christi perficeretur, qui piscatores & pastores sequentibus temporibus confunderent oratores, & à pauperibus & humilibus prædicatio paupertatis haberet exordium. Christus pauper discipulos diuites aspernatur. pauper mater, pauper filius, inops hospitium his, qui in forma huius schola in Ecclesia militant, præbens efficax documentum.* Hæc ille. Huic pauperi initio re-
Matth. 8. 20. spondit reliquus vitæ progressus. Nam dixit. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet,* ac etiam exitus, cum nudus in cruce, expirauit.

Matth. 19. 27. IV. ANTIDOTVM. Considera exempla innumerabilium sanctorum, qui CHRISTI de paupertate consilium & exemplum sponte sunt secuti. & primo quidem secuti sunt Apostoli, quorum nomine ex-
Act. 4. 35. clamauit B. Petrus. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* 2. Primi Christiani, qui pecuniam ex agris diuenditis confectam ad pedes Apostolorum deposuerunt, nec amplius quicquam suum esse dixerunt. 3. Martyres, & alii, qui *raptum bonorum suorum*, vt loquitur Apostolus, *cum*
Heb. 10. 34. *gaudio susceperunt*, ne CHRISTVM desererent. 4. Eremitæ, Paulus, Antonius, Hilarion, Arsenius, Macarii, & alii eorum sectatores innumeri,
Matth. 3. & 11. qui omnibus opibus desertis arctissimam in victu & amictu paupertatem professi sunt, ad exemplum præcursoris Domini Ioannis Baptistæ, cuius paupertas ex Euangelica historia nota. 5. Ordinum religiosorum fundatores, Basilius, Augustinus, Benedictus, Brunus, Franciscus, Ignatius, & quotquot eorũ leges vel regulas susceperunt. 6. Qui deserto regno, principatu, vel magnis opibus extremam paupertatem vel mendicitatem elegerunt, vt S. Alexius, S. Rochus, S. Ioannes Calybita, S. Iudocus, & alii.

V. ANTIDOTVM. Considera multos gentilium Philosophos sola natura ratioque naturali duce, non solum sermone & scriptis, sed etiam vitæ exemplo diuitias paupertati posthabuisse. Hoc antidoto S.
Bas. ep. 169. BASILIVS egregiè pudefacit quendam Olympium, qui paupertatem *Philosophiæ altricem* longè finibus suis profligarat, eamq; inducit illum sic alloquentem. *Vt quid isti viro* (Olympio) *cohabitare voluit, nunc Zenonem laudanti, qui cum in naufragio omnia abijceret, nihil non virile loquebatur, sed euge dicebat ô fortuna, conuicis nos in vestem attritam ac laceram: nunc Cleanthen, qui mercenariam*

riam operam suam locauit fontibus hauriendis, vnde & ipse sibi victum comparabat. Quin & Diogenem nunquam non celebranti, qui iis tantum rebus viuere conatus, quæ essent ex ipsa natura, ita vt & pastorale poculum abiecerit, cum à puero concauis manibus deflexo capite bibere didicisset. Sic HIERONYMVS ad Paulinum de institutione monachi alios. *Crates ille Thebanus*, inquit, *homo quondam ditissimus cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putauit se simul posse virtutes & diuitias possidere: nos suffarcinati auro CHRISTVM pauperem sequimur, &c.* Et contra Iouinianum. *Crates ille Thebanus proiecto in mari non paruo auri pondere. Abite, inquit, pessum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.* Et paulo ante. *Platonici quoque & Stoici in templorum locis & porticibus versabantur, vt admoniti angustioris habitaculi sanctitate, nihil aliud quam de virtutibus cogitarent. Sed & ipse Plato cum esset diues & thoros eius Diogenes lutatis pedibus conculcaret, vt posset vacare Philosophiæ, elegit Academicam villam ab vrbe procul, non solum desertam, sed & pestilentem, vt cura & assiduitate morborum libidinis impetus frangeretur, discipulique sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum, quas discerent.* Similiter pudefacit hoc antidoto B. AVGVSTINVS omnes Christianos. *Quomodo*, inquiens, *se audebit extollere de voluntaria paupertate Christianus, vt in huius vitæ peregrinatione expeditior ambulet viam, quæ perducit ad patriam, vbi veræ diuitiæ ipse DEVS est, cum legat L. VALERIVM, qui in suo defunctus est Consulatu vsque adeo fuisse pauperem, vt nummis à populo collatis eius sepultura curaretur? Legat Q. Cincinnatum, cum quatuor iugera possideret, & eas suis manibus coleret, ab aratro esse abductum, vt dictator fieret. victisq; hostibus ingentem gloriam consecutum, in eadem paupertate mansisse. Aut quid se magnum feciisse prædicabit, qui nullo præmio mũdi huius fuerit ab æternæ illius patriæ societate seductus, cum Fabricium didicerit tantis muneribus Pyrrhi regis Epirotarum, promissa etiam quarta parte regni, à Romana ciuitate non potuisse diuelli, ibique in sua paupertate priuatum manere voluisse?* Et infra. *Hæc proposita sunt necessariæ commonitionis exempla, vt si virtutes, quarum istæ vtcumque sunt similes quas isti pro ciuitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei glorioſissima ciuitate non tenuerimus, pudore pungamur: Si tenuerimus, superbia non extollamur. Quoniam sicut dicit Apostolus. Indignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ad humanam vero gloriam, præsentisq; temporis satis digna vita existimabatur illorum.*

Hier. ep. 13.

Id. lib. 2.

Aug. l. 5. de ciu. c. 18.

Val. Max. l. 4. c. 4.

Rom. 8. 18

VI. ANTIDOTVM est eiusdem Basilii homilia in dictum Moysis. Attende tibiipsi. *Victus quotidiani indigus es? ne tu proinde*, inquit, *desponderis animum. Contemplare bona, tum quæ iam à Deo tibi collata, tum quæ in futurum promissione reposita. Primum quidem homo es, solus Dei conditoris manibus formatus; adde, ad imaginem illius, & qui potes per vitæ probitatem prouehi ad Angelicã dignitatem. Animã sortitus es intelligentia præditam, cuius solertia Deum agnoscis, omnesque res naturales. Tibi seruiunt vni animantia omnia terrestria, & aquatilia, & quæ*

Basil. hom. 3.

in aëre circumuolitant. Tuum inuentum sunt artes vniuersæ. nonne ciuitates condidisti? nonne commoda, deliciasq; vitæ huius excogitasti? nonne maria ratione pertuia reddidisti? nonne cœlum suum astrorum chorum, ordinemq; tibi ostentat? Quid igitur pusillo es animo? An quod desit equus freno argenteo ornatus? at Solem habes aureum toto die, & Lunam argenteam nocte tibi præradiantem. Non dormis in lecto eburneo? At terra ebore pretiosior est, in qua requiem dulcem omnis curæ expertem capessis. Non sunt laquearia aurea? At qui cœlo tegeris innumeris stellis radiante. Hæc humana sunt, sequuntur augustiora. Deus propter te inter homines versatus est, Spiritum sanctum misit, mortem deleuit, spem resurrectionis dedit. Præcepta promulgauit, quæ vitam perficiant tuam, quorum obseruatio iter aperiat ad vitam æternam, & coronam paratam illis qui labores pro virtute non defugerint. Interim nec necessaria, ad præsentem vitam deerunt; quare causa non est, vt animo angaris.

VII. ANTIDOTVM. Considera quam multis & grauibus curis multæ opes mentem pungant & discrucient, vt meritò Dominus apud B. Matthæum eas appellet spinas & diuitias fallaces. SPINA enim primò & dolorem creat cum infigitur, & cum infixa manet, & cum extrahitur: sic diuitiæ magno labore acquiruntur, maiore timore conseruantur, & maximo dolore amittuntur, iuxta illud B. BERNARDI in sermone de conuersione ad clericos. *Diuitiarum*, inquit, *amor longè amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret vsu, vtpote quarum acquisitio quidem laboris, possessio verò timoris, amissio plena doloris inuenitur.* 2. Spinæ suffocant semen, vt Christus dicit, idq; propter tria. Primò quia humorem terræ exhauriunt, vt nihil suppetat semini. 2. solem & imbrem excludunt 3. crescentes è terra aristas impediunt. Sic amor diuitiarum primò omnem diuini amoris pinguedinem exhaurit *Si quis enim diligit mundum*, inquit B. Ioannes, *Patris charitas non est in eo.* 2 solem diuinæ gratiæ non magis admittit, quam clausa spelunca solis radios. *Mundus*, inquit Christus, *quod suum est diligit.* Sed & imbrem diuini eloquii impedit, quo minus in cor defluat. *Nam vt vociferantium clamor*, inquit Gregorius Nazianzenus, *obuij flatus impetu frangitur, sic interna mentis cogitatio, externorum solicitudine interpellatur.* Deinde conantem se ad cœlestia cogitanda erigere, & de animæ salute serio tractare, ita amor ille opum deprimit, vt quod sancte proposuit fortiter exequi non valeat. Totus ei rei deditus, cuius amore tenetur. *Vbi enim thesaurus tuus*, ait Christus, *ibi & cor tuum.* Vnde S. Antonius de Padua vir Propheticoo Spiritu plenus in concione funebri pro vsurario habita ait. Mortuus est hic diues, & sepultus est in inferno. Ite ad thesaurum eius & in illius medio inuenietis cor eius corpore iam humato. Abierunt parentes & amici, & cor adhuc calidum inter nummos inuenerunt. 3. Spineta sunt latibula venenatorum animalium, sic diuitiæ vitiorum. Vbi enim magnæ opes, ibi fastus, ambitio, luxus, gula, comessationes, ebrietates, & ipse diabolu

Matth. 13. 22.

Bern. c. 12.

1. Ioan. 2.

Ioan. 15. 19.

Greg. lib. 2. de Theolog.

Matth. 6. 21.

In vita apud Sur. tom. 3.

bolus. *Diabolus*, inquit Chrysostomus, *veluti serpens spinis occultatur, intra diuitiarum impostura assiduè latitans. radix enim omnium malorum cupiditas.* Recte ergo apud Laertium Diogenes diuitias vocauit *velamentum malitiæ.* Quia verò secundum huius mundi iudicium paupertas & egestas magis pungere & excruciare mentem videntur, quam opes: eo quod multi de quotidiano victu suo & suorum anxii sint, perpende & sequens antidotum. Chry. hom 8. in ep. ad Rom. Laert. lib. 6.

VIII. ANTIDOTVM. Considera etiamsi quidam ob inopiam plus æquo anxii sint, id tamen non esse probandum, quia Christus apud Matthæum diserte vetat, ne de victu & amictu soliciti simus more gentilium, promittitque necessaria non de futura, sicut nec volatilibus cœli, si primum quæramus regnum Dei. *Quærite*, inquiens, *primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Regnum Dei*, est gratia Dei in qua animarum nostrarum vita consistit, vnde apud Lucam dicitur. *Regnum Dei intra vos est. Iustitia* verò *eius*, est obseruatio mandatorum. quo sensu Zacharias & Elisabeth dicuntur *in omnibus iustificationibus*, id est, mandatis Dei, *ambulasse*. Inter mandata autem Dei computatur, vt homo ex parte sua non otietur, sed primum à Deo in quotidianis precibus *Panem quotidianum*, vt liquet ex oratione Dominica, hoc est victum & amictum, postulet, deinde etiam laboret manibus suis. Nam in Adamo protoplasto omnibus à Deo dictum. *In sudore vultus tui vescêris pane tuo.* Quod sciens Iob. *Homo*, inquit, *ad laborem nascitur, sicut auis ad volatum.* Et Salomon pigrum laborare nolentem amandat ad formicam æstate colligentem vnde viuat in hyeme. Apostolus denique pœnam denunciat. *Qui*, inquiens, *non vult operari, non manducet.* Conuenit id cum similitudine de auibus cœli, quas non serentes, neque metentes, Deus pascit; videmus enim & illas in victu quotidiano non parcere laboribus. Elegans huius rei exemplum prodit AMBROSIVS in Hexæmeron, de aue verè cœlesti hirundine. *Illud*, inquit, *in ea præclarum, qua gratia domos sibi sine vllo adiutore tanquam artis perita componat. Legit enim festucas ore, easque luto illinit, vt conglutinare possit, sed quia lutum pedibus non potest deferre, summitatem pennarum aqua infundit, vt facile his puluis adhæreat, & fiat limus, quo paulatim festucas colligat, atque adhærere faciat, eo genere nidi totius fabricam struit vt quasi pauimenti solo pulli eius intra ædes suas sine offensione versentur. Sed hoc officium industriæ prope commune multis auibus: illud verò singulare, in quo est præclara cura pietatis, & prudentis cognitionis insigne, tum quædam medicæ artis peritia, quod si qua pulli eius fuerint cæcitate suffusi oculos, habet quoddam medendi genus, quo possit eorum lumina intercepto vsui reformare. Nemo igitur de inopia queratur, quod vacuas pecuniæ proprias ædes reliquerit. Paupertor est hirundo, quæ vacua æris abundat industria. Ædificat, nec impendet: tecta attollit, & nihil aufert proximi: nec indigentia & paupertate ad nocendum alij compellitur, nec in* Matt. 6. 25. V. 33. Luc. 17. 21. Luc. 1. 7. Luc. 11. 3. Gen. 3. 19. Iob. 5. 7. Prou. 6. 6. 2. Thess. 3. 10. Amb. lib. 6. c. 17.

graui filiorum imbecillitate desperat. Nos verò & paupertas afficit, & inopiæ necessitas vexat, & plerosque cogit in flagitium, impellit in crimen, improuidi & inertes iacemus cum de diuina miseratione tunc sperandum amplius sit, cum præsidia humana defecerint.

VIDE. V. *Amor sui. Auaritia. Impatientia in aduersis. Tristitia.*

ANTIDOTA

Pro Impatientia in damno rerum temporalium.

I. ANTIDOTVM. Considera exempla eorum qui patienter omnium, vel quarundam facultatum suarum iacturam tulerunt. Primum est patientissimi IOB. de quo TERTVLIANVS. *O felicissimum illum, qui omnem patientiæ speciem aduersus omnem diaboli vim expunxit. Quem non abacti greges, non illæ in pecore diuitiæ, non filij vno ruinæ impetu adempti, non ipsius deniq; corporis in vulnere cruciatus, à patientia, fide Domino dedita, exclusit, quẽ diabolus totis viribus frustra cæcidit. Neq; enim à respectu Dei tot dolorib. auocatus ille est, sed constituit nobis in exemplũ & testimonium, tam spiritu, quã carne, tam animo quã corpore, patientia perpetrandæ, vt neque damnis secularibus, nec amissione carissimorum, nec corporis quidẽ conflictationibus succidamus. Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo extruxit! Quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit, cum ille homo ad omnem acerbum nuntium, nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias?* Tert. lib. de patientia.

II. est EZECHIÆ regis, qui vt est in sacra regum historia, cum audiisset, Deo puniente, omnes opes suas in Babylonem transferendas, eo quod illas Babylonii Regis legatis nimis iactanter ostendisset, animo turbatus non est, sed respondit. *Bonus sermo Domini quem locutus es. Sit tantum pax in diebus meis.* Qua patientiæ humilitate meruit vt regiæ gazę direptio ad successores eius Ioachim & Sedechiam differretur, quando & populus ob scelera sua tractus est in captiuitatẽ. III. est. Christianorũ innumerabilium, qui inde ab exorto Christianismo per annos 300. in variis persecutionibus rapinã omniũ facultatum suarũ libenter sustinuere. E quibus fuere, de quibus D. Paulus scribit in epistola ad Hebræos. *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum, nam rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepisti, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* 4. Reg. 20. 19. Hebr. 10. 34.

IV. est SPYRIDIONIS in Cypro Trimithuntis Episcopi & ouium pastoris, de quo Socrates in historia Ecclesiastica. *Fures*, inquit, *quodam tempore nocte concubia, clam in ouilia eius irruunt, oues inde furripere moliuntur. Sed Deus, qui pastorem seruauerat, seruabat & oues. Nam fures vi quadam, quæ oculis cerni non poterat, ad ouilia tenebantur astricti. Cum autem dies illuxisset Spyridion ad oues re-*

Socr. lib. 1. c. 8.

mit,

nit. Vbi manus furum à tergo colligatas offendit, quod factum erat, cognouit, Deumque precatus, eorum manus soluit. eosque hortatur, vt non ex iniquis, sed ex iustis laboribus victum quærere contenderent. Arietem illis dat, & cum hoc facete dicto (vobis istum dono, ne frustra vigilasse videamini) liberos dimisit. Simile exemplum est apud B. GREGORIVM in dialogis, primum de Stephano apud Reatinam vrbem venerabili. Greg.4.c.19. *Fuit*, inquiens, *vir nihil in hoc mundo possidens, nihil requirens, solam cum Deo paupertatem diligens, inter aduersa semper patientiam amplectens. Is namque, cum quadam die messem, quam sua manu secuerat decisam ad aream deduxisset: nihilque aliud cum discipulis suis ad totius anni stipendium haberet, quidam peruersæ voluntatis vir, antiqui hostis stimulis instigatus eandem messem ita vt erat igne supposito in area incendit. Quod factum dum alter conspiceret, eidem Dei famulo cucurrit & nunciauit. Quod postquam indicauit, adiunxit dicens. Væ væ pater Stephane, quid tibi contigit? cui statim vultu ac mente placida ille respondit. Væ quid illi contigit, qui mihi hoc fecit? num mihi quid contigit? In quibus eius verbis ostenditur, in quo virtutis culmine sedebat, qui vnum quod in sumptum mundi habuerat, tam secura perdebat mente, magisque illi condolebat, qui peccatū commiserat, quam sibi, qui peccati illius damna tolerabat.* DEINDE de Libertino monasterii Fundensis præposito. Id.1.dial.c.2. *In prouincia Samnij, inquit, idem vir pro vtilitate monasterij carpebat iter. Dumque Darida Gothorum dux cum exercitu in eodem loco venisset, Dei seruus ex caballo quo sedebat ab hominibus eius proiectus est. Qui iumenti perditi damnum libenter ferens etiam flagellum, quod tenebat, diripientibus obtulit dicens. Tollite vt habeatis qualiter hoc iumentum minare valeatis. Quibus dictis protinus se in orationem dedit. Cursu autem rapido prædicti ducis exercitus peruenit ad fluuium, qui vocatur Vulturnus, ibique equos suos ceperunt singuli hastis tundere, & calcaribus cruentare, sed equi moueri non poterant. & vnus eorum intulit, quia ex cu'pa quam seruo Dei in via fecerunt illa sui itineris dispendia tolerabant. Qui statim reuersi post se Libertinū reperiunt in oratione prostratum. Cui cum diceret. Surge tolle caballum tuū. ille respondit Ite cum bono: ego caballi opus non habeo. Descendentes verò inuitū cum in caballum, de quo deposuerant, leuauerunt, & protinus abscesserunt. Quorum equi tanto cursu illud quod prius non poterant transire flumen transierunt, ac si ille fluminis alueus aquā minime haberet.* Eiusdē generis est exemplū S. MEDARDI Episcopi Nouiomensis apud Surium. V. exemplū sit S. ELISABETHÆ Hungarorū reginæ, Ludouici Landgrauii Cōiugis, q̄ mortuo marito ab Hassiæ magnatibus arce pulsa cū liberis omnibusq̄ facultatib. spoliata est. SVR.8.IAN. Philippus Montanus Spirensis historiæ scriptor, *Magnates*, inquit, *qui Henrico defuncti Principis fratri per ætatē ad regni gubernacula nondum idoneo adhærebāt, posthabito Dei timore, ac publica honestate Christi famulā fortunis omnibus, exutā ceu ignobilē aliquā arce coegerūt excedere; idq; eo modo, vt vix quisquā hospitio cieclā, excipere auderet propter sæuitiā, qua crudeles illi in eā bacchabantur. Quo tempore ipsa humano solatio plane destituta ad cœnobiū Fratrum Minorū veniens, hymnū,* Sur.19.Nou.

que in

quem TE DEVM *laudamus vocant, decantari obnixè rogauit: præclarè secum statuens Christi nomen multo magis in aduersis, quam prosperis rebus hymnis & laudibus persequendum esse.*

II. REMEDIVM. Obfirma animum contra omnes calamitates aliquando obuenturas. Iacula enim præuisa, vt habet vulgare dictum, minus feriunt. Hoc antidotum non solum à nostris, sed etiam ab Ethnicis diligenter semper inculcatum est. Immò à diuino spiritu in sacris litteris, dum ait. *In die bonorum, ne immemor sis malorum, & in die malorum, ne immemor sis bonorum.* Et Iob. *Antequam comedam, suspiro, & tanquã inũdantes aquæ sic rugitus meus. Quia timor, quem timebam, euenit mihi, & quod verebar accidit, nonne dissimulaui, nonne silui, nonne quieui & venit super me indignatio?* Et rursum. *Si dormiero dicam, quando consurgam? & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus vsque ad tenebras.* Vnde CHRYSOSTOMVS. *Rebus prosperis expectes aduersas. In tranquillitate tempestatem expecta, in sanitate morbum expecta, in diuitijs paupertatem ac mendicitatem expecta. Memento, inquit, scriptura, tempus famis in tempore abundantiæ: mendicitatem & egestatem in diebus opulentiæ. Ad hunc modum si fueris affectus, tum & diuitias, multa cum sobrietate administrabis, & egestatem, si incidat, fortissimè perferes. Malum enim inexpectatum perturbat animum, si incidat. Quod autem expectabatur, si accidat, non multum affert perturbationis.* Et paulo post *Huius rei testis Ionas Niniuitis prædicens interitum. Siquidem illi, dum expectant, quod propheta prædixerat, eis imminere calamitatem insanabilem, expectatione malorum venturorum fregerunt iram numinis. Rursus Iudæi non credentes prophetæ prædicenti Hierosolymorum excidium, acerba perpessi sunt.* Et infra, exponens cur IOB tam constans perstiterit in aduersis. *Nimirum,* inquit, *quia cum diues esset, expectabat egestatem: cum sanus esset, expectabat ægrotationem: cũ tot liberorum esset pater, expectabat, vt subito fieret orbus. Et hanc anxietatem semper apud se alebat, intelligens rerum humanarum naturam, & volubilitatem, eoque dicebat. Timor, quem timebam, euenit mihi, & periculum quod metuebam occurrit mihi. Neque silui, inquit, neq; quieui, sed mihi venit indignatio. Non dixit, non sileo, neque quiesco præsenti tempore, sed non quieui, præterito tempore. Neque enim rerum prosperitas attulit arrogantiam, sed expectatio tristium non sinebat me quiescere.* Ex Ethnicis, qui hoc remedium crebrius inculcarunt est SENECA, ad Marciam ita scribens. *Vnde pertinacia in deploratione? nisi quod nihil nobis mali, antequam eueniat, proponimus. Quæ multo ante prouisa sunt, languidius incurrunt. Non putaui futurum quicquam: tu putas non futurum, quod multis scis posse fieri quod multis vides euenisse? Egregium versum audi, & dignum Publio. Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest. Aufert vim præsentibus malis, qui futura prospexit.*

Eccli. 11. 27. Iob. 3. 24.

Iob. 7. 4.

Chry. hom. de auaritia.

Eccli. 18. 25.

Iob. 3. 6.

Iob. 3. 24.

Sen. lib. de consolat. c. 9.

III. REMEDIVM Considera, omnia bona fortunæ à Deo nobis esse data commodato, atque aliena potius esse quam propria, quod indicauit B. IOB. cum iis ereptis dixit, *Dominus dedit, Dominus abstulit. Nudus egressus*

egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Et Ecclesiastes. *Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur & nihil auferet secum de labore suo.* Et Apostolus. *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possumus.* Omnia autem bona huius mundi propria esse Dei, indicant illa psalmographi. *Domini est terra & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo.* Et illud *Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius.* Deinde in Propheta Aggæo. *Meum est argentum, meũ est aurũ, dicit Dominus exercituum.* Vnde S. Patres ex parabola de villico iniquitatis, quæ est apud B. Lucam, collegerunt diuites non esse opum suarum Dominos, sed dispensatores, vt Ambrosius, Beda, Theophylactus, Eutymius in eundem locum, ac etiam B. Augustinus in quæstionibus Euangelicis. Certe TERTVLLIANVS in libro de Patientia. *Quod nostrum,* inquit, *videtur, alienum est: nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cuius ipsi quoq; nos. Itaque si damno affecti impatientes erimus, non de nostro amissum dolentes, affines cupiditatis deprehendemur. alienum quærimus, cum alienum amissum ægrè sustinemus.* Et B. BASILIVS oratione in verba illa. *Destruam horrea mea.* sic scribit. *Tu nonne spoliator es, qui quæ dispensanda accepisti propria reputas? est panis famelici, quem tu tenes: nudi tunica, quam in conclaui conseruas: discalceati calceus, qui apud te marcescit.* Et AMBROSIVS. *Sed ais, quid iniustum est, si cum aliena non inuadam, propria diligentius seruem? O impudens dictum, propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti?* Et CHRYSOSTOMVS ad pop. Antioch. *Tuarum rerum es, ô homo, dispensator, non minus, quam qui Ecclesiæ bona dispensat.* Et S. LEO de collectis. *Etiam terrenæ & corporeæ facultates ex Dei largitate proueniunt, vt merito rationem eorum quæsturus sit, quæ non magis possidenda, quàm dispensanda commisit.* Hoc antidoto SENECA Marciam suam consolari conatus est. ita loquens. *Quicquid est hoc, Marcia, quod circa nos ex aduentitio fulget, liberi, honores, opes, ampla atria, & excelsorum clientium turba, referta vestibula, clara, nobilis, aut formosa coniunx, ceteraq; ex incerta & mobili sorte pendentia, alieni, commodatiq; apparatus sunt, nihil horum dono datur: collatitiis & ad Dominos redituris instrumentis scæna adornatur. Alia ex his primo die, alia secundo referentur: pauca vsq; ad finem perseuerabunt. Ita non est, quod nos suspicamus, tanquam inter nostra positi; mutuo accepimus. Vsus fructus noster est, cuius tempus ille arbiter muneris sui temperat.*

Iob. 1. 21. Ecc. 5. 14. 1. Tim. 6. 7. Psal. 49. 12. Agg. 2. 9. Luc. 16. 1. Aug. l. 2. q. 34. Basil. Amb. ser. 82. Chry. hom. 34. Leo. ser. 5. Sen. de consol. c. 10.

IV. REMED. Moderatus amor bonorum fortunæ, iuxta illud Psalmi. *Diuitiæ, si affluant, nolite cor apponere,* quo enim impensius ea amabis, hoc eorum amissione vehementius percelleris. Vnde B. IOB. *Si putaui aurum robur meum: & obrizo dixi, fiducia mea? Si lætatus sum super multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea? Humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur.* Quod autem B. Iob. hoc remedio mentem suam contra omnia aduersa impendentia roborarit docet B. CHRYSOSTOMVS in homilia de Auaritia. *Quoniam,* inquit, *B. Iob aduersa animo*

Psal. 61. Iob 31. 24. Chrys.

longè ante præceperat, non est perturbatus, cum cerneret illa adesse, quoniam ne tum quidem, cum adessent læta, vehementer illis adhæsit. Audi quid dicat. Quæ si delectatus sum, cum mihi multæ affluerent diuitiæ, si reposui copiosam auri vim mihi, si fiduciam habui in lapidibus pretiosis: si ad innumerabilia posui animam meam. Quid ais homo? non delectatus es delitiis affluentibus tibi? Nequaquam, inquit. Quid ita? Quoniam videbam illarum instabilem fluxamque naturam, videbam possessionem haud durabilem. Aut non video, inquit, quidem solent orientem ac deficientem, lunam verò intereuntem? non enim in eodem manet statu. Quod autem dicit, tale est. Si stellæ, quæ sunt in cœlis, perpetuoq; lucent, recipiunt nonnullam mutationem: Sol deficiens, Luna interiens. an non extremæ sit dementiæ terrena pro stabilibus fixisq; ducere? Eoq; nec præsentibus magnopere delectabar, nec decentibus vehementer contristatus sum, quoniam probè noueram earum rerum naturam. Idem remedium loco proximè allegato proponit SENECA. *Sæpè*, inquiens, *admonendus est animus, amet vt recessura, imò tanquam recedentia. Quicquid à fortuna datum est, tanquam extemplo abiturum possideat.*

Iob 31.24.

Ibid. v. 26.

Cap. 10. ad Marciam.

VIDE. V. *Amor sui. Auaritia. Desperatio. Immortificatio passionum. Impatientia in aduersis. Ingratitudo. Ira. Pusillanimitas. Tentatio. Tristitia. Vestium luxus. Voluptas carnalis.*

ANTIDOTA

Pro Impatientia in morte parentum, liberorum fratrum, sororum, mariti, vxoris, cognatorum, &c.

I. REMEDIVM. Considera diuinæ scripturæ testimonia. Ea imprimis declarat non esse illicitum luctum pro mortuis, eo quod sanctissimi quique exitum suorum deplorarunt, vt Abraham mortem Saræ vxoris, & Ioseph cum fratribus suis mortem patris sui Iacob. Hebræi item mortem Moysis. Dauid mortem Saulis, Ionathæ, & filii Absolonis. Christus quoq; fleuit in morte Lazari. Et in Actorum Apostolicorum historia viri timorati dicuntur planxisse planctu magno ob mortem B. Stephani. 2. docet moderatè esse lugendos mortuos. Nam Ecclesiasticus cum dixisset. *Supra mortuum plora, defecit enim lux eius*, mox subiicit. *Modicum plora supra mortuum, quoniam requieuit.* Et paulo post. *Luctus mortui septem dies: fatui autem & impij, omnes dies vitæ illorum.* Et rursus. *Fili in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & fac luctum secundum meritum eius vno die vel duobus propter detractionem*, id est, ne alii calumnientur te propter mortem lætari. Et B. PAVLVS, *Nolumus*, inquit. *vos ignorare fratres de dormienti-*

Gen. 23.2.
Gen. vlt. 10.
Deut. vlt. 8.
2. Reg. 1. 17.
2. Reg. 19. 4.
Ioan. 11. 35.
Act. 8. 2.
Eccli. 22. 11.

Eccli. 38. 16.

1. Thess. 4. 12.

mientibus, vt non contriſtemini (nempe nimium) *ſicut & ceteri, qui ſpem non habent*, alterius vitæ ſcilicet.

II. REMED. Conſidera priſcorum Patrum dicta. CYPRIANVS de mortalitate. *Nobis quoq; ipſis minimis & externis quoties reuelatum eſt, quàm frequenter & q; manifeſtè de Dei dignatione præceptum eſt, vt conteſtarer aſſidue, & publicè prædicarem fratres noſtros non eſſe lugendos acceſſione Dominica de ſeculo liberatos, cum ſciam non eos amitti, ſed præmitti: recedentes præcedere, vt proficiſcentes & nauigantes deſiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas hic eſſe atras veſtes, quando illi ibi indumenta alba iam ſumpſerint.* Cypr. ſerm. de BASILIVS de gratiarum actione. *Neque mulieribus, neq; viris permittit decori & honeſtatis ratio, vt vel luctũ ſtudio affectent, vel immodicis ſe conficiant lacrymis: tantum ſinuntur, rebus minus lætis eſſe quadantenus mœſti, leneſq; fundere lacrymas, idq; ſilentio, citra vllum eiulatum, veſtium laceratione, neu puluere caput aſpergant, nec alio quouis pacto indecorè ſe gerant, eorum exemplum imitati, qui humanarum rerum prorſus ſunt rudes. Nonne Iob adamantino corde erat, cum momento temporis plaga vna eademq; ei obtriti ſunt liberi decem?* Et Bas. hom. 5. in martyrem Iulittam. *Filij cariſſimi, aut vxoris, quam ex animi ſententia duxeras aut alterius cuiusdam ex amiciſſimis, obitus mœrore te affligit, nihil profecto graue homini prouido accidit, & ei qui rectam rationem vitæ ducem habet, nec ſecundum vulgi conſuetudinem viuit. Imperitorum certè, & parum à natura informatorum eſt, grauius ob conſuetudinis ſeparationem angi; id quod & animalia rationis expertia faciunt. Vidi etenim ipſe aliquando bouem ad præſepe lacrymantem, cum contubernalem ſuum morte ereptum cerneret.* Id. hom. 5. AMBROSIVS de fide reſurrectionis. *Depone mœrorem, ſi potes: includ'e ſi non potes. Aut abſorbendus omnis, aut premendus eſt dolor. Cur enim mœſtitiam tuam non ratio potius quam dies leniat? nam quod obliteratura eſt temporis ſeries, melius prudẽtia mitigabit. Quinetiam hoc ipſum irreligioſum puto, erga ipſorum memoriam, quos dolemus amiſſos, vt obliuiſci eorum malimus, quàm conſolatione mulceri: aut cum horrore reminiſci, quàm meminiſſe cum gratia: recordationem timere quorum imago debeat eſſe voluptati.* Amb. orat. 2. de morte fratris. HIERONYMVS ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ filiæ plus æquo plagentem. *Deteſtandæ ſunt iſtæ lacrymæ, plenæ ſacrilegio, incredulitate pleniſſimæ, quæ non habent modum, quæ vſq; ad viciniam mortis accedunt. Vlulas & exclamitas, & quaſi quibuſdam facib. accenſa, quantum in te eſt, tui ſemper homicida es. Sed ad talem clemens ingreditur Ieſus, & dicit. Quid ploras? non eſt mortua puella, ſed dormit. irrideant circumſtantes. Iſta infidelitas Iudæorũ eſt. Te quoq; ſi ad ſepulchrum filiæ volueris volutari Angelus increpabit. Quid quæris viuentẽ cum mortuis?* Hier. ep. 25. CHRY. ad populũ Antiochenũ. *Migrantes lugeamus, non prohibeo. Lugeamus, ſed non indecenter, nõ comas vellentes, nõ detegentes brachia, oculos nõ diſſipantes, nõ pullis vtentes veſtibus, ſed tantũ in animo ſilenter amaras fundẽtes lacrymas. Licet n. & abſq; hoc exteriori cultu, amare lugere, nec illudere duntaxat. Ludibriis n. minime differũt, q̃ gerũtur à nonnullis. Quod n. nõ ex dolore ſint illi forenſes planctꝰ, ſed ex oſtentatione potius, & inani gloria, inde clarũ eſt, q̃ multæ p artem hoc faciunt. Amarẽ* Chry. hom. 69.

Aug.c.7. *plora domi, vbi nemo te spectet: hoc est misericordiæ, hoc & tibi prodesse potest.* AVGVSTINVS libro 19. de ciuitate Dei. *Quorum nos vita propter amicitiæ solatia delectabat, vnde fieri potest, vt eorum mors nullam nobis ingerat mœstitudinem? Quam qui prohibet, prohibeat, si potest, amica colloquia, interdicat amicabilem societatem. vel intercidat affectum omnium humanarum necessitudinum, vincula mentis inmiti stupore dirumpat; aut sic eis vtendum censeat, vt nulla ex eis animum dulcedo perfundat. Quod si fieri nullo modo potest, etiam hoc quo pacto futurum est, vt eius nobis amara mors non sit, cuius dulcis est vita?* BERNARDVS in Cantica. *Christus certe ad tumulum Lazari, nec flentes arguit, nec à fletu prohibuit: insuper & fleuit cum flentibus.*

Bern. ser. 26. Ioan. 11. 35. *Et lachrymatus est, inquit, IESVS. Fuerunt lachrymæ illæ testes profecto naturæ, non indices diffidentiæ. Denique & prodiit mox ad vocem eius, qui erat mortuus, ne continuo putes fidei præiudicium dolentis affectum. Sic nec fletus vtique noster infidelitatis est signum, sed conditionis indicium. Nec quia percussus (morte fratris Gerardi) ploro, arguo ferientem, sed prouoco pietatem, seueritatẽ flectere satago. Vnde & verba mea dolore sunt plena, nõ tamẽ & murmure.*

Seneca c. 37. SENECA in consolatatione ad Polybium, cui frater obierat. *Aliquid à nobis natura exigit plus vanitate contrahitur. Nunquam autem ego à te, ne ex toto mœreas, exigam. Et scio inueniri quosdam duræ magis quam fortis prudentiæ viros, qui negent dolaturum esse sapientem. Hi verò videntur, nunquam in huiusmodi casum incidisse. Satis præstiterit ratio, si id vnum ex dolore quod & superest & abundat, exciderit. Nam vt quidem nullum omnino esse eum patiatur, nec sperandum vlli, nec concupiscendum est. Fluant lachrymæ, sed eædem desinant: trahantur ex imo pectore gemitus, sed iidem & sistantur. Sic rege animum tuum, vt & sapientibus te approbare possis & fratribus.* Et ad Marciam. *Aspice mutorum animalium, quam sint concitata desideria, & tamen quam breuia. Vaccarum vno die, alteróue mugitus auditur. Nec diutius equarum vagus ille, amensque discursus est. Feræ cum vestigia catulorum consectatæ sunt, & syluas peruagatæ, cum sæpè ad cubilia expilata redierint, rabiem intra exiguum tempus extinguunt. Aues cum stridore magno inanes nidos circumfremuerunt, intra momentum tamen quietæ volatus suos repetunt. Nec vlli animali longum fœtus sui desiderium est, nisi homini, qui adest dolori suo: nec tantum, quantum sentit, sed quantum constituit, afficitur.*

Id. c. 9.

III. REMED. Considera eum qui plus æquo indulget luctui in carorum obitu iacturam quodammodo facere fidei in Christum & spei, vt indicat Apostolus, cum ait non contristandum de dormientibus instar gentilium qui spem non habent. Vnde TERTVLLIANVS ita scribit. *Nec illa quidem impatientiæ species excusatur in amissione nostrorum vbi aliqua doloris patrocinatur assertio. Præponendus est enim respectus denunciationis Apostoli, qui ait. Ne contristemini dormitione cuiusquam, sicut nationes quæ spe carent. Et merito. Credentes enim resurrectionem Christi, in nostram quoque credimus, propter quos ille & obiit, & resurrexit. Ergo cum constet de resurrectione mortuorum vacat dolor*

1 Thess. 4. 12. Tertul. l. de patient.

mortis, vacat & impatientia doloris. Et paulo post. *Cæterum impatientia in huiusmodi, & spei nostræ malè ominatur, & fidem præuaricatur.* Et CYPRIANVS. *Nobis reuelatum & præceptum est, occasionem dandam non esse gentilibus, vt nos merito ac iure reprehendant, quod quos viuere apud Deum dicimus, vt extinctos & perditos lugeamus, & fidem, quam sermone & voce depromimus, cordis & pectoris testimonio reprobemus. spei nostræ ac fidei præuaricatores sumus: simulata, ficta, fucata videntur esse, quæ dicimus. Nihil prodest verbis proferre virtutem, & factis destruere veritatem. Improbat denique Apostolus Paulus & obiurgat & culpat, si qui contristentur in excessu suorum. Eos contristari dicit in excessu suorum, qui spem non habent.* Et B. GREGORIVS in epistola ad Aregium Episcopum interitu suorum contristatum. *Hortor, quiesce dolere, desine tristis esse. Nam indecens est de illis tædio afflictionis addici, quos credendum est ad veram vitam moriendo peruenisse. Nos qui nouimus, qui hoc credimus & docemus contristari nimium de obeuntibus non debemus: ne quod apud alios pietatis tenet speciem, hoc magis nobis in culpa sit. Nam diffidentiæ quodammodo genus est, contra hoc quod quisque prædicat, torqueri mœstitia, dicente Apostolo. Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus. vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.*

Cypr. de mortalit.

Greg. 7. epist. 111.

1. Thes. 4. 12.

IV. REMEDIVM. Considera rationes, tum naturales, tum fide nixas, quibus S. Patres dehortati sunt alios ab immodico luctu. I. est, quia pendere videtur ex mera hominum opinione. *Fuisse*, inquit B. AMBROSIVS, de morte fratris Satyri, *feruntur quidam populi qui ortus hominum lugerent, obitusque celebrarent. Nec imprudenter. Eos enim, qui in hoc vitæ salum venissent, mœrendos putabant: eos verò, qui ex istius mundi procellis & fluctibus emersissent, non iusto gaudio prosequendos arbitrabantur. Nos quoque ipsi natales dies defunctorum obliniscimur, & eum quo obierunt diem celebri solennitate renouamus.* Et paulo post. *Denique Lyciorum feruntur esse præcepta, quæ viros iubeant muliebrem vestem induere, si mœrori indulgeant, eo quod mollem & effœminatum iudicauerint in viro luctum. Deforme est enim eos, qui pro fide, pro religione, pro patria, pro æquitate iudicij atque intentione virtutis obuium morti debent pectus offerre, mœrere in alio grauius, quod in se, si causa exegerit, sit expetendum.* Consentit Seneca in consolatione ad Marciam. *Mouet lugentem desiderium eius, quem dilexit? Id per se tolerabile apparet. Absentes enim, absturosque, dum viuerent, non flemus, quamuis omnis vsus illorum nobis & conspectus ereptus sit. opinio est ergo, quæ nos cruciat: & tanti quodque malum est, quanti illud taxauimus. In nostra potestate remedium habemus. Iudicemus illos abesse. & [illegible]et ipsi fallamus. Dimisimus illos: imò consecuturi præmisimus.* Hoc dictum Senecæ verum esse, cognosci potest ex similitudine allata à B. CHRYSOSTOMO, dum dictum Apostoli. *Nolo vos ignorare de dormientibus*, exponit. *At consuetudinem defuncti desideras*, inquit, *& propterea lamentaris. Sed hoc vehementer absurdum est. Si enim sponso alicui filiam in matrimonium copulaueris, deinde ille eam abducens in longinquam discesserit regionem, atque*

Amb. orat. 2.

Seneca c. 23.

ibi in omnium rerum abundantia viuat; nequaquam hoc moleste feres, sed dolorem, quem ex absentiæ eius diuturnitate capis, prosperitatis illius communi fama mitiga. Nunc autem non homine, non seruo aliquo accipiente, sed Domino requirente, quem debet, mœres, ac lamentaris. II. RATIO. quia immoderatio luctus multos coniecit in graues morbos vel etiam è medio sustulit, licet conarentur illū supprimere. *Ipsi nouimus,* inquit B. BASILIVS de gratiarum actione, *non paucos, calamitatibus deploratis vitq, nec curabilibus obuallatos, vi, ne distillarēt lacrymis, sibi temperasse. Hi quidem in varios & immedicabiles affectus inciderunt, ceu sunt, apoplexia, & paralysis: alij verò in mortem prorsus collapsi sunt, acsi fulcimento quopiam debiliterentur, diffractis eorum viribus immodico tristitiæ pondere. Quod cernere possis in flamma, quæ inclusione proprij fumi suffocatur: nam cum liberè egredi nequeat, flammam suo ambitu opprimit: haud secus isti contingere aiunt in ea facultate, quæ in animali vitalem actionem moderatur, nimirum eam vehementiori doloris acrimonia extingui, nulla illi ad exteriora perspiratione concessa.* Et S. AMBROSIVS loco proxime allegato. *Non mediocre malum est immoderatio doloris, aut metus mortis. Quantos ad laqueum impulit, armauit ad gladium, vt in eo ipso amentiam suam proderent, mortem non ferentes, & mortem appetentes, & quod pro malo fugerent, pro remedio adsciscerent. Qui quoniam consentaneum naturæ sua ferre ac perpeti nequeunt, contrarium vero incidunt, vt ab his in perpetuum separentur, quos sequi desiderauerint. Sed hæc rara quoniam natura reuocat, etsi præcipitet amentia.* Deinde subiicit in quam fœdos mores immoderatio eadem coniiciat mulieres. *Illud verò,* inquiens, *frequens in mulieribus vt clamores publicos ferant, quasi metuant, ne earum ignoretur ærumna: vt illuuiem vestis affectent, quasi in ea sit sensus dolendi, vt impexum sordibus immadident caput, vt postremo (quod plerisq; in locis vulgo fieri solet) discisso amictu, diloricata veste, secreti pudoris nuda prostituant, quasi ipsum lenocinentur pudorem, quia pudoris sui præmia perdiderunt.* III. ratio, quia illa immoderatione ostendimus nos nō solū diuinæ, sed etiam propriæ, q̄ ridiculū est, repugnare voluntati. De diuina liquet, quia ea vnicuiq; ab omni æternitate ille vitæ terminus est præfixus, in quo discedit. *Tecum reputes velim,* ait BASILIVS, *quod is qui animam corpori indidit Deus, vnicuique animæ suum viuendi statum præstituit, & alijs quidem alios hinc emigrandi præscripsit terminos. Hunc enim constituit diutius in carne permanere, illum contra corporeis vinculis decreuit ocyus exolui, iuxta sapientiæ ac iustitiæ suæ rationes nulli prorsus enarrabiles.* Vnde TERTVLLIANVS. *Christum ladimus, cum euocatos quosque ab illo quasi miserandos non æquanimiter accipimus.* De nostra voluntate probatur, quia quotidie in oratione Dominica dicimus. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.* Et. *Adueniat regnum tuum.* Hinc CYPRIANVS. *Quam præposterū est, quamque peruersum, vt cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando euocat nos & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis eius imperio pareamus. Hoc nitimur & reluctamur & peruicacium more seruo-*

Basil. hom. 4.

Amb. de morte satyri.

Bas. hom. 5. in Iulittam.

Tertul. de patientia.

Cypr. de mortalit.

rum ad conspectum Domini cum tristitia & mœrore perducimur, exeuntes isthinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis. Quid ergo rogamus & petimus vt adueniat regnum cœlorũ, si captiuitas terrena delectat? QVOD autem Dei voluntate & prouidentia id fiat, quod non solum est iustissimum, sed etiam quod est consultissimum & optimum, extra controuersiam est, quia Deus æquè est sapiens & bonus ac iustus. *Bonus est Deus*, inquit B. HIERONYMVS ad Paulam, de obitu Blesillæ, *& omnia quæ bonus facit, bona sint necesse est. Mariti orbitas irrogatur, plango quod occidit. Sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Vnicus raptus est filius, durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille qui dederat.* Hieron.

Et Sapiens loquens de iis qui in iuuenili vel puerili ętate moriuntur, quorum excessus maximè solet parentes affligere. *Raptus est*, inquit, *ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Et *Consummatus in breui expleuit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatũ.* In quæ verba B. CYPRIANVS loco citato ita scribit. *Per Salomonem docet Spiritus sanctus, qui Deo placeant maturius hinc eximi, & citius liberari, ne dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur.* Cypr.

Vnde B. CHRYSOSTOMVS ad populum Antiochenum consolandum dicere non dubitauit, eos qui in peccatis forte discedunt, ante pœnitentiam à Deo rapiendos non fuisse, si eos pœnitentiam acturos prænouisset. Verba eius sunt. *Et si peccator quidem abijt, mala repressa sunt.* (hoc est non poterit amplius peccare) *nec si Deus pœnitentiam acturum nouisset, ante pœnitentiam rapuisset. Si vero iustus vitam finiuit, in tuto bona consecutus est: itaque planum est, quod non ex caritate tuæ sunt lacrymæ, sed ex irrationali motu.* Chry. hom. 69.

IV. Ratio sit quia euocari à Deo ex hac vita, quacunque ætate id fiat, non est aliud quam animam nostram, quæ corpori tanquam carceri, secundum scripturam & S. Patres, inclusa est, liberare è carcere, & ex miserrima carnis, mundi & diaboli seruitute imperfectam libertatem vindicare, non igitur plorandum, sed gaudendum est in obitu piorum sanguine vel amicitia coniunctorum. Immo magis gaudendum est de iis qui in puerili vel alia florenti ætate moriuntur, quam qui in senectute, quia citius è carcere vel captiuitate liberantur. Ratio est B. BASILII in martyrem Iulittam ita differentis. *Quemadmodum eorum qui in carceres coniciuntur, hi quidem diutius vinculis carceralibus inclusi detinentur: illi verò ab ea calamitate submouentur celerius: sic & animæ. Etenim hæ detinentur in præsenti vita diutius, aliæ minus pro cuiusque merito, iuxta diuinæ sapientiæ arcanum, sic vt mens nulla capere possit, quæ de vnoquoque nostrum creator ipse præuidit. Non audis dicentem Dauid. Educ de carcere animam meam? multifarium angorem, molestiamque indicantem. Non audisti, vt sancti eius exoluta anima est? Quid Simeon Dominum nostrum pio vlnarum astringens complexu ejusmodi vocem emisit? nonne hanc? Nunc dimittis seruum tuum Domine. Ei* Basilhom. 5. Psal 141. 8. Luc. 2. 29.

enim

enim qui ad cœleste domicilium festinus contendit, supplicio omni carcere grauior est hæc inhabitatio corporis. Plures rationes habes in V. *Mortis metus immodicus.*

V. REMED. Considera exempla fidelium, qui siccis oculis liberorum, aliorumque funera pertulerunt. Primum est B. IOB. de quo S. BASILIVS de gratiarum actione. *Nonne Iob adamantino corde erat, non impactas ipsi erant ex lapide viscera? memento temporis vna & eadem plaga obtriti liberi decem conciderunt in perquam amena domo. Non eiulauit, non sibi diuulsit comam, vocem in generosam nullam emisit, magis verò celebrem illam, & omnium ore decantatam gratiarum actionem deprompsit, Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Et CHRYSOSTOMVS in dicto Apostoli. *Nolo vos ignorare de dorm.* IOB. *cum vniuersa liberorum turba periisset, audi quid dicat, Dominus dedit, Dominus abstulit: quemadmodum Domino placuit, ita factum est. Admirabilia hæc sunt, cum audiuntur solum: si verò accuratè inquiras in illa, tum magis admiraberis.* Enumeratis deinde sex calamitatibus, quas in hac re Iob passus est, concludit. *Hæc cum audiris, conturbamini, & lachrymatis. Considerate igitur quis ille fuerit, qui hæc vidit. Si enim nos tam longo interuallo non possumus sine lachymis tragediam tam miserabilem auditione accipere, idque aliena audientes mala: quisnam tandem, & quàm adamantinus Iob fuit, qui cum oculis illa cerneret non in alienis, sed in suis propriis malis tam temperans fuit: non enim indignabatur.* ALTERVM est Patriarchæ Abraham, qui teste eodem, *cum vnicum filium haberet, vel parem vel etiam maiorem animi magnitudinem demonstrauit; nam cum illum sua manu, quod longe funestius, miserabiliusque erat interficere mandaretur, non restitit imperanti, non rationem facti popposcit, sed tanta cum alacritate paruit, vt & plura quoque, si imperata essent facturus fuisset.* Et infra. *Interfecit filium & non interfecit, non manu, sed voluntate interfecit. Deus autem propterea iussit, non vt sanguinis effusionem videret, sed vt Abrahæ mentem tibi demonstraret, vt illius promptitudinem in totius orbis meditullio celebraret, vt omnes ex eo doceret Dei mandata, tum liberis, tum naturæ, tum rebus omnibus, tum etiam ipsi animæ anteponenda esse.* Et post. *Sed dicet aliquis. At illi admirabiles virì erant. Certe admirabiles & magni erant. A nobis tamen maior requiritur religio, quam ab illis, qui antiquam viuendi formam sequebantur. Nisi enim abundauerit iustitia vestra plus quam scribarum, aut pharisæorum, non ingrediemini in regnum cœlorum.* TERTIVM est Davidis regis, de quo B. AMBROSIVS in oratione de obitu Valentiniani Imperatoris. *Dauid moriturum filium flebat, mortuum non dolebat. Flebat, ne sibi eriperetur, sed flere desinit ereptum, quem sciebat esse cum Christo. Et vt scias verum esse quod asseró, incestum Ammon filium fleuit occisum: parricidam Absalon doluit interemptum, dicens Filius meus Absalon, filius meus Absalon. Innocentem filium non putauit esse lugendum, quia illos sibi perisse sciebat pro scelere, hunc pro innocentia credidit esse victurum.* QVARTVM est matris Machabæorum, de qua S. BASILIVS in oratione de morte. *Imitare Machabæorum,* inquit, *matrem, quæ quam-*

Bas. hom. 4.

Iob. 1. 21.

1. Thes. 4. 12.

Matt. 5. 20.

Amb.

2. Reg. 12. 20. & 13. 31.

2. Reg. 18. 33.

Ex. tom. 1. Ephræm.

quamuis septem filios morte deletos vidisset, non tamen lacrymis ac luctui sese tradidit, neque vocem emisit muliebrem; sed Deo egit grattas, quod illos igne, ferro, aliisque molestissimis vinculorum supplicijs ab hac carne dissoluisset: quam etiam ob causam, & à Deo probata est, & ab hominibus in hunc vsque diem celebratur. Et S. AMBROSIVS libro primo Officiorum. *Quid de matre Machabæorum loquar? quæ spectabat læta filiorum, quot funera, tot trophæa, & morientem vocibus tanquam psallentium cantibus delectabatur, pulcherrimam ventris sui citharam in filiis carnens, & pietatis, harmoniam omni lyræ numero dulciorem.* Amb. c. 41.

Idem dici potest de S. Felicitate spectatrice martyrii 7. filiorum, de qua B. GREGORIVS in Euangelia, & de S. Symphorosa item. 7. filiorum martyrum matre, de qua in vita S. Getulii martyris eius mariti. Greg. hom. 3.

QVINTVM sit B. MELANIÆ iunioris, de qua S. HIERONYMVS in epistola ad Paulam super obitu Blesillæ. Sur. 18. Iulii. Hier. ep. 25.

Præsentia exempla sectare. Sancta Melania nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, cum qua tibi Dominus, mihique concedat in die sua habere partem, calente adhuc mariti corpusculo, & nec dum humato duos simul perdidit filios. Rem sum dicturus incredibilem, sed, teste Christo, non falsam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectus inuadere? Lachrymæ gutta non fluxit, sterit immobilis, & ad pedes aduoluta Christi quasi ipsam teneret, arrisit. Expeditius, inquit, tibi seruitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti. Sed forsitan superatur in cæteris. Qui immo, qua illos mente contempserit in vnico postea filio probat, cui omni quam habeat possessione concessa ingruente iam hyeme Hierosolymam nauigauit. DICES sanctos quosdam videri plus æquo luxisse in quorundam excessu. vt S. Hieronymum ob obitum Blesillæ, nam in epistola ad Paulam, vbi calamum stringit contra impatientiam lachrymantium, sic exorditur. Hier. ep. cit.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo? non quod lugenda sit illa, quæ abijt, sed quod nobis impatientius sit dolendum, qui talem videre desiuimus. Et paulo post. *Lachrymis ora complentur, singultus occupat vocem, & hærentem linguam viscera commota non laxant.* Et rursus. *Confiteor affectus meos: totus hic liber fletibus scribitur. testor sanctos angelos, quorum consortio Blesilla fruitur, eadem me dolorum perpeti tormenta quæ pateris, & interdum dicere, pereat dies illa in qua natus sum. Hei mihi mater vt quid genuisti me virum, &c.* Iob. 3. 2.

Deinde S. BERNARDVS lamentabili & longo sermone deplorat mortem fratris Gerardi. Bern. serm. 26. in Cant.

Quousque, inquit, *dissimulo, & ignis, quem intra me ipsum abscondo, triste pectus adurit, interiora depascitur? clausus latius serpit, sæuit acrius. Quid mihi & cantico huic, qui in amaritudine sum? vis doloris adducit intensionem, & indignatio Domini ebibit Spiritum meum, subtracto siquidem illo, perquem mea in Domino studia vtcumque libera esse solebant, simul & cor meum dereliquit me.* Et multo post. *Exite, exite lacrymæ iam pridem cupientes: exite, quia is qui nobis meatum obstruxerat, commeauit. Aperiantur cata-*

Gal. 6.1. *ractæ miseri capitis, & erumpant fontes aquarũ, si forte sufficiant sordes diluere culpa-rũ, quibus iram merui.* Verum mox respõdet pius Bernardus pro se & Hieronymo in hæc verba. *Condescendat mihi omnis sanctus, & in spiritu lenitatis, qui spiritualis est; sustineat lamentantẽ. Luctus meus humano quaeso pensetur affectu non vsu. Videmus nempe mortuos quotidie plangere mortuos suos, fletum multum, & fructũ nullum. Non culpamus affectũ, nisi cum excedit modũ. Sed causam. Ille nimirum naturæ est, & eius turbatio pœna peccati, hæc vanitas & peccatum. Etenim ibi sola, nisi fallor, plorantur damna gloriæ carnis, vitæ præsentis incõmoda. Et plorandi, qui ita plorant. Nunquid ego sic? Similis mihi affectus, sed altera causa, dissimilisq; intentio. nulla sane querela mihi de omnibus quæ sunt mundi. In his profecto quæ sunt Dei ademptum doleo fidele auxilium, salutare consilium.*

Hier.ep.3. VI. REMED. Considera exempla gentilium, qui ab immoderata illa suorum deploratione abstinuerunt. Hieronymus ad Heliodorum, de Epitaphio Nepotiani. *Vbi*, inquit, *Anaxagoræ ac Telamonis semper laudata sententia. Sciebam me genuisse mortalem?* ita responderunt, nunciata morte filii. *Cicero, Plato, Diogenes, Clitomachus, Carneades, Possidonius, proponant innumerabiles viros, & maximè Periclem & Xenophontem Socraticum, quorum alter amissis duobus filijs coronatus in concione disseruit: alter cum sacrificans filium audisset occisum, deposuisse coronam dicitur, & eandem capiti reposuisse postquam fortiter in acie dimicantem reperit concidisse. Pulullus capitolium dedicans, mortuum vt nunciabatur subito filium, se iussit absente sepeliri. L. Paulus septem diebus inter duorum exequias filiorum triumphans vrbem ingressus est. Prætermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scævolas, Metellos, Scauros, Martios, Crassos, Marcellos atque Ausidios, quorum non minor in luctu, quam in bello virtus fuit, & quorum orbitates in consolationis libro Tullius explicauit, ne videar potius aliena, quam nostra quæsisse. Quamquam & hæc in suggillationem nostri breuiter dicta sint, si non præstet fides, quod exhibuit fidelitas.* SENECA in con-

Sen.c. 14. solatione ad Marciam. *L. Bibuli*, inquit, *melioris, quàm fortioris viri, duo simul filij interfecti sunt, Ægyptio quidem militi ludibrio habiti: vt non minus ipsa orbitate, auctor eius, dignares lacrymis esset. Bibulus tamen, qui toto honoris sui anno ob inuidiam collegæ domi latuerat, postero die quam geminum funus renunciatum est, processit ad solita in publicum officia. Quid minus poterat, quam vnum diem duobus filiis dare? C. Cæsar, cum Britanniam peragraret, nec Oceano felicitatem suam continere posset, audiuit decessisse filiam publica secum fata ducentem, tamen intra tertium diem imperatoria obijt munia, & tam cito dolorem vicit, quam omnia solebat.*

6.15. Et infra. *Diuus Augustus amissis liberis, nepotibus, exhausta Cæsarum turba, adoptione desertam domum fulsit. Tulit tamen fortiter, tanquam eius tam res ageretur, cuius cum maximè interesset, de dijs neminem quæri. Ti. Cæsar, & quem genuerat, & quem adoptauerat, amisit; ipse tamen pro rostris laudauit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interiecto tantum modo velamento, quod Pontificis oculos à funere arceret.*

reret. & flente populo Romano non flexit vultum : experiendum se dedit Serano ad latus stanti, quàm patienter posset suos perdere.

VII. REMEDIVM. Propone, vti debes, apud animum tuum, te, amorem liberorum, vxoris, aliarumque rerum carissimarum amori Dei posthabiturum. Et merito, tum quia primum & maximum mandatum est de Deo ex toto corde, anima, visceribus diligendo: tũ quia diserte Christus contestatus est. *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Quod remedium quia seruabat B. IOB. idcirco liberis omnibus vna clade sublatis exclamauit. *Dominus dedit, Dominus abstulit.* quem scilicet liberis prætuli. *Sicut Domino placuit, ita factũ est.* Vnde CHRYSOSTOMVS in commentario prioris epistolæ ad Thessalonicenses his verbis alloquitur mulierem lugentem obitũ mariti. *Quamobrem luges maritum? quod sperabas forte te securiorẽ in vita futuram? At hoc ipsum quantæ est incredulitatis te de illo id sperare, & non de Deo. Quomodo non putas Deum irritari? nam plerunq; ob idipsum eos aufert, ne spem in illis colloces. Æmulator enim est Deus, & vult à nobis omnitũ potissimum adamari, idq; ea ratione, quod nos vehementer amet: Propterea & Deus tibi maritum abstulit. Nam cuius gratia dic quæso olim non ita immaturæ fiebant viduitates & orbitates? Quamobrem Abrahã & Isaac multũ temporis viuere permisit. Eo quod ille viuo etiam filio Deum prætulit. Dicebat enim Deus, Macta filium, & mactauit. Quare Saram in tantam senectutem deduxit, quia viuente etiã illa, Abraham Deo magis obediebat, quã illi. Propterea dicebat ei Deus. Audi Saram vxorem tuã. Nunc verò quoniam adeò ad libidinem intemperanter ferimur, & mariti vxores plus amamus, quã Deum, & vxores maritos suos Deo præferunt, horum gratia nos & inuitos quoq; ad amorem suũ trahit. Ne virũ plus ames, quã Deum, & viduitatem non senties vnquam. Imò, etiamsi acciderit viduitas, nullum tamen eius sensum capies. Quare? quia habes qui te magis amet, tutorem immortalem.* Et infra. *Propterea & beatus Iob nihil acerbi passus est, cum intempestiuam liberorum suorum mortem audiret, eo quod Deum plus amabat, quàm illos.*

Deut. 6.5. Matt. 22.37. Matt. 10.37.

Iob 1. 21. Chry. hom. 6. 1. Thess. 4. 12.

Gen. 21. 12.

VIII. REMED. *Cum cognoueris aliquem tibi coniunctum,* ait idem CHRYSOST. exponens verba. Nolo vos ignorare de dormientibus, *ex hac vita discessisse ne molestè feras: sed cum dolore punctus fueris, te collige, in conscientiam tuã inquire, considera quod te idem paulo post manebit exitus. Moderare, tibi, & ex alterius morte timorem cape, socordiam omnem præcide, facta tua animo repete, errata corrige, quàm optimam facito mutationem. Hoc enim discamus ab infidelibus, quod iudicia de rebus alia, quam illi, habeamus. Aspicit cœlum infidelis, & adorat: Deum enim esse putat. Videt terram & colit, & in res mortales inhiat. Nos contra cœlum videmus, & cœli opificem admiramur: non enim Deum esse, sed Dei opus credimus. Ita & in morte facimus. Videt cadauer ille, & putat cadauer esse, video cadauer ego, & puto somnum esse, & partem tantum mortis. Cogita, anima, ad quem abiit, & cape consolationem. vbi Petrus, vbi Paulus, vbi sanctorum cœtus omnis est. Cogita corpus*

Chry. in dictũ Apost.

quomodo resurget, quanta cum gloria & splendore. Cogita quod lugendo & lamentando, quod lacrhymis nihil proficies, & ad extremum teipsum lædes.

Basil. hom. 4.

IX. REMED. est D. BASILII in homilia de gratiarum actione. *Si quid vnquam eorum quæ nolis, & præter animi sententiam sint, tibi inciderit, maximè aduigila, ne qua intemperies in mentem illabatur. Sic enim, quæ instant vrgentque calamitates placidiore animo ferre poteris, futurorum spe bona subnixus. Sicut enim qui minus acri sunt oculorum acie, eos auocant ab intuitu rerum splendidarum, desigunt verò in flores, & quæque viridantia, vt refocillentur: haud secus anima obtutum auertere debet à rebus molestis & mœroris plenis, obuertere verò ad eorum contemplationem quæ bona & iucunda sunt. Tum autem assequeris vt semper gaudeas, si vitæ quidem tuæ institutum ratione omnis Deum collineet ac spectet: spes verò retributionis, quæ permolesta sunt vitæ istius & tristia leuiora efficiat. Affecit te aliquis ignominia? Quin tu ad eam suspice gloriam, quæ reposita in cœlis est, tibi paranda merito patientiæ. Iacturam rerum tuarum adiisti? Imò oculos imprime fixius illis cœlestibus diuitiis, & thesauro incomparabili, quem tibi ipsi pretio bonorum operum sepposuisti. Patrione solo exclusus es? At patriam habes, cœlestem illam Hierusalem. periit tibi filius? sed angelos habes, quibuscum in circuitu diuini illius throni tripudies lætitia sempiterna exhilarandus. Ad eum modum animam vtique tuam seruabis ab*

Thes. 5. 16.

omni turbationis intemperie longissimè submotam, ad quod nos inuitat sanctio legis Apostolicæ, semper gaudete.

INCONSTANTIA.

Remedia contra inconstantiam.

I. REMED. Considera quid sacra scriptura de inconstantia, & constantia prodiderit. Primò enim reprehendit inconstantes. *Væ his*, ait

Eccl. 2. 16.

Ecclesiasticus, *qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas & diuerterunt in vias prauas. Quid facietis cum inspicere cæperit Deus?* Et Apostolus

Gal. 1. 6.

ad Galatas. *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant.* & Isaias. *Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest*, & Iacobus. *Vir duplex animo inconstans est in omnib. vijs suis.* Iudas, hæreticos quia inconstantes

Isa. 57. 20.
Iac. 1. 7.
Iud.
Eccl. 27. 12.
Luc. 9. 62.
Et 14. 30.
Matt. 13. 20.
Iob. 11. 15.
Eccl. 5. 11.
Eccl. 11. 22.

sunt vocat, *sydera errantia quibus caligo tenebrarũ seruata est in æternum.* 2. comparat eos Lunæ. *Stultus*, ait sapiens, *sicut luna mutatur: homo autem sanctus in sapientia manet sicut sol.* Tum mittenti manum ad aratrũ, & respicienti retro. Et, incipienti turrim ædificare, & nõ consumanti apud Lucã. Et super petrosa seminato apud Matthæũ, qui orta persecutione desicit à bono proposito. 3. hortatur scriptura ad nõ fluctuandum. *Eris stabilis*, ait Iob. *& nõ timebis.* Et sapiens. *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Esto*

firmus

firmus in via Domini. Et. *Confide in Deo & mane in loco tuo.* Et Ecclesiastes. *Si Spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* Et Paulus. *Fratres mei dilecti stabiles estote & immobiles.* Et. *Bonum facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.* Et. *Non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Et. *In disciplina perseverate.* Et B. Ioannes. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* 4. laudat nō fluctuantes, beatosq; prædicat. Regi enim Dauidi dictum est. *Sic est Dominus meus rex, sicut Angelus Domini, vt nec maledictione nec benedictione moueatur.* Et de Ioanne Baptista Christus. *Quid*, inquit, *existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* Et de Apostolis. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, ideo dispono vobis regnum.* Et. *Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.* Et Paulus. *Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. Sic currite, vt comprehendatis.* Et *participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus.*

Ecc.10.4. 1.Cor.15.58. Gal.6.9. Eph.4.14. Heb.12.7. Apoc.2.10. 2.Reg.14.17. Matth.11.7. Luc.22.28. Matth.10.22. 1.Cor.9.24. Heb.3.14.

II. REMED. Considera sententias SS. Patrum. B. CYPRIANVS in Epistolis. *Hortamur vos per communem fidem, perpectoris nostri veram circa vos & simplicem charitatem, vt gloriam vestram forti & perseueranti virtute teneatis. Adhuc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti de vita nostra quotidie dimicamus: danda opera est, vt post hæc initia ad incrementa quoque veniatur, & consummetur in vobis, quod iam rudimentis felicibus esse cepistis. Parum est adipisci aliquid potuisse, plus est, quod adeptum est, posse seruare. Sicut & fides ipsa & natiuitas salutaris, non accepta, sed custodita vinificat. Nec statim consecutio, sed consummatio hominem Deo seruat.* Dominus hoc magisterio docuit dicens. *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Salomon deniq; & Saul, & cæteri multi, quamdiu in viis Domini ambulauerunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab his disciplina dominica, recessit & gratia.* Et in libro de Exhortatione Martyri. *Insistendum esse & perseuerandum in fide & virtute, & cœlestis & spiritualis gratiæ consummatione, vt ad palmam & ad coronam possit conueniri. In Paralipomenon. Dominus vobiscum est, quamdiu & vos estis cum ipso. Si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Item apud Ezechielem. *Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die exorauerit.* Item Dominus in Euangelio loquitur. *Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.* Et iterum. *Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem.* S. BASILIVS ad Chilonem anachoreticæ vitæ studiosum. *Id tibi perspectum velim frater & persuasum, non eum qui bene cœpit continuo debere decerni perfectum ex qualicunq; delineatione pij operis, sed quisquis legitimo cursu stadium istius semel absoluit vitæ, hic Dei iudicio comprobatur. Ne igitur dederis somnum oculis tuis, neque palpebris tuis dormitationem frater, vt dorcadis in morem liberere è reti, vtq; volucris è laqueo. Scito te ingredi inter medios quibus vndiq; circumgeris, laqueos.* S. AMBROSIVS libro tertio epistolarum. *Si quis incola esse cœperit ciuitatis supernæ, incola videlicet, conuersatione & moribus, non discedat ab ea, non exeat non reflectat vestigium,*

Cyp.lib.1.ep.5. Ioan.4.14. 2.Par.15.2. Ezech.33.12. Matth.10.22. Ioan.15.7. Bas.ep.ad Chilonem. Amb. ep.11. ad Irenæum

Gen. 19. 17. *non corporis dico, sed mentis vestigium. Non reuertatur retro. Retro luxuria, retro impuritas est. Denique ascendens ad montem Loth, retro reliquit Sodomitana flagitia.*

Lib. 4. c. 8. *Quæ autem respexit retro, non potuit ad superiora euadere.* Et in Hexæmeron. *Si te lunæ contristat occasus, quæ se semper reparat ac reformat: multò magis contristare te debet, si anima profectu virtutis impleta cum fuerit, postea per inconstantiam mentis, atque incuriam à suo deflexa proposito studia sua sapè commutet, quod est insipientiæ, & inscientiæ. Vnde & scriptura ait. Stultus vt luna mutatur. Et ideo sapiens non cum luna mutatur, sed permanebit cum sole.* HIERONYMVS ad Furiam, de viduitate seruanda. *Non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus male cœpit, sed bene finiuit. Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. Lege Ezechielem. Iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit: & impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua.* Et ad Lucinium. *Obsecro te, & moneo parentis affectu, vt qui Sodomam reliquisti, ad montana festinans post tergum ne respicias, ne aratri stiuam, nec fimbriam Saluatoris, ne cincinnos eius noctis rore madefactos, quos semel tenere cœpisti, aliquando dimittas: ne de tecto virtutum pristina quæsituras vestimenta descendas, ne de agro reuertaris domum, ne campestria cum Loth, & amœna hortorum diligas, quæ non irrigantur de cœlo, vt terra sancta, sed de turbido flumine Iordanis post quam dulces aquas maris mortui commixtione mutauit. Cœpisse multorum est, ad culmen peruenisse paucorum. Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt sed vnus accipit brauium. At contra de nobis dicitur. Sic currite, vt apprehendatis. Non est inuidus agonotheta noster, nec alterius palma alteri parat ignominiam. omnes athletas suos desiderat coronari.* AVGVSTINVS ad fratres in eremo. *O fratres mei, non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes, quod perseuerantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad brauium, conducit cunctos ad portum. Hæc est tunica talaris S. Ioseph vsq; ad finem contingens. Hæc est tunica sacerdotalis vsq; ad pedes perueniens. Hæc est cauda hostiæ, quam tenemur reddere Deo & offerre. Hæc est calcaneum bonæ operationis, quod contra serpentis morsum debemus obseruare. Hæc est virtus, q̃ Deum ligat. Hæc est, quæ omne bonum informat. Hæc est perseuerentia qua laureantur martyres, qua virgines coronantur, qua sacerdotes sublimantur & confessores.* Et paulo post. *Bonum inchoare, & malo fine concludere, quid aliud est, quam monstrosas res conficere? Illa enim actio quasi chymæra est, quæ initium habet à ratione, sed finem à sensualitate. Cum enim sic agitur, humano capiti ceruicè pictor equinam iungit, & superinducit infructuosas plumas.* BERN. epistola ad Ianuenses. *Prorsus absq; perseuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor cõsequitur. Vigor virtutum virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, meditatrix ad præmium, Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiã, nec laudem fortitudo. Denique, non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*

Ecclꝛ. 27. 12. Hier. ep. 16.

Ezech. 33. 12. Hier. ep. 28.

2. Cor. 9. 24.

Aug. serm. 8.

Bern. ep. 119.

Matth. 10. 22.

III. RE-

III. REMED. Cosidera exempla magnorum virorum, qui ob inconstantiam grauiter lapsi sunt. BASILIVS in epistola supra citata. *Tot tantiq; labores à Mose Dei famulo fortiter exantlati quo abierunt, quãdo illius petitio, qua enixè efflagitarat terram ingredi promissionis, per momentaneam contradictionem omnẽ exceptione submota est. Ipsi Giezi rursus quid per hoc accreuit emolumenti, quod domestico vsus sit Elisæi congressu, cum ardor impotens cõgerendæ pecuniæ leprã illi asciuit? Salomoni quid attulit comodæ frugis tanta sapientia diuinitùs iuueni infusa, quando is demum per illices mulierculæ complexus in senio vecors factus, in idololatriã lapsus est. Quin ne ipsum quidem B. Dauid futilis quædã incogitantia sui finit hinc emigrare irreprehensibilem per piaculum in Vriam designatum. Et quidem Iudæ vnius execranda prolapsio, à meliore statu ad sortem deterrimã satis esse debuerat ad communiendos Dei famulos in sancto vitæ proposito. Itaq; non qbene cœpit, dicendus est perfectus, &c.* Addi hic potest ex eodẽ Basilio homilia in 40. Martyres, exẽplum vnius qui per inconstantiã in martyrio defecit. Nam cum omnes nudi hyeme prædura pernoctare cogerentur. *Vnum*, inquit, *erat omnium votũ. Quadraginta in stalium intrauimus, totidẽ Domine coronas tribue. Nõ defit numero nec vnus quidem. Verum vnus ea repertus est animi mollitie atq; inconstantia, vt statim frigoris tolerantiã desperans ad hostes transfugerit, miserabile prorsus spectaculũ, miles transfuga, vir fortissimus captus, Christi cuis à lupo direpta, & q̃ miserabilẽ à vita perpetua cælestiq; excidens, sed nec præsenti vita diu gaudens. Nã simulatq; in lauacrũ aq̃ calidæ ibi iuxta situm insiluit, corpore q̃ glacie torpebat dissoluto statim interiit.* S. BERN. quoq; tria commemorat huius generis exempla his verbis. *SAVL, cum esset paruulus inoculis suis, rex est super Israel constitutus: non perseuerans in humilitate, & regnum amisit & vitam. Si cautela Samson, si Salomonis deuotio, perseuerantiam retinuissent, nec is profecto priuarcur sapientia, nec ille viribus. Hoc summæ honestatis insigne, hanc totius probitatis vnicam fidamq; custodem custodiri à vobis firmiter hortor & precor.*

Basil. ep. ad Chil.

Basil. hom. 20.

Bern. ep. 129.

1. Reg. 15.

IV. REMED. Considera exempla virorum constantiæ laude illustrium vt Ioseph & Iob, de quibus B. HIERONYM. in cõmentariis epistolæ Pauli ad Ephesios. *Ioseph vnum habebat propositum placere Deo, hoc nulla varietate temporis immutatũ est, nec fratrũ inuidia, nec conditione seruitutis, nec ætatis illecebris, nec dominæ repromissis, nec squalore carceris, nec postea tumore Ægyptiæ potestatis, sed semper vnus fuit & varietatem temporum redimens malos dies vertit in bonos. Hocidem & de Iob sentiendum est, quod per varia tentamenta vexatus, nec diuitus, nec damnis, nec orbitate, nec vulnere, nec exprobratione amicorum, nec solitudine, nec postea bonorum omnium restitutione mutatus est.* Deinde exemplũ Moysis de quo B. CYPRIANVS. *Exemplum perseuerandi designatur in Exodo, vbi Moyses ad superandum Amalech, qui figuram portat diaboli in signo, sacramento crucis alleuat supinas manus. Nec vincere aduersarium potuit, nisi postquam stabilis in signo allenatis iugiter manib. perseuerauerit. Et factũ est, inquit, cũ leuabat Moyses manus, superabat Israel. Vbi autẽ submiserat manũ, superabat Amalech. Et accepto lapide*

Hier. lib. 3. c. 5.

Cyp. de exhort. mart.

Exod. 17. 11.

suppo-

suppoſuerunt ſub eo, & ſedebat ſuper eum, & Aaron & vt ſuſtentabant manus eius hinc & inde, & factæ ſunt manus Moyſi ſtabiles vſque in occaſum ſolis. Et fugauit Ieſus Amelech, & omnem populum eius. Eandem perſeuerantiam notauit B. GREGORIVS in Ioſue. *Cum contra*, inquit, *aduerſa mundi firmare mentē per conſtantiam nitimur, præcedentium conſideratione fulcimur. Quid enim Ioſue conſtantius, qui ad explorandam gentium qualitatem miſſus, nec procerritatis magnitudinem, nec numeroſitatis multitudiuem expauit. Vnde & eaſdem gentes, quas explorando non timuit, etiam præliando proſtrauit.* Et S. AMBROSIVS in Apoſtolo Paulo. *Donec vita eſt iſta*, inquit, *certamen non deerit, non erit corona. Nullus probatur, niſi qui perſeuerauerit vſque in finem, vt poſtea poſſit, qui legitimè certauerit, coronari. Quis fortior Paulo? quis beatior? Ille tamen vas electionis Dominicæ non ante ſibi coronam vindicauit, quàm certamen omne conſummaretur: ideoq; ait. Certamen bonum certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: quod reliquum, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ: quam non ſolum ſibi, ſed etiam omnibus diligentibus aduentum Domini dicit eſſe reddendam. Pulchrè dixit, aduentum Chriſti diligentibus. Nemo enim feſtinat ad iudicium, niſi de innocentia ſecurus, aut qui de labore præſumit, cui aut gratia Domini, aut pia pro Chriſto, certamina, ſuffragantur.* Eodem pertinent conſtantiæ exempla martyrum pœne innumerabilium vtriuſque ſexus, & cuiuſuis ætatis, conditionis & ſtatus, de quibus in Hiſtoria Eccleſiaſtica, & vitis ſanctorum.

Greg. lib. 27. mor. c. 7.

Amb. exhort. ad Virg.

Matth. 10 & 24.

2. Tim. 4. 7.

V. REMED. eſt fortitudo animi, qua decernas nunquam, ſiue proſpera, ſiue aduerſa eueniant, à propoſito deflectere, ſed nec actu deflectas. Loquor autem, non tam de fortitudine ſpeciali, quæ numeratur inter 4. virtutes carnales, quam de generali in omni virtute requiſita. Docet liquidem Ariſtoteles ad virtutem requiri *firmiter & immobiliter operari.* Quare non ſolum qua Chriſtiani, ſed etiam qua homines ea virtute muniti eſſe debemus. Qua Chriſtiani quidem, quia profeſſio noſtra conſiſtit in adverſis fortiter ferendis. *Regnum cœlorum vim patitur, ait ſaluator; & violenti rapiunt illud.* Et. *Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuā.* Et. *Omnes qui piè viuere volunt in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* Et *Contendite intrare per anguſtam portam.* Quæ verba exponens B. GREGORIVS libro 32. moralium. *Dicturus*, inquit, *anguſtæ portæ introitum, præmiſit, contendite, quia niſi mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur, per quam animus ſemper ad ima reuocatur.* Eodem ſpectantilla B. HIERONYMI contra Pelagianos. *Si paululum ſe quis remiſerit, quomodo qui aduerſo flumine lembum trahit, ſi remiſerit manus, ſtatim retrolabitur, & fluentibus aquis, quo non vult, ducitur; ſic humana conditio, ſi paululum ſe remiſerit, diſcit fragilitatem ſuam, & multa ſe non poſſe cognoſcit.* Qua homines verò ſumus, hoc robore animi quoq; deſtituti eſſe non debemus, quia & Philoſophi naturam ducem ſecuti, illud in virtutum exercitatione poſtularunt, imò omnibus animantibus, etiam brutis duplicem appetitum

Ariſt. 2. Eth. c. 4.

Matth. 11. 12.
Math. 16. 24.
2. Tim. 3. 12.

Luc. 13. 24.
Greg. c. 28.

Hier. lib. 3

petitum ineſſe docuerunt, alterum concupiſcibilem quo ferrentur in bonum naturæ ſuæ congruens; alterum iraſcibilem, quo contra hoſtem viillata ſe tuerentur: quanto magis homini rationis compoti congruit tale robur adeſſe cum periclitatur de ſalute. *Auida eſt periculi virtus*, inquit SENECA, *& quo tendat, non quid paſſura ſit cogitat, quoniam & quod paſſura eſt gloriæ pars eſt. Militares viri gloriantur vulneribus. Calamitas virtutis occaſio eſt. Ignis aurum probat, miſeria fortes viros.* Quod ſi in omni virtute fortitudo hæc animi neceſſaria eſt, quanto magis inconſtantia, quæ nomen ſuum à fortitudine habet, & perſeuerantia, cum, teſte Ambroſio in oratione funebri fratris, & Proſpero in libro de vocatione gentium primo, nihil aliud ſit *perſeuerare, quam tentatione non vinci.*

Sen. lib. de prouidentia.

Amb. orat. de Satyro.

Proſ. lib. 1. c. 24.

VI. REMED. Studium progrediendi de virtute in virtutem ſecundum cuiuſque ſtatum. Hoc tradit BASILIVS diſcipulo ſuo ita ſcribens. *Neceſſe eſt vt in percurrendo vitæ iſtius ſingularis* (anachoreticæ) *ſtadio, quod tanta alacritate ingreſſus es, acriores tibi ipſi quotidie addas aculeos. quo te inuitat exemplo Paulus agoniſtes eximius, ita loquens. Eorum quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea quæ priora ſunt me extendens ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis. Sane ea eſt humanæ vitæ conditio, nunquam acceptis contentam ſpe ali continenti, & ſecurum præteritorum inhiare futuris. Quid enim animæ proſit, heſterum diem exegiſſe in actione virtutis, ſi hodie velut deſertor deſciueris ab opere iuſtitiæ? Qualem enim te inuenero, ait ſcriptura, talem te iudicabo.* Et GREGORIVS explanans verba Iob. *Et ſicut palma multiplicabo dies. Palma*, inquit, *vaſtior in ſummitate eſt, quam eſſe ceperit ex radice, quia ſæpe electorum conuerſio plus finiendo peragit, quam proponit inchoando, & ſi tepidius prima inchoat, feruentius extrema conſummat: videlicet ſemper ſe inchoare æſtimat, & idcirco infatigabilis in nouitate perdurat. Hanc ſcilicet iuſtorum conſtantiam Prophetа intuens, ait. Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem ſuam, aſſument pennas vt aquilæ: current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. Mutant quippe fortitudinem, quia fortes eſſe ſtudent in ſpiritali opere, qui dudum fuerant fortes in carne. Aſſumunt autem pennas vt aquilæ, quia contemplando volant; currunt, & non laborant, quia velocibus magna celeritate prædicant: ambulant, & non deficiunt, quia intellectus ſui velocitatem retinent, vt tardioribus condeſcendant. In cunctis verò bona, quæ accipiunt, quanto aliis libenter accommodant, tanto ipſi incommutabiles in nouitate perdurant. & qui tenues à radice inchoationis exeunt, fortes in culminis perfectione conualeſcunt.*

Baſ. epiſt. ad Chilon.

Phil. 3. 13.

Iob 28.

Greg. 19. mor. c. 26.

Iſa. 40. 31.

VII. REMEDIVM, ſit pro iis, qui ex puſillanimitate, vel ob crebros lapſus plus æquo timent, ne in cœpto ſemel piæ vitæ inſtituto perſeuerent. Hi enim primo conſiderare debent perſeuerentiam inter dona DEI numerari, vt B. Proſper fusè ex diuinis litteris in libro primo de vocatione gentium, & ante eum Auguſtinus in libro ſecundo de bono perſeuerantiæ, probant: imò Auguſtinus ex libello B. Cypriani de ora-

Proſ. lib. 1. c. 14.

tione Dominica ostendit singulis fere eius petitionibus à Deo postulari perseuerantiam. Vnde colligimus nihil frequentius ardentiùsue esse petendum, quàm donum constantiæ & perseuerantiæ. Nec mirum, quia vt sapienter scripsit Petrus Blesensis. *Omnes quidem virtutes currunt ad brauium, sed vna perseuerantia coronatur.* 2. in mentem reuocare debent exempla plurimorum, qui licet fragiles & imbecilles, tamen in piæ vitæ instituto vsque ad mortem perstiterunt, dicereq; quod S. AVGVSTINVS eodem timore perculsus olim sibi dixit. *Tu non poteris quod isti & istæ? an verò isti & istæ in semetipsis possiunt, ac non in Domino Deo suo?* 3. debent scire etiam ab Ethnicis Philosophis irrisas fuisse trepidationes de futuris prorsus incertis. Epicteti dictum est, *homines perturbari non rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus.* Et SENECÆ ad Lucilium. *Tibi præcipis, ne sis miser ante tempus, cum illa, quæ velut imminentia expauisti fortasse nunquam ventura sint: certè nondum venerunt. Quædam enim nos magis torquent, quàm debeant. Infirmi & imbecillis animi est timere id, quod nondum accidit vel longinquum est.*

Blesc.ep.22.

Aug.8. confess. cap.11.

In Enchir. c.10.

Sen.ep.13.

VIDE. V. *Acedia. Adulatio. Hypocrisis. Immortificatio passionum. Pusillanimitas. Timor humanus.*

INDISCRETIO

Remedia contra Indiscretionem.

I. REMED. Considera dicta S. scripturæ de indiscretione, vel imprudentia, qua delinquis, quoties excessum vel defectum in exercitio boni operis committis. Nam vt scribit Poeta.

Hor.sat.1.lib.1.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Primo ergò dehortatur nos scriptura ab hoc vitio. Nam Ecclesiastes dicit. *Noli esse iustus multum, neq; plus sapias, quàm necesse est.* Et Ecclesiasticus. *Est, qui se nimium submittit à multa humilitate.* Et Paulus. *Videte fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes. Propterea nolite fieri imprudentes.* Et. *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* 2. hortatur nos ad discretionem. Nam Salomon monet. *Prudentiæ tuæ pone modum.* Et. *Palpebræ tuæ,* id est, discretio, *præcedant gressus tuos.* Et Christus apud Matthæum. *Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis,* seu trapezitis, quorum, teste Cassiano, est probare quod sit aurum purum, & discernere verum ab adulterino. Et Apostolus. *Rationabile*

Eccl.7.19. Eccl.19.24. Iph.5.15. Rom.12.3. Prou.23.4. Prou.4.25. Matth.25.27. Cas.coll.1.c.20. Rom.12.1.

nabile sit obsequium vestrum. Qui & inter dona Spiritus sancti numerat do- 1.Cor.12.18.
num discretionis spirituum. Et B.Ioannes. Nolite omni spiritui credere, sed probate 1.Ioan. 4.1.
spiritus, si ex Deo sint.

II. REMED. Considera sententias SS. Patrum. S. CYPRIANVS, vt Cypr. de singu-
probaret mulieres non esse arcendas ab Ecclesia, licet arceantur à cohabitatione clericorum, ita loquitur. *Absit absit, vt vbiq; fœminæ proscribantur. Habent loca sua circa maritum, circa filios, circa parentes, circa fratres, circa seruos, & in domo orationis tantum modo iuxta cunctos clericos In mansione autẽ vna sine cognatione competentes non habent socios. Hæc est libra, quæ stat. Stare verò non potest quicquid inclinauerit libra, dicente scriptura. Non declinabis in dexteram, neq; in sinistram.* Et Dominus in Euangelio. *Quod amplius à malo est. Discite nunc temperantiæ modum, qui per licentiam quæris excessum. Anima fœminas inter Sacra solennia, & odio habe in communione priuata, si vis Salomonis tenere doctrinam. Tempus, inquit, amandi & tempus odiendi.* S. BASILIVS in principium Prouerbiorum. *Vera prudentia eorum quæ agenda & non agenda sunt cognitio est: quàm si quis rite sectatus fuerit, nunquam ab officio, virtuteq; abscedet, nunquam vitiorũ pestem incurret. Igitur, qui prudentiæ sermones cognoscit, &c. vt bonus trapezita, quod bonum fuerit, retinebit, & ab omni specie mala abstinebit.* Et in Constitutionibus monasticis. *In omni quæ suscipitur actione antecedere prudentia debet. Nam ea remota, nihil cuiusuis generis est, q. licet bonum videatur, non in vitium recidat, si aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat. Ratio verò & prudentia, vbi rebus bonis idoneum tempus ac modum definiunt, mirabile est, quantus ex earum vsu cum iudantes, tum in accipientes fructus redundet.* S. AMB. lib. 1. officiorum. *Decorum in nostris scripturis primo constituit loco, quod græcè πρέπον dicitur, instruimur & docemur legẽtes. Te decet hymnus Deus in Sion. Et Apostolus ait. Loquere quæ decent sanam doctrinam.* Et infra. *Sapiens, vt loquatur, multa prius considerat: quid dicat, aut cui dicat, quo in loco quo tempore. Est ergo & tacendi & loquendi modus, est etiã in factis modus. Pulchrum est igitur tenere mensurã officij.* Et libro de pœnitentia. *Si virtutis finis ille est maximus q plurimorũ spectat profectũ, moderatio prope omnium pulcherrima est, &c. Nam Salomon ait. Noli iustus esse nimiũ. Debet enim iustitiã temperare moderatio. Nam quemadmodum sibi curandũ præbeat, quem fastidio dedas, qui contemptui se, non compassioni medico suo putet futurũ? Ideo Dominus Iesus compassus nobis est, vt ad se vocaret, non deterreret.* S. G. NAZIANZ. de moderatione in disputando, vt probet in causa fidei discretione vtendum. *Id probè, inquit, exploratũ habens. Salomon. Ne declines, ait, ad dexterã neq; ad sinistrã, ne p contraria in æquale malum incidas, &c. Quod etiã spectans alio loco inquit. Ne magnopere iustus sis, nec supra modũ sapiens. Par. n. iustitiæ sapientiæq; detrimentũ affert acris hæc tam circa actionem, quam circa sermonem animi affectio virtutis nomen propter excessum amittens. Hanc enim excessus & defectus peræquè labefactant, non secus ac regulam aliquam additio aliqua aut subtractio. Nemo igitur sapientior sit, quam conueniat, nec luce splendidior, nec amussi rectior, neq;* Cypr. de singularit. cleric. Prou. 4. 27. Matth 5. 37. Eccl. 3. 1. Basil. hom. 12. Cap. 15. Amb. c. 10. Psal. 64. 2. Tit. 2. 1. Id. lib. 1. c. 1. Eccl. 7. 17. Naz. orat. Prou. 4. 27. Eccl. 7. 17. Rom. 12. 3.

præcepto diuino sublimior. Et in oratione de laudibus S. Basilii. *Equidem*, inquit, *mihi verendum esse video ne in immodicæ prolixitatis crimen apud eos incidam, qui mediocritatem laudibus efferunt, quam nec ille contemnebat, sententiam hanc. Modus omnis optimus, inprimis laudans, ac toto vitæ curriculo seruans.* S. HIERONYMVS ad Demetriadem. *Neque immoderata tibi imperamus ieiunia, & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur. Philosophorum quoque sententia est,* μεσότητας ἀρετὰς, ὑπερβολὰς κακίας εἶναι. *quod latinus ita potest sermo resonare. moderatas esse virtutes: excedentes modum atque mensuram inter vitia reputari. Vnde & vnus de septem sapientibus,* μηδὲν ἄγαν *id est, ne quid, ait, nimis. Quod tàm celebre factum est, vt comico quoque versu expressum sit. Sic debes ieiunare, vt non palpites, & respirare vix possis, & comitum tuarum, vel porteris, vel traharis manibus: sed vt fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in Psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias.* IOAN. CASSIAN. *Est discretio non mediocris quædam virtus, nec quæ humana passim valeat industria comprehendi, nisi diuina fuerit largitate collata.* Et iterum. *Quam nisi monachus omni intentione fuerit assecutus, necesse est eum velut in nocte cæca oberrantem, non solum perniciosis foueis præruptis incidere, sed etiam in planis ac directis frequenter offendere.* Et rursus. *Tam B. Antonij, quam vniuersorum sententia definitum est, discretionem esse, quæ fixo gradu intrepidum hominem perducat ad Deum, prædictasque virtutes iugiter conseruet illæsas, cum qua ad consummationis excelsa fastigia minore possit fatigatione conscendi, &c.*

Cleobuli sent. ex 7. Sapient. vnius.

Hier. ep. 8.

Cas. coll. 2. ca. 1.

Cap. 4. V. patrũ. p. 3. c. 42.

Greg. c. 9. & 10. *Omnium namque virtutum generatrix, custos, moderatrixque discretio est.* S. GREGORIVS, libro Moralium tertio. *Bona quidem intentione amici Iob ad consolandum venerant, sed hoc quod pia mens Deo mundum obtulit, locutio præcipitata vitiauit. Scriptum quippe est. Si recte offeras, non recte autem diuidas, peccasti. Recte namque offertur, cum recta intentione quid agitur: sed recte non diuiditur, si non hoc, quod piè agitur, etiam subtiliter discernatur. Oblata enim rectè diuidere, est quælibet bona nostra studia solicitè discernendo pensare. Sæpe ergo & quod bono studio gerimus, dum discernere cautè negligimus, quo iudicetur fine nescimus & nonnunquam hoc fit reatus criminis, quod putatur causa virtutis.* Et libro 28. *Plerumque virtus cum indiscretè tenetur amittitur: cumque discrete intermittitur, plus tenetur. Nec mirum, si in incorporeis id intelligimus, quod agi & in corporeis rebus videmus. Ex studio namq; arcus distenditur, vt in suo tempore cum vtilitate tendatur. Qui si otium relaxationis non accipit ferendi virtutem ipso vsu tentionis perdit. Sic aliquando in exercitatione virtus cum per discretionem prætermittitur reseruatur, vt tanto post vitia valenter ferat, quanto à percussione interim prudenter cessat.* B. BERNARDVS in Cantica, *Discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem etiam & perpetuitatem, &c. Est ergo discretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixq; affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc & virtus vitiũ erit, ipsaq; affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiumq; natura.*

Gẽ. 4. iuxta 70.

Greg. c. 12.

Bern. serm. 49.

III. REMED. Rationem in omnibus actionibus tuis, maximè cum dubitas

dubitas, quid consideratis circumstantiis expediat, ducem sequare. Ita GREG. NAZIANZENVS. *Id verò* (nempe moderationem in omnibus rebus) inquit, *Ita demum assequemur, si modesti & compositi esse curemus, naturæ leges comprobemus, rationem ducem sequamur, ordinem disciplinamque non aspernemur.* Et alter GREG. Romanus. *Bene in Euangelio veritas dicit. Matth. 6. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit totum corpus tuum lucidum erit, &c. Quid enim per oculum exprimitur, nisi opus suum præueniens cordis intentio? quæ priusquam se in actione exerceat, hoc iam quod appetit contemplatur. Et quid appellatione corporis designatur, nisi vnaquæque actio quæ intentionem suam quasi intuentem oculum sequitur? Lucerna itaque corporis est oculus, quia per bonæ intentionis radicem merita illustrãtur actionis. Et sic oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, quasi rectè intendimus per simplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur, etiamsi minus bonum esse videatur.* Eodem spectant illa B. BERNARDI. *Deus vult se amari non solum dulciter, sed & sapienter. Vnde Apostolus rationabile, inquit, obsequium vestrum. alioquin facillimè zelo tuo Spiritus illudet erroris, si scientiam negligas. Nec habet callidus hostis machinamentum efficacius, ad tollendum de corde dilectionem, quam si efficere possit, vt in ea incautè, & non cum ratione ambuletur.*

Naz. in orat. de moderat. dispu.

Greg. 18. mor. c. 13.

Cass. coll. 2. c. 2.

Bern. ser. 19. in Cant.

Rom. 12. 1.

IV. REMED. Maiorum & seniorum consilia sedulo requirere. *Ne initaris*, inquit sapiens, *prudentiæ tuæ.* Et. *Qui sapiens est, audit consilia.* Et. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Hoc remedium tradit Abbas Moyses apud Cassianum his verbis. *Vera, inquit, discretio non nisi vera humilitate acquiritur. Cuius humilitatis hæc erit prima probatio, si vniuersa non solum quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur seniorum reseruentur examini. Quæ institutio non solum per veram discretionis viam iuuenem recto tramite docebit incedere, verumetiam cunctis fraudibus & insidiis inimici seruabit illæsum. Nullatenus enim decipi poterit quisque, si non suo iudicio, sed maiorum viuit exemplo.* Et S. BASILIVS in oratione de felicitate. *Profectò*, inquit, *diuina quædam res est consilium, est namq; animi coniunctio, caritatis fructus, mentis demissæ demonstratio. Superbia enim magna habetur, existimare nullius se egere auxilio, ac sibiipsi penitus acquiescere, quasi vel solus sapiat, vel quam optima in medium consulere valeat. Quare nequaquam tuncte mur ijs non submittere, qui nobis ea quæ decora sunt consulunt; nec vnquam turpe esse ducamus, considere, alios quoad vitam instituendam nobis longè esse prudentiores. Magnam profecto affert hominibus vtilitatem consilium, eo, quod nemo sibi sufficiat ad electionem rerum vtilium honestarumue, sed pluribus sane socijs ijsque solertibus opus habet.*

Pro. 3. 5. & 12. 15. Eccl. 32. 24.

Cass. coll. 2. c. 10.

Bas. orat. de

V. REMED. Considera exempla eorum qui neglecto aliorum consilio per indiscretionem miserè perierunt. Ea commemorat accuratè idem CASSIANVS collatione secunda. Primum est Heronis, qui 50. annos in eremo solus commoratus, tandem à Satana transfigurante se in angelum

Cass. cap. 5.

lucis deceptus, se in puteum profundissimum præcipitem egit. ex eoque magno labore extractus, ne sic quidem à senioribus sibi persuaderi pas-

Cap. 6. sus est peruersum angelum huius consilii auctorem fuisse. Alterum est monachorum duorum, qui nullo assumpto cibo vastissimam solitudinē penetrare voluerunt, cogitantes se à Deo non deserendos, cumque Ma-

7 Cap. zices, homines ceteroquin feri, obuii facti illis panes obtulissent, vnus tantum accepit, alter noluit & fame periit, existimabat enim non posse diuino instinctu fieri, vt homines tam barbari panem offerrent. Terti-

Cap. 8. um est cuiusdam, qui angeli praui consilio in fraudem inductus proprium filiolum, quem secum in cella alebat, & erudiebat, exemplo Abraham, Deo immolare voluit, sed puer, vt aduertit patrem exacuere cultrum, aufugit. Quartum est monachi Mesopotameni, cui similis spi-

Coll. 1. c. 21. ritus persuaserat, vt circumcisionem Iudaicam reciperet; spectandum enim illi præbuerat populum Iudæorum cum Patriarchis candidum & fulgentem, Christianum cum Apostolis & Martyribus tetrum & macilentum. Alibi item narrat CASSIANVS, cum Abbas Ioannes Lyci habitans post biduanum ieiunium refectionem sumeret, Zabulum in tetri Æthiopis specie ad genua eius aduolutum dixisse. Induige mihi, quia ego tibi laborem tam diuturni ieiunii indixi. Vnde ille cognouit se ad tantam seueritatem à malo spiritu inductum.

VI. REMED. Considera exempla antiquorum Patrum, qui discretionis laude excelluerunt. Hoc remedium tradit. B. GREGORIVS li-

Greg. c. 11. bro 28. moralium in illa verba Iob. *Vel quis tetendit super eam lineam? super*

Iob. 38. 5. *hanc terram*, inquiens, *linea tenditur, quando electæ cuique animæ ad sumendam viuendi regulam Patrum præcedentium exempla monstrantur: vt ex illorum vita consideret, quid in suis actibus seruet, quatenus respecto iusti limitis tramite, nec infra minima negligens deficiat, nec vltra maxima superbiens tendat, nec minus conetur explere, quam sufficit: nec plus arripiat, quam accepit, ne aut ad mensuram, quam debet,*

Matth. 7. 14. *non perueniat, aut eandem mensuram deserens extra limitem cadat. Angusta quippe porta est, quæ ducit ad vitam: & ille hanc ingreditur, qui in cunctis quæ agit discretionis subtilitate propter hanc solicite coarctatur. Nam qui per voluntates proprias secura mente se dilatat, angustiæ sibi portæ aditum damnat.* Ac mox duo discretionis exempla subiicit: alterum B. Petri Apostoli, alterum B. Pauli. Petri quidem, pro eo qui ex indiscretione sua magis consilia, quam seniorum, eligeret, & sibi potius quam aliis crederet. *Hunc*, inquit, *Pe-*

Act. 5. 29. *trus intra mensuræ lineam reuocat, qui post quam libertate vocis autoritatem Principum pressit*, (dicens, oportet Deo magis obedire quam hominibus) *per*

Act. 15. 10. *humilitatem cordis de non circumcidendis gentibus Pauli consilium audiuit. Sic enim semetipsum contra aduersarios ex authoritate curabat erigere, vt tamen sibimetipsi non crederet in his quæ non rectè sentiret, & humilitate mansuetudinis obedientiam*

recto consilio etiam minoribus fratribus exhiberet. Pauli pro eo, qui per indiscretionem vnum eundemque tenorem in agendo teneret, cum tamen *per momenta temporum sæpe mutentur,* inquit Gregorius, *merita actionum. Quam discretionis lineam,* inquit idem, *bene ante oculos Paulus tetendit: qui & gentiles ad libertatem fidei venientes circumcidi prohibuit, & tamen Lystris, atque Iconium transiens ipse Timotheum qui gentili patre editus fuerat circumcidit. Fecit quod fieri fidei amore prohibuit, sed ad fidei retorsit ministerium, quod quasi non fideliter fecit. plærunque enim virtus, cum indiscretè tenetur, amittitur, &c.* Act. 16. 3.

VIII. REMEDIVM. Considera geminas esse virtutum actiones, externas, & internas. Externæ sunt, ieiunia, vigiliæ, cilicia, flagellationes, humicubationes, meditationes, orationes, lectiones, &c. in quibus propriè indiscretio, vel excessus & defectus committitur. Aliæ sunt internæ in animo, vt humilitas, caritas, patientia, mortificatio passionum, mutatio morum, in quibus propriè non committitur excessus. Nemo enim in interna humiltiate, caritate, patientia, &c. facile excedit. Hoc autem interest inter vtrasque, quod in internis consistat perfectio Christianæ religionis, & vitæ religiosæ, non item in externis, quæ sunt tantum instrumenta ad perfectionem obtinendam: illæ finis, hæ mediorum rationem vendicant, illæ difficilius & non nisi longo vsu & exercitatione, hæ facilius acquiruntur. De quo discrimine eleganter sane disserit auctor epistolæ ad Demetriadem sumpto exemplo à lectione rerum sacrarum, in qua minus periculum excessus videtur. *Sit,* inquiēs, *ipsa lectio, cui finem consilium, non lassitudo imponat. Nam vt immoderata ieiunia, & ardor abstinentiæ, & enormes inordinatæque vigiliæ intemperantiæ coarguuntur; idq; nimietate pariunt, vt hæc ipsa postea quidem nec mediocriter fieri possint, ita studium lectionis intemperans in reprehensionem cadit, quodque laudabile est in genere suo, fit de nimietate sui culpabile. Generaliter quidem strictimque, sed breuiter dicendum est. In bonis quoque rebus, quicquid modum excesserit, vitium est. Magna est, magna, inquam, & quæ grandi studio constat perfectæ vitæ ratio; consummataque sapientiæ est scire, quid quo insequaris modo, & ad omnem actum præferendo consilium, nihil facere, quod fecisse pœniteat.* In append. t. 2. August. Eodem tendit illud Hieronymi ad Demetriadem de virginitate seruanda. *Ieiunium non perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est: gradus præbet ad summa scandentibus.* Et BASILII de vera virginitate. *Si ipsam per se ciborum abstinentiam spectemus (secundum Apostolum Paulum, dicentem. Esca nos non commendat Deo) neque si non comedamus deficimus, neq; si comedamus abundamus: Neque enim, qui non comedunt ob id duntaxat plus aliquid comedentibus de virtute habent: neque qui comedunt, ex eo minus aliquid comedentibus habere putandi sunt, si modo illorum virtus interior æqualis sit. Oportet igitur ad animæ virtutem intentione directa cuncta exercitia corporis aggredi, quæ cum per se bona non sint, eius tamen boni, cuius gratia arripiuntur ornata ministerio bona & honesta fiunt.* Hier. ep. 8. 1. Cor. 8. 8.

Cass.coll.1.c.7. His consentit apud Cassianum Abbas Moyses. *Ieiunia*, inquit, *vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas ac priuatio omnium facultatum non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia in ipsis non consistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem.* Finem autem dicit esse, conseruare cor ab omnibus noxiis passionibus illæsum, & ad perfectionem caritatis conscendere. Ex hac doctrina discis seueriora ieiunia, aliasque grauiores pœnitentias non esse probandas, quando communia pietatis exercitia impediunt. 2. mortificationem internorum affectuum anteponendam in genere suo castigationibus corporis. 3. virtutes internas plus sectandas & exercendas, quam externas.

VIII. REMED. Considera exempla eorum, qui virtutes in quibus consistit perfectio, suo tempore antepositerunt virtutibus, quæ sunt in-

Cass.cap. 24.25. 26. strumenta perfectionis; vt caritatem ieiuniis. Io. CASSIANVS monasticarum institutionum libro quinto imprimis tradit in prouincia Ægypti in aduentu fratrum peregrinorum indifferenter quotidiana solui ieiunia, eo quod ieiunium voluntarium muneris sit oblatio, opus autem caritatis implere præcepti exigat necessitas; moxque duorum seniorum exempla

Theodor.c.3. subiungit. Vnius quidem, qui sexies diuersis aduenientibus mensam posuerit, & cum iis comederit. Alterius verò, qui nunquam sine peregrino, etiamsi in triduum ieiunium differendum esset, cibum sumpserit. THEODORETVS quoque in historia religiosa narrat Martianum monachum è regia stirpe oriundum panis libra in quartum vsque diem contentum, in aduentu tamen Auiti monachi ieiunium laxasse: cumq; Auitus affir-

Aug. c.33. maret se à more suo in vesperã ieiunãdi non discessurum, ingemuisse, & dixisse se caritatem præferre ieiunio. Et B. AVGVSTINVS in libro de moribus Ecclesiæ, cum fuse egisset de seuerioribus ieiuniis quorundam vtriusque sexus religiosorum cœtuum, quos Mediolani, Romæque vidisset, tandem subiicit. *Caritas præcipuè custoditur, caritati victus, caritati sermo, caritati habitus, caritati vultus aptatur: coitur in vnam, conspiraturque caritatem. Hanc violare tanquam Deum nefas ducitur. huic si quis resistit, eiicitur atque vitatur: hanc si quis offendit, vno die durare non sinitur. Sciunt hanc ita commendatam esse à Christo & Apostolis, vt si hæc vna absit, inania: si hæc adsit, plena sint omnia.* Concludam hoc antidotum exemplo B. Ioannis Euangelistæ, ex quo intelliges discretionis virtutem etiam à religiosis hominibus exposcere vt aliquando aliquid de consueta vitæ seueritate remittant. *Fertur*, inquit CASSIANVS *B. Euangelista Ioannes cum perdicem manibus molliter demulceret, quendam ad se habitu venatorio vententem dixisse. Tune es ille Ioannes cuius fama celeberrima me quoque summo desiderio tuæ agnitionis illexit? cur ergo obhectamentis tam vilibus occuparis?* Cui B. Ioannes. *Quid est, quod manu tua gestas? Ait ille. Arcus Et cur, inquit, non enim vbique censum circumfers? Cui ille respondit. Ne iugi curuamine rigoris fortitudo la-*

Cass coll.24.c. 21.

do laxata molleſcat atque depereat. Nec noſtri animi tam paruabreuiſque laxatio te offendat ô iuuenis, inquit B. Ioannes, nam niſi rigor intentionis remiſſione aliqua relaxetur, virtuti Spiritus cum neceſſitas poſcit, obſecundare non poterit.

VIDE. V. *Conſcientia ſcrupuloſa. Deſperatio. Illuſiones ſpirituales. Immortificatio paſſionum. Inobedientia. Iudicium proprium. Iudicium temerarium. Præſumptio. Voluntas propria.*

INGRATITVDO IN DEVM, ET alios benefactores.

Remedia contra ingratitudinem.

I. REMED. Conſidera oracula diuini verbi, in quo primo ingrati arguuntur, digniq; pœnæ pronunciantur. nam apud Iſaiam prophetam de Iudæis ob ingratitudinem Deus queritur his verbis. *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Apud Lucam verò Saluator ſimiliter queritur de nouem leproſis à ſe mundatis, dicens. *Decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.* B. Paulus in altera ad Timotheum epiſtola ingratos inſerit catalogo improborum. *Erunt*, inquit, *nouiſſimis temporibus homines ſeipſos amantes, cupidi, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati ſceleſti, &c.* Et ſapiens. *Ingrati ſpes tanquam hybernalis glacies tabeſcet, & diſperiet, tanquam aqua ſuperuacua.* Et. *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.* 2 gratiarum actionem nobis commendat. Vnde Apoſtolus. *In omnibus gratias agite.* Et. *Grati eſtote.* Et. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere; omnia in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.* Et. *Gratias ſemper agentes pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Deo & Patri* Ita fecit pſaltes regius dicens. *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.*

Iſa. 1. 2.
Luc. 17. 17.
2. Tim. 3. 2.
Sap. 16. 29.
Prou. 17. 13.
1. Theſ. 5. 18.
Col. 3. 15. 16.
Eph. 5. 20.
Pſal. 102. 2.

II. REMED. Conſidera SS. Patrum dicta de ingratitudine & gratitudine. S. BERNADVS in Cantica. *Ingratitudo inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio. ingratitudo ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ.* Et de Euangelio ſeptem panum. *Ingratitudinem prorſus odit anima mea. Peremptoria ſiquidem res eſt ingratitudo, hoſtis gratiæ, inimica ſalutis. Dico ego vobis, quoniam pro meo ſapere nihil ita diſplicet Deo, præſertim in filiis gratiæ, in hominibus conuerſionis, quemadmodum ingratitudo, Vias enim obſtruit gratiæ.* S. AVGVSTINVS in ſoliloquiis. *Recolam ad mentem meam omnia bona Domine, quæ feciſti mihi à iuuentute mea in omni vita mea. Scio namque quod ingratitudo multum tibi diſpliceat, quæ eſt radix totius mali ſpiritalis, & ventus quidam deſiccans & vrens omne bonum,*

Bern. ſerm. 52.
Id. ſerm. 2.
Aug. c. 18.

obstruens fontem misericordiæ tuæ super hominem, qui & mala iam mortua orsuuntur, & viua iam opera moriuntur. Et libro de spiritu & littera. *Cultus*

Id. cap. 11.

Dei in hoc maximè constitutus est, vt anima ei non sit ingrata: vnde in ipso veris-

Psal. 15. 2.

simo, & singulari sacrificio Domino Deo nostro gratias agere admonemur. Deus

Id. c. 18.

enim bonorum nostrorum non indiget, ait Dauid. Cum quo conuenit illud in libro primo contra aduersarium legis, & prophetarum, dum exponit verba psalmi 49. *Sacrificium laudis honorificabit me. Quod est autem*, inquit, *sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum? Et vnde maiores agendæ sunt Deo gratiæ, quàm pro ipsius gratia per Iesum Christum Dominum nostrum? Quod totum fideles in Ecclesiæ sacrificio sciunt, cuius vmbræ fuerunt omnia*

Chrysost. hom. 1.

priorum genera sacrificiorum. IOAN. CHRYSOSTOMVS ad populum Antiochenum. *Nullum gratiarum actioni par bonum, quemadmodum blasphemia peius nihil.* Et rursum. *Magnus thesaurus gratiarum actio, magnæ diuitiæ, inconsumptum bonum, armatura fortis: sicut blasphemia ingruentem tacturam intendit ijs, qui peierare solent, plura insuper perire facit. Perdidisti pecunias? Si gratias quidem egeris, animam lucratus es, & maiores nactus es diuitias, quia Dei beneuolentiam hausisti amplius: si verò blasphemaueris, insuper & salutem tuam amisisti,*

Amb. c. 31.

& quam habuisti animam. S. AMBROSIVS libro primo officiorum. *Conferre gratiam bonum est; at qui referre nescit durissimus. Humanitatis exempla ipsa terra suggerit. Spontaneos fructus ministrat, quos non seueris: multiplicatum quoque reddit, quod acceperit. In prouerbiis quoque habes, quod ita plurimum redhibitio ista gratia apud Deum consueuit valere, vt etiam in die rumæ inueniat gratiam, quando possunt præponderare peccata. Et quid aliis vtar exemplis,*

Luc. 6. 38.

cum Dominus remunerationem vberiorem sanctorum meritis in Euangelio polliceatur, atque exhortetur, vt operemur bonum opus dicens, Date, & dabitur vobis; mensuram bonam, commotam, superfluentem dabunt in sinum vestrum. Et alibi

Id. serm. 42.

in sermonibus. *Dic mihi, num si aliquid de tuo cuicunque largiris, expectas vt tibi gratias agat, vt benedicat domum, de qua ei humanitas sit tributa? Qui si forte gratias non agit, quemadmodum à te denotatur ingratus? Ita ergo & à nobis expectat, qui nos pascit Deus vt pro præstitis ab eo escis illi gratias referamus, & saturi, donis ipsius laudes ei dicamus. Cæterum, si accipientes diuina munera taciti & immemores fuerimus tanquam ingrati & indigni eorum subministratione fraudabimur.* SENECA in libris de beneficiis. *Inter plurima, maximaque vitia*

Sen. lib. 1. c. 1. Lib. 4. c. 18. Lib. 3. 1.

nullum est frequentius, quam ingrati animi. Et. *Per se fugienda res est ingratum esse quoniam nihil æque concordiam humani generis dissociat, ac distrahit quàm hoc vitium.* Et. *Non referre beneficiis gratiam & est turpe, & apud omnes habetur. Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit. Ingratus est, qui dissimulat. Ingratus, qui non reddit. Ingratissimus omnium, qui oblitus est.*

III. REMED. Considera beneficiorum diuinorum tam generalium, quam specialium in te omnesque homines collatorum, conferendorum

dorum magnitudinem & multitudinem, & intelliges *ingratis nihil esse iniquius*, vt loquitur alicubi Ambrosius. Ea considerans B. Basilius homilia in martyrem Iulittam. *Si quando*, inquit, *lætius arridet vitæ institutum, illam depromamus Dauidis vocem. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Ex nihilo effecit vt essemus, ac produxit, dono rationis ornauit, inuentum artium ad vitam tuendam gratuito contulit. Et terræ visceribus alimenta eduxit. In ministerium dedit omnigenum pecus. Propter nos imbres, sol montana, campestrisque regio pulchrè exculta. Propter nos amnes fluunt, promanant fontium scatebræ, mare ad negotiandum naues admittit, è fodinis effudiuntur opes. At quid opus est hæc persequi? Deus ipse salutis nostræ causa inter homines conuersatus est, verbum caro factum est, & habitauit in nobis, Sol ipse iustitiæ medius eorum factus est, qui sedent in tenebris. vita ipsa venit ad mortem, mortem autem crucis: ob mortuos resurrexit, Spiritus sancti charismata distribuit, multiplices coronas promisit, delicias paradisi, regni cœlestis gloriam, & cætera, quæ numerari non queant, merito vt exclamemus. Quid retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis? Rectè dicis, retribuit. Quam enim rependis pro accepta gratia gratiarum actionem, in numerum refert, & habet beneficij loco; qui licet aliud nil acceperit, quam quod suum est, solidam tamen retribuit gratiam, ac si propria dedisses.* Amb. in præfa Psal. 35. Basil. hom. 5. Psal. 115. 12.

Hoc idem antidotum ad euellendam ingratitudinem vberius dilatat Chrysostomus homilia 27. in Genesin. & Ambrosius libro primo de Iacob & vita beata cap. 6. Vide meditationes de beneficiis diuinis in Enchiridio nostro.

IV. REMED. Certa tempora tibi quotidie describe, quibus Deo gratias agere consuescas, maximè cum nulla hora fit, nullum momentum, quo non beneficio Dei vtamur, vt docet in Soliloquiis Augustinus. *In Deo enim viuimus*, inquit Apostolus, *mouemur & sumus*; Ea tempora his verbis descripsit AMBROSIVS in sermonibus. *Qui est vilis Christianus semper debet Domino suo laudes dicere, & in eius gloriam omnia procurare, sicut ait Apostolus. Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei. Ergo cum in diluculo surgimus, debemus priusquam procedamus è cubiculo gratias agere saluatori, & ante omnes actus seculi actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulis custodiuit. Vt enim ego securus dormiam, ille pernigilat. Sed & cum vespera diem claudit ipsi debemus per psalterium laudem dicere, & gloriam eius modulata suauitate concinere. Hoc enim non solum docemur ratione, sed etiam admonemur exemplis. Nonne enim videmus minutissimas aues, cum diem aurora producit in quibusdam nidorum cubiculis varia dulcedine personare, vt creatorem suum, quia loquela non possunt, suauitate demulceant? Aues propter vilissimas escas gratias agunt, tu pretiosissimis epulis pasceris, & ingratus es? Imitare ergo frater* Aug. c. 11. Act. 17. Amb. serm. 43. 1. Cor. 10. 31.

Basil.hom. 5. 1.Cor.10.31. *aues mane & vesperi creatori gratias referendo. Et si es duotior imitare luscinium, quæ & nocturna spacia peruigili cantilena decurrit.* B. BASILIVS loco supra citato, cum eadem Apostoli verba. *Siue comeditis, siue bibitis*, &c. percensuisset, plura tempora gratiarum actioni deputauit. *Accumbens*, inquit, *mensæ ora, edens panem largiori gratiam repende. Tunicam indueris? gratias age, benigno donatori, qui commodum tibi æstate, hyemeque tribuit vestimentum. Diem peregisti? referto gratiam illi qui solem immeritis in ministerium indulsit. Si in cœlum, & eximiam syderum pulchritudinem aciem oculorum defixeris, supplica Domino, qui cuncta hæc in sapientia condidit, &c.*

V. REMED. Coneris ad summam perfectionem virtutis gratitudinis aspirare, vt Deo gratias agas æquè in aduersis, atque prosperis, 1.Thes.5.18. secundum illud Apostoli. *Gratias agite in omnibus*, nam mox subiicit. *Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis.* Quis verò tergiuersetur obsequi diuinæ voluntati? Deinde exemplo sanctissimi Iob qui tantum non calamitatibus obrutus tamen accinuit. *Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Iob. 1.21. Certe, quemad. modum diligere amicos, qui nobis benefaciunt, & gratias agere in Matth.5.44. prosperis nobis commune est cum Ethnicis, sic diligere inimicos, qui nobis malè volunt, & gratias agere in aduersis proprium est Chri- Hier.li.3.in c.5. Eph 5.20. stianorum, secundum doctrinam omnium SS. Patrum. HIERONYMVS commentario epistolæ ad Ephesios; exponens verba Apostoli, *Gratias agentes semper pro omnibus*, ita scribit: *Dupliciter intuendum, vt & in tempore & pro omnibus quæ nobis accidunt Deo gratias referamus: vt non tantum pro his, quæ bona putamus, sed etiam quæ nos coarctant, & contra nostram veniunt voluptatem in Dei preconium mens læta prorumpat, & dicamus.* Iob.1.21. *Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & redeo: Sicut placuit Domino, &c. Hæc actio gratiarum apud prudentes viros, & generaliter & specialiter obseruatur. Generaliter, vt gratias agamus Deo, quod nobis Sol oritur, dies currit, nox mutatur in requiem*, &c. *Specialiter verò, quando in Dei beneficijs quæ nobis accidunt gratulamur. Sed hoc & gentilis facit, & Iudæus, & publicanus, & Ethnicus. Christianorum propria virtus est etiam in his, quæ aduersa putantur, referre gratias creatori. Qui sibi sanctiores videntur, solent Deo referre gratias, quod de periculis vel miseriis liberati sunt. Sed iuxta Apostolum hæc virtus est maxima, vt in ipsis periculis atq; miseriis Deo gratiæ referantur, & semper dicamus. Benedictus Deus, minora me scio sustinere, quam mereor, hæc ad mea peccata parua sunt, nihil mihi dignũ redditur. Hic animus Christiani est, hic crucem suã tollens sequitur Saluatorem quem nec orbitas, nec damna debilitant. Quẽ, vt Flaccus in Lyrico carmine ait. Si fractus illabatur orbis impauidũ ferient ruinæ.* Idẽ argumentũ fusè persequitur. Chrysost. homilia prima ad populum Antiochenũ, & homilia

milia octaua in epistolam ad Colossenses. Basilius loco allegato tractans verba Pauli. *In omnibus gratias agite.* Augustinus concione prima in Psalmum 32. Et in Psalmi 48. partem secundam concione secunda. Col. 3. 1. Thess. 5. 18.

VI. REMEDIVM. Considera quam grata sint pro exiguo beneficio bruta animantia, non domestica solum, sed etiam ferocissima. *Officia,* inquit Seneca libro primo de beneficiis, *etiam feræ sentiunt. Nec vllum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora à magistris impunè tractantur.* Piger à Salomone ad formicam ablegatur, vt ab ea discat industriam, quanto magis ingratus ad similes bestias. Publii Mimi dictum est. *Dixeris maledicta cuncta, si ingratum dixeris,* Et M. Tullii. *In ingratitudinis vitio nihil mali non inest.* B. AMBROSIVS in Hexæmeron ablegat ingratos ad canes. *Quid,* inquit, *de canibus loquar, quibus insitum est natura quadam referre gratiam, & solicitas excubias pro dominorum salute prætendere. Quis non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cum videat etiam bestias refugere crimen ingrati? Et illæ, imperitiæ alimoniæ seruant memoriam, tu non seruas salutis acceptæ?* Idem facit BASILIVS. *Memoria,* inquiens, *beneficiorum animantis huius, quem beneficiorum immemorem non pudore aspersérit. Iam quidem & interfectis à latronibus in solitudine domitis complures à cadaueribus canes non recessisse, sed ibidem expirasse memoriæ traditur. Nonnullos etiam cæde adhuc recente duces illis fuisse, qui latrones inquisierunt, & ad pœnam maleficos rapi fecerunt? Quid hic dicent, qui nullo suum opificem, altoremq; Deum prosequuntur amore?* De Leonum in gratitudine erga benefactores mira extant exempla apud Ecclesiasticos & profanos scriptores. Vt apud Sophronium in prato spiritali, de Leone, qui ob spinam à B. Gerasimo Abbate è pede euulsam, recedere à cœnobio noluit, ipsoq; mortuo magno rugitu edito & ipse sepulcro eius incumbens expirauit. Quod vulgo putatur. S. Hieronymo, ob similitudinem nominis, accidisse. Deinde apud A. Gellium in noctibus Atticis de alio, qui passus est se ob simile beneficium ab Androdo seruo fugitiuo per vrbem Romam instar canis deduci acclamante populo. *Ecce leo hospes hominis: ecce homo medicus leonis.* Ac denique aquod Matthæum Paris in historia Anglicana de alio, cum ingenti serpente, & Ioanne Vitali ciue Veneto ingratissimo in fossam altissimam delapsis, ex qua historia liquet, quanta hominis ingratitudo, ambarum verò illarum ferarum gratitudo in liberatorem suum extiterit. Eam, quia multis forte ignota, hic subiiciam, *VITALIS,* inquit, *Venetus ciuis, diues & auarus, cum daturus esset filiam suam nuptui, vt mensam præpararet lautiorem, venatum iuit in quandam foresta vastissimam & desertam, mari conterminam. Et cum per deuia eremi solus vagaretur, arcum extentum baiulans cum sagittis, cupiditate ferinæ ductus, incidit forte in foueam & peditam, leonibus, vrsis, & lupis subtiliter præparatam. A qua, cum os strictum esset, & pauimentum profundum & amplum, nullo modo potuit ascendere, vel euadere. Inuenit* Pratum Spir. c. 107. A. Gell. lib. 4. Paris. pag. 141.

autem in ea, quæ eodem casu in ipsam inciderant, duo crudelia animalia, leonem & magnum serpentem: sed ipsum Vitalem, qui se signo crucis præmuniuit, nequaquam inuaserunt, licet famelici nimis & proterui. Morabatur ergo illic tota illa nocte, & die sequenti clamans & eiulans, & mortem suam tam probrosam lamentando deplorans. Accidit autem, vt quidam pauperculus carbonatorum syluicola, dum pergeret, quisquilias ibidem lignorum colligendo, audiret clamorẽ & planctum quasi subterraneum, & vocem sequens peruenit ad os putei & introspiciens ait. Quis es, quem audio? Et Vitalis gauisus supra id quod dici potest, respondit alacriter. Ego sum miser, VITALIS cognomento, Venetus, qui ignarus muscipularum harum in foueam istã incidi, feris nociuis deuorandus, qui fame & timore contabesco. Sunt.n. hic duo, quæ nimium pertimesco animalia, leo, scil. quidã & anguis: sed adhuc Domino protegente, cuius signo me cõmuniui, me non inuaserunt: tibi reseruatus sum, vt tibi benefaciam, erue me & bene tibi erit: ecce tibi dimidium bonorum meorũ concedo, videlicet quingenta talenta: sunt enim mihi mille. At pauper. Si dictis facta compenses faciam quod desideras & hortaris. At Vitalis dicta sua multis & magnis iuramentis, Domino interposito pro fideiussore, & fide media cõfirmauit. Et cum colloquerentur, Leo motu caudæ saltuq; iucundo, & similiter anguis blando sibilo, & totius corporis volubilitate eidẽ pauperi applauserunt, quasi liberationem suam cum Vitale postulantes. Et statim pauper domum suã festinus abijt, scalamq; cum funiculis, quos nouerat necessarios cũ summa festinatione præparauit, & rediens dimisit eã in puteũ solus. Et statim, imo raptim & certatim Leo & Anguis per gradus scalæ ascendentes ipsi pauperi applauserunt, & circumeuntes pedes eius volutabantur coram eo lætabundi, quasi gratiarũ actiones pro liberatione sua referentes eidem. Postea verò pauper ipsius Vitalis ascendentis manum apprehendit, & deosculans ei dixit. Viuat manus hæc, eia eia gaudeo planè, quia voti compos effici meruit, & duxit eum, donec ad notitiam itineris peruenirent. Et Vitali recedẽti ait Syluanus pauperculus. Quando, & vbi persolues mihi debita? Et Vitalis intra diem quartum in Venetia, videlicet in palatio meo; q̃ quidem famosum est, & reperire nõ est difficile. Rediit Syluanus ad domunculam suam vt prandaret. Quo sedente ad mensam, ecce Leo, quẽ liberauerat, apportans hinnulũ intrauit, & appositus mensæ prãdentis blandus & mansuetus, quasi offerens illum pro præmio beneficij liberationis, & applaudens mitissimus sine rugitu, & ira, aut alicuius læsione recessit. Et sequebatur eum Syluanus ludentẽ corã eo, & lingentẽ pedes eius, vt sciret vbinã fuerit cubile eius (admirabatur enim vehementer tantã Leonis mansuetudinem) & postea rediit, vt prandaret. Et cũ cibũ sumeret, ecce & serpens liberatus adfuit, gemmã pretiosam in ore deferens, apposuitq; eidẽ Syluano, tanquã liberatori suo, & illã in disco suo reposuit, sesequ; spiris volubilib. ante ipsum volutans & ludens applausit, quasi grates referens ei pro impenso sibi beneficio, & blando emisso sibilo nullũ lædens recessit; quẽ similiter sequebatur Syluanus, p̃ admiratione, vt de cauerna eius certificaretur. Elapsis igitur duob. vel trib. dieb, Syluanus secũ deferens gemmã suã pretiosam, quam serpens suus attulerat, Venetiã adiit, vt à Vitali promissa reciperet. Et inuenit eum cum conciuib. p̃ vicinis, p̃ gaudio liberationis, conuiuantem. Quem Syluanus seorsim euocans, & secretius alloquẽs, (quia ignotũ se simulans)

dixit

dixit, Amice, q̃ debes. At ipse toruo vultu respondit. Quis tu? quid exigis? At ille Quingenta talenta mihi à te p̃ beneficio tibi facto, ex pacto p̃missa. At Vitalis. Ita tã leuiter velles lucrari, q̃ ego p̃ longa tempora laboriosè acquisiui? & p̃cepit famulæ suæ, vt taperetur quasi delirans, p̃ tanta temeritate incarcerãdus. Quod Syluanus intelligens repẽtino saltu à Domino exiluit: & veniens ad Prætoriũ, hæc omnia seriatim iudicibus ciuitatis intimauit. Qui cũ nõ planè crederẽt, ostendit gemmã sibi à serpẽte gratiarũ loco datã, & illico vnus ciuiũ, quẽ virtus lapidis nõ latebat, ipsum magno pretio cõparauit. Vt antẽ oẽs inde redderet certiores Syluan⁹, aliquos de ciuib. duxit ad latibula Leonis et serpẽtis, q̃ adhuc Syluano tanquã liberatori applauserũt. Certificati igitur Iudices de re veritate, cõpulerũt Vitalẽ reddere, q̃ p̃misit, & satisfacere p̃ iniuria. Hæc referebat rex RICHARDVS munific⁹, ingratos redarguẽdo. Hucusq; Matthæus Paris. Richardus iste rex Anglorũ fuit primus eius nominis circa annum Dom. 1195.

VII. R E.M. Cõsidera exẽpla eorũ, q̃ ob ingratitudinẽ à Deo puniti sunt. Primũ sit primi hominũ parentis Adæ. De quo B. Aug. lib. 21. de ciuitate Dei. *Quanto magis homo fruebatur Deo, tanto maiore impietate dereliquit Deũ; & fastus est malo dignus æterno, q̃ hoc in se perenne bonũ, q̃ esse posset æternũ. Hinc est vniuersa generis humani massa damnata, quoniã q̃ hoc primitus admisit cũ ea, q̃ in illo fuerat radicata, sua stirpe penitus est, vt nullus ab hoc debito, iustoq; supplicio, nisi misericordia & indebita gratia liberetur.* D. Aug. 12

Alterum est filiorũ Israel, vel Iudæorũ, de quib. Chrysost. in sermone cõtra Iudæos, gẽtiles & hæreticos. *Vultis cognoscere quãta Iudæis fecit Deus, & p̃manserũt semp ingrati? Septuaginta & quinq; animæ Ægyptũ ingressæ fuerũt, & factæ sunt sexcenta millia. Mortuus est Ioseph, & surrexit altus rex, q̃ non memor Ioseph afflixit eos valde. Clamauerunt ad Dominũ, & Dom⁹ misit eos ad Mosen. Is eduxit eos ex terra Ægypti, & duxit in desertũ. Et querũtur Mosi. Eduxisti nos in desertũ, vt occideres quasi nõ sint sepulchra in Ægypto, Cognosce ingratitudinẽ. Sed rẽ maiorẽ vide. Quadraginta annis fuerunt in deserto, cap̃llus q̃ ipsorũ nõ crevit, neq; vnguis, nõ vestis sordidata, nec calceus attritus, nõ seminauerunt, nec messuerunt, nõ pinsuerunt nec coxerunt panes, sed panẽ de cœlo comederũt, & post tot beneficia dixerunt Aaroni. Da nobis Deos, q̃ nos p̃cedant, &c.* Chry.

Tertiũ est Ezechę regis, de quo B. Hier. lib. 11 cõmentariorũ in Isaiã. *Tradunt Hebræi ideo ægrotasse Isaiã, quoniã post inauditã victoriã Iudæorũ, & Assyrij regis interitũ nõ cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moses Pharaone submerso, & Debbora interfecto Sysara, & Anna genito Samuele; vnde commonitum esse fragilitatis suæ.*

Quartum Iudæ proditoris qui suspensus crepuit medius, de quo S. Ambrosius de Virginibus. *In proditore Dominus hoc grauissimum inuenit, quo eius condemnaret perfidiem, quod gratiæ vicem non repræsentauerit, & conuitiis, & amicitiæ venenũ malitiæ miscuerit. Itaq; sic ait. Tu vero homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui semper mecũ dulces capiebas cibos, hoc est, nõ potest sustineri istud, quia vnanimis appetisti eũ qui tibi donauerit gratiam. Nam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, & ab eo qui oderat absconderem me. Inimicus vitari potest; amicus non potest, si insidiari velit. Itaq; ad acerbandam peccati inuidiam, non dixit. Tu verò seruus meus,*

Amb. in c. 22. Lucæ

Apostolus meus, sed vnanimis meus, hoc est, non meus, sed etiam tuus proditor es, qui vnanimum prodidisti. Et libro 10. in Lucam ad verba Christi. *Iuda osculo filium hominis tradis? Ostendisti Domine, quem traderet, dum dicis. filium hominis, quia uero non diuinitas comprehenditur. Illud tamen plus confutat ingratum, quod eum tradiderit, qui cum esset Dei filius, propter nos tamen filius hominis esse voluisset. Quasi dicat. Propter te suscepi ingrate, quod tradis in hypocrisi.*

VIDE. V. *Amor sui Immortificatio passionum. Superbia. Tepiditas.*

INOBEDIENTIA

Remedia contra Inobedieniam.

1. Reg. 15. 23. Rom. 5. 19.

I. REMEDIVM. Considera verbi diuini testimonia. Primo enim testatur graue esse crimẽ. *Quasi peccatũ ariolandi* inquit Propheta Samuel, *est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Et Apostolus. *Per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi.* 2. pœna mortis corporalis vel spiritualis dignum. *Qui superbierit,* ait in Deuteronomio, *nolens obedire sacerdotis imperio ex decreto iudicis morietur homo ille.* Et. *Si genuerit homo filiũ contumacem, qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit, lapidibus eum obruet populus.* Et B. Paulus. *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & ne commiscearnini cum illo, vt confundatur.* Et. *Omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam retributionem mercedis.* 3. docet per inobedientiam non hominem, sed Deum abiici. Vnde Dominus ad Samuelem. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Et Apostolus. *Qui potestati resistit, Dei Ordinationi resistit.* 4. collaudat virtutem obedientiæ. *Melior est obedientia,* ait Samuel ad Saul, *quam victimæ, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum.* Et Salomon. *Mens iusti meditatur obedientiam.* 5. hortatur ad illam. Vt in Deuteronomio. *Facies, quodcunque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus.* & apud Matthæum. *Omnia quæcunque dixerint vobis seruate & facite.* Et Paulum. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* Et. *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse.* Et apud B. Petrum. *Subiecti estote omni humani creaturæ propter Deum.* 6. promittit obedientibus mercedem. Vt in Deuteronomio. *Ecce propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem. Benedictionem, si obedieritis mandatis Dei vestri.* Et in Prouerbiis. *Custodi legem meam, atque consilium, & erit vita animæ tuæ.* Et apud Isaiam. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.*

Matth. 23. 3. Rom. 3. 1. Hebr. 13. 17. Tit. 3. 1. 1. Pet. 2. 13. Deut. 11. 27.

Prou. 15. 28. Deut. 17. 10.

Rom. 13. 2. 1. Reg. 15. 22.

Heb. 2. 2. 1. Reg. 8. 7.

2. Thess. 3. 14.

Deut. 17. 12. Deut. 21. 18.

II. REMED. Considera SS. Patrum dicta. S. BASILIVS in princi-

Prou. 3. 22. P Isa. 1. 19.

pium

pium prouerbiorum. *Præclara est obedientiæ merces. Obediamus igitur bono Patri certaminum præmia nobis ex Spiritus oraculis proponenti, qui nos instar viatorum in locis inuiis, quasi catuli cuiusdam venatici iudicio cursus nostri experimentum vult capere.* Et in sermone de institutione monachorum. *Vera perfectaq; subiectorum erga moderatorem. Ordinis obedientia in eo cernitur, si ex eius consilio, nõ modo à rebus flagitiosis abstineat, sed si ne ea quidẽ q̃ laudabilia sunt sine sententia eius faciat. Nã abstinentia, & corporis incommodorũ perpessio vtiliter quidẽ vsurpantur, at si quis spretis antistitis cõsiliis facere voluerit, quicqd collibitũ sit, plus mali q̃ boni faciet. Qui.n. potestati resistit, Dei ordinationi resistit, & præmiũ maius debetur obedientiæ, quam rectè facto cum continentia.* B. EPHRÆM paræneſi decimasexta. *Ipse carissime, vide ne reiicias Patrum qui te genuerunt in Domino adhortationes. Ait enim Apostolus. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, &c. Ideo in Psalmo ait propheta. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Si enim qui secundum carnem ægrotant, suæ vim inferunt naturæ, vt seruent, quæcunque ipsis præscripserint medici: nonne multo magis decet morem iis gerere, quibus cura animarum nostrarum est credita?* S. HIERONYMVS ad Rusticum monachum. *Nulla ars absq; magistro discitur. Etiam muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt. Grues vnam sequuntur ordine litterato. Imperator vnus. Iudex vnus prouinciæ. Omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator. In domo vnus Dominus. In quamuis grandi exercitu vnius signum expectatur, & ne plura replicando fastidium legenti faciam: per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere debere in monasterio sub vnius disciplina patris, &c. præpositum monasterij timeas vt Dominum, diligas vt parentem. Credas tibi salutare, quicquid ille præceperit.* B. AVGVSTINVS de Geneſi ad litteram. *Mihi etiam atque etiam consideranti dici non potest, quantum placeat illa sententia, non fuisse arborem (in paradiso) cibo noxiam: neq; enim qui fecerat omnia bona valde, in paradiso instituerat aliquid mali: sed malum fuisse homini transgressionem præcepti. Oportebat autem, vt homo sub Domino Deo positus alicunde prohiberetur, vt ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia: quam possum verissimè dicere solam esse virtutem omni creaturæ rationali agenti sub Dei potestate: primumq; esse & maximum vitium tumoris, ad ruinam sua potestate velle vti, cuius vitij nomen est, inobedientia.* Et concione secunda in Psalmum 70. *Si Deus tibi, ô homo, debuit aliquid iubere, vt te, quod tibi expedit, sentires esse sub Domino, ab aliqua re prohibendus eras, non propter illius arboris malitiam, sed propter tuam inobedientiam. Non potuit Deus perfectius demonstrare, quantum sit bonum obedientiæ, nisi cum prohibuit ab ea re, quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam: sola ibi inobedientia inuenit pœnam.* Et infra. *Dicatur mihi, quid illi deerat in paradiso constituto in media opulentia mediis q̃ deliciis? cui magnæ deliciæ erant ipsa visio Dei, cuius factem quasi inimici timuit post peccatum. Quid illi deerat vt tangeret arborem, nisi quia sua potestate vti voluit, præceptum rumpere delectauit: vt nullo sibi*

Basil. orat. 20. de principatu.

Ephr. tom. 2.

Heb. 13. 17.

Psalm. 140. 5.

Hier. ep. 4.

Aug. lib. 8. c. 6.

Id. parte 2.

11.cap.12. *dominante fieret sicut Deus, quia Deo nullus vtiq; dominatur.* Et lib.14.de ciuitate Dei. *Obedientia cõmẽdata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium, custosq; virtutum: quandoquidem sic facta est, vt ei subditam esse sit vtile: perniciosum autẽ suam, non eius, à quo creata est, facere volũtatem.* S. GREG. lib.35.moralium. *Sola virtus est obedientia, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertas que custodit. Hinc Samuel ait. Melior est obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietũ: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Obedientia quippe victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò volũtas propria mactatur.* Et paulo post. *Hinc per Salomonẽ in ostensione obedientiæ dictum est. Vir obediẽs loquitur victorias, quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus.* B. BERN. in tractatu de præcepto & dispensatione. *In quo inobedientiæ crimen absq; dubio sit, apud Samuelem aduertite. Quasi, inquit, peccatum ariolãdi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere: vt nõ iussionis simplex ipsa transgressio, sed voluntatis superba contemptio scelus idololatriæ reputetur. Non est enim idipsum nolle obedire, & non obedire. Hoc quippe interdum erroris est: nonnunquam & infirmitatis. illud vero aut odiosæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ.* B. IOANNES CLIMACVS in scala paradisi, in gradu de obedientia. *Obedientia est animæ propriæ perfecta abnegatio, spontanea mors securum periculum, tuta nauigatio, iter dormiẽdo confectum, sepulcrum voluntatis, & excitatio humilitatis.*

Gen.3. Aug.c.15. Phil.2.8. III. REM. Considera exempla eorum qui ob inobedientiã à Deo grauiter puniti sunt: quorum complura sola scriptura diuina suppeditat. Primũ est primi parentis ADÆ, de quo ita B. AVG. lib 14.de ciuitate Dei. *Sicut obedientia secundi hominis (Christi) eo prædicabilior, quia factus est obediens vsque ad mortem: ita inobedientia primi hominis eo detestabilior, quo factus est inobediens vsq; ad mortem. Vbi enim magna est inobedientiæ pœna proposita, & res à creatore facilis imperata, quisnam satis explicet, quantum malum sit non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio?* II. est vxor Loth, quæ ob inobediẽtiã conuersa est in statuã salis, nẽpe quia contra mandatũ angelicũ respexit retro. Gen.19.26. Aug.c.30. *Ad quid pertinet,* inquit idẽ Aug. lib.16.de ciuitate Dei, *quod prohibiti sunt qui liberabantur ab Angelis retro respicere, nisi quia non est animo redeundũ ad veterẽ vitã, qua per gratiã renouationis exuimur, si vltimũ iudiciũ euadere cogitamus? Dentq; vxor Loth, vbi respexit, remansit, & in salẽ conuersa hominib. fidelib. quoddã præstitit condimentum, quo sapiant aliquid, vnde illud caueatur exemplum.* III. est Chore, Dathan & Abiron, quos, quia Moysi non obtemperarunt, terra viuos absorpsit. Num.16.32. 2.Reg.15.23. IV. Saulis regis, qui ob inobedientiã regno exutus est. *Pro eo, quod abiecisti sermonẽ Domini,* inquit ad eũ Propheta Samuel, *Proiecit te Dominus, ne sis rex.* V. est Prophetæ de Iuda veniẽtis in Bethel, qui quoniã cõtra mandatũ Domini in Bethel cũ alio Propheta panẽ comedit & bibit aquã, à leone occisus est. 3.Reg.13.24. VI. alteri⁹ Prophetæ itẽ à leone occisi, quod filio Prophetarũ dicẽti,

Percute

Persequente me, non obtemperarit. VII. Ionæ Prophetæ, quẽ fugientẽ in Tharsis nec aer, nec aqua, nec nauis ferre potuit ob inobedientiam, & tandẽ in mare proiectus est. VIII. est populi Israelitici, qui ob inobedientiã captiuus abductus est in Babylonẽ, vt liquet ex Ieremia. *Benedixit. n. ibi Deus filios Ionadab*, inquit Aug. *propter obedientiam eos q. obiecit inobedienti populo suo, exprobrans, quia cum filij Ionadab obedientes essent patri suo: illi non obedirent Deo suo.* Ib. c. 20. 36. Ion. 1. 15. Hier. 34. 18. Aug. in Psal. 70.

IV. REM. Considera quanta mala ex inobedientia profluxerint, & in dies profluant. Nam primo ob vnã Adæ inobedientiã, quotquot homines à condito orbe extiterunt, excepto Christo & B. Virgine Maria, peccato originali obnoxii, reiq; æternæ damnationis concepti vel nati sunt, & si vitã in eodẽ peccato clauserint, regno cœlorum in perpetuũ excluſi. Clare. n. docet Apostolus in epistola ad Romanos. Oẽs homines in Adã peccauisse. *In quo*, inquit, *omnes peccauerunt*, & per inobedientiam eius peccatores factos. *Per inobedientiam vnius hominis*, inquit, *peccatores constituti sunt multi.* Et ad Ephesios *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.* 2. ad expiandam hoc Adæ, nostrumq; peccatum necesse fuit filium Dei humanam naturam assumere, & in ea mortẽ oppetere. Vnde B. BERN. in natali Domini. *Ex consideratione remedij periculi met æstimo quantitatem. Nesciebam, sanus mihi videbar, & ecce mittitur Virginis filius, filius Dei altissimi, & iubetur occidi, vt vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce ô homo, quam grauia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortẽ & mortẽ sempiternam, nunquã pro eorum remedio Dei filius moreretur.* 3. Omnia mala pœnæ; vt labores, morbi, fames, sitis, bella, & mors ipsa, atq; adeo inobedientia carnis & Spiritus, quæ dicitur concupiscentia carnis, tota vita nobis inhærens, omnium peccatorum actualium fons & radix, ex vna inobedientia Adæ manarunt. Vnde AVGVSTINVS. *In illius peccati Adæ pœna, quid inobedientiæ, nisi inobedientia retributa est? Nam quæ hominis est alia miseria, nisi aduersus eum ipsum inobedientia eius ipsius, vt quoniam noluit, quod potuit quod non potest, velit? In paradiso enim, etiamsi non omnia poterat ante peccatum, quæ tamen non poterat, non volebat, & ideo poterat omnia quæ volebat. Nunc verò, sicut in eius filiis* [illegible] *peccognoscimus, & diuina scriptura testatur, homo vanitati similis factus est. Quis enim enumeret, quam multa quæ non potest velit, dum sibi ipsi, id est, voluntati eius ipse animus eius, eoque inferior caro eius non obtemperat? Ipso namque tumore, & animus plærumque turbatur, & caro dolet, & veterascit, & moritur.* 4. Deus [illegible] *pœnis atrocissima quæque legis præuaricatoribus, id est, inobedientibus* [illegible] *minatur. Maledictus*, inquit in Deuteronomio, *qui non permanenti in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit.* Et. *Si volueris audire vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuũ, &c.* Et in Psal. *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Et apud Eccles. *Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legẽ Domini altissimi.* Deniq; quotquot à Magistratu [illegible] Psal. 118. Pſalm. 143. 6. Deut. 27. 26. c. 28. 15.

Ephr.c.2.tō.2. politico vel Ecclesiastico *in ciuitatibus puniuntur, fere propter inobedientiam,* vt bene animaduertit B. EPHRAEM in Tractatu de virtute, *atque contumaciam, duramq; ceruicem plectuntur.*

V. REMED. Condsiera exempla eorum qui virtute obedientiæ excelluerunt. Primus est Abraham Patriarcha, quem obedientiæ studiosis

Basi.c.23. primo loco proponit B. BASILIVS in Constitutionibus monasticis. *Considera,* inquit, *mihi Abraham, qui iubetur relinquere domum, patriam, possessiones, cognatos, amicos, & omnia quæ contraria his sunt consectari, peregrinationem, obscuritatem nominis, paupertatem, pericula: & tamen in his omnibus dicto audientem. Venit ille in Palestinam primum, sed victus inopia coactus pergit in Ægyptū, ibiq; ademptā licet vxore, non animo deicitur, nō queritur de Dei consilio; Qui enim semel animū obfirmārat suum, vt obediret Deo, totus in eo erat, vt perfectissimā illi præstaret obedientiā, ideoq; cum eo ipso tenpore filium suum posteritatis spem, in ætate florida iuberetur Deo in excelso monte immolare, nihil mente consternatus est, sed perinde vt si agnum esset aliquem mactaturus, nihil neq; curiosè iudicium Dei perquisitans, neq; secum obmurmu-*

Gen.22.1. *rans mandatum diuinum exequi tentauit, luculentamq; obedientiæ coronam reportauit, nempe qui cunctis deinceps mortalibus fidei, obedientiæq; veluti columna quædam erectus sit.* SECVNDVS est Christus Dominus. De quo B. BERN. super Missus

Bern.hom.1. est. *Disce homo obedire, disce terra subdi, disce puluis obtemperare.* De auctore tuo loquens Euangelista. *Et erat, inquit, subditus illis, haud dubium, quin Mariæ & Ioseph. Erubesce superbe cinis. Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus tuo te præponis auctori? Si hominis, ô homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum sequi auctorem tuum. Si non poteris forsitan sequi eum quocunq; ierit, dignare vel sequi, quo tibi condescendit.* TERTII

Luc.2.51. sunt Apostoli, de quibus loco supra allegato BASILIVS. *Dixit eis Iesus, rudes adhuc in eius disciplina essent, ac tantum nō iam iam regnaturum illum putarent, seq; consortes regni eius nullo labore futuros. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Quare audita illi nequaquam dixerunt. Nos requietē sperauimus, & tu nos*

Matth.10.16. *in pericula protrudis; honores expectauimus, & tu ingeris ignominias. Imo cum grauiora audissent, se odio futuros omnibus hominibus, ad præsides & reges trahendos & occidendos. submissa mentis ceruice obedientiæ iugum subierunt, alacriq; animo in pericula, in fora, in contumelias, in lapidationes, in cruces variasq; neces processere; tantaq;*

Act.5.41. *alacritate hæc sustinebant vt mirificè exultarent se dignos habitos pro nomine Iesu contumeliam pati. Hanc obedientiam is qui secundum Deum verè est monachus antistiti suo præstet oportet. Siquidem discipulos Christus in hoc elegit, qui hoc vitæ institutum æmularentur, vt per eos formam relinqueret eandem secuturæ posteritati.*

VI. REMED. Considera quæ sint conditiones obedientiæ veræ & perfectæ: hoc siquidem longius à vitio inobedientiæ recesseris, quo propius ad illas accesseris.

Condi-

Conditiones perfectæ obedientiæ.

PRIMA Conditio est, vt superiori obedias tanquam Christi vicario, imò vt Christo & Deo. Nam apud Lucam Christus ait. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Et Apostolus ad Romanos sic ratiocinatur, vt probet obtemperandum esse superioribus etiam politicis, (qui id temporis erant infideles) *Non est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Et paulo post potestatem illam, vel superiorem vocat *Dei ministrum.* Et in epistola ad Ephesios. *Serui*, inquit, *obedite Dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes, sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes sicut Domino.* Et ad Colossenses, cum iterum ad obtemperandum Præpositis subditos hortatus esset, ait. *Quodcunque facitis ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo seruite.* Vnde B. BERNARDVS in tractatu de præcepto & dispensatione. *Deus*, inquit, *Prælatos sibi quodammodo æquare dignatus, sibimet imputat illorum & reuerentiam & contemptum, specialiter contestans eis. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. An non hoc ipsum & regula nostra perhibet, vbi ait. Obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur. Quamobrem quicquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, q̃si præcipiat Deus.* Et PETRVS Blesensis ad Priorem de Monasterio lo. *Quicquid tibi Prælatus iniunxerit, quod animæ saluti non obuiet, sic illud amplecti debes, ac si Deus ipse præceperit. Beatus q̃ Benedictus protestatur Deo impendi obedientiam quæ maioribus exhibetur.* Et ante illos IOAN. CASSIANVS, agens de perfecta obedientia Tabenensiotarum monachorum in Thebaide, scribit eos sic vniuersa complere quæcunque à superiore fuerint præcepta, tanquam si à Deo cælitus sint edita. Illustre eius rei exemplum commemorat IOAN. CLIMACVS. *Cum in mensa*, inquiens, *ego & superior in quodam cœnobio consedissemus aduocatis quendam nomine Laurentium, qui fere 48. annos in monasterio degerat; cum aduenisset, nihil illi penitus dixit, sed sic ante mensam sine cibo per duas horas, cum tamen initium esset prandij, stare permisit, adeo vt ipse quoque erubescerem, nec intuerieum auderem. Erat enim canus totus iam octogenarius. Non omisi ego postea à sene percunctari, quid astans cogitasset. Christi, inquit, imaginem Superiori imposui: neque enim ab illo hoc præceptum exisse, sed à Deo penitus existimaui. Quare, ô pater Ioannes, non coram mensa hominum, sed coram altari diuino astare me putãs orabam, nullamque penitus malignã cogitationem contra Superiorem admittebam, pro syncera enim in eum fide & caritate, caritas enim non cogitat malum.*

Rom. 13. 1. Eph. 6. 5. Col. 3. 23. Bern. Luc. 10. 16. Reg. S. Bened. c. 68. de obed. Blef. ep. 131. Cass. l. 4. inst. c. 10. Clim. grad. 4. 1. Cor. 13. 5.

Matt 16.24. 1.Reg.15.22. Greg.35.mor.c. 10.

ALTERA Conditio est, vt abneges propriam voluntatem, eamque conformes superiorum & Dei voluntati, iuxta illud Christi. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me.* nam à Samuele propheta in historia Regum ideo, teste B. Gregorio, antefertur obedientia victimæ, quia *per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.* Et habes in hac re perfectissimum exemplum Christi Domini, non suam, sed Patris in omnibus perficientis voluntatem : Nam apud Ioannem ita

Ioan.6.38. Io.5.19. Io.4.34.

loquitur. *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Et. *Non possum ego à me ipso facere quicquam : quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Et iterum. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Quod verò illud

Isa.53.7. Ioan.14.31.

fuit opus? opus certè nostræ redemptionis per voluntariam oblationem in cruce, *oblatus est enim, quia ipse voluit.* ait Isaias. voluit autem non sua, sed patris voluntate, cui suam conformauit. Nam in extremo sermone post

Luc.22.42.

cœnam ad discipulos dixit. *Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.* Et paulo post in horto. *Pater, si vis, transfer calicem istum à me. Veruntamen non mea*

Phil.2.8. Bern.c.13.

voluntas, sed tua fiat. Immó hoc opus Christus voluit sibi à Patre mandari, vt fieret *obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Qua de causa B. Bernardus in sermone exhortatorio ad milites templi scripsit Christum *maluisse perdere vitam quam obedientiam.* Hanc conditionem in obedientia perfecta Patres omnes requirunt. S. BASILII verba sunt in regulis breuioribus.

Basil. quæst.123.

In vniuersum vti propria voluntate alienum est à recta ratione. Et in constitutionibus monasticis. *Monachus ne ad punctum temporis potestatem sui habere debet, vt faciat priuata negotia. nam & instrumentum sine artifice, & manus resecta*

Id.cap.28.

à corpore sua sponte non mouentur. CASSIANVS libro 12. institutionum sic

Cassian.c.32.

loquitur. *Obedientiæ iugum & subiectio simplici corde, ac sine vlla simulatione à monacho suscipi debet, ita vt prætor Abbatis mandatum nulla penitus voluntas viuat in nobis.* vnde IOAN. CLIMACVS supra vocauit obedientiam *sepulchrum voluntatis.* BERNARD. in Cantica obiurgans fratres ob inobedientiam.

Clim. gradu. 4. Bern.serm.19.

Illam, inquit, *qua toties Deum conscientijs vestris testibus offendistis, propriam scilicet voluntatem vestram, ecce nunc iterum magistram habetis, non me. Illa vos naturæ docet non parere, rationi non acquiescere, non obtemperare seniorum consilio vel exemplo, non obedire nobis. Non legistis in regula vestra, quicquid sine voluntate, vel consensu Patris spiritualis fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi?* Hinc sequitur longè à perfectione obedientiæ discedere eos, qui voluntatem Superioris ad suam detorquere conantur, vt idem Bernardus alibi obseruauit. *Quisquis*, inquiens, *vel apertè, vel occultè satagit, vt quod habet in*

Id.in serm.de tribus ordin.

voluntate, hoc ei spiritualis pater imiungat, ipse se seducit, si forte sibi quasi de obedientia blandiatur: neque enim in ea re ipse Prælato, sed magis ei Prælatus obedit. Et in sermone de conuersione S. Pauli, agens de eius verbis. Domine quid me vis facere. *Sic profecto*, inquit, *sic multorum vsque hodie pa-*

Id serm.1.

silla-

fillanimitas & peruersitas exigit, vt ab eis quæri oporteat. Quid vis vt faciam tibi? non ipsi quærant, Domine quid me vis facere? Considerare necesse habet minister & vicarius Christi, quid sibi præci, i velint, non ipsi considerant, quæ voluntas sit præceptoris. Non est obedientia eorum plena, non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Deinde consequens est, delinquere quoque contra hanc conditionem eos, qui arbitrantur se in pietatis operibus exercendis, vt ieiuniis, vigiliis, & precationibus posse à voluntate Superioris nonnunquam discedere, vt notauit benè Ioan. Cassianus in collatione Danielis Abbatis. *Vnum sanè, ait, atque idem obedientiæ genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter otij desiderium Senioris violare mandatum, tamque dispendiosum est pro somno, quam pro vigilantia Monasterij statuta conuellere: tantum denique est Abbatis transire præceptum, vt legas, quantum si contemnas, vt dormias.* Vna tantum cautio hic notanda est, quam solers ille morum censor Gregorius fusius prosequitur. Nempe obedientiam tuam maioris meriti fore, si cum ardua & carni aduersa iubentur, propriæ voluntatis votum adiungas & libentius pareas: secus si prospera & carni iucunda. Primi exemplum est Paulus Apostolus, qui iussus à Deo ascendere Hierosolymam, licet in via ex Agabo propheta intelligeret se ibi ligandum, respondit. *Ego non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Iesu.* Secundi est Moyses qui per angelum à caulis ouium vocatus ad honores, vt esset dux populi, ex humilitate tergiuersatus est, dicens. *Obsecro Domine, non sum eloquens. Mitte, quem missurus es. Moyses itaque,* concludit Gregorius, *ad prospera de suo nihil habet, quia precibus renititur. Paulus verò ad aduersa etiam ex suo voto ducitur. Præeunte ergo vtrorumque Ducum infracta virtute instituimur, vt si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur prosperis huius seculi ex sola iussione, aduersis autem etiam ex deuotione militemus.*

Collat. 4 c. 20.

Greg. 35. mor. c. 13.

Gal. 2. 2. Act. 21. 13.

Exod. 4. 13.

Tertia Conditio perfectæ obedientiæ est, vt abneges quoque propriu iudicium, vel vt Apostolus loquitur, captiues intellectum, ac conformes cum iudicio Superioris. Id enim *per simplicitatē cordis* qua seruii in epistola ad Ephesios & Colossenses, *sicut Domino* obedire iubentur *Dominis carnalibus*, etiam Ethnicis, intelligi videtur. Deinde sacræ literæ, non semel monent ne *nitamur prudentiæ nostræ* & iudicio, imò damnant *sapientes in oculis suis*, & suadent vt semper consilium à sapientibus perquiramus: quanto magis standū est consilio iudicioq; superiorū, quos tanquam Dei vicarios, & diuinæ voluntatis interpretes venerari iubemur. 3. hæc conditio fuit in omnib. qui perfectè Deo obedierunt. Vt in Abraham, de quo Paulus *Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem acceptarus erat in hæreditatē, & exiit nescies quo iret.* Et rursus. *Nō infirmatus est fide, nec consideauit corpus suum emortuum, cum ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Sarę.* Vt in Isaia qui

2. Cor. 10. Eph. 6. 5. Col. 3. 23.

Prou. 3. 5. Isa. 5. 21. Rom. 12. 3. Tob. 4. 19. Eccli. 32. 24.

Hebr. 11. 8.

Rom. 4. 19.

Isa.20.2. Orig.7.contra Celsum. qui licet nobilitate & autoritate in vrbe Ierosolymitana clarus, ex mandato Dei, nudus, & quidem per triēnium teste Origene incessit. Vt in ipso Christo Domino, quem non dubium est, vt voluntatem, ita iudicium quoque Patri cœlesti perfectissimè in obsequendo subiecisse. vnde apud

Ioan.5.30. B. Ioannem. *Non possum*, inquit, *à me facere quicquam. Sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est.* Sicut audio, nempe à Patre cœlesti. Vt denique in Apostolis, qui simulatque ad sequendum Christum vocati sunt illico relictis omnibus paruerunt: De iis certe B. BERNARDVS sermone 2. de S.

Matth.4.2. Andræa ita scribit. *Vis audire perfectæ obedientiæ formam? vidit Dominus, ait Euangelista, Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis. venite post me, faciā vos fieri piscatores hominum. At illi continuo nihil diiudicantes, aut hæsitantes, non soliciti vnde viuerent, non considerantes, quonā modo rudes homines, & sine literis prædicatores fieri possent, nihil denique interrogantes sine omni mora relictis retibus & naui secuti sunt eum. Agnoscite fratres, quoniam propter vos scripta sint hæc, vt discentes veræ obedientiæ formam castigetis corda vestra in obedientia caritatis.* Ita docuerunt & alii SS. Patres. BASILIVS. *Monachi ibenti ssimè obtemperent suo Præposito, nec ab eo eorum, quæ sibi imponuntur rationem reposcant, &c. nihil omnino ipsorum iussa curiosius perscrutando.* Addit monachos non secus obedire debere, quam oues pastoribus, & instrumenta artificibus, quæ ad quemcunque vsum tractanda se præbēt. vt ergo instrumentū non deligit, quid faciat, ita nec monachum debere. Illud verò firmissimum tenendum illi esse, difficile esse se cognoscere & curare, eo quod quisque naturaliter se amet, & ideo iudicio fallatur. Ab alio autem cognosci facile esse, eo quod illi in iudicando non obstet amor sui. HIERONYMVS epistola ad

Basil.const.mon. c.20.& 23.

Hier.ep.4. Rusticum. *Credas tibi salutare, quicquid monasterij præpositus præceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officij est obedire, & implere quæ iussa sunt dicente Moyse. Audi Israhel & tace.* GASSIANVS. *Ægyptij monachi vniuersa complent, quæcunque fuerint à Præposito suo præcepta, tanquam si à Deo cœlitus sint edita sine vlla discussione festinant.* Et infra. *nihil discernens, nihil diiudicans ex ijs quæ tibi fuerint imperata.* Et alibi. *Nullo alio vitio*, ait Abbas Moyses, *tam præcipitem diabolus monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quam cum eum, neglectis consiliis seniorum, suo iudicio persuaserit, definitionique consedere.* Et collatione 18. Piamon Abbas causam reddit cur iuniores seniorum præcepta discutere non debeant, quia videlicet dæmon tales iudicio suo plus æquo fidentes facile in id vsque propellit, vt etiam saluberrima iudicent esse superflua & noxia. GREGORIVS libro 2. in primum Regum. *Nescit iudicare, qui quia perfectè didicit obedire.* Io. CLIMACVS. *Cum obedientiæ studium fuerimus ingressi, minime in aliquo diiudicare licebit institutorem nostrum, etiamsi in illo, homo esse, modica aliqua delicta animaduertamus: si verò fecerimus, nihil nobis obedientia proderit.* Et infra. *Cum tibi cogitatio suggesserit, vt prælatum, aut diiudices, aut damnes,*

Deut.6.5. Cassl.4. c.10.&41. Id.cap.11. Id.cap.3. Cap.11.coll.2. Greg.c.2. Clim.grad.4.

abea

ab ea non secus quam fornicatione resili. BERNARDVS de præcepto & dispensatione. *Imperfecti cordis, & infirmæ prorsus voluntatis indicium est statuta seniorũ studiosius discutere, hærere ad singula, quæ iniunguntur, exigere de quibusq; rationem, & malè suspicari de omni præcepto, cuius causa latuerit, nec vnquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit quod forte libuerit, aut quod non aliter licere, seu expedire mõstrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicatæ satis, imò nimis molesta est huiusce modi obedientia.* Et in sermone de cõuersione S. Pauli deplorat eos, qui nolunt quasi cæci ad manum trahi cum Saulo. Immò ad fratres de monte Dei vocat *obedientiam indiscretam*, eo quod non discernat, quid vel quale præcipiatur. 5. Conditionẽ hanc inobedientia esse necessariam demonstrat & Ratio ipsa. *Nisi hæc obedientia iudicii existat*, inquit, B. P. N. IGNATIVS in aurea sua epistola de obedientiæ virtute conscripta, *fieri non potest, vt vel consensus voluntatis, vel executio talis sit, qualem esse oportet: natura enim ita comparatum est, vt animi nostri vires, quæ appetitiuæ dicuntur sequantur apprehensiuas, & nisi adhibita vi voluntas iudicio repugnante diu obtemperare non poterit. Quod si forte quis aliquo temporis spatio obediat per communem illam apprehensionem, qua censetur perperam etiam præcipienti parendum esse, certe id stabile ac fixum esse non potest, atque ita perseuerantia deficit, vel saltem obedientiæ perfectio, quæ in prompte & alacriter obediendo consistit. Non enim ibi potest esse alacritas ac diligentia, vbi est animorum sentiarum q; dissensio: perit etiam exequendi studium & celeritas, cum ambigitur, expediat nec ne facere quod iubemur, perit humilitas, quoniam etsi ex altera parte paremus, ex altera tamen nos ipsetipsos superiori præferimus: perit in rebus arduis fortitudo: perit deniq;, vt summatim complectar, virtutis huius vis omnis ac dignitas: succedunt autem in eorum locum dolor, molestia, tarditas, lassitudo, obmurmurationes, excusationes, aliaque vitia non sane lenia, quibus Obedientiæ pretium ac meritum prorsus extinguitur.* Bern.

Si grauia & aspera iubeantur?

DICES. Quid si grauia & aspera à superiore imperentur? respondet tibi B. LEO in sermone de Epiphania Domini. *Nihil dilectissimi arduum est humilibus, & nihil asperum mitibus, & facile omnia præcepta veniunt ad effectum, quando & gratia prætendit auxiliũ, & obedientia mollit imperium.* Et BERNARDVS in sermone de circumcisione Domini. *Sed iam tibi in ipsa obedientiæ via aliqua fortassis dura & aspera occurrere possunt, vt accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licet salubria sint, minus tamen suauia videantur. Hæc si molestè coperis sustinere, si diiudicare, Prælatum, si murmurare in corde, etiamsi exterius impleas quod iubetur, nõ est hæc virtus patientiæ, sed velamentũ malitiæ. Necesse est ergo vt illucescat dies patientiæ, per quam omnia dura & aspera tacita amplectaris conscientia, te magis diiudicãs & durius arguens, cui nimirum displicẽt, quæ ad salutẽ sunt, & in cogitatione tua sem-* Leo. serm. Bern. serm.

per partem Magistri quoad potes, adue rsus temetipsum iniurius, teq; in omnibus accusare, ipsum verò magis excusare laborans. Si verò etiam supra vires tuas, & plus æquo aspera tibi videantur imperata: respondet tibi B. BASILIVS in Regulis fusius disputatis. *VBI quis semel se in reliquum fratrum corpus cooptandum tradiderit, is si membrum postea administrandũ aptum iudicatum fuerit, esto quodipsi impositum sit, vires ipsius videatur superare, de iudicij periculo prorsus illum esse solicitum finito, qui ea imperet, quibus vires suæ pares esse non possint: ipse autem parendo alacritatem pro virili declaret studij sui: vsq; ad mortem, memor Domini; qui factus fuit obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Illud autem antistitis imperata detrectare, & verbis aduersum iussa ipsius litigare magno indicio est eum, qui id faciat, multis vitiis laborare, fidei debilitate spei ambiguitate, & morum arrogantia. Neque enim alterius dicto audiens quisquam esse recusat, nisi prius ipsum apud se ipsum despexerit. Neq; qui sibi certa fide persuasit, vera esse promissa Dei, etiamsi labor tolerabilia imperentur, grauatè illa faciet, vt qui certo norit, non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam. Deinde verum esse illud, quod qui se humiliat, exaltabitur. Et. Quod est in præsenti momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari.*

Bas. qnæst. 28.

Phil. 2. 8.

Rom. 8. 18. Luc. 14. 11. 2. Cor. 4. 17.

Si Impossibilia.

AT porrò vrgebis. quid si prorsus impossibilia imperentur, ita vt tuus videri possit, qui illa vel conetur perficere. Respondeo cum Apostolo. *Si quis inter vos Sapiens videtur in hoc seculo, fiat stultus vt sit Sapiens.* CASSIANVS certe libro 4. institutionum de hac stultitia laudat monachos Tabenensiotas, ita scribens. *Sic vniuersa complere quæcunq; fuerint à Præposito, tanquam si à Deo sint cælitus edita, sine vlla discussione festinant, vt nonnunquam etiam impossibilia sibimet imperata ea fide ac deuotione suscipiant, vt tota virtute, ac sine vlla cordis hæsitatione perficere ea, aut consummare nitantur, & ne impossibilitatẽ quidem præcepti proseniores sui reuerentia metiãtur.* Et S. BENEDICTI regula expressè monet vt obedientia præstetur ex caritate Superiori etiã impossibilia imperanti. Cuius meminit & B. BERNARDVS ita scribens. *Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neq; contenta angustijs professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem caritatis, & ad omne quod iniungitur spontanea, vigore liberalis alacrisq; animi modum non considerans in infinitam libertatem extenditur. Hæc est illa de qua signanter Apostolus Petrus castificantes, inquit, corda vestra in obedientia caritatis, pulchrè ipsam per hoc sequestrans ab illa inerti & seruili obedientia, quodãmodo nec caritati prompta, sed obnoxia necessitati. Hæc iusti illius, cui lex posita non est, propria est &c. Quanquam nec ipsam Regula ipsa (Benedicti) tacuerit,*

1. Cor. 3. 18. Cass. c. 10.

Bened. c. 5.

Bern. de Præcep. & dispens.

1. Pet. 1. 22.

vbi

vbi monet, si fratri impossibilia iniungerentur vt, confidens de adiutorio Dei obediant ex caritate. NEQVE desunt sanctissimi viri, qui exemplo suo hoc genere obedientiæ religiosis omnibus præierunt. Vt Abbas Ioannes in Thebaide, qui, vt habet CASSIANVS, propter obedientiæ virtutem vsq; ad Prophetiæ gratiam sublimatus sic vniuerso claruit orbi, vt etiam Regibus mundi huius merito suo redderetur illustris, vt Theodosio Imperatori qui non ante præsumebat ad præpotentium bella tyrannorum procedere, quam oraculis illius animaretur atque responsis. Hic ergo ab adolescentia sua vsque ad virilem ætatẽ Seniori suo deseruiens, cum hic virgultum quoddam olim exc sum non modo aridum, sed prope putre in terram defixum quotidie bis rigari iussisset, præceptum veneratione solita sine vlla impossibilitatis consideratione, quod in pristinam arborem reuiuisceret, suscepit, & per totum anni spacium aqua per duo fere milia, apportata bis quotidie rigauit. Cumq; eius sedulitatem tacitus senex diebus singulis exploraret, & videret eum simplici cordis affectu mandatum suũ velut diuinitus emissum sine vlla permutatione vultus, vel rationis discussione seruare, tandem ait: Ioannes, misitnè radices hæc arbor, an non? Cumq; ille se nescire dixisset, Senex quasi tentans an suis radicibus niteretur, euulsit coram illo virgultũ, sicq; proiectens illud, præcepit, vt deinceps rigare desineret. Et paulo post subiungit. Aliis rursum ædificari cupientibus huius exemplo, vocans eum Senior. Curre, inquit, Ioannes. Saxum illud huc admoue quantocyus. Qui confestim saxum immane, quod turbæ multæ hominum, vel mouere non possent, applicata nunc cervice, nunc toto pectore, tanto nisu atque conatu prouoluere contendebat, vt sudore omnium membrorum suorum, non solum totum insunderet vestimentum, sed etiam saxum ipsum suis cruribus humectaret, in hoc quoque parum merens impossibilitatem præcepti vel facti pro reuerentia Senioris, & obsequii simplicitate sincera, qua credebat Senem tota fide nihil posse incassum, ac sine ratione percipere. Similia exempla reperies apud Sulpitium Seuerum dialogo primo de virtutibus orientalium monachorum, etiam miraculis comprobata.

Cass. 4. instit. c. 23. & 24.

Cap. 24.

Si pugnantia cum lege diuina.

RVRSVS instabis, quid si, quæ imperantur, pugnent cum lege diuina. Respondet S. BASILIVS in regulis breuioribus. *Si quid sit, quod à Superiore ex mandato domini dicatur, aut cum mandato conueniat, in eo licet mortẽ cum minis intentatã habeat, nihilominus obedientiã seruari conuenire. Sin contra aliquid pter mandatũ est, aut aliqua ex parte mandato aduersatur, id licet Angelus de cœlo, aut de Apostolis aliquis imperet, licet vitã pmittat, aut mortẽ minetur, nullo pacto admittendũ esse: cum Apostolus dixerit. Licet nos ipsi, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis pter id quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Gal. 1. 8.

Verũ quia aliquãdo certũ esse potest subdito mandatũ aliquod pugnare cũ lege diuina, aliquando incer- Bern. de præcepto.

tum, cum distinctione respondet B. BERNARD. *Quicquid*, inquiens, *vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendū est, quam si præcipiat Deus.* Et infra. *Iesum quem pro Deo habemus, tanquam Deum, in his quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus.* Vnde sequitur quoties certum est displicere Deo mandatum superioris, non esse obediendum, quia *Deo*, iuxta dictum B. Petri, *magis obedire oportet quam hominibus:* quoties autem dubium & incertum manet, esse obtemperandum, quia vt dixit superius B. Hieronymus, *subditi est obedire, non iudicare*, maximè de dubiis. Et B. Bernardus in sermone de subiectione nostræ voluntatis. *Si quis facere cogitat, vnde mandatum certum non habet, si voluntatem suam suspensam tenuerit, donec Prælatū interroget, & ab eo q̄rat Domini voluntatē, cui vice ipsius obedit, non turbabitur quicquid ei p̄cipiatur.* Et loco ante citato. *Sed homines, inquis, facile fallūtur Dei voluntate de reb. dubiis percipiēda & in p̄cipiēda fallere possunt. Sed enim, quid hoc refert tua, qui conscius non es, præsertim cum teneas de scripturis, quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius requirunt, quia angelus Domini exercituum est. Requirunt dixerim legem: non quam aut authentica vlla scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probauerit: de huiusmodi quippe nec præceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus est; sed quod ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, vt in dubium venire possit: vtrumnam Deus sic aut aliter forte velit, si non de labiis custodientibus scientiam, & ex ore angeli Domini exercituum certum reddatur.* Act. 5. 29. Hier. ep. 41. Bern. De præc. & disp. Mal. 2. 7. Sulp. dial. 1.

Quod si inueniantur exempla quorundam, qui etiam mandatis cum diuina lege pugnantibus ardore quodam obtemperandi in omnibus paruerunt, ea suspicienda magis, quam imitanda sunt, & peculiaris instinctus diuini nomine excusanda, vt est illius tyronis apud SEVERVM Sulpitium, qui ab Abbate iussus ingredi clibanum multo igne ad coquendos panes succensum, mox in eum insilit, & illæsus more Hebræorum puerorum ex eodem egressus est. *Sed quid mirum*, inquit Sulpitius, *si tirunculum Christe tyronem ignis ille non attigit, vt nec Abbatem pigeret dura mandasse, nec discipulum pœniteret imperio paruisse, qui eo die quo aduenerat perfectus inuentus est: merito felix, merito glorioſus, probatus obedientia, glorificatus passione?*

Deinde Abbatis Mutii apud CASSIANVM, qui ex mandato sui senioris proprium filium octennem in profluentem abiicere voluit. *Cuius fides & deuotio*, inquit ille, *in tantum Deo fuit accepta, vt diuino statim testimonio comprobata sit. Reuelatum namque est continuo seniori, hac eum obedientia Abrahæ Patriarchæ opus implesse.* Cassl. 4. c. 27. & 28.

NEQ. fabulosa tibi videri debent hæc exempla, cum similia exstent apud Ethnicos. SCIPIO siquidem maior, teste Plutarcho, aliquando in Sicilia milites suos ostendens dixit. Nullus horum est, qui non conscensa turri semet in mare præcipitaturus sit, si iussero. Cuius obedientiæ reipsa præstitæ exemplum commemorat Baptista Fulgosius. Assasinorum, inquit, in Syria princeps, Vetus dictus præ- Plut. in Rom. apopht. Fulg. lib. 1. cap. 1.

sente

sente Henrico Campaniæ Comite, qui ad eum Legatus venerat, vt quanta subditorum suorum esset obedientia ostenderet monstratis in altæ turris summitate aliquot hominibus vnũ nominatim euocauit, qui nulla mora facta in ipsorum conspectu se demisit, casuque obtritus vitam finiuit. Et cum alios etiam vocare vellet, Comitis precibus vix retentus fuit.

VIDE V. *Ambitio. Amor sui. Immortificatio passionum. Iudicium proprium. Murmuratio. Præsumptio. Superbia. Voluntas propria.*

INVIDIA.

Remedia contra Inuidiam.

I. REMED. Considera quid Spiritus sanctus in diuinis literis contra inuidiam pronunciet. Primo enim prohibet illam, & inter grauia peccata numerat. Christus enim inuidenti dixit. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Matth.20.15. Et Apostolus. *Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis?* 1.Cor.3.3. Et. *Non in contentione, & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum.* Rom.13.13. Et. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Gal.5.26. Et ibidem numerat inuidiam inter opera carnis à regno cœlorum excludentia. Et B. Iacobus. *Vbi zelus, & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum.* Iac.3.16. 2. docet eam noxiam esse inuido & aliis. *Paruulum,* inquit Iob, *occidit inuidia.* Iob.5.2. Et Salomon. *Vita carnium, sanitas cordis; putredo ossium inuidia.* Prou.14.30. Et Ecclesiasticus. *Qui sibi inuidet, nihil illo nequius, & hæc redditio est malitiæ illius.* Eccli.14.6. Et Sapiens. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Sap.2.24. Et B. Ioannes. *Propter quid Cain occidit Abel? quia opera eius erant maligna, fratris autem eius iusta.* 1.Ioan.3.12. 3. tradit eam apud Deum non esse impunitam. Vnde Salomon. *Qui in ruina lætatur altertus, non erit impunitus.* Prou.17.5. Et. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius non exultet cor tuum, ne forte videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* c.24.17. Et. *Vir qui festinat ditari, & aliis inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei.* c.28.22. Et sapiens. *Neq; cum inuidia tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.* Sap.6.25.

II. REMED. Considera SS. Patrum testimonia. S. CYPRIANVS *Nihil magis Christiano cauendum, nihil cautius prouidendum, quam ne quis inuidia & liuore captatur, ne quis dum zelo in fratris odia conuertitur, gladio suo nescius ipse perimatur.* Cypr.serm. de zelo & liuore. Et infra. *Inuidia radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum.* S. BASILIVS. *Inuidia est interitus vitæ, pestis naturæ, aduersa omnibus bonis ex Deo venientibus, demum ipsi Deo contraria.* Bas.hom.11. Et infra. *Fugiamus intolerabile malum, Serpentis id est præceptum, diaboli inuentum, inimici satio, punitionis arrhabo,*

peccatis impedimentum, via ad gehennam, regni cœlorum priuatio. Nam & ipso fatentur ore hoc vitiũ inuidi. Aspectus illis est aridus & obscurus, gena subtristis, supercilium demissum, anima ipsa morbo suffusa, prudentia destituta. B. Greg. Nyss. Inuidia malorũ princeps, mortis mater, prima peccati ianua, vitiorũ radix, doloris initiũ, calamitatis parens, inobedientiæ causa, ignominiæ principium, mortifer stimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, telũ amarũ, figens animam clauus, flamma cordis, intestinorũ ignis. Hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infelix est. Miluis similis, quos cadauerib. pasci & pretioso vnguẽto emoriatur. Hier. in c. 5. ad Galat. Hier. Inuidia alienæ felicitate torquetur, & in duplicem scinditur passionẽ, cum aut ipse est aliquid in eo, in quo aliũ esse non vult: aut aliũ esse videns meliorem, dolet se ei nõ esse consimilem. Pulchrè quidã de inuidia lusit, dicens. Iustius inuidia nihil est, quæ protinus ipsum Auctorem rodit, diseruciatq; animum, Io. Chrys. Inuidi peiores sunt feris, dæmonib. autem pares & forte deteriores: nam feræ escæ indigentes, vel à nobis iritatæ aduersus nos armantur: inuidi verò etiam beneficiis allecti bene meritos maleficiis prosecuti sunt. Dæmones quoque, licet contra nos bellum exerceant impacatum, consortib. tamen generis non insidiantur. Vnde Iudæis Christus os occlusit cum eum in Beelzebub eiicere dæmonia calumniarentur. Inuidi verò neque naturæ communionem reueriti sunt, neque sibi pepercerunt. Et paulo post. Omnì venia caret hoc peccatum. nam fornicator quidem concupiscentiam prætendere potest, fur paupertatem, homicida furorem. Tu verò quam dices causam rogo? nullam penitus, nisi tantum intensam nequitiam, &c. Hoc vitium & fornicatione peius est, & adulterio. Hoc enim inoperato tantum sistit, inuidiæ verò vis totam subuertit Ecclesiam, & toti nocet terrarum orbi. Haec homicidij mater est, ita fratrem Cain occidit, ita Iacob Esaũ, ita Ioseph fratres, ita electos homines diabolus. Augustinvs de Genesi ad litteram. Cum superbia sit amor excellentiæ propriæ, inuidia verò sit odium felicitatis alienæ, quid inde nascatur facis in promptu est. Amando enim quisque excellentiã suam vel paribus inuidet, quod ei coæquantur, vel inferioribus, ne sibi coæquentur, vel superioribus, quod eis non coæquentur. B. Prosper libro tertio de vita contemplatiua. Inuidi de bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, de inimicitiis gratuitis ardent, deprehendo profectoris sui malitiam timent, semper amari, nunquam certi. amici diaboli, inimici etiam sui, omnibus odiosi, ad gaudenda anxii, ad plangenda læti, vtrobique peruersi. Inter amicos discordias seminant, discordantes ad tempus, si possunt, in dissensione confirmant. Opinionem honorum mendaciis decolorant, in spiritualibus carnalia laudant, vt spiritualia bona eis deesse persuadeant. Amicitias simulant, vt eos, qui se incautè sibi commiserunt, quapossunt arte decipiant, &c. Greg. 5. Moral. Quamuis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi auti qui hostis virus infunditur, in hac tamen nequitia tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ pestem monet. De quo nimirum scriptum est, Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Nam cũ deuilium cor liuoris putredo corruperit, ipsa quoq; exteriora indicant, quàm grauiter animũ vesania instigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra

Nyss. in vita Moysis.

Prosp. c. 9.

Greg. cap. 34.

Sap. 2. 24.

bra frigescunt: sit in cogitatione rabies, in dentibus stridor, cumq; in latebris cordis crescens absconditur odium, dolore cæco tenebrat conscientiam vulnus inclusum, &c.

III. REMED. Considera, vt inter morbos corporales, quidam sunt incurabiles, ita inter spirituales morbum inuidiæ quasi esse incurabilem, atq; ideirco diligentior sis in quærendo efficaci contra eum antidoto. Incurabilem quasi esse notarunt plurimi Patres. CYPRIANVS. *Facilior cura est, vbi plaga perspicua, & cito ad sanitatem medela subueniente perducitur vulnus, quod videtur. Cæci vulnera obstrusa sunt & occulta, nec remedium cura medentis admittunt, qui se intra conscientiæ latebras cæco dolore clauserunt.* Et infra. *Calamitas sine remedio est odisse felicem.* BASILIVS. *Inuidus rogatus vt morbum suum manifestet se accusare omnino veretur, morbum in imo cordis recessu rodentem atq; absumentem viscera retinens. Itaque nec medium, nec medicinam ad eum fugandum aptam inuenire potest, quanquam curandorum ægrorum tot referti sint libri.* CHRYS. ad populum Antioch. *Tam insanabilis est iste morbus, vt & innumeris medicaminibus superpositis proprium scatuerit tabem.* B. PROSPER de vita contemplatiua. *Inuidiosum facit excellentia meritii, inuidum pœna peccati: nec ei ab homine potest remedium adhiberi cuius est vulnus occultum.* CASSIANVS. *Sciendum sane est inuidiæ morbum difficilius ad medelam, quam cetera vitia peruenire. Nam eum quem semel veneni sui peste corruperit, pœne dixerim carere remedio.* Et post. *Vsq; adeo incurabilis est ista pernicies, vt blandimentis exasperetur, inflectur obsequiis, muneribus irritetur, quia vt Salomon ait. Nihil sustinet zelus. Quanto enim amplius alius aut humilitatis subiectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit, tanto ille maiorib. inuidiæ stimulis incitatur, qui non nisi ruinam, aut mortem eius cui inuidet concupiscit.*

Cypr. de zelo & liuore.

Bas. hom. 11.

Chry. hom. 53.

Prosp. l. 3 c. 5.

Cass. coll. 18. 17

prou. 6. 35.

IV. REMED. Considera, quàm multa mala oriantur ex inuidia. Ea describit B. CYPRIANVS. *Non est, inquiens, quod aliquis existimet malum istud vna specie contineri, aut brevib. terminis, & angusto fine concludi. Latè patet zeli multiplex & fœcunda pernicies, radix est omnium malorum, &c. Inde odium surgit, animositas inde procedit, auaritiam zelus inflammat, dum quis non potest suo esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitione zelus excitat, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, iudicij dies non prouidetur. Inflat superbia, exacerbat sæuitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira feruescit. Nec se potest iam cohibere, nec regere, quæ factius est potestatis alienæ: Hinc Dominicæ vinculum pacis rumpitur, hinc caritas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, vnitas scinditur, ad hæreses atq; schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum Episcopis inuidetur, &c.* multa. Et CHRY. *Graue quid inuidia, graue & simulatione plenum. Hoc mundum innumeris repleuit malis. Ex hoc morbo litib. plena sunt tribunalia, ex hoc pecuniarum amor, ambitio, & inanis gloria. hinc vrbes obsidentur, & mare piratas habet. hinc per orbem cædes, hinc genus nostrum dissipatum est. Quodcunq; malum videris ex hac radice producitur. Iam in & in Ecclesias debachata est, & prius innumera patrauit mala. Hoc auaritiæ parit, vitium omnia confundes, & iustitiam corrumpens,* S. GREG. lib. 31. moral. hos numerat

Cyp. l. cit.

Chry. hom 44. ad p. Ant.

Greg. c. 17.

inuidiæ

inuidiæ effectus. *Odium, suſurratio, detractio, exultatio in aduerſis proximi, afflictio autem in proſperis.*

Baſil. cit. V. REMED. Conſidera, quo plus ab hoc morbo abhorreas, quam tetris beſtiis hoc vitium S. Patres comparent. S. BASILIVS confert cum viperis. *Sicut enim*, inquit, *viperas dicunt abrupto ventre matris naſci, ſic inuidia concipientem ſe animam corrodit & tabefacit.* Idem Auguſtinus. Deinde cum vulturibus & muſcis. *Sicut enim vultures pratis amœnis & odoratis deſertis ad tubida & fœculenta loca feruntur: muſcæ quoque, præteritis ſalubribus membris ad vlcera properant; ſic inuidi neglecto vitæ ſplendore & rebus magnificè geſtis, errata tantum obſeruant & diuulgant. Et ſupra. Quam beſtiã morum immanitate non ſuperant? Canes namq; educatione manſueſcunt, leones obſequio tractabiles fiunt, inuidi tantum officio agreſtiores euadunt.* Chryſoſtomus verò cum ſcarabæis, & canibus rabidis, & ſuibus. *Quemadmodum ſues*, inquit, *lutoſa immunditia, & dæmones noſtris damnis lætantur, ſic inuidi calamitate proximorum exultant, alienas iacturas ſuos quæſtus exiſtimant. Nonne igitur tales homines lapidibus petendi? nonne omni cruciatu torquendi? Non aliter profectò quam rabidi canes, dæmonisq; atroces furia. Nam velut ſcarabæi alieno ſtercore, ſic inuidi aduerſa aliorum fortuna nutriuntur. Inuidia peſtiferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immaniſſimum conuertit.* Immò alibi, vt diximus, facit inuidos pares feris & dæmonibus, imò deteriores.

Aug. ſerm. 83. de Temp.

Chryſ. hom. 41. in Matth.

Hom. 44. ad pop. antioch.

VI. REM. Conſidera primam huius vitii originem. *Facilius enim malum*, inquit B. CYPR. *tam perniciosum à nobis vitabitur, ſi eiusdem origo & magnitudo noſcatur. Hinc diabolus*, addit, *inter initia ſtatim mundi, & periit primus & perdidit. Ille Angelica maieſtate ſubnixus, ille Deo acceptus & carus, poſtquam hominem ad imaginem Dei factum conſpexit, in zelum maleuolo liuore prorupit, non prius alterum deficiens inſtinctu zeli, quã ipſe zelo antè dilectus, captiuus antequã capiens, perditus antequam perdens, dum ſtimulante liuore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, ipſe quoq; id quod prius fuerat amiſit. Hinc nouæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia cœperunt.* BASILIVS in aliquot ſcripturæ locos. *Ad maiorem mali inuidiæ cuſtodiam, hoc addimus, ipſum eſſe proprium diaboli vitium. Non enim diabolus ſtatim creatus eſt diabolus ſed cum Angelicam poteſtatem accepiſſet, in dæmonis naturam conuerſus eſt; & à Dei familiaritate alienatus poſtquam vidit hominem, paruum quidem animal ſupra omnes creaturas honoratum, cum eſſet antiquior homine, hunc ei honorem inuidit; maximè cum videret eum à Deo tanquam delicias in paradiſo collocatum & Angelos ei adhibitos pædagogos, & Deum eum eo conuerſantem.* Cæteri quoque Patres vocant *vitium diaboli*, vt Auguſtinus in epiſtola ad Vincentium, & *diaboli filiam*, vt Chryſoſtomus.

Aug. ep. 48. Chry. h. 44. ad pop.

VII. REMED. eſt Humilitas, inuidia enim comes eſt ſuperbiæ. *Quoniam ſuperbiæ comes eſt inuidentia*, inquit AVGVSTINVS, *fieri non poteſt, vt ſuperbus non inuideat.* Alii faciunt ſuperbiæ filiam. *Quæ in tantum*, vt habet

Aug. in Pſal. 58.

Pro-

PROSPER, *de superbiæ fonte manauit, vt diabolus, qui per superbiam periit, homine primum statim, successus inuidiæ felle, perdiderit.* GREG. addit, semper eam solere nasci ex superbia. Quare nullo antidoto efficacius tollitur inuidia, quam quo superbia. Superbia n. cedit humilitatis imperio, vt idē affirmat Prosper. Hoc remedio Christ⁹ sanauit inuidiam exortam inter suos discipulos, vt obseruauit B. CYPR. *Huic periculo, inquiēs, consulens Domin⁹, ne quis zelo fratris in laqueum zabuli incurreret, cum eum discipuli interrogassent, quis inter illos maior esset; Qui fuerit, inquit, minimus in omnibus vobis, hic erit magnus. Amputauit omnem æmulationem responsi suo, omnē causam & materiam mordacis inuidiæ eruit & abscidit. Exaltationis apud nos non potest esse contentio, de humilitate ad summa crescimus.* Et B. HIER. *Vt doceamur in sanctos quoque cadere posse inuidiam & soli Deo puram clementiam derelinqui, filiorum zebedæi consideremus exemplum, pro quibus cū mater mota pietatis affectu nimis grandia postulasset, reliqui decem discipuli indignati sunt. Et Iesus aduocans eos dixit. Quicunque inter vos voluerit esse primus, sit vester seruus: quoniam filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.*

Prosp. 3. de vita cont. c. 9. Greg. 18. mor. c. 20. & 31. c. 31. Prosp. l. cit. c. 3. Cyp. l. cit. Matth. 20. 26. Hier. ep. 146. ad Damas. Matth. 20. 26.

VIII. REMED. Sempiterna Caritas, quod sedulo quoque inculcat libro sæpe citato, (quem B. Hieronymus alicubi appellat *valde optimum*) CYPRIANVS dicens. *Qui inter salutaria monita & præcepta cælestia custodienda seruandaq; magis mandauit discipulis Dominus, quam vt eadem dilectione, qua discipulos ipse dilexit, nos quoq; inuicem diligamus? Quomodo autem vel pacem domini vel caritatem tenet, qui intercedente zelo, nec pacificus potest esse, nec carus? Ideo & Apostolus Paulus cum pacis & caritatis merita depromeret, adiecit. & dixit. Caritas magnanima est, caritas benigna est, caritas non Zelat. docens scil. & ostendens eum posse caritatem tenere quis quis magnanim⁹, & benign⁹, & à zelo & liuore alien⁹ est.* Et CHRYSOST. ad pop. Ant. *Fugiamus inuidiæ pestem. Non enim licet cuadere ignem diabolo paratū ab hoc malo non liberatos. Liberabimur autem, si cogitemus, quomodo Christus & nos dilexit, & alterutrum amare præcepit. At quomodo nos dilexit? Pretiosum sanguinem dedit: pro nobis, qui eramus inimici, & modo peccaueramus: hoc etiam fac pro fratre. Nā propterea dicit. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos. imò verò nec ita mensuram statuit. Nam ipse pro inimicis hoc fecit, at non vis tuum pro fratre sanguinem effundere. Quid igitur illius sanguinem fundis ex opposito mandatum impugnans.*

Cypr. l. cit. Hier. in c. 5. ad Gal. Ioan. 13 & 15. 1. Cor. 13. 4. Chry. hom. 53. Ioan. 13 34. Bas. l. cit.

IX. REMED. Rerum humanarum, hoc est, opum, honorum & voluptatum contemptus. Est S. BASILII. *Quid faciendum, inquiens, vt hac peste affecti facile liberemur? Si nihil rerum humanarum magni æstimemus: non enim in rebus fluxis bonum constituimus, sed ad æternorum bonorum participationem vocati sumus. Opes, honores, voluptates, eloquentia, instrumenta sunt virtutis recte vtentibus, nihil per se veræ felicitatis habentia. Qui ergo ita fuerit animatus vt nihil vsquam humanum admiretur, huic proculdubio inuidia dominari non poterit.*

X REMED. Amor æternæ beatitudinis. Est B. GREGORII libro

Greg. c. 34.

quinto Moralium. *Qui*, inquit, *liuoris peste plenè carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus vna est, & singulis tota: quæ tanto largior esse ostenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur. Imminutio ergo liuoris est affectus surgens internæ dulcedinis, & plena morsus est perfectus amor æternitatis. Nam cum mens ab eius rei appetitu retrahitur, quæ accipientium numero partitur, tanto magis proximum diligit, quanto minus ex profectu illius sua damna pertimescit.*

Cyp. l. cit.

XI. REMED. Considera exempla eorum qui per inuidiam perierunt, vel certe ob illam male audierunt. Præcipua perstringit B. CYPRIANVS his verbis. *Quale malum est, quo Angelus cecidit, quo circumuentri, & subuerti alta illa & præclara sublimitas potuit, quo deceptus est, qui decipit? Exinde inuidia grassatur in terris, sicut scriptum est. Inuidia zabuli mors introiuit in orbem terrarum. imitantur ergo illum, qui sunt ex parte eius. Hinc nouæ fraternitatis odia, dum Abel iustum Cain zelat iniustus, dum bonum malus inuidia & liuore persequitur. Iniustè oppressus est, qui iustitiam primus ostenderat: occisus est impiè, qui moriens non repugnabat. Et quod Esau fratri suo Iacob inimicus extitit Zelus fuit. Nam quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium persecutionis facibus liuoris exarsit. Et quod Ioseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de æmulatione descendit, postquam id quod sibi in visionibus prosperum fuerat ostensum simpliciter vt frater fratribus exposuit, in inuidiam maleuolus animus erupit. Saul quoque rex vt Dauid odisset, vt persecutionibus sæpe repetis innocentem, misericordem, mitem, lenitate patientem necare cuperet, quid aliud, quam zeli stimulus prouocauit? quia Goliath interfecto & operæ, ac dignatione diuina tanto hoste deleto populus admirans in laudes Dauid prædicationis suffragio prosiliit. Saul simultatis atque insectationis furias de liuore concepit. Et ne longum faciam, pereuntis simul populi attendamus interitum. Iudæi nomine inde perierunt, dum Christo malunt inuidere, quam credere? obtrectantes magnalibus quæ ille faciebat, zelo excæcante decepti sunt, nec ad diuina noscenda cordis oculos aperire potuerũt. Quæ nos considerantes, fratres charissimi, contra tantam mali perniciem vigilanter & fortiter dicata Deo & vegetata pectora nostra muniamus. Aliorum mors proficiat ad nostram salutem; imprudentium pœna prouidentibus confert sanitatem.*

Sap. 2. 24.

Gen. 4. 8.

Gen. 27. 41. Gen. 37. 28.

1. Reg. 18. 11.

ANTIDOTVM

Pro inuidioso.

Hier. in c. 5.

INTER *inuidum & inuidiosum*, auctore B. HIERONYMO libro tertio commentariorum in epistolam ad Galatas, *hoc inter est, quod inuidus feliciori inuidet. Inuidiosus autem is est, qui ab alio patitur inuidiam.* Illud vitii, hoc virtutis

virtutis nomen est. Inuidus enim in inuidioso non inuidet, nisi bonum, felicitatem, virtutem. *Prosperitatem* inquit Ambrosius, *cito sequitur inuidia.* Et HIERONYMVS ad Eustochium. *Semper virtutes sequitur inuidia, feriunt q, summos fulgura montes. Nemo siquidem*, vt bene dixit Augustinus *inuidet misero.* ANTIDOTVM ergo pro inuidioso suppeditat duplex B. HIERONYMVS in Epitaphio S. Paulæ Romanæ: alterum suo, alterum B. Paulæ nomine in hæc verba. *Ego aiebam liuori esse cedendum & dandum insaniæ locum, quod fecisset Iacob in fratre suo Esau, & Dauid in pertinacissimo inimicorum Saul: quorum alter in Mesopotamiam fugerit, alter se Allophylis tradiderit, malens hostibus, quàm inuidis subiacere. At illa respondebat. Iuste hæc diceres, si diabolus contra seruos Dei & ancillas non vbique pugnaret, & ad omnia loca fugientes non præcederet, si nõ sanctorũ locorum amore retinerer, & Bethlehẽ meam in alia reperire possem parte terræ. Cur. n. non patientia liuorẽ superẽ: cur non humilitate frangam superbiam, & percutienti maxillam offeram alteram, dicente Apostolo Paulo. Vincite in bono malum? Nonne Apostoli gloriabantur quando pro Domino sunt passi contumeliam? Nonne ipse Saluator humiliauit se formã serui accipiens & factus est obediens patri vsq; ad mortem, & mortẽ crucis, vt nos sua passione saluaret? Iob nisi certasset, & vicisset in prælio, non accepisset coronã iustitiæ, &c.* Et post multa. *His & talibus testimoniis quasi armatura Dei, & aduersus omnia quidem vitia, sed præcipuè instruebat se contra inuidiam sæuientem, & patiendo iniurias furorem rabidi pectoris mitigabat. Denique vsque ad diem mortis, & huius patientia, & aliorum zelus omnibus patuit: qui suam rodit auctorem, & dum æmulum lædere nititur, in semetipsum proprio furore bachatur.*

Amb. lib. 1. de Abraham. c. 7. Hieron. ep. 27. Aug. in ps. 44. Hier. ibid. 1. Rem. fuga. Gen. 38. 5.

2. patientia & humilitas. Rom. 12. 21. Act. 5. 41. Phil. 2. 8.

VIDE. V. Amor sui. *Auaritia, Immortificatio passionum. Superbia. Tristitia.*

I R A

Remedia contra Iram.

I. REMED. Considera sententias diuinæ scripturæ quæ damnant illam tanquã valde noxiam animæ & corpori. Nam Iob ait. *Verè stultũ interficit iracundia.* Et. *Qui perdis animam tuam in furore tuo.* Et Salomon. *Vir iracundus* prouocat rixas, *& qui patiens est mitigat suscitatas.* Et. *graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior.* Et. *Ira non habet misericordiam.* Et. Eccles. *Ira & furor, vtraq; execrabilia sunt.* Et. *zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectutem adducunt cogitatus.* Et Christus apud Matthæum. *Omnis qui irascitur*

Iob 5. 2. Iob 18. 4. Prou. 15. 18. Prou. 27. 4. Eccli. 27. 33. & 30. 26. Matth. 5. 22.

Iac.1.20. Iob.36.18. Prou.22.24. Eccl.7.10.& 11. 10.

Rom.12.19. Eph.4.31.

Iac.1.19. Psal.36.11. Prou.3.34. Matth.5.4.

fratri suo, reus erit iudicio. Et B. Iacobus. *Ira viri iustitiam Dei non operatur.* 2. dehortatur ab ira. Nam Iob ait. *Non te superet ira, vt aliquem opprimas.* Et Salomon. *Noli esse amicus homini iracundo, neq; ambules cum viro furioso.* Et Ecclesiastes. *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Et. *Auferiram à corde tuo.* Et B. Paulus. *Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ.* Et. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia.* Et. *Irascimini, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite dare locum diabolo.* Et Iacobus. *Sit omnis homo tardus ad iram.* 3. commendat mansuetudinem. *Mansueti,* inquit Dauid, *hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Et Salomon. *Mansuetis* (Deus) *dabit gratiam.* Et Christus. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et Apostolus. *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.*

Naz.

II. REMED. Considera dicta SS. Patrum. S. GREG. Nazianzenus in deploratione calamitatum animæ suæ. *Ira,* inquit, *si vehementius inflammetur, hominem de mentis gradu deiicit, atq; exturbat. quod si in apertam iram non prorumpit, versutam certe ac subdolam cogitationem in imo pectore occultat, atque interim*

Bas. hom. 11.

molles & suaues ore sermones fundit. S. BASILIVS in homilia de Ira. *Sicut discrepantia nomina sunt Indignationis & Iræ, sic diuersa eorundem significatio est. Indignatio enim est stimulus quidam brevis ac subitus, acutus q; passionis vapor. Ira verò permanens ac diuturna tristitia, & veluti libido quædam se vindicandi. Animaduerteita-*

Aug. l. 4. de ciu. Dei c. 16.

que, quod vtroq; affectu homines delinquant, vel furore subito contra irritantes commoti, vel per dolos eos à quibus patiuntur iniuriam, circumuenientes, quæ ambo nobis omnino cauenda. Et rursus. *Dolus & suspicio, & infidelitas, & malignitas, & insidiæ, & audacia, & omnia his similia huius vitij germina sunt atq; appendices. Itaq; fratres amantissimi ne obsecro tantum malum nobis inducamus, animæ morbum, rationis tenebras, à Deo alienationem, obliuionem familiaritatis, principium bellorum, plenitudinẽ calamitatum, dæmonem pessimum nostris animis innatum, incolam impudentem, nostra interiora possidentem, & sancti Spiritus iter ad nos impedientem. Vbi enim inimicitiæ sunt, concertationes, indignationes, sectæ, nostris animis perpetuos gignentes tu-*

Amb. precat. 2.

multus, ibi Spiritus mansuetudinis non requiescet. S. AMBROSIVS in precatione ad Missam. *Ira inuidiam sequitur, qua inter cætera vitia nihil asperius, nihil inuenitur amarius: quæ dum vltra modum efferbuerit, atrociter mentem exulcerat, sensum habetat, linguam immutat, oculos obumbrat, totumque corpus perturbat. Hinc*

In Psal. 36.

protinus rixæ, contumeliæ, clamor, indignatio, tumor mentis, & blasphemiæ suscitantur. Et in Psalmos. *Ira grauis passio est: plerunque accendit inuitum, & volentem vltius vindicare in furorem rapit, vt perimat quem putauerit coercendum. Commotus gladio sæpè transuerberat innocentem. Amicos & fratres per indignationem plurimi*

Prou. 15. iuxta 30. Psal. 36. 8.

peremerunt. Ideo Sapiens dicit. Ira perdit etiam sapientes. Et Dauid sapientem monet. *Desine ab ira & relinque indignationem. Relinque eam, finem impone, ne te in peccatum*

trahat.

trahat. Hoc est, quod supra dixit. Irascimini & nolite peccare. Non enim hortatur vt irascaris, sed ad tempus cedit affectui. Dat tamen medicamentum, ne diutius vis vlceris serpat. Medicus non statim adhibet medicamenta languenti. Et in epistola ad Vercellensem Ecclesiam. Esto sit naturæ irasci, aut plerumque causæ, hominis est tamen temperare iracundiam, non leonino raptari furore, non assuescere clamori, non ferere, nec acerbare familiare iurgium. Scriptum est enim. Vir iracundus effodit peccatum. S. CHRYSOSTOMVS ad populum Anthioch. Nihil iracundo homine insuauius, nihil grauius, nihil infestius, turpius nihil, sicut contra nihil nescio irascibili iucundius. Feræ potius quam iracundo homini cohabitandum est. Nam illa, cum semel mansuefacta fuerit suam seruat legem: hunc autem quoties mitigaueris, rursum efferatur. Et infra. Noui multos ex ira morbos incurrisse. multi oculos amiserunt. Frequenter ex ira verbum aliquis emisit, ad cuius remedium totius indiget vitæ. Ignis est vehemens ira, omnia deuorans, nam & corpus perdit & animam corrumpit. Et iterum. Est & alia furoris species difficilior, cum nec iram dimittere sustinent, sed proprium malum apud se nutriunt, mali memoriam quasi tortorem. Quantum esse putas tormentum homini præcordia percusso, quotidie qualiter inimicum vlciscatur considerante? Quam verò tuis visceribus feram includis? Satius est viperam in corde tuo latere, quam iram & rancorem. HIERONYMVS in commentariis ad Galatas. Ira, quæ iustitiam Dei non operatur, species est furoris. Inter iracundiam autem & iram hoc interest, quod iracundus semper irascitur: iratus pro tempore concitatur. Et nescio quis possit regnum Dei possidere, cum is qui irascitur separetur à regno. Et in prouerbia. Ianua vitiorum omnium iracundia est; qua clausa virtutibus intrinsecus dabitur quies: aperta verò ad omne facinus armabitur animus. Et epistola ad Saluinam de viduitate seruanda. Irasci hominis est, & iram non persicere Christiani. S. AVGVSTINVS ad Nebridium. Ira est, quantum mea fert opinio, turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. Itaque plerunque non hominibus tantum, sed calamo irascimur in scribendo, eumque collidimus atque frangimus: & aleatores tesseris, & pictores penicillo, & cuique instrumento quilibet, ex quo difficultatem se pati arbitratur. Hac autem assiduitate fel crescere etiam medici affirmant. tremento autem fellis rursus & facile, ac prope nullis causis existentibus trascimur. S. GREGORIVS ad Leontium exconsulem. Ira quæ animum perturbat, quanta consideratione cauenda est monstratur in scripturis. De qua scriptum est. Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum & tardus ad iram. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. Hinc rursum scriptum est. Quis potest habitare cum homine, cuius spiritus facilis est ad irascendum? Hinc iterum dicitur. Noli esse cum homine iracundo, neque ambules cum viro furioso. Contra hanc in laude patientiæ dictum est. Melior est qui vincit iram, quam qui capit ciuitatem magnam. Hinc Dauid personam in se infirmorum sumens, ait: Turbatus est præ ira oculus meus. Atque ex ipsa perturbatione quid sequatur adiunxit dicens. Inueteraui inter omnes inimicos meos. Ex ira quippe cum turbatus fuerit oculus cordis inter inimicos nostros ad vetusta-

Psal. 45.
Id. epist. 82. li. 10
Prou. 15.
Chrys. hom. 29.
Idem hom. 30.
Cass. l. 8. c. 10.
Hier. l. 3. c. 5. 11. cap. 1. ad. Titum
Id. l. 3. c. 29.
Id. ep. 9. & ep. 8. ad Demetr.
Aug. ep. 115 & 4. de ciuit. c. 16.
Greg. lib. 8. reg. c. 51.
I ac. 1. 19.
Prou. 18. 14.
Prou. 22. 24.
Psal. 30. 10.

tem reducimur, quia inter malignos Spiritus ad vetusti hominis similitudinem reducimur. Cum igitur iram, quæ cor permouet sacra eloquia tot testimonijs detestentur, perpendamus qua intentione debeamus hoc vitium fugere.

Amb.l.1.c.32. III. REM. Firmiter in animo decerne, te temperaturum ab omni ira illicita, hoc est q̃ prꝛeueniat rationẽ. Est B. AMB. in libris officiorum. *Cauere debemus ne in perturbationes, inquit, prius incidamus, q̃ animos nostros ratio componat. Exanimat enim mentẽ plerunq; aut ira, aut dolor, & improuiso percellit ictu. Ideo prꝛeuenire pulchrũ est cogitatione, q̃ volueudo mentẽ exerceat, ne repentinis excitetur commotionibus, sed iugo quodã rationis & habenis constricta mitescat.* Et B. GREG. in 5. Moral. *Solerter animus ante actionis suæ primordia cuncta debet aduersa meditari, vt semper hæc cogitans, semper cõtra hæc thorace patientiæ munitus & quicquid acciderit prouidus superet, & quicquid nõ accesserit, lucrũ putet.* Et in epistola ad regẽ Visigothorũ. *Curandũ quoq; est, ne ira subrepat. Ira quippe cum etiã delicuentiũ culpas exquitur, nõ debet menti quasi domina pꝛire, sed post rationis tergũ velut ancilla famulari, vt ad faciẽ iussa veniat. Nã si semel mentẽ possidẽs cœperit, iustũ esse deputat etiã q̃ crudeliter facit. Hinc enim scriptũ est. Ira viri iustitiã Dei non operatur.* Vnde B. EPHR. in doctrina de perfectione monachi, suadet monacho, vt *optet potius inuadi gladio q̃ iracũdia corripi.* Et apud Cass. Abbas Pyamon tradit *patientẽ pꝛnunciari neminẽ posse, nisi eũ qui vniuersa q̃ sibi fuerint irrogata absq; indignatione toleranerit.*

Greg.c.33
Lib.7. c.26.
Iac.1.20.
Ephr.tom.2.
Cass.coll.18.c.1.
Bas.hom.11.

IV. REM. Iram simulatq; in animo orta fuerit, compesce secundum illud Poëtæ. *Principiis obsta serò Medicina paratur.* Etsi enim *naturæ sit irasci*, inquit Amb. *homnis tamen est temperare irã* Vel vt supra Hier. *Irasci hominis est, sed iram non perficere Christiani.* Hoc remediũ tradit B. BAS. *Quomodo*, inquiens, *iræ incõmoda fugiemus? Si eam nullo modo rationẽ occupare finamus: si forte animo obortã sit, eam quasi equũ iugalẽ freno ita ratione & cõsilio cohibeamus. Est enim pars animi irascibilis nobis ad multa virtutũ opera necessaria.* Et AMB. *Si prius occupatus fuerit animus ab indignatione, q̃ cõsilio pꝛspici ac pꝛuideri poterit, ne occupaꝛetur, meditare quomodo motũ animi tui vincas, iracundiã temperes. Resiste iræ si potes; cede si non potes, quia scripũ est. Date locũ iræ.* Et post. *Ergo si pꝛæuenerit mentem tuã iracundia, non relinquas locũ tuũ. Locus tuus Sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Non mediocre est mitigare iracundiã, non inferius, q̃ omnino non cõmoueri.*

Amb.l.10.ep.82.
Amb.1.offic.c.21
Rom.12.19.

V. REM. Quod si non statim irã compresseris, saltẽ caue diutius eam fouere & retinere. Hoc remediũ est Apostoli in epistola ad Ephesios, dũ ait. *Sol nõ occidat sup iracundiã vestrã. Nolite locũ dare diabolo.* Et B. AVG. in epistola ad Profuturũ. *Subrepit autẽ dum nulli irascenti ira sua videtur iniusta: ita enim inueterascens ira fit odiũ, dum quæsi iusti doloris admixta dulcedo diutius eam in vase detinet, donec totũ acescat, vasq; corrumpat. Quapropter multo melius nec iustè cuiquã irascimur, quàm velut iustè irascendo in alicuius odiũ iræ occulta facilitate dilabimur. In recipiendis enim hospitib. ignotis ista solemus dicere, multo esse melius malũ hominẽ perpeti, q̃ forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cauemus ne recipiatur malus. Sed*

Eph.4.26.
Aug.ep.100.

in esse

inaffectibus animi contra est. Nam incomparabiliter salubrius est etiam iræ iustè pulsanti nō aperire penetrale cordis, q̄ admittere nō facile recessurā, & puenturā de suiculo adtrabē. Audet quippe impudēter etiā crescere citius, q̄ putatur. Non.n.erubescit in tenebris, cū super eā sol occiderit. Consentit Amb. in Psalmos ita scribens. *Ait⁹ medicus dicit, sol nō occidat super iracundiā vestrā: nedum diu differs, veniat ille qui calefactū corporis somno excitare cōsueuit, & stimulet te, inserat tibi cogitationes, & in secreta pectoris tui immergat dicens. Vindica iniuriā tuā. Virum te esse cognosce. fœmineæ infirmitatis est, nō capere vindictā. Ergo contemnere te debuit seruus? frater decipere? amicus illudere? &c. His stimulis plus accenditur, plus mouetur, vt compleatur q̄ scriptū est. Ira perdit etiā sapientes.* Idē B. Hier. in eadē Apostoli verba. *Nolite, ait Paulus, dare locū diabolo, qui tanq̄ leo rugiens, quærit aditū per quē possit irrumpere. Quomodo n.pater & filius stant ante ostiū & pulsant, vt introeant & cœnent cū eo, qui serteceperit: ita & aduersarius semp in nos est paratus irrumpere, & cū locum dederimus, ingreditur. Solet autē, anteq̄ veniat, q̄dē iacula p̄mittere, & p̄cursorē aduentus sui facere cogitationē. Hanc si nos in corde nostro susceptā nutrierimus intrinsecus, & crescere fecerim⁹, cum in nobis prolē suā auctam viderit, & ipse audebit intrare. Deniq, in Iudæ Iscariot cor, primā iecit sagittam, vt traderet saluatorē. q̄si exceptam ille miserabilis non fouisset, nunq̄ post intinctū panē in paropside intrasset in illum Satanas.* Hoc antidoto ad litteram vsus est Abbas Pesi⁹ de quo Cass. *Apud senē Pesiū,* inquit, *in eremo vastissima cōmorantem, cū senex Ioannes magno cœnobio ac multitudini fratrū p̄fuisset, & ab eodem velut antiquissimo sodale perquireret, quid nam p̄ōes quadraginta annos, quibus ab eodem separatus in solitudine minimè à fratribus intersellatus egisset. Nunquam, ait, me sol reficientem vidit. Et ille, nec me, inquit, iratum.*

Amb. in Psal. 36. Eph. 4. 26.

Prou. 15. Hier. l. 2. comm. in ep. ad Eph. Eph. 4. 27.

Ioan. 13. 27. Cass. 5. inst. c. 27.

VI. Remed. Nihil statue vel decerne de vindicatione alicuius noxæ, nisi cum ira deferbuerit: nihil enim æquè obscurat rationis vsum ac passio iracundiæ secundum B. Gregorium, congruenter illi dicto Psalmi. *Conturbatus est in ira oculus meus.* Nec diffitentur Ethnici Philosophi *Iratos,* inq̄t, Cicero in 4. Tusculana *p̄riè dicimus exisse de potestate, id est, de consilio, de ratione, de mente.* Huius remedii meminit Hier. epistola ad Saluina ita scribens. *Hoc est, q̄ aliis verbis Propheta significat. Turbat⁹ sum, & non sum locutus. Et in eodē volumine. Irascimini, & nolite peccare. Et illud Architæ Tarentini ad villicū negligentem. Iam te verberibus enecassem, nisi iratus essem. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.* Itē Amb. lib. 1. officiorū. *Ferunt gentiles, vt in maius omnia verbis extollere solēt, Architæ Tarentini dictū Philosophi, q̄ ad villicū suū dixerit. O te infelicē q̄ te afflictarē, nisi irat⁹ essem. Sed etiā Dauid & armatā dexteram in indignatione cōpescerat. Et quanto pl⁹ est nō remaledicere q̄ nō vindicare?* Quod hi duo patres Architæ, Seneca Platoni attribuit, qui à verberatione serui cadē de causa abstinuerit. Idē antidotū Leontio exconsuli p̄scriptit Gregorius magnus. *Quoties, inquiēs, ira animum inuadit, mētē edoma, vice teisū. Differ tēp⁹ furoris, & cum tranquilla mēs fuerit, q̄ placet vindica. Ira.n.in vindicta malorum seq̄ debet rationem*

Pfal. 30. 10. Greg. 5. mor. c. 31

Hier. ep. 9.

Pfal. 4. 5.

Iac. 1. 20. Amb. c. 21.

1. Reg. 25. 32. Sen. 3. de ira c. 12

Greg. l. 8. reg. c. 5.

animi, non præire, vt quasi ancilla iustitiæ post tergum veniat, & non lasciua ante faciem prorumpat. Qua de causa Ambrosius Mediolanensis Archiepiscopus quondam ab Imperatore Theodosio, cum præcipiti ira se vltus esset contra Thessalonicenses, voluit condi legem, vt si qui ob maleficium Cæsaris edicto iuberentur occidi, id non nisi post trigesimum diem fieret: vt interea temporis maturo sedatoque animo, ac rebus omnibus rationis libra perpensis, aut parcendum esse videretur, aut vindicandum. Et apud Ethnicos Athenodorus Philosophus, teste Plutarcho, ex aula Augusti discedens monimenti loco id ei ita postulanti reliquit documentum, vt ira inflammatus nihil ante statueret vel imperaret, quam viginti quinq; alphabeti græci litteras pronunciasset. Quod documentum Cæsar tanti fecit, vt illum ab aula dimittere noluerit.

Ioan. Costerius in Amb. vita.

Plut. in vita Augusti.

Bas. hom 21.

VII. REMEDIVM. Considera fœdos motus & gestus iracundorum, quos describit S. BASILIVS. *Scriptura, inquit, tibi dicit. Vir iracundus turpis est. Quomodo turpis est? quia humanam quasi figuram amittit, feræ speciem induit. Considera parumper iratum. Furit, debacchatur, immutantur oculi turbidi, sanguinei fiunt, cor accenditur, sanguis commouetur. Hunc videas vt aprum dentes acuentem, qui sæpè incipientem, ac verba imperfecta relinquentem. O quam malum cum talibus misceri, qui continuo lateat.* Et CHRYSOSTOMVS in Ioannem. *Videas iratos non secus atque insanos turpiter in medium præcipites ferri. Cum enim circa præcordia efferbuit ira, ignem emittit, tota inflatur facies, incompositè manus mouentur, vasculè prosiliunt pedes, rixam diiimere conantib. insultant, in eosq; nulla ab insanientibus differentia irruunt.* Et GREGORIVS. *Iræ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies igneſcit, exasperantur oculi & nequaquam recognoscuntur noti. Lingua quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur ignorat. In quo itaq; iste ab arreptitiis longè est, qui actionis suæ conscius non est?* Similia habet SENECA & tandem concludit. *Qualem putas esse animum, cuius externia ea go tam fœda est?* Et infra, ait profuisse aspicere ipse ulum ob deformitatem vultus. Et M. T. Cicero. *An, inquit, est quicquam similius insaniæ, quam ira? quam bene Ennius initium dixit insaniæ.*

Chry. hom. 3.

Greg. 5. mor. c. 31.

Sen. 1. de ira c. 3 & 36.

Cic. 4. Tus.

Bas. hom. 10. de ira.

IIX. REMED. Considera teterrimos effectus iracundorum, quos latè prosequitur BASILIVS. *Effrenes linguæ, ait, ora incustodita, contumeliæ probra, verbera & alia eiusmodi sunt iræ fructus. Ob iram ensis acuitur, mors homini ex homine venit, non eis senectus venerabilis, non vitæ virtus, non generis propinquitas, non parentes. Quin & maximum se in malum sæptus conijciunt, & studio vindicandi sepsos negligunt. Nam & omni fera venenata impudentius ruit, nec prius desistunt quam magno & intolerabili malo animum exatiarint. Membrorum mutilationes, vulnera, mortis præmium pugnæ ferunt.* Et B. GREGORIVS. *Per iram, inquit, sapientia perditur, vt quid quoue ordine agendum sit omnino nesciatur. Ira, ait Salomon, insanu stulti requiescit. Per iram, vita mittitur, etiàm si sapientia teneri videatur, sicut scriptum.*

Greg. l. cit. prou. 22. 24.

ptum est. Irapердit etiam prudentes. Per iram iustitia relinquitur, sicut scriptum. Ira viri iustitiam Dei non operatur, per iram gratia vitæ socialis amittitur. Noli, inquit Sapiens, esse assiduus cum homine iracundo. Per iram concordia rumpitur, sicut scriptum est. Vir animosus suscitat rixas. Per iram lux veritatis amittitur, sicut scriptum est. Sol non occidat super iracundiam vestram. Per iram sancti Spiritus splendor excutitur: quo contra scriptum est. Super quem requiesceet spiritus meus, nisi super humilem & quietum? &c. Iac.1.20. Prou. 22. 24. Prou.16. 28. Eph.4.31. Isa.66.2.

X. REM. Considera exempla mansuetudinis eorum, qui occasione iræ data patientes fuere. *Talia*, inquit B. BASILIVS, *tibi succurrant, mentisque tuæ impetum ac iram compescant. Similes namque præparationes & animi dispositiones morsus cordis & impulsus facile delebunt, & animi cogitationes in tranquillum statum deducent. Hoc enim est quod Dauid ait. Paratus sum & non sum turbatus, oportet itaque motus animi insanos ac præcipites exemplo Sanctorum, ac beatorum præceptorum memoria cohibere, quomodo magnus Dauid, & qua mansuetudine iniquitatem Semei tulerit: non enim iræ locum dedit, in Deum causam transferens. Quoniam Dominus, inquit Semei mandauit vt maledicat Dauid.* Eiusdem exemplum proponit CHRYSOSTOMVS in homilia de Dauid & Saule. *Si imaginem Dauidis*, inquiens, *præ oculis habeas & in hanc assidue defigas oculos, etiamsi millies obiundet ira, mentis oculum perturbans, ad hoc virtutis exemplar respiciens perfectam consequeris sanitatem. Ne quis igitur mihi dicat. Inimicum habeo scelestum, improbum, incorrigibilem: quicquid dixerit, non est tamen Saule deterior, qui semel & iterum, imò sæpius seruatus à Dauide, cum ipse mille modis illi struxisset insidias, tamen pro tot beneficiis acceptis, perseuerauit in sua malitia.* Neque desunt plura exempla alia, vt Moysis, qui pro populo contra se murmurantē etiam Dominum exorauit, de quo Sapiens. *In fide & lenitate ipsius sanctū fecit illum, & elegit eum ex omni carne.* Vt Ioseph, qui fratribus suis non succensuit, sed bonum pro malo rependit. Vt denique CHRISTI Domini, qui ad opprobria & calumnias grauissimas, tanquam agnus coram tondente se, vt loquitur Isaias obmutuit. *Qui cum malediceretur*, inquit B. Petrus, *non maledicebat; cum pateretur non comminabatur.* Quare & merito Apostolus eum in exemplum omnibus proposuit, dicens. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem. Alapa cæsus es?* inquit BASILIVS, *expuit aliquis in faciem? Eadem & Dominus est passus. Calumniam pateriū & Dominus. Tua laceratur vestis? Et Domino extracta per vim est vestis, & super eā missæ sortes. Nondum condemnatus es, nondum cruci affixus.*

Multa tibi toleranda, vt ad eius imaginationem peruenias.

Bas.hom. 10, Psal. 118. 60. 2.Reg.16.11. Chry.hom.3. Exod.15.19. Eccli.45.4. Isa.53.7. 1.Pet.2.23. Heb. 12.3, Basil.cit.

ANTIDOTA

Pro mitiganda vel auertenda aliena ira, vt patris in filios, Domini in seruos, & aliorum etiam aqualium.

Chry. hom. 18. I. ANTIDOTVM. Commiseratio. Est CHRYSOSTOMI in Matthæum. *Medici*, inquit, *quando iniuriis & caltibus cædantur furentum, tunc illorum magis miserentur, scientes magnitudinem morbi hac iniuria significari. Hoc nos & in ira percitis seruemus, illorum enim similes sunt iracundi, imò longe miseriores, quia sensibus adhuc integris insaniunt. Etsi videamus aliquem horribiliter à bile vexatum, quiq; etiam malignum humorem vrgeatur euomere porrigimus manum, & huc illucq; iactatum supportamus. Etsi vestes ille nostras polluat non abhorremus, sed illud tantum requirimus, quemadmodum eum à tanta angustia liberemus. Hoc & erga iracundos faciamus, vt & foueamus ægros, & vomëtes supportemus, nec prius eos deseramus, quàm amaritudinem totam posuerint, & tunc tibi maximas exoluent gratias. Vbi enim conualuerit, recognoscet liquido, à quanta conturbatione illum liberaueris, & te vt Dominum venerabitur. Deus verò innumeris remunerabit te donis.* Et

Bas. hom. 10. BASILII homilia de ira. *Tu enim fratri tuo sine causa irascaris. Quomodo autem sine causa? Cum sit alius, qui instigat dæmon, & alius qui instigatur homo, cui in maledicis, simile quiddam canibus admittens, qui saxa mordere solent, quando iactanti attingere non valent. Instigatus enim misericordia profectò dignus est: qui verò incitat maximo odio insectandus. In hunc igitur iram transfer, hominum interfectorem, mendacii patrem, peccati ministrum, fratrem verò in te peccantem miserabere.*

Prou. 15. 18. Prou. 21. 19. Prou. 22. 24. II. ANTIDOTVM Fuga. *Vir enim iracundus, teste Salomone prouocat rixas.* Et. *Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa & iracunda.* Et. *Noli esse amicus homini iracundo, neq; ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius.*

Bas. orat. 9. Vnde BASILIVS in oratone de ira & inimicitiis. *Cum viro tra cundo ne habites, inquit Salomon, mala enim res est cum cane colligari, perpetuoque eius latratu frui. Fuge igitur consuetudinem ipsius: nam nisi hoc feceris, necesse erit te aliquid de moribus eius haurire.* Et

Chrys. hom. 29. CHRYSOST. ad populum Antiochenum. *Feræ potius, quam iracundo homini cohabitandum est. Nam illa cum semel mansuefacta fuerit suam seruat legem: hunc autem quotiescunq; mitigaueris, rursum efferatur nisi quis in talem habitum ipsum induceret.* Et

Amb. c. 21. Rom. 12. 19. Gen. 27. AMBROS. in primo officiorum. *Resiste iræ si potes: cede, si non potes, quia scriptum est. Date locum iræ. Iacob fratri indignanti pie cessit, & Rebeccæ, id est, patientiæ instructus consilio abesse maluit peregrinari, quàm excitare fratris indignationem, & tunc redire, cum fratrem mitiga-*

tum

tum putaret. Sic SENECA libro tertio de Ira. *Primam iram non audebimus oratione mulcere: surda est & amens. dabimus illi spatium. remedia in remissionibus morborum prosunt.* QVOD si fugere, vel non licet, vel non expedit, tace. *Contumeliam intulit iratus*, inquit BASILIVS, *vince amore quę silentio malum, & cogita periculum de te fieri, an Deo per patientiam adhæreas, seu per iram in aduersarii partes inclines, Audi Dauid dicentem. Dum consisteret peccator aduersum me, non irritatus sum aut vltus sed surdus factus & humiliatus sum, & silui à bonis.* Sen.c.39. Hom.10. Psal.38.3.

III. ANTIDOTVM. Humilitas & mansuetudo, cum ira non nihil deferbuit. *Responsio enim mollis*, inquit Salomon, *frangit iram.* Hoc antidotum Angelus Domini suggessit ancillæ Agar, vt Dominæ suæ Saræ seueritatem mitigaret. *Reuertere*, inquiēs, *ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* Imó suggessit Christus suis discipulis. nam cum docuisset qua pœna digni essent iracundi, mox subiecit. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Quæ reconciliatio ordinariè fieri solet humili & mansueta petitione veniæ. Hinc B. EPHRÆM in doctrina varia habet hoc documentum. *Quod si alius frater dicta tua refellerit, ne mouearis mente sed voluntatem tuam caritatis pacisq; gratia reprime. Si enim iram excandescentis dæmonis per mansuetudinem respuis, nihil aduersum te poterit. Vnde sic tibi repugnantem alloquere. Ego quidem benedicte tanquam idiota aliquis locutus sum, sic considerans, da veniam ignorantiæ meæ. Sit autem quemadmodum ipse dixisti, & in hoc retrocedet à te re infecta, atque confusus turbarum excitator diabolus.* Sic BASILIVS, cum dixisset iram esse libidinem quandam se vindicandi & quæsiuisset quomodo illa caueri posset, respondet. *Quomodo inquis? si te demissum, humilemq; omnino gerere poteris*, cum irritaris ab aliis, & *edoctus fueris, quod Dominus Iesus & verbo præcepit & re ostendit inquiens. Qui voluerit inter vos primus esse sit omniū postremus. Item verberatus mansueto animo cædentem tulit, mitiq; responso docuit, quales esse oporteat, lacessitos. Si male locutus sum, ait, testimonium perhibe de malo. si autē bene, cur me cædis?* Et in regulis fusiꝰ disputatis. *Iracundia aliquis elatus est aduersus æquæuū fratrē? hunc ille pro magnitudine delicti sibi conciliare cogitur, ac ministrare. Siquidem hæc huiusce modi ad humilitatē exercitatio iracundiæ veluti neruos elidit, quādo animi elatio illa est, q̄ iracundiā plerūq; in nobis ingenerat.* Et AMB. in precatione ante Missā. *Quod si forte in immensum ira successa ad horā patientia succubuerit, nullum ne Domine remediū erit? Erit certe. nam cum huius mali damnationē denunciat dicens. Qui irascitur fratri suo, &c. protinus recuperationē subiungit, cum dicit. Si offers munus tuum ad altare, &c. & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offers munus tuū. Et illud. Cum statis ad orandū, remittite si quid habetis aduersus alterum in cordib. vestris. Hanc mihi Domine Deus secundam tribue victoriā, si furore cæcatus amisero primā, cum non tuo zelo sed meo vitio cuiuslibet animum offendo.* Hoc antido- Prou.15.1. Gen.16.9. Matt.5.23. Cass.coll.8.c.10. & 13. Ephr.cap.93. tom.2. Bas.hom.10. Ioan.18.23. Id. quæst. 15. Matth.5.24. Marc.11.25.

Arist. lib. 2. c. 3. antidotum non ignorarunt & Ethnici. Nam ARISTOTELES in Rhetoricis suis ita scribit. *Quod submissione animi ira sedetur & canes ostendũt, qui sedentes non mordent.* Et PLVTARCHVS in lib. de cohibenda ira, docet omnem *suspicionem contemptus amouendã in facto, si velimus alienam iram mitigare.*

Plutarchus.

IV. ANTIDOTVM. Caritas & beneficentia. Quod tradit Apostolus in epistola ad Romanos. Nam cum dixisset. *Cum omnibus hominibus pacem habete: non vosmetipsos defendentes carissimi, sed date locum iræ,* subdidit. *Sed si esurierit inimicus tuus ciba illum: si sitit potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius,* hoc est, beneficiis ita obrue inimicum tibi excandescentem, vt inflammetur non ira vel odio, sed caritate, ignisq; in eo accendatur, qui pro commissis conscientiã eius torqueat & adurat, vt exponit Origenes, Theodoret. & Amb. *Carbones,* ait quoq; Aug. lib. 3. de doctrina Christiana, *significant vrentes pœnitẽtiæ gemitus, quib. superbia sanatur eius, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo eius miseriæ subuenitur.* Eiusmodi carbones congessit rex Dauid, super caput Saulis capitalis sui inimici, quãdo egresso è spelunca orã chlamydis, quam occultè abscinderat, ostendit. incredibili enim caritate illa commotus Saul, *leuauit vocẽ suam,* ait Regum historia, *& fleuit dixitq; ad Dauid. Iustior tu es, quàm ego, tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicasti hodie, quæ feceris mihi bona, quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. Quis enim cum inuenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona?* Quod factum copiosè pertractans D. CHRYSOSTOMVS. *Quid,* inquit, *esse possit hoc Propheta beatius, qui breui temporis momento sic hostem è furore ad sobrietatem composuit? & animum nactus cædis ac sanguinis sitientem, repente ad lamenta & exultatus compulit? Non perinde miror Moysen, quod è saxo prærupto fontes elicuit aquarum, vt admiror Dauidem, quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lachrymarum. Siquidem ille quidem vicit naturam, at hic vicit animi decretum: ille virga percussit lapidem, hic sermone pepulit eor, non vt contristaret, sed mansuetum redderet.* HAVD secus Iacob Patriarcha quondam congessit carbones ardentes in caput infestissimi sibi fratris Esau. *Quibus obsequiis,* ait AMBROSIVS, *quantis muneribus fratrem ipsum reconciliauit sibi, vt ille præreptæ benedictionis non meminisset, meminisset delatæ satisfactionis?* Et Abigail vxor Nabal in caput Dauidis, quem contra virum grauiter exacerbatum, quem humilitate, caritate, multorumq; *munerum oblatione ita commouit, vt diceret. Benedictus Dominus Deus Israhel, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, & vltiscerer me manu mea, &c. Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia, quæ attulerat ei, dixitq; ei. Vade pacifice in domum tuam. VNDE aduertimus,* inquit Ambrosius, *tempestiuis quoq; intercessionibus non solum cedere nos, sed etiam delectari oportere. Eousq; autem delectatus est Dauid, vt benediceret inseruientem, quod ab studio vindictæ reuocatus foret.*

Orig. & c. in c. 12. ad Rom. Aug. c. 16.

1. Reg. 24. 18.

Chrys. hom. 1. de Dau. & Saul.

Exod. 17. 6.

Amb. 1. offic. c. 21. Gen. 32. 1. Reg. c. 25. 32.

Amb. l. cit.

V. An-

V. ANTIDOTVM *Patientia. Pro quo* B. AMBROSIVS his verbis implorat Dominum. *Obiice Domine cõtra tam amarissimum iracundiæ malũ suauissimum sapientiæ bonum, in quo spectaliter animarum nostrarũ salus collocatur, cum nobis per Euangelium dicitur. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Quæ nimirum dum arcem & principatum in mente susceperit, omnes mox perturbationes compescit. Rixas & contumelias in exhortationem conuertit, confusum clamorem sub ordinato silentio premit, indignationem, tumoremque mentis mãsuetudine vincit, blasphemias gratiarum actione repellit.* Et GREG. quinto moralium. *Secundus seruandæ mansuetudinis modus est (contra iracundos) vt cum alienos excessus aspicimus nostra, quibus in altis excessimus delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam iniuriam tolerat, qui piè meminit quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. Et quasi aqua ignis extinguitur, cum surgente furore animi sua cuique ad mentem culpa reuocatur, quia erubescit sibi peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo sæpe se recolit parcenda peccasse.*

Amb. precat. 2. ante Missam.

Luc. 21. 19.

Greg. c. 22.

VIDE V. *Ambitio. Amor sui. Blasphemia. Consuetudo praua. Detractio. Discordia. Immodestia. Immortificatio passionum. Impatientia in aduersis. Inuidia. Iuramentum. Linguæ abusus. Maledictio. Murmuratio. Odium. Præsumptio. Superbia. Tentatio. Tristitia. Vindicatio iniuriæ.*

IVDICIVM PROPRIVM

Remedia contra Iudicium proprium.

I REMED. Considera diuinas scripturas, quæ monent ne nitamur iudicio proprio. vt in Prouerbiis Salomonis *Ne innitaris prudentiæ tuæ. Ne sis sapiens apud temetipsum,* Et. *Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in stultitia sua.* Et. *Qui confidit in corde suo stultus est.* Et apud Isaiam *Væ qui sapientes estis in oculis vestris.* Et apud Apostolum. *Non plus sapere, quã oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* 2. monent, vt requiramus consilia aliorum. Vt in Prouerbiis. *Salus, vbi multa consilia.* Et. *Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia.* Et. *Astutus omnia agit cum consilio,* Et in Ecclesiastico. *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* 3. monet vt nitamur consilo maiorum, sapientiorũ & sanctorum. Vt in Deut. *Interroga patrem tuum & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Et in Ecclesiastico. *Iudicium patris audite filii, & sic facite, vt salui sitis.* Et. *Stola sancta auro, & hyacintho, & purpura, opus textile viri sapientis iudicio & veritate præditi.* Et. *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate & cum iniusto de iustitia &c. Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcunque cognoueris obseruantem ti-*

Prou. 3. 5. Prou. 17. 13. Prou. 28. 26. Isa. 5. 21. Rom. 12. 16. Prou. 11. 14. 12. 15. 13. 16. Eccli. 32. 24. Deut. 32. 7. Eccli. 3. 2. Eccli. 4. Eccli. 37. 12. v. 15.

morem Dei. Anima viri sancti enunciat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.

Cypr. serm. de natiu.

II. REMED. Considera iudicium SS. Patrum. S. CYP. de natiuitate Christi. *Hic est primus religionis introitus: sicut in mundum primus Christi ingressus, vt quicunque piè vult viuere, humiliter de se sentiat, neq; supra se in mirabilibus ambulare præsumat. Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas, nec in cœlum stare potuit superba sublimitas.* B. GREG. Nazianzenus de moderatione in disputationibus. *Sapientiæ genus est seipsum nosse, ac non immodicè efferri. eodemque modo quo voces affici, quæ si vehementius contendantur, propter immoderationem penitus deficiunt. Præstat cum doctrina instructus sis, propter animi æquitatem facilitatemque consulto cedere, quam cum eruditione careas per insolentiam ac temeritatem altius efferri.* B. BASILIVS in verba Isaiæ. Et consiliarios tuos, sicut ab initio *Sacra quædam res est consilium, voluntatum vnio, fructus dilectionis, humilitatis insigne. Et uerso intolerabilis est superbiæ argumentum, existimare se nullius egere consilio: sed sibi vni attentum esse, quasi solus possit sibi consilio decernere quæ optima sunt.* Et oratione de felicitate. *Magnam meherc e affert hominibus vtilitatem consilium, eo quod nemo sibi sufficiat ad electionem rerum vtilium honestarumue. Vnde haud absurde homo consilii expers similis censetur nauigio rectore carente, quod ventorum impetu huc illucque impellitur. Qui verò habens consilium bonum suam potius prauam sequitur sententiam, similis profecto est regi Roboam, qui spreto salutari consilio senum, adolescentum, qui secum educati erant, opinionem secutus decem tribus Israhel ab imperio suo abscidit.* Et in regibus breuioribus. *Non est rationi consonum si quis in omnibus suo stare velit iudicio, nec periculo, aut contumaciæ suspicione caret in congregatione multorum nolle maioris partis sententiæ acquiescere.* Et in Epistola ad Chilonem Anachoreten. *Ne primo mox aditu oculis in sublime porrectis velis irscendere supercilioſum apicem religiosæ exercitationis, maxime omnium cane, ne tuo vnius consilio imprudenter innixus, tibi vni permittas plus æquo fidue æ ne quãdo per rudem rerum inexperientiam è sublimi fastigio religionis, quam ex professo percolendam accepisti, deturbere.* B. AMBROSIVS in libris officiorum. *Non despiciat, quid de se vnusquisque & maximè vir optimus sentiat. Hoc enim modo discit bonis deferre reuerentiam. Nam negligere bonorum iudicia, vel arrogantiæ vel dissolutionis est: quorum alterum superbiæ asscribitur, alterum negligentiæ.* Etrursus. *Sequatur conuersationis electio, vt adiungamur probatissimis quibusque senioribus. Namq; vt æqualiũ vsus dulcior, ita senum tutior est. Nam sibi qui iunctignari locorum cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt, quanto magis adolescentes cum senibus debẽs nouam sibi iter vitæ aggredi, quo minus errare possint, & à vero tramite virtutis deflectere? Nihil enim pulchrius, quam eosdem & magistros vitæ & testes habere.* HIERONYMVS in epistola ad Rusticum monachum. *Credas tibi salutare quicquid monasterii Præpositus præceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officit est obedire.* CASSIANVS collatione secunda. *Nullo alio vitio*

Basil. in c. 1. Isa.

Orat. 21.

3. Reg. 12. 13.

Basil. q. 123.

Amb. lib. 1. c. 47

Id. cap. 43.

Hier. ep. 4.

Cass. cap. 11.

tam

tam præcipitem diabol⁹ monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quàm cum neglectis consiliis seniorum suo iudicio persuaserit, definitioni q confidere. B. BERN. sermone de resurrectione. *Quæ maior superbia esse potest, quam si vnus suum iudicium præferat vniuersæ congregationis iudicio, quasi solus haberet Spiritum Dei?* Et iterum. *In corde duplex est lepra, propria voluntas & proprium consilium. Lepra vtraque nimis pestima, eoque pernicio sior, quo magis interior.* Et in Epistola ad Ogerium. *Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.* Et in Psalmum Qui habitat. *Non piget quottes datur occasio, ab hac tam graui peste (obstinationis) præmunire vos, vt eam omnimodis fugiatis, quod hæc quidem sit summa quædam religionis subuersio, & verè iuxta testimonium legislatoris venenum aspidum insanabile, &c.*

Bern. serm. 2. & 3.

Ep. 87. Serm. 13.

III. REMED. Ne facile iudicio proprio delinquas in vitæ tuæ institutione, vnius vel plurium consilio ac iudicio, iuxta diuinæ scripturæ Patrumque monita iam citata vtare. Nec enim desunt exempla eorum, qui id fecerint. S. BASILIVS in Isaiam ex sacris litteris depromit duo. *Quantum*, inquit, *emolumenti obueniat ex accepto consilio declarat vel maximè Moyses, qui omni sapientia Ægyptiorum eruditus, qui familiari colloquio cum Deo congrediebatur, perinde atque si amicus loquatur cum suo amico. Hic tantus consilium sibi reditum à Iethro socero suo accepit, &c. Dauid insuper consiliaris est vsus Chusi, per quē dissipauit militare consilium Achitophel.* Alia duo CASSIANVS. Alterum Prophetæ Samuelis, quē *cum Dominus nollet*, inquit ille, *per semetipsum diuini colloquii disciplina erudire, recurrere semel & iterum passus est ad senem, indicans se etiam illius qui offenderat Deum, dummodo senioris, doctrina eum velle institui, vt & illius, qui ad diuinum ministerium vocabatur, probaretur humilitas, & iunioribus forma subiectionis huius proponeretur exemplo.* Alterum Apostoli Pauli. *Quem*, ait, *per semetipsum vocans & alloquens Christus, cum posset ei perfectionis viam reserare confestim, dirigere ad Ananiam mauult, & ab eo iubet viam veritatis agnoscere, &c. ne posteris malum præsumptionis præberet exemplum, dum vnusquisque sibimet persuaderet, simili modo se quoque debere DEI solius magisterio atque doctrina potius quam seniorum institutione formari. Quam præsumptionem omnimodis detestandam etiam ipse Apostolus non solum litteris, sed etiam opere atque exemplo docet, ob hoc solummodo se asserens Ierosolymam ascend sse, vt Euangelium, quod comitante gratia Spiritus S. cum potestate signorum & prodigiorum gentibus prædicabat, cū suis coapostolis & antecessorib. priuata quodā modo ac domestica examinatione conferret. Et contuli, inquiens, cum illis Euāgelium, quod prædico inter gentes, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. Qui ergo tam præsumptor & cæcus sit, qui se audeat suo iudicio ac discretioni cōmittere cum vas electionis in diguisse cū apostolorū suorum se collatione testetur?* Hoc admirandæ submissionis exemplum secutus B. HIER. licet ad miraculū eruditus, tum ita de se scribit ad Pammachium & Oceanum. *Cano*, inquiens, *iam capite ini Alexandriam, vt audirem Dydimum*

Basil in c. 1. Exod. 18. 24. 2. Reg. 15. 33. Cass. coll. 2, c. 14. & 15. 1. Reg. 3. 5.

Act. 9. 7.

Gal. 2. 2.

Hier. ep. 65.

Ep. 4. tum alios instruxit, vt Rusticum monachum his verbis. *Mihi quidem placet, vt habeas sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, & absque doctore ingrediaris viam quam nunquam ingressus es, statimq; in partem alteram tibi declinandum sit, & errori pateas.* Et Paulam Romanam. *De scripturis,* scribit ad Eustochium, *de cui eam, quod didiceram non á meipso, id est, à præsumptione pessimo præceptore, sed ab illustribus Ecclesiæ viris.* S. BERN. in S. Malachia Hyberniæ antistite, hoc maxime laudat, quod cum ab ineunte pueritia daclarasset se Doctorem habere Deum, institutioni tamen cuiusdam solitarii, nomine Ymari, qui in vrbe Ardinacha iuxta Ecclesiam commorabatur ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte, humiliter se subiecerit. *Legant,* inquit, *hoc qui docere, quæ non didicere conantur, discipulos sibi coæruantes, qui nunquam discipuli extitere cæci duces cæcorum. Si Malachiæ exemplum eis pro minimo est, Pauli opus attendant Nonn. Euangelium suum, quod non ab homine acceperat, sed à Christo, cum hominibus tamen censuit conferendum, ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset? Vbi ille securus non est, nec ego.* SIMEON Metaphrastes scribit B. ARSENIVM eremitam, licet doctissimum, tamen maioris humilitatis exercendæ causa, consuesse etiam in rebus leuioribus iuniorum consilia scisciatari, & sequi. Verum & SENECA homo gentilis hoc antidotum suis discipulis præscripsit. *Accipe,* inquit ad Lucilium, *& quidem vtilem & salutarem* epistolæ clausulam, *quam te affigere animo volo. Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ut semper ante oculos habendus, vt sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit, custodem nobis & pædagogum dedit. Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant. Nisi ad regulam, prava non corriges.* Et alibi refert Augustum Cæsarem, cum quidpiam fecisset, cuius postea pœniteret, sæpe exclamasse. *Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa, aut Mecœnas vixisset.*

Gal. 2. 2. Metaph. in eius vita. Sen. ep. 11. Sen. lib. 6. de benef. c. 32.

IV. REMEDIVM. Considera, quales esse debeant, quorum vti consilio, & iudicio niti decreueris, nempe sapientia & pietate conspicui, vitæque probatissimæ, vt congruenter scripturis citatis tradunt iidem SS. Patres. Nam B. AMB. ita scribit in officiorum libro altero. *Huiusmodi viro salutem nostram & existimationem committimus, qui sit iustus & prudens. Facit enim iustitia, vt nullus sit fraudis metus: facit etiam prudentia, vt nulla sit erroris suspicio. Promptius tamen nos iusto viro quam prudenti committimus, vt secundum vsum vulgi loquar. Cæterum sapientum definitione, in quo vna virtus est, concurrunt cæteræ, nec potest sine iustitia esse prudentia.* Et rursum. *Talis esse debet, qui consilium alteri det, vt seipsum formã aliis præbeat ad exemplum bonorũ operũ in doctrina, in integritate, in grauitate: vt sit eius sermo salubris atq; irreprehensibilis, consiliũ vtile, vita honesta, sententia decora. Talis erat Paulus, qui consilium dabat virginibus, magisteriũ sacerdotibus, vt primũ seipsum præberet nobis formã ad imitandũ.* Et paulo post. *Talis igitur debet esse consiliarius, qui nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil fabulosum*

Amb. c. 8. Cap. 17. 1. Cor. 7. 27.

losum, nihil simulatum, quod vitam eius ac mores refellat, nihil improbum, ac maleuolum quod auertat consulentes. His addit B. BASIL. in tractatu de renunciatione. *debere esse ab auaritia abhorrentem, quietum, egentium studiosum, minimè iracundum, iniuriarum immemorem, natura prepensum ad eos docendos, qui ad ipsum accedunt, quem gloria inanis non inflet, adulatio non frangat, seuerũ & constantem, cui denique nihil sit præstantius honore Dei.* Basil.

CASSIANVS verò ita scribit. *NON omnium seniorum, quorũ capita canities tegit, quosque vitæ longeuitas sola commendat nobis, sunt imitanda vestigia seu traditiones ac monita suscipienda, sed eorum, quos laudabiliter vitam suam, ac probatissimè, comperimus in iuuentute signasse, nec præsumptionibus propriis, sed maiorum traditionib. institutos.* Cass. coll. 2. c. 11.

Ac deinde subiicit exemplum monachi in summam desperationẽ ex seueriore cuiusdam senioris responso coniecti, cum ei tentationem quandam grauem patefecisset. Meliorem se consiliarium quondam præbuit GREG. magnus Venantio Italiæ Cancellario, qui consilio quorundam fautorum mortis, (ita ipse vocat eius consiliarios) habitum monasticum excusserat. *Qui fautores*, inquit, *non te sed res tuas diligunt, nulla tibi nisi quæ ad tempus placeant loquuntur. Tales enim fuerũt dudum consiliarii qui te ad tanti facinus perduxerunt delicti. Vt tibi aliquid secularis authoris loquar. Cum amicis omnia tractanda sunt. sed primu de ipsis. Si verò in causa tua hominẽ consiliariũ quæris, consiliarium rogo me suscipe. Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest, quàm qui non tua, sed te diligit. Omnipotens Dus cordi tuo indicet cor meum, quanto te amore, quantaque caritate amplectitur, in quantum tamen diuina gratia non offendatur. Nam sic culpam tuam insequor, vt te diligam: sic pe sonam diligo, vt culpæ vitium non amplectar, &c.* Greg. lib. 1. c. 33.

V. REMED. Considera causas, cur in vitæ totius, maximè spiritualis institutione potius alieno, quã proprio iudicio nitendum sit. Prima causa est, summa nostra ignorantia earum rerum quæ ad vitam piè sanctèq; instituendam pertinent. Pauca enim sunt, quorum certam & firmam notitiam consecuti sumus. Excipio quæ vel fidei Catholicæ autoritatè, vel ex communi SS. Patrum sententia, vel euidenti ratione credimus, vel vera esse cognoscimus. Deinde complura ex iis, quæ nobis quondã certissima verisimaque visa sunt, nunc accuratius ad veritatis trutinam expensa, aut falsa aut parum videntur probabilia. Ad hæc in vna eademque quæstione, siue theorica, siue practica, quanta est opinionum etiam inter eruditissimos varietas? quid autem facies, si diiudicare nequeas, quæ verior sit, nisi ducem aliquem sequare? Quare meritò B. GREGORIVS in libros Regum scribens, dixit, *magnum esse ignorantiæ humanæ pelagus*: & in lob ait, *à luce veritatis in tantas nos ignorantiæ tenebras corruisse, vt nos ipsos ignoremus.* 2. Causa, sunt ingenitæ omnibus passiones amoris sui, iræ, & similium, quæ, dici nequit quam obscurent rationem, quo minus rectè iudicare possit. *Nã sæpe*, inquit idem Gregorius, *vitia fluxa contra delinquentium* Greg. in 1. Reg. l. 5. c. 14. Et 11. mor. c. 22. Id. 9. mor. c. 18.

culpas

culpas accendimur, & cum vltra æquitatis metas per iram rapimur, hoc z lũ iuſtæ diſtrictionis æſtimamus. Sæpe officium prædicationis aſſumimus, vt per hoc fraternæ vtilitati ſeruiamus: ſed niſi placeamus, cui loquimur, nequaquam libenter accipitur quod prælicamus. Cum q̃ placere mens vtiliter ſtudet, ad amorem laudis propriæ turpiter defluit, &c. Quaſi latrunculus quippe eſt appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere iungitur, vt ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur.

Dor. ſerm. 19. Vnde S. DOROT. *Cum ſubiecti ſimus multis paſſionibus, prauis q̃ affectibus, noſtro iudicio non debemus omnino fidere. Quando enim norma, vel regula curua eſt & inflexa, nunquam quod ſecundum eam dirigitur, rectum efficitur. ſed diſtortũ.* Quocirca humanis quoque legibus cautum eſt, ne quis iudicem in cauſa propinquorum, vel amicorum agat, propterea quod in eiuſmodi cauſis Iudices affectu potius quam ratione duci ſoleant. *Quod ſi autem culpam amici,* inquit B.

Bern. tract. de grad. humil. BERN. *in tuo iudicio amor illius aut minuit, aut prorſus abſcondit, quanto magis amor tui tuum contra te iudicium fallet?*

VI. REMED. Conſidera hanc doctrinam de iudicio proprio non ſectando, inprimis religioſi inſtituti cultoribus debere eſſe commendatam. Et ratio eſt manifeſta. Quia illorum vocatio poſtulat, vt ſeipſos abnegent, & non modo iudicium ſuum & voluntatem, verumetiam totos

2. Cor. 8. ſe anima & corpore Deo offerant, & ſuperioribus tanquam DEI Vicariis, vt fecêre quondam illi, de quibus ſcribit Apoſtolus. *Semetipſos dederunt, primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.*

Matth. 19. 27. Et omnes Apoſtoli, qui in perſona Petri exclamarunt. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te &c. Quia enim non ſufficiebat relinquere omnia; (hoc enim & Crates fecit Philoſophus & alij multi qui diuitias contempſerunt) iunxere quod perfectum eſt,* inquit B. Hieronymus: *Et ſecuti ſumus te &c: fecimus quod iuſſiſti.* Ita S. BASILIVS. in regulis fuſius diſputatis. *Qui ſeipſum,* inquit, *abnegauit, ſeſeq; voluntatib. omnibus ſpoliauit, is non quod vult faciet, ſed quod docetur. Neque verò ratio permittit eum ſibi ipſi quod expediat, eligere, qui gubernationem ſui aliis tradiderit.* Et iterum. *Etenim cui animas noſtras gubernandas commiſimus tanquam Deo de iis rationẽ reddituro, prorſus abſurdiſſimè facimus, ſi huic fidem in rebus contemptiſſimis abrogamus.*

Bern. ſerm. 19. in Cant. Et S. BERN. inuehês in quoſdã religioſos, q plus ęquo ſuo fidebãt iudicio. *Qui veſtri,* ait, *curã ſemel nobis credidiſtis, qd rurſum de vobis vos intromittitis?*

VII. REMED. Conſidera exempla eorum, quibus malè ceſſit, quod in ſuo iudicio pertinaciores fuerint. Primum eſt apud B. GREGORIVM in quarto dialogorum. Cum adhuc eſſem iuuenculus, inquit,

Greg. c. 40. narrari à maioribus audiui, quod Paſchaſius huius Apoſtolicæ ſedis diaconus miræ ſanctitatis vir fuerit, cultor pauperũ, & contemptor ſui. Sed hic in ea contentione, quæ in ardeſcente zelo fideliũ inter Symmachũ atque Laurentium facta eſt, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit, & omnium poſt vnanimitate ſuperatus in ſua tamen ſententia vſque ad

diem

diem sui exitus perstitit illum amando atque præferendo, quem Episcoporum iudicio præesse sibi Ecclesia refutauit. Hic itaq; cùm temporibus Symmachi Apostolicæ sedis præsulis esset defunctus, eius dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus tetigit, statimq; sanatus est. Post multum verò temporis Germano Capuano Episcopo medici pro corporis salute dictauerant, vt in angularibus thermis lauari debuisset. Qui ingressus easdem thermas prædictum Paschasium stantem & obsequentem in caloribus inuenit. Quo viso vehementer extimuit, & quid ille vir tantus faceret, inquisiuit. Cui ille respõdit. Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentii contra Symmachum sensi: Sed quæso te, pro me dominum deprecare. Atq; in hoc cognosces quod exauditus sis si huc rediens me nõ inueneris. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus strinxit, & post paucos dies rediens Paschasium in eodem loco minimè inuenit. ALTERVM est apud Io. CASS. collatione secunda ita scribentẽ. Recolite id q̃ nuper gestum oculorum vestrorũ vidistis obtutibus, senem videlicet Heronem ante paucos admodum dies illusione diabolica à summis ad ima deiectum, quẽ quinquaginta annis in hac eremo commoratum singulari districtione continentiæ rigorẽ tenuisse meminimus. Hic igitur quo pacto post tantos labores grauissimo corruens lapsu cunctos in hac eremo constitutos luctuoso dolore perculit? Nonne quia minus discretione possessa, suis definitionib. regi, quã consiliis, vel collationib. fratrum, atq; institutis maiorũ, maluit obedire? Qua præsumptione deceptus Angelum Satanæ velut Angelũ lucis cum summa veneratione suscipiens, eiusq; p̃ceptis prono obediens famulatu, semetipsum in puteũ, cuius profunditatem oculorũ non attingit intuitus, præcipitẽ dedit, de Angeli videlicet sui sponsione non dubitans, qui cum p̃ merito virtutum, ac laborum suorum nequaquã posse firmauerat vlliam discrimini subiacere. De quo ingenti fratum labore extractus vitam die tertia finiturus, in deceptionis suæ obstinatione permansit, non credens, quod dæmonum calliditate fuisset delusus. Idem Cass. collatione decimasexta, non dubitat affirmare, *impossibile esse quenquam qui proprio fidit iudicio diaboli illusione non decipi*. Sicut contra Abbas Moyses apud eundem, *Nullatenus, fraudibus & insidiis inimici decipi posse, qui non suo iudicio, sed maiorum viuit exemplo*. TERTIVM est apud B. Dorotheum, qui commemorat MACARIVM abbatem, cum aliquando dæmonem vidisset multis onustum ollis, rogasse illum, quis ollarum foret vsus ac respondisse, se solere monachos variis illecebris à virtutis cultu abducere, & iam vnum eorum in nassam pellexisse, cuius & nomen prodidit. Quem monachum mox Macarius conuenit, cognouitq; eũ tentationes suas Patri spirituali nõ patefecisse, atque ideo monuit, ne deinceps suo iudicio fideret,

Cass. c. 5.

Id. c. 11.

Coll. 2. c. 10.

Doroth. serm. 8.

quod & fecit. Cum verò postea dæmon iterum se spectandum præbuisset, percunctatus ab eo est, num dictus monachus adhuc inter amicos esset. Ille furiosè respondit, ex amico factum hostem.

VIDE V. *Amor sui. Curiositas. Illusiones spirituales. Immortificatio passionum. Inobedientia. Præsumptio. Superbia. Voluntas propria.*

IVDICIVM TEMERARIVM

Remedia contra Iudicium temerarium.

I. REMED. Considera Spiritus sancti oracula contra Iudicium intempestiuum & temerarium. *Nunquid Deus,* ait Iob, *vestro indiget mendacio, vt pro illo loquamini dolos? Nunquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini?* Et Dauid. *Si verè vtique iustitiam loquimini, recta iudicate filij hominum.* Et Isaias. *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras*: Et Christus apud Matthæum. *Nolite iudicare, vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis iudicabimini.* Et apud Ioannem. *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Et Paulus ad Romanos. *Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo. n. iudicas alterũ, teipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.* Et. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit.* Et. *Non ergo amplius inuicem iudicemus: sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum vel scandalum fratri.* Et ad Corinthios. *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. sed neq; meipsum iudico. Qui me iudicat Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus &c.* Et. *Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non vtiq; iudicaremur.* Et. *Nolite ante tempus iudicare.* Et. *Quid mihi de his, qui foris sunt, iudicare?* Et B. Iacobus. *Tu autem quis es, qui iudicas proximum?*

Iob. 13. 7.
Psal. 57. 1.
Isa. 5. 20.
Matth. 7. 1.
Ioan. 7. 24.
Rom. 2. 1.
Rom. 14. 4.
1. Cor. 4. 3.
2. Cor. 11. 3.
1. Cor. 4. 5.
2. Cor. 5.
Iac. 4. 13.

II. REMED. Considera SS. Patrum sententias. B. EPHRAEM. *Non iudicemus quenquam, quia non nouimus eius pœnitentiam: neq; si quid ridentem, aut loquentem aspexerimus, cum nobis exploratum non sit, quomodo in sua cella vitã degat, aut cuiusmodi erga Deum laborem subeat. Ideo vnumquemque nostrum oportet sibi ipsi attendere, quia singuli nostrum Deo rationem reddituri sunt.* AMBROSIVS in psalmum 118. *Graue est de alio iudicare. Vnde etiam scriptum est. Nolite iudicare & non iudicabimini. cum enim vnusquisq; sit suorum conscius peccatorum, quomodo potest de alterius iudicare peccato? Iudicet de alterius errore, qui non habet, quod in seipso condemnet. Iudicet ille, qui non agat eadem, quæ in alio putauerit punienda, ne cum de alio iudicat, in se ferat ipse sententiam. Iudicet ille, qui ad pronunciandum nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducatur.* BASILIVS in regulis breuioribus. *Cum Dominus aliàs dicat. Nolite iudicare, & non iudicabimini: aliàs verò iustum iudicium iudicandum*

Ephr. paræn. 4.
Amb. serm. 20.
Luc. 6. 37.
Bas. q. 164.
Matth. 7. 1.
Ioan. 7. 24.

dicandum esse præcipiat, nequaquã in vniuersum interdicitur nobis, quo minus iudicemus, sed in iudicio faciendo iubemur delectum habere, quem dilucide monstrante nobis Apostolus; qui de his quidem, quæ posita sunt in libera cuiusq; potestate sunt dixerit. Rom.14.4.3. *Tu autem quid iudicas fratrem tuum? Et iterum. Non ergo amplius inuicem iudicemus. In his verò quæ displicent Deo, eos reprehendat qui non iudicant,* HER. contra Luciferianos. Hieron. *Nemo potest Christi palmam sibi assumere, nemo ante diem iudicij de hominibus iudicare. Si iam mundata est Ecclesia, quid Domino reseruamus? Est via quæ videtur esse apud homines recta, nouissima autẽ eius veniunt ad profundum inferni. In hoc errore iudicii quæ potest esse certa sententia?* Prou.14.12. Et ad virgines Hermonenses, Hier.ep.39. *Apostolus ait. Nolite iudicare ante tempus. Tu enim quis es, qui alienum seruum iudices? suo Domino stat, aut cadit. Et qui stat, videat, ne cadat. Et inuicem onera vestra portate. Aliter sorores carissimæ hominum liuor, aliter Christus iudicat. Non eadem est sententia tribunalis eius, & anguli susurronum. Multæ hominibus viæ videntur iustæ, quæ postea reperientur praue. Et in testaccis vasis aurum sæpe reconditur. Petrum ter negantem amaræ in suum locum restituere lacrymæ. Cui plus dimittitur plus amat.* Rom.14.4. Gal.6.2. AVGVSTINVS de sermone Domini in monte. *Duo sunt, in quibus temerarium iudicium cauere debemus: cum incertum est quo animo quidque factum fuerit: vel cum incertum sit qualis futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet. Si ergo quispiam, verbi gratia, conquestus de stomacho ieiunare noluit, & tu id non credens edacitatis vitio tribueris, temere iudicabis. Item si manifestam edacitatem ebriositatemq; cognoueris, & ita reprehenderis, quasi nunquam illa possit corrigi atque mutari, nihilominus temerè iudicabis. Non ergo reprehendamus ea quæ nescimus quo animo fiant, neq; ita reprehendamus, quæ manifesta sunt, vt desperemus sanctatem. Euitabimus iudiciũ, de quo nunc dicitur. Nolite iudicare, ne iudicetur de vobis.* Aug. lib.2. c.28. IO. CASSIANVS in institution. monasticis. Cass.l.5.c.30. *Oportet vnumquemque seipsum iudicare tantummodo, non aliorum conuersationem vitamq; discutere, secundum illud Apostoli præceptum. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? suo Domino stat, aut cadit. Et illud. Nolite iudicare, vt non iudicemini In quo enim iudicio iudicaueritis iudicabimini. Ob hoc enim iudicare de aliis periculosum est, quod ignorantes vel necessitatem, vel rationem, qua illi hæc, in quibus offendimus, aut rectè coram Deo, aut venialiter agunt, inuenimur eos temerè iudicasse & per hoc admittimus non leue peccatum.* Rom.14. Matth.7. B. PROSPER libro Epigrammaton. Prosp.c.21.

Culpare in quoquam, quæ non sunt nota, malignum est,
Præsertim, quæ sunt cognita, si bona sunt.
Non pateant faciles sæuis rumoribus aures:
Quæ nescire iuuat, credere non libeat.
Linquantur secreta Deo, qui, si quid opertum est,
Inspicit, & nullis indiget indicijs.

III. REMED. Considera, quàm graue peccatum sit, temere iudicare de aliis. Solus enim Deus scrutatur corda & renes, solus illuminat abscondita

Aug.l.9.c.5. seondita tenebrarum. Qui ergo de corde alterius, id est, de intentione & fine, quo hoc vel illud facit, iudicat, Dei partes & iudiciũ vsurpat. *In disciplina Christiana*, inquit Aug in libris de Ciuitate Dei, *non tam quæritur, vtrum quis iracatur, quam quare iracatur: nec vtrum sit tristis sed vnde sit tristis, nec vtrum timeat, sed cur timeat.* Qui ergo affectus iræ, tristitiæ, tumoris, & similes iudicat

Iac.4.11. vitiosos, cũ sint interni & occulti, Dei sibi partes vsurpat. Hoc sensu & B. Iac. scripsit. *Qui iudicat fratrẽ, iudicat legem.* Legis. n. sibi partes vsurpat, secundũ quam debet iudicari. *Si autem iudicas legẽ*, addit, *non iam legis factor es, sed iudex.* At lex Dei nobis data est vt eã faceremus, non vt quoslibet secundum eam iudicaremus. Vnde Augustinus. *Noluit Deus hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, siue vltro confessum, siue accusatum atque conuictum.* 2. qui temere iudicat de alio, apertè delinquit, contra præceptum caritatis de diligendo proximo; postulat enim caritas vt bonam opinionem habeamus de proximo, & bonam eius famam tueamur, quam iudicii temeritate, violamus. Deinde peccat contra illud CHRISTI

Matth.7.12. Aug.in Psal.118. Edictum, legi naturæ consentaneum, & à gentili Cæsare Alexandro laudatum. *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines & vos facite illis.* Vnde AVGVSTINVS exponens verba Psalmi regii. Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum. *Profectò*, inquit, *contra hoc malum, quo quisq; libenter de homine malum, quod non prospicit, suspicatur, caritas habenda est, quæ non*

Ioan.13.34. Id.serm.202. *æmulatur, quam Dominus præcipue commendat dicens. Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis.* Et in sermone de tempore. *Maxima enim pars generis humani indiscreto iudicio ad reprehendendum prompta & parata esse probatur, cum tamen non ita se velit ab aliis iudicari, quo modo vult alios iudicare. Propter hoc scriptura diuina admonet dicens. Priusquam interroges, ne vituperes quenquam, & cum interrogaueris, corripe iustè. Omnis homo prius se vult interrogari, & postea si reus*

Eccli.11.7. Matth.7.12. *est, patienter tolerat reprehendi. Et quicquid nobis oẽs volumus ab aliis fieri, iustũ est vt hoc in aliis studeam⁹ implere, propter illud quod scriptũ est. Oĩa quæcunq; vultis, &c.*

IV. REMED. Occupate potius in propriis vitiis, vtpote certis & notis, censendis & iudicandis, quàm in alienis, vtpote incertis & occultis. Hoc antidotum non obscurè CHRISTVS dedit Pharisæis & Scribis

Ioan.8.6. apud B. Ioannem, temere accusantibus adulteram, cum ipsi pleni essent peccatis. Scripsit enim in terra, nempè eorum scelera, vt quidam exponunt, & dixit. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*, & ilico

Matth.7.3. dilapsi sunt. Deinde apud Matthæum, cum post verba illa. *Nolite iudicare vt non iudicemini*, subiecit; *Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in*

Aug.c.30. *oculo tuo non vides? Hypocrita eice primum trabem de oculo tuo.* In quæ verba B. AVGVST. lib. 2. de sermone Domini in monte. *Quantum* ait, *inter festucam & trabem, quasi tantum inter iram distat & odium. Odium enim est ira inueterata, quasi*

ta, quasi quæ vetustate ipsa tantum robur acceperit, vt merito appelletur trabes. Et infra. *Piè cauteq; vigilandum est, vt cum aliquẽ reprehendere vel obiurgare nos necessitas coegerit, primum cogitemus, vtrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus, vel quo iam caruimus. Et si nunquam habuimus, cogitemus, & nos homines esse & habere potuisse, &c. Si autem cogitantes nosmetipsos inuenerimus in eo vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neq; obiurgemus sed tamen congemiscamus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cauendum inuitemus.* B. GREG. vero idẽ antidotum eruit ex verbis de adultera. *Qui semetipsum,* inquit, *prius non iudicat, quid in alio rectum iudicet ignorat. Et si nouit forte per auditum, quod rectè iudicare debeat, rectè tamen iudicare aliena merita non valet, cui conscientia innocentiæ propriæ nullam iudicii regulam præbet. Hinc est enim, quod insidiantibus quibusdam, & puniendam adulterã deducentib⁹ dicitur. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Ad aliena quippe peccata punienda ibant, & sua reliquerant.* Nec exempla huius remedii desunt. *Senex quidam,* vt est in Prato Spirituali, *à fratre rogatus, quid causæ esset, cur assiduè iudicaret fratres monachos, respondit. Quia nec dum teipsum cognouisti. Nam qui seipsum nouit, fratrum vitia non aspicit.* Et Abbas Moyses vt est in Vitis Patrum, in libro. *Quod non oportet iudicare quenquam.* in deserto Scethi celebris, accersitus vt sententiam diceret in fratrem lapsum, aduenit sacco arena pleno onustus, rogatusq; quid ferret, respondit. Peccata sua, quæ quoniam vix ferre valeret, multo minus aliena iudicare posset. Sic præpositi memores se quoq; esse peccatores, noxam fratri condonauere. Et iterum. Cum Ioseph quidam percunctatus esset Abbatem Pastorem, qua ratione requiem in hoc seculo & futuro obtinere posset, respondit. Si in omni causa diceret. Quis sum ego? & ne iudices quenquam.

Greg. 14. mor. c. 15.

Ioan. 8. 7.

Pratum. c. 134.

Vitæ PP.

Ibid.

V. REM. Facta aliorum dubia & incerta, hoc est, de quibus non constat quo animo fiant, si tamen in speciem sint bona, semper interpretare in bonam partem. Ita B. Augustinus loco citato in verba. *Nolite iudicare. Hoc loco,* inquiens, *nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est quo animo fiant: in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est. Ex fructib eorum cognoscetis eos, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, sicut sunt stupra, vel blasphemiæ, vel furta, vel ebriositas, & si qua sunt alia, de quibus nobis iudicare permittitur, dicente Apostolo. Nonne de iis qui intus sunt vos iudicatis?* Quod si verò facta aliorũ certò constet esse mala, etiam si ea iudicare possimus & corrigere, tamẽ conueniens est caritati Christianæ vt consiliũ S. BERN. sequamur ita scribẽtis in Cãtica. *Cauc alienæ cõuersationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex, etiam si perperã actũ quid deprehẽdas, nec sic iudites proximũ, magis autẽ excusa. Excusa intentionẽ, si opus nõ pores, puta ignorantiã, puta subreptionẽ, puta casũ. Quod si omnem omnino dissimulationẽ rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum. Vehemens fuit nimis tentatio;*

Aug. c. 30. Matth. 7. 1.

Ibid. 20.

1. Cor. 5. 12.

Bern. serm. 4.

Gal. 6. 1.

Quid

Id. serm. 12. *Quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem?* Et iterum. *Si in quo claustro est, cum qui versatur in populo interdum minus districtè, minus ne circumspectè sese agere deprehenderit, verbi gratia in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio, non ad iudicandum confestim prosiliat, sed meminerit scriptum.*

Eccli. 42. 14. *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier.*

Iac. 5. 20. *Nam tu quidem in tui custodia vigilam bene facis, sed qui iuuat multos, & melius facit & virilius.*

Luc. 23. 34. *Quod si implere non sufficis, absq; aliqua iniquitate, id est, absque aliqua inæqualitate vitæ & conuersationis tuæ, memento, quia caritas operit multitudinem peccatorum. Hæc dicta sint contra geminam tentationem, qua sæpe viri religiosi Episcoporum vel ambire gloriam, vel excessus temere iudicare diabolicis instigationibus incitantur.* Nec desunt huius antidoti exempla illustria. Christvs enim Dominus crucifixorum suorum facinus execrandum leniuit excusatione ignorantiæ, cum ita oraret. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

Dor. doct. 6. Et apud Dorothæum Anachoreta quidam, vt cognouit fratris sui lapsum, dixit. Hei mihi, quia ille hodie, cras ego. Quàm cito, inquit, ille inuenit, ne fratrem suum iudicaret?

Bern. serm 3. de resurr. Hoc enim verbo ego cras, iniecit sibi metum, vt caueret à lapsu simili. Sic Bern. de eodem. *Quia exemplum efficacius persuadet, & altius imprimit animo, mitto vos ad sanctum illum senem, qui cum audisset peccasse vnum ex fratribus, amarissimè flebat, inquiens. Ille hodie, & ego cras. Qui sic flebat super se, putas, quia non compassus fuit fratri?*

VI. Remed. Considera multis, perperam illam iudicii temeritatem cessisse. Nam inprimis Maria soror Moysis, quia temerè iudicauit de Moyse propter vxorem eius Æthiopissam, percussa est lepra.

Num. 12. 10.

1. Reg. 1. 13. Deinde Heli Sacerdos, quia Helcane coniugem Annam Dominum toto pectore deprecantem ex motu labiorum temerè censuit temulentam, è sella deorsum lapsus fractis ceruicibus expirauit.

2 Reg. 6. 20. Ad hæc Michol vxor Dauid, quia leuitati non humiliati attribuit, cum Dauid ephod lineo accinctus ante arcam Domini saltauit, perpetuam sterilitatis contumeliam incurrit.

2. Reg. 10. 4. Et Hanon Rex filiorum Ammon, cum ex vana suspicione, quasi exploratum terram suam venissent, legatis regis Dauidis partem barbæ abradi iussisset, & vestes vsque ad nates succidi, pro barbis rasis capitis sui diadema, pro succisis verò vestibus regnum amisit.

V. PP. p. 2 de non iudicando. In Vitis Patrum, Isaac Abbas è Thebaide ad congregationem fratrum venerat, & in ea fratrem quendam temere iudicarat. Hunc ad eremum egressum Angelus aditu cellæ prohibuit, dicens. Non permitto te intrare. Quare? inquit ille. Tum Angelus. Quo ergo iubes ire quem iudicasti fratrem? Tum Abbas supplex Angelo factus, Peccaui, inquit, ignoscе mihi. Et Angel⁹. Surge, ignoscit tibi Deus: sed deinceps ne iudices fratrem, antequam sit iudicatus à Deo. Addo aliud. *VITALI monacho* de prostibulo egredienti, quidam, qui temere indicabat eum libidinis exercendæ causa in illo fuisse, colaphum

phum infregit,& illico à dæmone obsessus est. Adibat enim Vitalis prostibula,vt meretrices à turpi corporis quæstu auocaret,pecuniaque paciscebatur vel vnius noctis continentiam. Quæ res clarius patuit,cum percussorem suum à dæmone liberauit. Deniq; hoc remedium conuenit cum comminatione Christi apud Matthæum. *Nolite iudicare vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Nam credibile est Christum hic iudicium,non hominum,sed Dei temerariis iudicibus comminari voluisse, multò enim est terribilius, vti exponunt multi patres. Atq; id postulat antithesis. Nolite de hominib. iudicare,ne à Deo iudicemini. Qua enim seueritate de aliis iudicauerimus, eadem de nobis iudicabit. Eadem, inquam, non re,sed quadam proportione,vt sensus sit,quo seueriores nos fuerimus erga alios,hoc seueriorem Deum nobis fore. Matth. 7. 1. Chrys.hom. 14. Aug.l. 2. de ser. in monte. Beda.

Antidota contra temerarium iudicium aliorum de nobis.

I. ANTIDOTVM. Considera à condito orbe omnes bonos & sanctos obnoxios fuisse temerario iudicio aliorum, maximè improborum, & imperfectorum. Sic temere iudicauit de Abele Cain, de Iacob Esau, de Iosepho fratres. De Moyse soror & alii. de matre Samuelis Heli, de Dauide Saul, de Mardocheo Aman, de prophetis Iudæi. Et in nouo idem de S. Ioanne Baptista, & maximè de Christo Saluatore, qui apud Lucam ea de re queritur, dicens. *Venit Ioannes Baptista,neque manducans panem neque bibens vinum, & dicitis. Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis. Ecce homo deuorator, & bibens vinum,amicus publicanorum & peccatorum.* Ibidem Simon Pharisæus, iudicauit Christum non esse prophetam, eo quod permisisset se attingi à muliere peccatrice. Denique Apostoli ipsi cum Iuda fractionem alabastri in caput Christi malè interpretati sunt, eorumq; iudicium temerarium Christus multis verbis redarguit. Itaque quotiescunque idem tibi euenerit, hoc est, vt homines facta tua etiam optima interpretentur in deterrimam partem, dic cum ELIA propheta. *Non sum melior quam partes mei.* Et cum Christo. *Non est discipulus super magistrum. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Luc. 7. 33. v. 39. Matth. 26. 9. Mar. 14. 8. 3. Reg. 19. 4. Matth. 10. 25.

II. ANTIDOTVM. Contemne aliorum iudicia, si sint temeraria. Sic enim docuit Apostolos Dominus. Nam cum illi renunciassent Domino, Pharisæos eius sermone fuisse scandalizatos, respondit. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Et B. Paulus seruauit. *Mihi*, inquiens ad Corin- Matth. 15. 1. Cor. 4.

thios, *pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Docent etiam SS. Patres GREG. NAZIANZENVS in oratione de affectatione Cathedræ Constantinopolitanæ. *Quid mea interest* (nempe quod homnes calumniẽtur de mea affectatione) *qui rei veritatem magis curo, imò solum curo: hocenus vel me condemnauerit, vel absoluerit: hoc miserum vel beatũ reddiderit. At quid aliis videatur, nihil ad nos, quemadmodum nec alienum somnium. Non ita aliis videtur, ait. Quid verò? an iis qui vertigine correpti sunt, terra fixa & stabilis esse videtur? Quo circa fac prius fidem, sanos eos esse, qui de nobis ita sentiunt, ac tum nos admone, vt meliorem mentem induamus.* HIERONYMVS in Isaiam. *Spernentes hominum iudicia, nec laudibus eorum extollamur, nec obtrectationibus contristemur. sed ingrediamur rectam viã, & tritas à sanctis prophetis semitas.* Et ad Pammachiũ super obitu vxoris. *Prima virtus est monachi contemnere hominum iudicia, & semper Apostoli recordari dicentis. Si adhuc hominibus placere vellem, Christi seruus non essem.* Causam autem cur contemnere debeamus humana iudicia, reddit Augustinus in sermone Domini in monte, *quia temerarium iudicium plerumq; nihil nocet ei, de quo temere iudicatur: ei autem qui temere iudicat ipsa temeritas necesse est vt noceat.* 2. quia si conscii nobis nó simus mali de quo iudicamur, Deum habemus Patronum, qui, vt est in regum historia, non vt homines iudicat secundum faciem, sed intuetur cor. *Cuius iudicium*, ait dicto loco Nazianzenus. *cordatis hominibus pluris faciendum, magiq; curandum est, quam omnium hominum in vnum coactorum.*

Naz. orat. de seipso.

Hier. l. 1. c. 3.

Id. ep. 26.

Aug. l. 2. c. 19.

1. Reg. 16. 7.

III. ANTIDOTVM. Considera innocentium hominum existimationem sæpenumero etiam per miraculum contra iudiciorum temeritatem defensam. *DANIEL Abbas Ægyptius*, vt est in PP. Vitis, rustici domum ingressus vxori eius sterili sobolem à Deo impetrauit; cuius tumescente vtero rumor sparsus est eam ex Abbate concepisse. Quo cognito Daniel, conuocato toto populo infantẽ natum percunctatus est, essetne ipsius parens? Qui respondit. Non. Atq; ita suspicio criminis in admirationem sanctitatis erupit. Simile exemplum est de S. *Goare confessore*, qui cùm falsò à duobus clericis accusatus esset apud Rusticum Treuirensem Episcopum de gulæ crimine, multis miraculis sanctitatem suam contestatus est, tum apud ipsos clericos quos siti in itinere pene enectos lacte trium ceruarum precibus in loco deserto aduocatarum, fugitiuiq; fontis aquis recreauit: tũ apud Episcopum, qui cum Goari mandaret, vt pro suæ innocentiæ patrocinio ederet quis infantuli expositi tum forte ad Episcopum allati parens foret, ille inuocata diuina ope infantulum in nomine S. Trinitatis adiurauit vt genitorem suum proderet, & mox infans protenta in antistitem Rusticum manu clarè dixit, iste est pater meus. Qui hoc responso obstupefactus, ad pedes S. Goaris se abiecit & noxam temerarii iudicii sibi condonari, & pœnam iniungi pro expiando lapsu

Psal. 7. 10.

S. Daniel. Apud Surium in eius vita.

S. Goar.

lapsu postulauit. Haud secus diuinitus defensus est *S. Brictius Turonicus Episcopus*, nam cum à furente populo reus ageretur stupri, infantulo publicè in conspectum allato dixit. Adiuro te per IESVM Christum Dei filium, vt palam edicas, num ego genitor tuus sim? Et mox respondit. Non es. Cum vero populus acclamaret prodendum esse genitorem, respondit, satis ei esse debere, quod famam suam vindicasset at quia nec sic quieuit, prunas ardentes in veste illæsa detulit, ad S. Martini sepulchrum dicens. vt vestis hæc ab igne illæsa est, sic corpus meum impollutum est à tactu mulieris. Verum ille magicis artibus omnia tribuens Episcopatu eum & vrbe eiecit. Sic post septennium, duobus eius successoribus iam defunctis, sedi suæ diuino nutu restitutus est. S. Brictius Sur. in eius vita.

VIDE V. *Immortificatio passionum. Indiscretio. Iudicium proprium. Præsumptio. Superbia.*

IVRAMENTVM.

Remedia contra iurandi consuetudinem.

I. REMED. Considera quid Spiritus sanctus de iuramentis & periuriis in verbo diuino patefecerit. Primò enim declarat iuramentum aliquando esse licitum: vt in Deuteronomio. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis.* Et apud Isaiam. *Qui iurat in terra, iurabit in Deo Amen.* Et apud Ierem. *Et iurabis. Viuit Dominus, in veritate & iustitia, & iudicio.* Et in epistola ad Hebræos. *Homines enim per maiorē sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum.* 2. prohibet iuramentum, maximè vanum & falsum. vt in Exod. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Et. *Per nomen Deorum externorū nō iurabitis.* Et in Leuit. *Anima quæ iurauerit, & protulerit labiis suis, vt vel male quid faceret vel bene & ipsum iuramento & sermone firmauerit, oblitaq; postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato.* Et. *Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus.* Et in Deuteron. *Non vsurpabis nomen Dei tui frustra: quia non erit impunitus, qui super re vana nomen eius assumpserit.* Et apud Zachariam. *Iuramentum mendax ne diligatis:* Et apud Matthæum. *Audistis quia dictum est antiquis. Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino, neq; p cœlū, quia thronus Dei est: neq; per terrā, quia scabellū est pedū eius, &c. Sit sermo autē vester, est, est: non, non: q; autē his abundantius est, à malo*

Deu. 6.13. Isa. 65.16. Ierem. 4.2. Heb. 6.16. Exod. 20. Exod. 23.13. Leu. 5. 4. Leu. 19.12. Deut. 5.11. Zach. 8.17. Matth. 5.33. Iac. 5.12.

est. Et in epistola Iacobi. *Ante omnia fratres mei nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: vt non sub iudicio decidatis.* 3. dehortatur à iurandi consuetudine, vt in Ecclesiastico. *Iurationi non assuescat os tuum. Multi enim casus in illa. Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim seruus interrogatus assiduè, à liuore non minuitur: Sic omnis iurans & nominans in toto à peccato non purgabitur. Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo ipsius plaga. Et si frustrauerit, delictum illius super ipsum erit: & si dissimulauerit, delinquit dupliciter, & si in vacuum iurauerit, non iustificabitur. Replebitur enim retributione domus illius. Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati.* Et rursus. *Loquela multum iurans, horripilationem capiti statuet, & irreuerentia ipsius obturatio aurium,*

Ecclí. 23.9.

Ecclí.27.15.

Basil.hom.in Psal.14.

II. REMED. Considera dicta SS. Patrum. BASILIVS in verba Psalmi. *Qui iurat proximo suo & non decipit. Quid hoc tandem est? Hic iuramentum homini perfecto inter eas virtutes, quæ illum decent, concedi videtur: in Euangelio verò prorsus prohibetur. Quid igitur dicemus? Quod vbique Dominus, tam in veteri, quam in noua lege eandem habet præceptionis considerationem. Cupit enim peccatorum effectibus occurrere, & à primis initiis malignitatem excindere. Vt enim vetus lex ait. Non mœchaberis. Dominus verò. Non concupiscès. Illa item, Non occides. Dominus perfectiora instituens. Non iurasearis. Sic itaque in hoc loco contentus abit Propheta iuramento, quod iustum sit ac rectum. Dominus verò vel occasionem ipsam resecat periurii. Qui enim vel rectè iurat, forte & is possit interdum falli: qui verò non iurat, periculum vitauit periurij.* GREG. in Ecclesiasten. *Regis sermonibus diligenter aduertere conuenit, ac iusiurandū omni ratione refugere, idq; præsertim quod in Dei nomen concipitur. Interim tamen æquum fuerit sermoni malo imminere: verum cauere, ne blasphemiam vllam in Dominum effundamus.* EPHRÆM de morbo linguæ. *Si iurisiurandi vis tanta fuit, vt ab Esau potuerit auferre primogenita: cum enim iurasset soluit, noluit periurii notam incurrere: quibus tradentur simpliciis, qui non solum iureiurando se obstringunt, sed & periuriis iusiurandum violant. Si Esau ab iis, quæ cum damno suo pepigerat recedere noluit, quomodo tu pacta, quæ pro salute tua feciſti rumpere audebis?* AMBROSIVS in exhortatione ad Virgines. *Non iurandum,* inquit scriptura, *facile, quia plerunque multi casus accidunt, vt non possimus implere quod iurauerimus. Qui autem non iurat, vtique non peierat: qui autem iurat, aliquando necesse est incidat periurium, quia omnis homo mendax. Noli ergo iurare, ne incipias peierare.* HIERONYMVS ad Celantiam, de institutione matrisfamiliæ. *Mentiri & iurare lingua tua prorsus ignoret. tantus q; in te sit veri amor, vt quicquid dixeris iuratum putes. De quo Saluator ad discipulos ait. Ego autem dico vobis. Non iurate omnino. Et paulo post. Sit autem sermo vester. Est, est, non, non: quod autem his abundantius: est, à malo est.* Et in caput quintum Matthæi *Cōsidera quod hic Salua-*

Greg. Neocæs. ca.8.

Ephræm.tom.1.

Ambr.

Psal.115.11.

Hieron. ep.14

Matth.5.34.

d. lib.1. commentar.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nator non per Deum iurare prohibuerit, sed per cœlum & terram, & Hierosolymam & per caput tuum. Et hoc quasi paruulis fuerat lege cõcessum, vt quo modo victimas immolabant Deo, ne eas idolis immolarent: sic iurare permitterentur in Deum: non quod recte hoc facerent, sed quod melius esset Deo id exhibere, quam dæmonibus. Euãgelica autem veritas non recipit iuramentum, cum omnis sermo fidelis pro iureiurando sit.

CHRYSOSTOMVS in Acta Apostolica. *Age dic, ob quã causam introductum est iuramentum? &c. Fecit olim pacta Abraham & immolauit victimas & nondum erat iuramentum. Vnde igitur ingressum est? quando mala creuerant, quando omnia simul sursum ac deorsum confusa sunt, quando ad idololatriam inclinarunt, tunc sane, quando infideles apparuerunt, Deum vocabant testem quasi fideiussorem dantes dictis satisfacturum. Iuramentum enim est fideiussio, vbi mores fidem non habent. Vnde primum taxatur is qui iurat, si ei fides non habeatur absq; fideiussore, eoq; maximo, & quia tam parum homines sibi mutuo credunt, non hominem quærunt fideiussorem, sed Deum: Secundo idem crimen est eius, qui iuramentum recipit, si pro contractibus Deum ad fideiussionem trahat, & dicat se non crediturum, nisi illum accipiat. O excellentem stuporem, ô contumeliam.* Chry. hom. 9.

AVG. de sermone Domini in monte. *Ita intelligitur præcepisse Dominum ne iuretur, ne quisquam sicut bonum appetat iusiurandum, & assiduitate iurandi ad periurium per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, sed in necessariis iurationem habendam, refrenet se, quantum potest, vt non ea vtatur, nisi necessitate: cum videt pigros esse homines ad credendum quod eis vtile est credere, nisi iuratione firmentur. Ad hoc itaq; pertinet, quod sic dicitur. Sit autem sermo vester. Est, est: non, non. Hoc bonum est & appetendum. Quod autem amplius est, à malo est: id est si iurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades. Quæ infirmitas vtiq; malum, vnde nos quotidie liberari deprecamur, cum dicimus. Libera nos à malo. Sed nemo nouit, nisi qui expertus est, quam difficile sit; & consuetudinem iurandi extinguere, & nunquam temere facere, quod nonnunquam fatere necessitas cogit.* Aug. lib. 2. c. 30. Matth. 5.

III. REMED. Considera, etiamsi difficile sit consuetudinem iurandi expugnare, & nunquam temere iurare, vt iam dixit Augustinus, non tamen idcirco tibi despondendum animum: quia vtrumq; possumus diuina adiuuante gratia. *Omnia possum in eo*, dicebat gratiæ prædicator, *qui me confortat.* Et ipse Augustinus in sermone de decollatione Ioannis Baptistæ fatetur se adiutorio Domini ita consuetudinem quotidie iurandi extinxisse, vt nihil sibi facilius sit, quàm non iurare. CHRYSOST. verò crebrius docet facile esse vincere consuetudinem, si in meliorem commutetur. vt in homilia ad baptizandos. *Sicut te praua*, inquit, *consuetudo possidet, ita poterit melior obtinere, vt & volentem turpiurandi lapsibus non permittat euinci. Nam reuera multum consuetudo præualet, & iura didicit immutare naturæ. Vt igitur non assiduè doleamus, ad aliam consuetudinem demigremus.* Et ad populum Antiochenum. *Eia ex veteri hodie, loquamur testamento. Quod vero dicit. Iurationi non* Phil. 4. 13. Aug. serm. 10. Chrys. Hom. 27. Eccles. 23. 9.

assuefacias os tuum: nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo. Non dixit non assuefacias mentem, sed os tuum: totum enim est oris, nam facile corrigi potest. Consuetudo enim est, quæ iam sine voluntate patratur. Verbi gratia, multi thermas ingressi, cum primum fores transcenderint, consignant se signo crucis. Hoc nouit manus, vel nullo iubente ex consuetudine facere. Ita quidem & os, non cum anima loquitur, sed ex consuetudine. In lingua totum est positum. Et iterum. *Quis quæso labor iuramentum fugere? nunquid opus est pecuniis? num sudore & æruma? Satis est tantum velle, & actum est. Si verò mihi consuetudinem obiicis, propter hoc ipsum maxime facile meritum esse dico. Si te namque in aliam transtuleris consuetudinem, totum præstitisti. Cogita saltem quod apud gentiles multi balbutientes multa meditatione linguam sibi claudentem correxere. Alii autem humeros ineptè se motantes iugiter apponentes ensem restituerunt.* Et rursum. *Ne mihi aliquis consuetudinẽ prætendat. Propter hoc enim indignor & trascor, quoniam consuetudinẽ vincere non possumus. Nisi consuetudinem vincamus, quomodo concupiscentiã vincemus, cuius radix habet à natura principium? Concupiscere enim naturale: malè verò concupiscere tam est voluntatis. Iurare verò non cœpit à voluntate principium, sed ex negligentia sola. Quod enim non ex difficultate, sed ex neglectu hoc peccatũ processerit, cogitemus multo difficiliora ab hominib. sine vlla mercede tentari. Quid enim difficilius est, quam rotæ more totum flectere corpus, & in pauimento versari, quod multi iuuenes faciunt? gladios alternatim in aëra iaculantes, & omnes rursum per manubrium capientes, quem nõ confundant, nullũ pro virtute laborem suscipere volentium? Vel quid de illis dicas viris, qui contum in fronte gestantes, velut arborem in terra radicatam sic immotum conseruant. quid q; pueri super funem angustissimum tanta ambulet securitate, cum quanta supinos percurrentes campos. Hæ quæ & mentib⁹ impossibilia videntur facta sunt arte possibilia. Quid horum in iuramentis prætendere possumus? quam difficultatem, quem sudorem? q; periculũ? exigua tantũ studio opus est.* Adde cum Aug. magno animo & zelo aggrediendum certamẽ. *Quis n. tantos labores,* inquit, *inire audeat, nisi qui sic flagrat amore iustitiæ, vt tanquã fame & siti vehementissimè accensus, & nullam sibi vitam, donec ea satietur existimãs, vim faciat in regnũ cœlorum. Non enim aliter poterit esse fortis ad tolleranda omnia, quæ in præscindendis consuetudinibus laboriosa, & ardua, & omninò difficilia sæculi huius amatores putant.*

Hom. 28.

Hom. 19.

Aug. l. 1. serm. dom. in monte c. 32.

Aug. serm. 30.

IV. REM. est timor Dei. Vnde idem AVG. de verbis Apostoli, *Iurauimus & nos, passim habuimus istam teterrimam consuetudinem & mortiferam. Dico caritati vestræ: ex quo Deo seruire cœpimus, & quantum malũ sit in periurio vidimus, timuimus vehemẽter & veternosissimã consuetudinẽ timore frænauimus: Frænata restringitur, restricta languescit, languescens emoritur, & male consuetudini bona succedit. Deniq; nõ vobis dicimus nos non iurare. Si. n. hoc dicimus, mentimur. Quantũ ad me pertinet, iuro; sed quantũ mihi videtur, magna necessitate cõpulsus.* Et sermone de sanctis. *Timendo Deũ abstulimus iurationẽ de ore nostro. Ecce vobiscũ viuim⁹. Quis nos audiuit aliquando iurantes? Num quid nõ consueuerã quotidie iurare? At vbi legi, & timui,*

Id. serm. 10.

timui, luctatus sum contra consuetudinẽ meã, in ipsa luctatione inuocaui Dominũ adiutorẽ. Præstitit mihi Dominus adiutoriũ non iurandi. Nihil mihi facilius est, q̃ non iurare. Hoc ideo admonui caritatẽ vestrã, ne dicatis: quis potest? O si Deus timeatur, ô si ipsi uri expauescant, lingua frænatur, veritas tenetur, iuratio tollitur. Confirmat hoc antidotum B. CHRY. apposita similitudine his verbis. *Ciuitatis balnea rex* Chry. hom. 14. ad pop. *obstruxit, & lauari iussit neminẽ, & legẽ transgredi ausus est nemo, aut factũ incusare, aut consuetudinẽ ꝓtendere, verũ & ægri pueri & senes, & mulieres partu dolor ib. soluta volũtarii & inuiti mandatũ hoc sustinuerunt, & neq; morbũ, neq; consuetudinis tyrannidẽ, nec aliud quicquã prætendunt sed contenti sunt hac vltione, quia maiora timebant mala. Vides, quod vbi est timor, facile soluitur consuetudo, etiamsi valde diuturna sit & necessaria? Atqui non lauari graue, non iurare verò valde facile, & nullum affert nocumentum, nec corpori, nec animæ. Quo modo igitur non absurdũ rege iubente difficillima sustinere, Deo verò statuente etiam facilia deridere? Non exhortor, ne in tantum salutem nostram contemnamus, sed timeamus Dominum, sicut hominem timemus.*

V. REMED. Censura aliorum, vel commination pœnæ subeundæ teipsum, vel alios à iurandi consuetudine cohibeas. Hoc antidotũ nõ semel Chry. hom. ad baptizandos. ꝓcõcione præscripsit idẽ Chry. *Ab omnib.* inquiens, *coniunctis hoc postula, hoc pete beneficiũ, vt te iurantẽ arguant, & confundant. Nã & q alterũ ne iuret arguit, non facilè se ꝓcipitari patietur in periuriũ.* Et infra. *Vt igitur hoc crimine liberemur inuicẽ admoneamur, certũ tẽpus constituamus, & tẽpus dierũ decẽ. Volentib. & vigilantib. tot sufficiũt, quo penitus à consuetudine liberemur. Si autẽ post 10 dies illaqueati reperiamur, pœnã nobis cõstituamus. Sed inquis. dic pœnã, ꝓpone vindictã. Hoc iam nõ meũ sed vestrum est.* Et alibi. *Vis discere, quomodo ab impia consuetudine liberari liceat? Ego* Hom. 5. ad pop. *te quendã docebo modũ, quẽ si tenueris, supabis omninò. Cum videris teipsum, vel alium quem q; vel seruorũ, vel filiorũ, vel vxorẽ hoc malo captos, & continuè commonefactos, neq; correctos, iube non prandos cubare, & hanc tibi illis q; damnationem impone, damnationẽ non damnum, sed lucrum ferentem. Talia enim spiritualia, & lucrum ferunt & celerrimam correctionem: lingua enim, vel nemine commonente sufficientem capit admonitionem, si fame vel siti vexetur. Laudastis dicta, verũ & factis laudẽ demonstrate*

VI. REMED. Considera summum periculum huius prauæ consuetudinis, & timorem Dei magis in te augebis. Quod intelligi potest ex eo, ꝙ Iac. 5. 12. B. Iacobus diserte dicat. *ANTE omnia nolite iurare.* Quæ verba ponderans AVG. in serm. de verbis Apostoli. *Isto verbo*, inquit, *ꝙ ait. Ante omnia, cautos* Aug. serm. 30. *nos fecit aduersus linguam nostram. Ante omnia ait, vt attendatis præcæteris, vt vigiletis, ne surrepat vobis consuetudo iurandi. Tanq̃ in specula ita te posuit contra te. Considera enim te iurare per Deum, per Christum occidi illum, & hæc quoties per diẽ, quoties per horam? Non aperis os, nisi à tali iuratione. Nolles vt diceret tibi ante omnia, vt te aduersus consuetudinem intentissimum redderet, vt omnia tua inspiceres omnes motus linguæ tuæ diligentissimè custodires, esses custos malæ consuetudinis tuæ. Ad eam constringendam, audi ante omnia.* Et rursus in epistola ad Hilarium. *In-* Id. ep. 89.

uationem

rationem esse quantum potes. Melius quippe nec verum iuratur, quam iurandi consuetudine, & in periurium sæpe cadit ur, & semper periurio propinquatur. Et paulo post. *Multo tutius nunquam iuratur, non quia peccatum est verum iurare, sed quia grauissimum peccatum est falsum iurare, quo citius cadit qui consueuit iurare.* HINC duo colligit B. AMBROSIVS scribens in verba Dauidis. *Iurauí & statuí custodire iudicia iustitiæ tuæ*, documenta. Alterum est, nullũ iuramentũ etiam licitum & sanctum à quoquam debere fieri, qui non firmiter statuat & & confidat se illud seruaturum. *Stat*, inquiens, *Dauid mentis statione fundatus, nec timet ne in his mundi tenebris posse errare. Si enim metueret, non iuraret: si trepidaret, vtrum diuina posset custodire iudicia, non cum iurisiurandi statueret sacramento. Nemo bene iurat, nisi qui potest scire quod iurat. Iurare igitur, iudicium scientiæ, testimonium conscientiæ est. Lux tibi præeat si iurare disponis, id est, cognitio veritatis præcedat, vt vinculum sacramenti tibi non possit nocere.* Alterum est hinc intelligi, cur Deus tam serio omne iuramentum nobis vetuerit, cum tamen ipse in diuinis literis iurasse inueniatur. *Ideo*, inquit, *Dominus qui venit docere paruulos, imbuere nouos, firmare perfectos, ait in Euangelio, non iurandum omninò, quia imperfectis loquebatur. Voluit enim te non iurare, ne periures. Iurauit autem Dominus nec pœnitebit eum. Iuret ergo ille, quem sacramenti sui pœnitere non poterit. Et quid iurauit Dominus? quia Christus in æternum sacerdos est. Nunquid incertum, nunquid impossibile erat quod iurauit Dominus? nunquid poterat esse mutabile. Noli ergo vsurpare exemplum Sacramenti, qui implendi Sacramenti non habes potestatem.* Clarius B. AVG. in psalmum 88. *Bene prohibetur homo iurare, ne consuetudine iurandi, quia potest homo falli, etiam in periurium prolabatur. Deus solus securus iurat, quia falli non potest.* Et sermone 10. de sanctis. *Cum Dominus iurauerit, quare suos iurare prohibuit? Dico quare. Non est peccatũ verum iurare. Sed quia grane peccatum est falsum iurare, longè est à peccato falsum iurandi, qui omnino non iurat. Propinquat falsæ iurationi qui vel verum iurat. Dominus ergo, qui prohibuit iurare, super ripam fluminis te noluit ambulare, ne pes tuus in angusto labatur, & cadas.*

Amb. serm. 14. Psal. 118.

Psal. 109. 4.

Aug. p. 1. con. 1.

VII. REMED. Considera exempla eorum, qui ex iurandi temeritate, vel consuetudine in grauissima incommoda se coniecere. PRIMVM sit Regis Saulis, qui temerè *adiurauit populum dicens. Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis.* Cuius iurisiurandi inscius filius eius Ionathas cum fauum mellis delibasset, Saul secundo & tertio iurauit Ionatham moriturum. Contra populus iurauit, nequaquam se id passuros & Ionathan liberauit. Quam historiam fuse populo Anthiocheno exponens Chrysostomus, mirè exaggerat, quot periuria ex vno iuramẽto Saulis sint secuta, & quot cædes & clades secuturæ fuissent, si populus Sauli non restitisset, deinde addit illis euenisse, quod pueris funem vetustum trahentibus accidere solet. *Sicut enim*, inquit, *pueri funiculum longum & corruptum ex contrario inter se trahentes cum multo impetu supini*

1. Reg. 14. 24.

Chrys. hom. 14.

omnes

omnes cadunt funiculo per medium disrupto, & hi quidem capite, illi verò alia corporis parte feriuntur, sic & inter se contraria iurantes, iuramento pro rerum necessitate disruptoin periurii baratrum vtrique cadunt, hi quidem peierando, vt Saul: *alij verò* vt populus, *periurij causam præbendo.* ALTERVM exemplum est IEPHTE in historia Iudicum, qui pugnaturus aduersus filios Ammon temere iurauit & vouit, se si victor euaserit, oblaturum Deo quicquid de prælio redeunti primum è domo sua occurrerit, occurrit autem vnigenita filia. Vnde hæc incommoda mox consecuta. Primo enim pœnituit eum voti, nam conspecta filia *scidit*, teste scriptura, *vestimenta sua, & ait. Hei me, filia mi, decepisti me, & ipsa decepta es.* 2. filia approbante Patre cum sodalibus ad duos menses infaustum hunc casum planxit in montibus. 3. oblata est Deo & mactata 4. homicidii reus factus Iephte. nec enim solum stultè iurauit, sed etiam impiè impleuit iuramentum. 5. perpetuus luctus quotannis per quatuor dies repetitus. *Vt sempiternæ memoriæ calamitas esset*, inquit CHRYSOST. *ne malum obliuioni traderetur, apud Iudæos lex est lata, vt virgines illo tempore conuenientes 40. dies commissam cædem deplorarent, vt luctu cædis memoriam renouantes posteros omnes prudentiores faciant, & discant quod de mente Dei non erat, vt hoc fieret: neque enim lugere & plorare virgines permisisset. Post illud enim sacrificium nemo tale Deo votum vouit.* TERTIVM exemplum est HERODIS regis apud Matthæum, qui recreatus saltatione filiæ Herodiadis, *cum iuramento pollicitus est ei dare, quodcunque postulasset ab eo. At illa præmonita à matre sua, da mihi, inquit, hic in disco caput Ioannis Baptistæ.* Ex quo temerario iuramento longè maiora, quam ex antegresso, incommoda sunt insecuta. Primò enim doluit rex de facto iuramento, disertè enim ait Matthæus contristatum fuisse regem. 2. ex eo secuta est mors innocentissimi & sanctissimi Prophetæ, quo testimonio Christi inter natos mulierum maior non surrexerat. 3. Herodes reus factus est atrocissimi homicidii: Satius enim erat hic peierare, quàm iuramentum custodire. *Est contra officium*, inquit B. Ambrosius, *nonnunquam, soluere promissum. sacramentum custodire, vt Herodes qui iurauit, quoniam quicquid petitus esset, daret filiæ Herodiadis, & necem Ioannis præstitit, ne promissum negaret. Sic Iephte melius fuerat nihil tale promittere, quàm promissum parricidio soluere.* Et Augustinus. *Herodes, ne Deum offenderet peierando, Deum offendit sæuiendo.* Et paulo post subiicit exemplum Dauidis regis, qui cum temerè iurasset se occisurum Nabal, exorari se ab Abigail vxore Nabal passus est, ne iuramentum præstaret *Iurauit*, inquiens, *temere, sed non impleuit iurationem maiore pietate.* imò gratias Deo de ea re egit dicens. *Benedictus Dominus Deus Israhel, qui misit hodie te in occursum meum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, & vleiscerer me manu mea* 4. rea homicidii quoq; facta est Herodias mater cum filia, quia per hanc petiit dari caput: imò & omnes conuiuæ, quia *propter eos qui pariter discumbebant*, inquit,

Iud. 11. 30.

Chry. hom. 14. ad pop.

Matth. 14. 7.

Matth. 11. 11.

Amb. 1. offic. c. 50.

Iud. 11. 31.

Aug. serm. 11. de sanctis.

1. Reg. 25. 32.

Hier. lib. 1. c. 14. Amb. l. 3. de virg.

inquit Matthæus, voluit iuramentum seruari. Voluit ergo vt bene notat Hieronymus in cómentariis, *omnes conuiuas sceleris sui esse consortes.* 5. spectaculum exhibitum est *quod etiam*, inquit AMBROSIVS, *omnes barbari horrere consueuerunt. Inter epulas atq; conuiuia consummandæ crudelitatis proferturedictum. Et à conuiuio ad carcerem, de carcere ad conuiuium feralis flagitii circumfertur obsequium. Quanta in vno facinore sunt crimina?* Hieronymus, loco citato commemorat. *Flaminium ducem Romanum, quod accumbenti iuxta meretricule, quæ nunquam se vidisse diceret hominem decollatum, assensisse vt reus quidam capitalis criminis in conuiuio truncaretur, à Censoribus pulsum curia quod epulas sanguine misceuerit.*

Cic. de senect. Plutar. in T. Q. Flamin.

VIII. REMED. Considera exempla tam infidelium, quàm fidelium, qui vel nunquam iurare voluerunt, vel si iurarunt, nullis incommodis adduci potuerunt, vt fidem fallerent. Nam S. BASILIVS in homilia de legendis gentilium libris. *Illud quoque*, inquit, *Clinix vnius è secta Pythagoræ difficile est credere, quod casu non de industria nostros imitatur. Nam ille dum per iuramentum mulctam trium talentorum vitare liceret, iniuuriam pati maluit, quàm iurare, idque cum non esset falsò iuraturus, atq; ita iam tum quasi illud de iuramento nobis interdicto præceptum audiuisse videtur.* Et S. AVGVSTINVS de verbis Apostoli. *Tantum mali habet iuratio, vt* (Ethnici) *qui lapides colunt, timeant falsum iurare per lapides: tu non times Deum præsentem, Deum viuentem, Deum scientem, Deum manentem, Deum in contemptores vindicantem?* Et mox. *Et ecce dico caritati vestræ, & qui per lapidem falsum iurat periturus est. Vnde hoc dico? Quia multi & in hoc falluntur, & putant, quia nihil est, per quod iurant, non se crimine teneri periurii. Prorsus periturus es, quia per id quod sanctum putas, falsum iuras.* Deinde ex Ethnicis Philosophis PLATO in libris de Legibus grauiter reprehendit iuranres, ratione naturali edoctus. Nec mirum quia non modo exponunt se periculo fidem fallendi & peierandi, verumetiam qodammodo se & alios infamant. Se quidem, quia indicant se esse mendaces, nec dignos quibus credatur, nisi teste Deo. Alios vero, quia iudicãt alios quibus iurant, vt Hieronymus rectè obseruauit, esse suspicioso & incredulos. Quã de causa & Essæi apud Iudæos abstinebant à iuramentis, teste Iosepho in secundo belli Iudaici libro. Ex iis autem, qui fidem semel iuratam constantissimè præstiterunt, merito primum locum obtinet ESAV, quantumuis malus, de quo ita B. EPHR. in tractatu de malo Linguæ. *Si*, inquiens, *iurisiurandi vis tanta fuit, vt ab Esau potuerit auferre primogenita: cum enim iurasset solum, noluit periurii notam incurrere: quibus tradentur supplicijs, qui non solum iureiurando se obstringunt, sed & periurijs iusiurandum violant? Si Esau ab iis quæ cum damno suo pepigerat, recedere noluit, quomodo tu pacta, quæ pro salute tua feciſti, rumpere audebis?* SECVNDVS sit IOSVE, qui cum Gabaonitarum legatis interpositio iureiurãdo spopondisset se eos nõ deleturum, & pau-

Aug. serm. 30.

22. q. 4. ecce dico.

Hieron. ep. 22.

Ioseph. c. 7.

Ephr. tom. 1.

Gen. 25. 33.

Ios. 9. 15.

& paulo post cognouisset, se ab illis deceptũ; (finxerant enim se de terra longinqua venire, cum essent vicini) fidem tamen datam ob diuini nominis reuerentiam infringere noluit, cum tamen populus vehementer ea de causa in eos exacerbatus esset. *IESVS*, inquit AMBROSIVS, *pacem, quam dederat, reuocandam non censuit, quia firmata erat Sacramenti religione: nedum alienam perfidiam arguit, suam fidem solueret. Ex quo discimus*, ait Hieronymus in Ezechielem, *etiam inter hostes seruandam fidem, & non considerandum cui, sed per quem iuraueris. Multo enim fidelior inuentus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, & deceptꝰ est, te, qui per occasionẽ diuinæ maiestatis hosti tuo imò iam amico es molitus insidias.* Et infra subdit. *Ergo qui contemnit iuramentum, illum despicit per quem iurauit: illique facit iniuriam, cuius nomini credidit aduersarius.* INTER Ethnicos autem pro iureiurandi fide etiam hostibus cum iactura vitæ & fortunarum seruata eminet M. Attilius Regulus, de quo in primo libro de ciuitate sic scribit AVGVSTINVS. *M. Attilius Regulus Imperator populi Romani captiuus apud Carthaginenses fuit. Qui cum sibi mallent à Romanis suos reddi, quam eorum tenere captiuos, ad hoc impetrandum etiam istum præcipuè Regulum cum legatis suis Romam miserunt, prius iuratione constrictum, si quod volebant minimè peregissent, rediturum esse Carthaginem Perrexit ille, atq; in Senatu contraria persuasit, quoniam non arbitrabatur vtile esse Romanæ Reipub. mutare captiuos. Nec post hanc persuasionem à suis ad hostes redire compulsus est, sed quia iurauerat id animo repleuit. At illi eum horrendis cruciatibus necauerunt. Inclusum quippe angusto ligno, vbi stare cogeretur, clauisq; acutissimis vndiq; confixo, vt se in nullã eius partem sine pœnis atrocissimis inclinaret, etiam vigilando peremerunt. Meritò certè laudant virtutem tam magna infelicitate maiorem.* Eandem cum REGVLO laudem iuratæ fidei constanter vsq; ad mortem custoditæ tribuit idem AVG. in altero libro de ciuitate in Hispania fœderatis Romanorum sociis Saguntinis. *Quorum ciuitatis interitum legere, quanto magis scribere*, inquit ille, *horrori est. Primo contabuit, nam etiam suorum cadaueribus pasta est. Deinde fessa omnium rerum, ne saltem captiua in manus Hannibalis perueniret, ingentem rogum publicè struxit, in quem ardentem ferro etiam trucidatos omnes se suosq; miserunt.* Octauo autem, vel nono post obsidionem mense à pœnis deleta est. Et infra. *Hoc inter est (inter Regulum, & Saguntinos) quod ille vnus homo, hæc tota ciuitas, vtriusq; tamen interitus causa conseruatio fidei fuit.*

Amb. 3. offi c. 10.

Hier. lib. 5.

Aug c. 16. Val. Max. lib. 9 Cic. 1. offic.

Id. c 20.

Liuius lib. 21.

VIDE V. *Blasphemia. Colloquia otiosa Consuetudo prava Discordia. Ebrietas. Exemplum malum. Immodestia. Impatientina in aduersis. Ira. Linguæ abusus. Maledicto. Mendacium, Murmuratio. Odium, Superbia. Vindicatio iniuriæ.*

L

LINGVÆ ABVSVS

Remedia contra Linguæ abusus.

Eccli.19.17. Eccli.14.1. Iac.3.7.

PRIMVM Remedium. Considera, quanta sit in coercenda lingua difficultas vt hoc diligentius idonea cõquiras remedia. *Quis est*, inquit Sapiens, *qui non deliquerit in lingua sua?* Et. *Beatus vir qui non lapsus est verbo ex ore suo.* Sic B. Iacobus. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Et. *Omnis natura bestiarum, & volucrum & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominũ domare potest.* Haud aliter SS. Patres. Nam B. GREG. NAZIANZENVS de suo quadragenarii ieiunii silentio scribens. *Linguã*, inquit, *nõ homo, non nix, non torrens, non scopulus, non deniq; res vlla coercere potest. Nihil*, est, *quod à linguæ sagitta tutum atq; immune sit. Quam qui suis domuerit, is nimirum sapientiæ arcem & principatum tenet.* Et circa finem queritur se, licet *morbo affectum, & senectute fractum & debilitatum, tamen non potuisse effugere linguæ indomitæ calamitatem, vtpote cui amicorum omnium inuidiam conflarit.* Et in epistola quadam ad Basilium. *Nemo*, ait, *linguæ libertatem coercebit.* Et B. AVGVSTINVS de verbis Domini in Matthæum. *Linguam nullus hominum domare potest. Et homo domat feram, non domat linguam, domat lecnem, & non refranat sermonem. domat ipse, & non domat seipsum. Domat, quod timebat, & vt se domet, non timet, quod timere debebat.* Et in libris confessionum. *Tentamur his tentationibus* (linguæ) *quotidie Domine, sine cessatione tentamur. Quotidiana fornax nostra est humana lingua. Imperas nobis & in hoc genere continentiam. Est qualiscunque in aliis generib. tentationum mihi facultas explorandi me, in hoc pœne nulla est.* AVGET difficultatem quod nulli hominis membro æquè atque linguæ insidiatur dæmon teste Chrysostomo. *Post lauacrum vndique*, inquit, *hostis insidias præparare consueuit, sed facilius lingua & ore peccante. Nullum enim æquè congruum illi organum in ministerium est interitus atque peccati.*

Naz. ep. 12. Aug. serm. 3. Id. l. 10. c. 37. Chry. hom. ad baptizand.

II. REMED. Implora auxilium diuinum pro cohibenda lingua. *Hominis enim est*, vt ait Salomon, *animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Id implorauit Dauid, cum oraret. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstan-*

Prou. 16. 1. Psal. 140. 3.

stantiæ labijs meis. Hoc antidoto Virginem munit B. BASILIVS in libro de vera Virginitate, sic monens. *Virgo intra cordis sui secreta cubilia quiescet, id iugiter, atq; plus altis orans. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Atq; in hunc modum os suum orationibus communiet.* Et Augustinus loco supra citato. *Intelligamus,* inquit, *carissimi, si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram. Si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es: linguam nullus hominum domare potest. Attendite similitudinem ab ipsis bestiis, quas domamus. Equus non se domat, camelus non se domat, elephantus non se domat, aspis non se domat, leo non se domat, sic & homo non se domat, sed vt equus dometur, bos, camelus, elephantus, leo, aspis quæritur homo. Ergo DEVS quæratur, vt dometur homo. Ergo Domine refugium tu factus es nobis, conferimus nos ad te & bene nobis erit de te. Malum est nobis de nobis quia dimisimus te: dimisisti nos nobis. Inueniamur ergo in te, quia perieramus in nobis. Domine refugium factus es nobis.* VNDE in libro decimo Confessionum, cum dixisset, à Deo quoq; imperari nobis continentiam linguæ, mox adiunxit. *Da quod iubes, & iube quod vis. Tu nosti de hac re gemitũ cordis mei, & flumina oculorũ meorum. Neq; enim facile colligo, quam sim ab ista peste mundatior, & multum timeo occultanea, quæ norunt oculi tui, mei autem non.* Verum quia hæc linguæ frenatio, primum quidem *ductu, auspicioq; diuino* vt loquitur Nazianzenus, *deinde verò etiam mentis nostræ clauo indiget,* subiicienda sunt alia remedia.

Basil. Aug. de verb. d. Iac. 3. 7. Psal. 89. 2. Cap. 37. Naz. de filens. 40. dier.

III. REMED. Antequam ad loquendum prosilias, expende & præmeditare quid sit loquendum. Quo pertinere putat B. AVGVSTINVS illa verba regii prophetæ. *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Non enim,* inquit, *lingua frustra inuocata est, nisi quia facile labitur. Videns ergo quàm esset difficile, vt necessitatem loquendi haberet homo, & in loquendo non aliquid diceret, quod se dixisse nollet, statuerat non loqui, ne aliquid diceret, quod locutum se esse paniteret, &c. Custodi ergo vias tuas ô Idithum & noli delinquere in lingua tua: perpende quod dicturus es, examina, consule interiorem veritatem, & sic proser ad exteriorem auditorem.* Et in psalmum 51. ait, *Sicut eligis quo vescaris, sic elige quod loquaris.* Eodem modo verba illa exponit AMBROSIVS. *Audiamus,* inquit, *cautionis magistrum. Dixi custodiam vias meas, hoc est, tacito cogitationis præcepto indixi mihi, vt custodirem vias meas. Aliæ sunt viæ, quas debemus sequi, aliæ quas custodire. Sequi vias Domini, custodire nostras, ne in culpam dirigantur. Potes autem custodire, si non cito loquaris.* Idem remedium populo Antiocheno proponit alicubi Chrysostomus. *Et linguæ,* inquiens, *regulas quasdam & leges ponamus, vt prius verba ruminet, & ita proferat.* Et Greg. magnus. *Qui in dictis suis reprobari metuit, ipse prius debet examinare quod dicit, quatenus inter cor & linguam æquus quidam discretusq; arbiter sedeat, subtiliter pensans, si recta verba cor offerat.*

Aug. in Ps. 38. 2. Psalm. 38. Chry. hom. 71 Greg. mor. 8. 6.

II. REMEDIVM. Prius discet tacere, maxime si adhuc adolescens sis quam loqui, secundum illud Sapientis. *Homo sapiens tacebit vsque ad tempus.*

Eccli. 20. 7. & 32. 10.

Et. *Adolescens loquere in tua causa: si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. in multis esto quasi inscius, sed audi tacens.* Et B. Iacobi. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum.* Hoc antidotum maximè inculcat B. AMBROSIVS initio suorum librorum de officiis. *Quid*, inquit, *præ ceteris debemus discere, quàm tacere, vt possimus loqui, ne prius me vox condemnet mea, quam absoluat aliena? Scriptum est enim; ex verbis tuis condemnaberis. Quid opus est igitur, vt properes periculũ suscipere condemnationis loquẽdo cum tacẽdo possis esse tutior? Complures vidi loquendo peccatũ incidisse; vix quenquam tacendo. Idque tacere nosse, quam loqui difficilius est. Scio namq; loqui plerosq;, cũ tacere nesciant. Rarum est tacere quenquã, cum sibi loqui nihil prosit. Sapiens est ergo qui nouit tacere. Deniq; Sapientia Dei dixit Dominus dedit mihi linguam eruditionis, vt sciam quando oporteat sermonẽ dicere. Merito ergo Sapiens, qui à Domino accipit, quo tempore sibi loquendũ sit. Vnde bene ait scriptura; Homo sapiens tacebit vsq; ad tẽpus. Deniq; sanctus Domini ait. Dixi custodiã vias meas, vt nõ delinquã in lingua mea.* Et infra. *Quid igitur mutos nos esse oportet? Minimè. est n. tempus tacendi, & est tempus loquendi. Est autem magnũ & negotiosum silentiũ: vt erat Susannæ q̃ plus egit tacendo, q̃ si esset locuta. Tacendo. n. apud homines locuta est, Deo nec vllum maius indicium suæ castitatis inuenit quàm silentiũ. Conscientia loquebatur, vbi vox non audiebatur: nec qnærebat p̃ sebi minũ iudicium q̃ habebat Domini testimonium. Ab illo igitur volebat absolui, quẽ sciebat nullo modo posse falli. Ipse Dominus in Euangelio tacens operabatur salutẽ hominũ.*

Et multo post. *Ipse Pytagoras, q̃ legitur Socrate antiquior Prophetã secutus Danielẽ silentij dedit suis. Sed ille, vt p̃ quinquenniũ discipulis vsum inhiberet loquendi. Daniel autẽ non vt naturæ munꝰ imminueret, sed vt ostendã p̃ ferendi sermonis doceret. Et Pythagoras quidẽ vt nõ loquendo loqui doceret. Daniel, vt loquẽdo magis discerem loqui.* HIER. ad Nepotianũ. *Hipocrates adiurat discipulos suos anteq̃ doceat, & in verba sua iurare, cõpellit, extorquet Sacramento silentiũ, sermonem, incessũ, habitũ, mores q̃ p̃scribit, quãto magis nos? Et in verba Eccl. Tẽpus tacendi & tẽpus loquẽdi. Pythagoricos*, inqt, *reor, quorũ disciplina est tacere p̃ quinquenniũ, & postea erudítos loq̃, hinc origenẽ sui traxisse decreti. Discamꝰ ita q̃ & nos prius nõ loq̃, vt postea ad loquendũ ora referemꝰ. Sileamꝰ certo tẽpore, ad p̃ceptoris eloq̃a pẽdeamꝰ. Nihil nobis videatur rectũ esse, nisi q̃ discimꝰ, vt post multũ silentiũ de discipulis efficiamur magistri.*

V. REM. Considera, quot mala creet licentia linguæ. Ea digitus Dei, cum alibi, tum copiosè apud Ecclesiasticũ, & B. Iacobum Apostolũ depinxit. *Lingua*, inquit, *modicũ quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis, quàm magnam syluã incendit. Et lingua ignis est vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in mẽbris nostris, q̃ maculat totum corpus, & inflãmat rotam nativitatis nostræ inflãmata à gehenna. Linguam nullus hominũ domare potest. inquietũ malũ, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimꝰ Deũ & patrem: & in ipsa maledicimꝰ homines q̃ ad similitudinẽ Dei facti sunt. Ex ipsũ ore procedit benedictio & maledictio.* GREG NAZ. de ieiunũ silentio sui. *Certe nulla res est, q̃ magis hominib. permittẽ affert,*

quam

quàm lingua. Equus est perpetuo cursu mentẽ antcuertens telũ ꝓmptissimum ac paratissimũ. Et paulo post. Lingua in ꝓpinquo est sagittarius, sagitta in arcu est: nerui ipsi quàm maximè intersi. Protinꝰ vt mẽs tela emiserit, statim ꝓuolat, omniaq; feriunt, cœlites, terrestres, viuentes, posteros nõ minus eos, qui ab huiusmodi sagittis sibi cauent, tasq; sedulo obseruant, q̃ qui nihil mali suspicantur, nõ minꝰ bonos q̃ malos, non minus amicos, q̃ hostes, non minus exteros longeq; dissitos, quàm ꝓpinquos: deniq; nihil est, ꝙ à linguæ sagitta tutũ atq; immune sit. Et infra. Quis antẽ, quot mala ex ea oriãtur, orationẽ cõsequi possit? Domꝰ cũ domo, si ita voluerit, vrbẽ cum vrbe, principẽ cũ populo, populũ rursus cum principe statim ac sine vllo negotio cõmittit, non aliter atq; igniculus stipulæ admotus in magnũ incẽdiũ cito excrescens. HIER. Lingua nihil medium habet, aut grande malũ est, aut grande bonum. Grange bonum, si Christum Deum confitetur. grande malũ, si Christũ Deum negat. Ergo ne putet aliquis, & dicat interim; opere non peccaui: si peccaui, lingua peccaui. Quòd est maius peccatũ, quàm blasphemia in Deũ? & tamẽ lingua peccat. Et infra. Grande scelus est, quando detraho fratri meo, lingua mea fratrem interficio. Qui enim odit fratrem suum, homicida est. Videte quid dicat Salomõ In manu linguæ mors & vita. EPHR. de linguæ malo. Peruulgatum est totis castris Mariã repente lepra correptã esse, ꝙ linguà in mitissimũ fratrẽ, qui ꝓ ipsa deprecabatur Dominũ, exacuisset. Vnde iustus vltor meritas de prophetissa propter petulantiã linguæ eius pœnas sumpsit. Susurrationes &c. & detractationes abominatur, quibus homines insipientes delectantur. Plurimis licet miraculis claruisset Moyses, vbi modicè linguæ lapsꝰ est è terra promissionis excidit. Magnũ & horrendum mare viã ei præcludere non potuit, sed verbũ vnicum ini què ab eo platũ, velut murꝰ aliquis ipsi obstitit, ne vlterius progredi posset. Si Moysen, qui Dei instar factus erat Pharaoni vel solũ verbũ exclusit à terra promissionis, quanto magis nos maledicentia linguæ nostræ, quam in Deum & homines quotidie exacuimus ac stringimus, à regno Dei arcebit? BERN. de triplici custodia, manus, linguæ & cordis. Quis sane numeret, quantas modicum linguæ membrum contrahat sordes: quàm multiplex in labiis incircumcisis immunditia coaguletur, quàm sit grauis pernicies oris incircumspecti? Est enim lingua dissoluta in sermonibus otiosis, est lingua impudica, est & magniloqua, quarum prima lasciuiæ sequens arrogantiæ famulatur. Est etiam lingua dolosa, & item lingua maledica, quarum altera in falsiloq; & adulatoriã subdiuiditur, altera vera nunc in facie contumelias irrogat, nunc detrahit in occulto. Quod si de omni vel otioso verbo, quodcunq; locuti fuerint homines, Deo sunt reddituri rationẽ in die iudicij, quãto districtiꝰ de verbo mẽdaci, mordaci, & iniurioso, de elato vel lasciuo, de adulatorio, aut detractorio iudicabuntur?

Num. 11. 12. Hier. in Psa. 119. Prou. 18. 21. Ephr. tom. 1. Num. 12. 10. Num. 20. 12. Exod. 14. 21. Num. 11. 14. 20. Bern. in serm.

VI. REM. Propter hæc linguæ mala, serio propone te custoditurum linguam tuam, exemplo Dauidis dicentis. *Posui ori meo custodiam. Qui exim* custodit os suum, ait Salomon, *custodit animam suam.* Et *qui moderatur sermones* suos doctus & prudens est. Et, *qui custodit os suum & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam.* Et. *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam in ipsis, & lingua mea non perdat me?* Et B. Petrus. *Qui vult*

Psal. 38. 2. Prou. 13. 3. Prou. 17. 27. Prou. 21. 23. Eccli. 22. 33. 1. Pet. 3. 10.

vitam

Naz.l.cit. *vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum.* GREGORIVS NAZIANZENVS. *Quemadmodum si quis obliquam plantam manu paulatim in contrariam partem inflectat, hoc assequitur, vt quam primum violentam ab eo manum subduxerit, rigida stet, sic ego cum praecipitis sermonis impetum mediocritatis regulam excessisse perspicerem, nullum melius remedium inueni, quàm vt eum excelso pectore premerem: vt lingua mea, & quae dicenda, & quae tacenda sunt, addisceret. Ob eam itaq; causam omni eam loquendi facultate ad certum tempus orbaui, sic fiet, vt mediocritatem postea minimè asperuetur. Hic*

Amb.1.offic.c.3. *lex omnibus immodice erga rem aliquam affectis posita sit. O quantum fructum affert,*
Psal.38.2. *pulsato intus atq; incitato pectore linguam loqui gestientem cohibere?* AMBR. Re-
Prou.4.23. *ctè Dauid non silentium sibi indixit perpetuum, sed custodiam* (dicens. Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea) *Custodiamus ergo cor nostrum, custodiamus os nostrum. Vtrumq; enim scriptum est hic, vt os custodiamus. alibi. Omni custodia serua cor tuum. Si custodiebat Dauid, tu non custodies?* Et paulo post. *Alliga sermonem tuum, ne luxuriat, ne lasciuiat, & multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, & ripis suis coerceatur. Cito lutum colligit amnis exundans. Sit oris tui ostium, vt claudatur vbi oportet, & obseretur diligentius, ne quis in iracundiam excitet vocem tuam, & contumeliam rependas contumelia.* Et alibi scribens in eadem

Id in Psal.38. initio. verba regia. *O*, exclamat, *validum scutum, circumspectae munitionis silentium. O fidissimum stabilitatis fundamentum, in quo si quis potuerit stare, lubricum verbi timere non possit. Multi enim etiam stabili corde firmati, incauti tamen sermonis fluentis errore saepe ceciderunt. Videns igitur huiusmodi insidias se propheta tentari, intra se ipse tacitè conferebat, legem sibi taciturnitatis imponens dicens. Posui ori meo custodiam, hoc est, proposui, confirmaui, imperaui mihi, locutus sum cordi meo. Vias meas*

Chryf. Eccli. 28.28. *custodiam. Si aliis dixissem, sermo meus stare deberet: quanto magis stabile esse debet quod mihi ipsi constitui?* CHRYSOSTOMVS ad baptizandos. *Quidam*, nempè sapiens, ob *mentium lapsus ex garrulitate venientes suadet multam ori adhiberi cautelam dicens. Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Non vt ostia corpori faciamus, sed vt non facile verba proferantur, & ad incongrua dicenda sese lingua cum omni cautela contineat.* Et infrà. *Nam & dentium tegmine, & labiorum custodia lingua continetur, ne verba improuida garrulitate proferantur. Refrena igitur linguam, & si non patitur reticere, dentium morsu quiescat, & tanquam carnifici dentibus tradatur.*

VII. REMED. Prudentia vel discretio in loquendo, hoc est, vt habeas in sermone tuo, vel silentio rationem circunstantiarum, temporis, loci, personarum, modi, & similium. *Qui enim incõsideratus est ad loquendum*, ait Salomon, *sentiet mala.* Et Ecclesiasticus. *Lingua imprudentis subuersio est ipsius.* Et. *Verbis tuis facito stateram, & frenos oris tui rectos, & attende ne forte labaris in lingua tua.* Et Apostolus. *Sermo vester in gratia sit sale conditus, vt sciatis, quomodo oporteat vos vnicuiq; respondere.* S. BASILIVS ad Gregorium Theologum.

Prou.13.3. Eccli.5.15. Eccli.28.29.

Bas.ep.2.

Inprimis

Inprimis magno studio id comparandum habemus, scitè vt sermocinari possimus, vt nec contentiosius percunctemur, nec affectantius respondeamus, vt differenti non obloquamur, nec interfari gestiamus absurda ostentatione, fastumq; præ se ferēte, vt modū teneamus & sermocinandi & auscultandi. S. GREGORIVS in Ecclesiastem. *Lingua parcè vti præclarum, atq; ad loquendi studium grauitatem, constantiamq; adhibere. Non enim nos inconsulto loquendi studio teneri oportet, eaq; quæ in mentē veniūt, quamuis absurda, proferre atq; emittere: verum cogitare, quod licet magno interuallo à cœlo distemus, certum est tamen sermones nostros à Deo exaudiri.* S. AMBROSIVS. *Sapiens, vt loquatur, multa prius considerat, quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore. Est ergo tacendi & loquendi modus. Est etiam in factis modus. Pulchrum est igitur tenere mensuram officii.* Et in psalmum 118. *Periculum non est solum falsa dicere, sed etiam ver, si quis ea insinuet, quibus non oportet. Quod vitium quadripartitum est, vel adulationis, vel auaritiæ, vel iactantiæ vel loquacitatis incautæ. Plerique dum sine præiudicio loquuntur, verbum emittunt, quod reuocare non possunt. Ideo vir laudatur serius & non otiosus. Erat homo abscondens sermones suos; vt Apostolus Paulus, qui nouit quid loquatur singulis, & quando quid loqui debeat. Vnde & Corinthiis dicit. Lac vobis potum dedi, non escam. nondum enim poteratis, &c. Ideo & Salomon tempus tacendi, & tempus loquendi esse docet.* S. GREG. lib. 24. moral. *In omni quod dicitur, summopere intuendum est, quid dicatur, cui dicatur, quando dicatur, quomodo dicatur.* Et in Epistola ad quinq; Patriarchas. *Cum me ad considerandum debitum pastoris verbum ac silentium confero, pauenti cura perpendo, quod valde necesse est, vt & discretus sit in silentio, & vtilis in verbo, ne aut tacēda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit: ita indiscretum silentium hos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit.*

Neocæs. c. 5.

Amb. 1. offic. c. 10. Eccl. 3. 7.

Id. serm. 1.

1. Cor 3. 1. Eccl. 3. 7.

Greg. c. 29.

Ep. 24. lib.

ANTIDOTA

Pro Religiosorum silentio.

I. ANTIDOTVM. Considera quid Spiritus sanctus in diuinis literis de silentio patefecerit. Apud Isaiam. *In silentio, ait, & in spe erit fortitudo vestra.* Et. *Erit opus iustitiæ pax & cultus iustitiæ silentium.* Et apud Ieremiam. *Bonum est cum silentio præstolari salutare Dei. Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius & tacebit quia leuauit super se. Ponet in puluere os suum.* Quibus verbis ad viuū describi videtur religiosæ vitæ cultor, solitudinis amans, vt notauit Hieronymus ep. ad Eustochium. Apud Salomonem verò non sic mel laudem sapientiæ attribuit silentio. *Qui moderatur labia sua, inquit, prudentissimus est.* Et. *Stultus, si tacuerit, sapiens reputabitur.* Et.

Isa. 30. 15. Isa. 32. 17. Thren. 3 26. Prou. 10. 19. Prou. 17. 28.

Eccl. 20.7. Iob 13.5. *Homo Sapiens tacebit vsque ad tempus.* Nec secus apud Iob dicentem. *Vtinam taceretis, vt putaremini Sapientes.*

Basil. II. ANTIDOTVM. Considera, quibus verbis laudarint silentium SS. Patres. S. BASILIVS de vera Virginitate. *Natura loquendi audiendique modum ad proportionis regulam metiens duas aures, linguam vnam nobis affinxit: quasi & duplum disciplinæ causa audire debeamus, & ad ea quæ rogamur sesqui altera proportione contractum referre sermonem. Castigata itaque locutione prudens virgo vtetur: cumque tempestiuè quempiam oportuerit alloqui, multo audiet plura, quam dicet: omnisque sermo eius cum procedet ex labiis solam vtilitatem audientium feret: aut si interrogandum fuerit instruendi animi gratia sobriè ex ore ac verecundè prodibit.*

Loquitur de virginitatem professis.

Naz. NAZIANZENVS de moderatione in disputatione seruanda. *Loquere sanè,* inquit, *si quid silentio melius, & excellentius habes: at vbi silere præstat, quam loqui, silentio acquiesce. Nosti enim laudatum illud, ordinem labiis constituere, atque alia dicere, alia audire.* Et paulo post. *Nescitis, quantum Dei donum sit silentium, quamque benignè cum eo agatur, qui loquendi necessitate constrictus non est, vt arbitratu suo alterum eligere, alterum fugere queat, atque sibi & sermonis & silentij prudens condus sit.*

Amb. in exhort. AMB. ad Virgines. *Grauiora sunt verba cum ex multiloquio peccatum incurrimus. Et ideo custodi virgo vias tuas, vt non delinquas in lingua tua. Et bona loqui plerunq; crimen est virginis. Sed quid miraris de Virgine, cum mulier in silentio iubeatur discere? Bonus est pudor, quem commendant silentia. Susanna periclitabatur, & tacebat, vt melius taceto pudore loqueretur, &c. Quid de fœminis dicimus?*

1. Tim. 2. 11. Dan. 13. 35. Gen. 39. Dan. 14.

Aug. in Psal. 38. *Ioseph tacuit accusatus, vt melius cum innocentia, quàm lingua defenderet. Tacuit Daniel omnibus sapientior, & ora clausit leonum.* AVG. *Plerunque in perturbatione rerum, dum ipsa infirmitas animæ quam aggrauat corpus quod corrumpitur, & audire vult & dicere, audire intus, dicere foras: aliquando perturbata studio dicendi deficit in diligentia agnoscendi, & in his dicit aliquid quod forte non esset dicendum. Contra hæc, remedium optimum est silentium.*

Sap. 9. 15.

Climac. gradu. 11. IO. CLIMACVS agens de loquacitate. *Taciturnitas in cogitatione mater est orationis, captiuitatis reuocatio, ignis diuini amoris obseruatio, cogitationum diligens inspectio, specula hostium, carcer luctus, lacrymarum amica, memoriæ mortis operatrix, suppliciorum pictor, iudicij indagatrix, sagax mœroris subministratrix, inimica fiduciæ, quietis coiunx, ambitiosæ doctrinæ aduersatrix, scientiæ adiectio, speculationis opifex, secretus in Deum profectus, occultus ascensus.*

Bern. ep. 89. BERN. in epistola ad Ogerium. *Silentium, dicente Isaia, cultus iustitiæ est. & bonum est expectare, vt docet Ieremias, salutare Dei cum silentio. Ad hunc ego iustitiæ cultum, ad hanc omnium virtutum matrem, nutricem, custodem, te inuito & pronoco.*

Isa. 32. 17. Thren. 3. 26.

III. REMED. Considera, si religiosam vitam profiteris, hoc exposcere à te ipsum religiosi nomen, quod à religando originem traxit teste B. AVG. in libro de vera religione, vt illud inprimis membrum religare studeas, quod religatione maximè opus habet, hoc est. linguam. Vnde Sapiens monet. *Verbis tuis facito statera, & frenos oris tui rectos,* & religiosissimus

Aug. c. 55. & 2. Retra. c. 13.

Eccli. 28. 29.

simus Dauid orat. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Beatus verò Iacobus peremptoriã fert sententiam. *Si quis autem putat se religiosum esse non refrænans linguam suam, sed seducens cor suũ, huius vana est religio.* Licet.n.hęc verba ad oẽs Christianos, qui Deo religati sunt per p̃cepta, referri possint, *αὐτονομαστικῶς* tamẽ videtur Apostolus ea retulisse ad illos, qexẽplo Apostolorũ pfectiorẽ vitã, pfitebantur, seq; Deo p̃ p̃cepta & vota Euãgelica religabãt 1. quia numero singulari inqt. *Si qs autẽ.* 2. quia grẽci codices habẽt. *Si quis inter vos.* 3. quia B. Iac. mox subiicit. *Religio mũda, & immaculata apud Deũ & Patrẽ hæc est: visitare pupillos & viduas in tribulatione eorũ, & immaculatũ se custodire ab hoc sæculo.* Qui autem ,ppriè possunt se ab opibus, honorib. & voluptatibus huius seculi custodire immaculatos, & mũdam instituere vitam, nisi religiosæ vitæ professores, qui sęculo renunciarunt & castitatẽ animi & corporis perpetuã Deo vouerunt? 4. quia Io. CASSIANVS in Collationibus ita alloquitur monachos suos. *Obseruate imprimis & maximè tu Ioannes, cui ætas adhuc adolescentior suffragatur, ne studium lectionis ac desiderii tui labor vana elatione cassetur, vt indicas summum ori tuo silentiũ hic n. est primus disciplinæ actualis ingressus. Oĩs quippe labor hominis in ore ipsius, & vt omnium seniorum instituta atq; sententias intento corde & quasi muto ore suscipias ac diligenter in pectore tuo condens, ad perficienda ea potius, quam ad docenda festines,* Pſal.140.3. Iac.1.36. Cass.coll.14.c.9

IV. REMED. Considera exempla eorum, qui silentium arctissime in religiosa vita eremitica vel cœnobitica coluerunt. In Vitis Patrum habes discipulum S. Antonii Paulum simplicem ob linguæ lapsum, quia quæsierat, num Christus ante prophetas vixisset, in triennium nihil locutum. Et Agathonẽ Abbatem, lapillo ori indito, tacere didicisse, idq; ad annos tres obseruasse. PAMBO Abbas, vt est in historia Tripartita, cum etiam ipse discere prius quã loqui proposuisset, ad illũ, qui 38. Psalmum sibi legere cæperat. Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Sat est, inquit, reliqua audiã, cum istud opere impleuero. Multo deinde tempore post reuersus, cum interrogaretur, cur tantum ad Magistrum redire distulisset, nondum se illud quod didicerat perfecisse, dixit. Apostolicum esse præceptum. Estote factores verbi, & non auditores tantum. Idem Theophilo Episcopo se aliquando adeunti, & aliquo sermone ab ipso spiritualiter refici petenti respondit. Si taciturnitate sua non reficiebatur, nec sermonibus eum refici posse. Hinc quidem die vitæ suæ iam supremo audacter affirmauit, ex quo eremũ incolere cœpisset, nullum se vnquam protulisse verbum, quo probatum nollet. AMMONA, teste Palladio in historia Lausiaca, pater ter mille monachorum, quos vocabat Tabennesiotas tantum cum illis exercuit silentium, vt viderentur esse in solitudine, vnoquoq; occultè peragente suum vitæ institutum. THEONA quoq; Abbas, teste eodem, vir sanctus in domuncula inclusus Trip.lib.8.c.1. Iac.1.22. Pall.c.48. c.50.

Greg. de 40. silentio.

tempore 30. annorum silentium exercuit. Vultum habebat Angeli, & cum plurimas virutes ageret habebatur Propheta. GREG. Nazianzenus toto aliquando Quadragesimæ tempore silentium sibi indixit, in solitudinem digressus. *Cuius facti mei*, inquit, *si causam quæris, idcirco à sermone prorsus abstinui, vt sermonibus meis moderari discam. Etenim vt res similitudine illustrior fiat, is qui in ingentem hominum numerum furibundam hastam vibrarit, idem haud dubie paucos quoq; facile profligabit: & qui ex longo interuallo sagittam mittens, scopum tamen attigerit, ille vtique propius collimans à scopo haud quaquam aberrabit. ac denique, is, qui amplissima maria naui transmiserit, idem quoque vicina littora legere minimè dubitabit.* S. ARSENIVS quondam filiorum Theodosii Cæsaris institutor, vt habet Methaphrastes in eius vita, cum in eremum secessisset, fratri cupidè eum inuisenti, post salutationem peractam, nihil locutus est, cum tamen diu sermonē exhortatorium vna cum socio ab eo expectasset. Sæpe secum ipse loquebatur in hunc modum. *Arseni cur egressus es?* hoc est, quis tibi scopus fuit, vt mundo renunciares? Illud verò frequentius. *Locutum fuisse sæpe pœnituit, tacuisse nunquam.* S. IOANNES Silentiarius ex Episcopo solitarius teste Cyrillo monacho eius Synchrono. totos 47. annos, vsque ad annum ætatis 104. siluit. Seuerus SVLPITIVS, auctore B. HIER. in Catalogo illustrium virorum, *à Pelagianis deceptus agnoscens loquacitatis culpam silentium vsque ad mortem tenuit, vt peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret.* S. ROMVALDVS anachoreta, teste Petro Damiani Cardinale, cum montem Sytriæ solitarius incoleret, septenni silentio in summa vitæ austeritate tradu&to, spiritalem Psalmorum intelligentiam promeruit. B. THOMAS Aquinas in adolescentia tantus silentii cultor fuit, vt apud condiscipulos bouis muti nomen obtinuerit. Albertus verò Magnus cum disputationculis quibusdam eximium eius explorasset ingenium, deprehenderetq; quorsum tenderet istud silentium; Bos, inquit ille talem aliquando edet mugitum, vt sonum eius totus orbis exaudiat. THOMAS Cantipratensis eius æqualis in libro secundo de Apibus in Afflighemio S. Benedicti in Brabantia monasterio scribit fuisse monachum ita silentio deditum, vt intra annos 16. ne verbulum quidem elocutus sit. Orto autem grauissimo incendio, quod humano præsidio extingui non poterat, illum cella egressum, & fusa in silentio ad Deum oratione, linguam diu mutam laxasse & dixisse. Stes ignis hac hora, flamma penitus conquiescas; ac ilico ignem totum exstinctum.

Apud Sur. 19. Iul.

Apud Sur. 13. Maii.

Sulpit.

In eius vita.

Sur in eius vita 7. Mart.

Cantip. c. 13. Radulphus tacens dictus est.

V. RMED. Considera, quæ monita dederint SS. Patres, cum sacris Virginibus, tum omnibus religiosis de ratione silendi & loquendi. Inter quos iure eminet S. BASILIVS ipse religiosorum peritissimus magister & dux. In constitutionib. quidem monasticis ita scribit. *Virtutes, quæ quotidianos quasi in consuetudine mores commendant, & in facili admodum cognitione versantia*

Bas. c. 12. & 13.

santur, veluti maturitas temporis ad loquendum, & verborum habita vtilitatis ratione prolatio. Verborum autem ea opinor vtilitas fuerit, si aut de virtute in loco differatur, aut si ad alicuius rei quæ facienda instet vsum sermo accõmodetur, aut deniq; ad auditorum ædificationem referatur. Vitandæ autem omnes omnino in sermone facetiæ, & scurrilis dicacitas sunt. Siquidem fieri plerumq; solet, vt qui sese in talibus occupant, rectam rationem deserant. nam facile animi ad ridicula diffunduntur, & grauitatis nerui eliduntur, quin etiam ad verborum turpitudinẽ sermo dilabitur. Cæterum si ad tollendum mœrorem hilariore opus sit sermone, tum spirituali lepore & Euangelico simul sale condiri debet oratio, vt & relaxatione animi & intelligentiæ festiuitate deleſter. Et in libro de vera Virginitate, cum instruit virgines sacras virginitatem professas. *Illa*, inquit, *tantum loqui Virginem decet, quæ audientium animos iurare possint, & per sermonis puri veritatem atq; rectitudinem ad intelligentiam diuinarum rerum vbertim instruere: fluentium quippe sermonis, quod ministerio linguæ ad exteriora deducitur, fontis, ex quo manat, index ac testis est. Ex corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, & cætera, ex quibus fructibus arbor cognoscitur.* Et paulo post. *Talem itaq; se exhibeat virgo cum loquitur, si quando tamen loqui opus erit. Sedulo enim obseruandum est, cui, quomodo, & quando, eam loqui deceat.* Et rursum. *De quib. molestiam non pateris, noli contendere acriter, nec te consuescas consuetudine pessima, quia mos longo vsu firmatus non paruo labore vitatur. Noli dissolutis labiis risum proferre: amentia namq; est cum strepitu ridere, sed subridendo tantum mentis lætitiam indica: nec in modum paruuli iocari velis assidue, quia non conuenit ei qui ad perfectionem nititur. Iocus remissam efficit animam, & erga Dei præcepta negligentem.* Et in sermone de institutionib. monachorũ. *Sermo futilis & quæ è familiaribus congressionibus mentis importuna nasci solet distractio, prorsus exterminantur, at si quid ad animarum ædificationem vtile sit, de hoc tantum sermo habeatur. Quin in ipsis quæ vtilia sunt, ordinis, modestiæq; & temporis ad loquendum idonei habenda est ratio, & quæ dicenda sunt, ab iis dici debent, quibus permissum sit loqui. Quod si inferior sit, expectet donec à superiore ad loquendũ inuitetur. Susurrationes verò & in aurem locutiones, & quæ per nutus fieri solent significationes, hæc à fratrum conuentu longissimè submouentur. Nam quæ nutu fit significatio, ea indicio est malitiosum aliquem dolum in re latere. Ex quibus rebus odia suspitionesq; nascuntur. Quoties verò colloquendum est, modum necessitas dicendi, vt scilicet cum eo qui propinquior* Amb. c. 12.
est, presstius agatur: qui autem remotior est, altiore voce appelletur. S. Ambrosius officiorum libro primo; *Sermo diuiditur in colloquium familiare & in tractatum, disceptationemq; fidei atque iustitiæ. In vtroq; seruandum, ne sit aliqua perturbatio, sed tanquam mitis & placidus, & beneuolentia plenus & gratia sine vlla sermo ducatur contumelia. Absit pertinax in familiari sermone contentio: quæstiones enim magis excitare inanes, quam vtilitatis aliquid afferre solet. Disceptatio sine ira, suauitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione. Et sicut in omni actu vitæ id cauere debemus, ne rationem nimius animi motus excludat, sed teneamus consilij*

locum: ita etiam in sermone formulam eam tenere conuenit, ne aut ira excitetur, aut odiũ, aut cupiditatis nostræ, aut ignauiæ aliqua exprimamus indicia. Sit igitur sermo huiusmodi de scripturis maximè. Cap 23. *Quid enim magis nos oportet loqui, quam de conuersatione optima, adhortatione obseruationis, disciplinæque custodia?* Et paulo post. *Licet interdum honesta ioca ac suauia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula; quoniam quæ in scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum vsurpare possumus?* Hier. l. 3. c. 5. *Non solum profusos, sed etiam omnes iocos declinandos arbitror: plenum tamen suauitatis & gratiæ sermonem esse non indecorum.* HIERON. in epistolam ad Ephesios. *Inter stultiloquium & scurrilitatem apud Paulum, hoc interest, quod stultiloquium nihil in se sapiens & corde hominis dignum habet. Scurrilitas vero de prudenti mente descendit & consulto appetit quædam, vel vrbana verba, vel rustica, vel turpia, vel faceta, quam nos iocularitatem alio verbo possumus appellare: vt risum moueat audientibus, verum & hæc à sanctis viris penitus propellenda, quibus magis conuenit flere atq; lugere: vt in Hebraico quoq; Euangelio legimus Dominum ad discipulos loquentem. Et nunquam, inquit, læti sitis, nisi cum fratrem vestrum videritis in caritate.* Greg. l. 22. c. 16. GREG. in Moralibus *Sancti viri cum aliquid dicunt prudenter, non quærunt gloriam suam, sed auditorum vitam, cum vero conspiciunt, quia auditorum vitam loquendo lucrari non possunt, tacendo abscondunt scientiam suam. Admittandum quippe viam Domini, quasi ad quoddam nobis propositum signum currimus. Ipse enim, quia* Luc. 23. 8. *Herodem vidit non profectum quærere; sed signa, vel scientiam velle mirari, requisitus ab eo tacuit, & quia constanter tacuit, ab eo irrisus exiuit. Scriptum namq; est. Herodes autem viso Iesu gauisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audiret multa de illo & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. vbi subditur. Interrogabat autem illum multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat. Tacens verò Dominus quàm sit despectus ostenditur, cum illic protinus subinfertur. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit. Quod videlicet factum oportet nos audientes discere, vt quoties auditores nostri nostra volunt quasi laudanda cognoscere, non autem sua peruersa mutare, omnino taceamus, ne si ostentationis studio verbum Dei loquimur, & illorum culpa quæ erat, esse non desinat: & nostra, quæ non erat, fiat.* Et Id. p. 3. admon. 15. in Pastorali. *Lingua discretè frenanda est, non insolubiliter obligãda. Scriptum namq; est:* Eccl. 10. 7. *Sapiens tacebit vsq; ad tempus, vt nimirum, cum oportunum cõsiderat proposita censura silẽtii, loquendo quæ congruunt, in vsum se vtilitatis impendat. Et* Eccl. 3, 7. *rursum quoq; scriptum est: Tempus tacendi, & tempus loquendi. Discretè quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat, aut cum loqui vtiliter potest, semetipsam pigrè restringat. Quod bene psalmista* Psal. 140 3. *considerans dicit. Pone Domine custodiã ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Non enim poni ori suo parietem, sed ostium petit, quod videlicet aperitur, & clauditur. Vnde & nobis cautè discendũ est, quatenus os discretè & congruo tempore vox aperiat, & rursum congruo taciturnitas claudat.* Bern. lib. 2. in fin. S. BERN. de consideratione. *Præferendus ille & magnus est, cui inter prosperas saltem risus indecentior, aut*

aut

aut immoderatior cura vestis vel corporis non irrepsit. Etsi rectè sapiens hortatur sapientiam scribi in otio, cauendum & in otio otium est. Fugienda proinde otiositas, mater nugarum, nouerca virtutum. Inter seculares nugæ nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemiæ. Interdum tamen, si incidant, ferendæ fortassis, referendæ nunquam, magis interuenientibus cautè & prudenter nugacitati. Prorumpendum sanè in serium quid quod non modo vilitier, sed libenter audiant & supersedeant otiosis. Consecrasti os tuum Euangelio: talibus iam aperire illicitum: assuescere sacrilegum est. Labia Sacerdotis, ait custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore eius, non nugas profecto vel fabulas. Hæc ille. Quæ si rectè dicuntur in sacerdotes & Pontifices, quantò magis in monachos & religiosos? Malac.2.7.

VIDE. V. *Adulatio Blasphemia. Colloquia otiosa. Curiositas. Detractio. Discordia Ebrietas. Familiaritas nimia. Hypocrisis. Immodestia. Impatientia in aduersis Immoderatio pastionum. Indiscretio. Ira. Inuidia. Iuramentum Luxuria. Maledictio. Mendacium. Murmuratio. Otium.*

LVDVS ALEÆ.

Remedia contra ludum aleæ, & similes.

I. REMED. Considera, quibus diuinæ scripturæ monits aduersetur Ludorum vetitorum vanitas. Ac primum quidem iis, quibus lusus impiis, abstinentia verò à lusu piis attribuitur. Vt in Exodo. *Sedit*, inquit Moyses, *populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*, Et apud Iob. *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Pius verò Tobias senior sic de se loquitur. *Nunquam cum ludentibus miscui me, neq; cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui* Et S. Ieremias *Non sedi in consilio ludentium, & gloriatus sum à facie manus tuæ.* Vnde propheta Dauid. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Quo testimonio theatrica spectacula cõfixit Tertullianus. 2. Ludorũ vanitas repugnat iis scripturis, quibus risus, immodicaq; lætitia damnatur, commendatur verò tristitia & luctus. Ecclesiastes ait. *Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis?* Et Saluator apud Lucam. *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Et Matthæum. *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur.* Et Ioannẽ. *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Exod.32.6. 1.Cor.10.9. Iob21.12. Tob.3.17. Ier.15.17. Tert.l.de spectac. Eccl.2.2. Luc.6.25. Matth.5.5. Ioan.16.20.

II. REMED. Considera S. Patrum sententias. S. CYPRIANVS tractatum integrum scripsit in aleatores, in quo hæc eius dicta. *Multæ sunt tentationes diaboli, quorum primordia sunt idololatria, mœchiæ, furta, rapinæ, anaritia, &c. si qua sunt similia, quæ his congruunt, ex quibus est aleæ tabula. Præsto est diaboli laqueus manifestus, venenum portans letale serpentis, & inductio corrumpens, quæ cum videtur nihil esse magna amplexi operitur deletio.* Et iterum. *Alea ne luseris, vbi lusus noxius est, & crimen mortale, vbi dementia sine consideratione, vbi nulla* Cypr. de aleatoribus.

veritas

veritas, sed mendaciorum mandra. Abscinde inde manum tuam, & auerte inde oculum tuum, extrahe caliginem inimici ab oculis tuis, & purifica manum tuam à sacrificio Zabuli: abige abs te furaces mores, puras manus ad Christum extende, vt promereri Dominum possis. Aleam noli respicere. Amen. S. BASILIVS in Hexæmeron. *Si vero dim sero & consilium hoc dissoluero, sunt qui protinus ad tesseras aleasq; se conferant. Iuramenta sunt illic, contentionesq; pergraues, ac auaritiæ partus: Spiritus malignus assistit, furorem punctis ossibus illis ludentiũ, insaniamque accendens. Eas idem ille pecunias nunc ad hunc, nunc ad alterum transfert, atque modo hunc victoria effert, illum victum mœstitia premit: modo contra, illum elatum, hunc demissum ostendit.* S. EPHR. de abrenunciatione in baptismo facta. *Abrenunciatio, quam in baptismo fecimus, nominata quidem apparet parua: cæterum intellecta, admodum magna. Quam qui seruare valuerit, beatissimus erit. Paucis namque verbis cuncta, quæ nominantur mala, quæq; odit Deus, valere iubemus & abrenunciamus. puta. Abrenuncio Satanæ & cunctis operibus eius. Quibus, inquam, operibus? audi. Fornicationi, adulterio, immunditiæ, mendacio &c. abrenuncio alearũ otio, & tabularum lusui, sicut etiam sancti Apostoli hisce operam dantes atq; vacantes, excommunicatos esse ordinarunt suis canonibus, si laici fuerunt. At si clerici, vt deponantur.* Et infra. *Væ alearũ lusoribus, quando quidẽ se à corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi alienos reddunt, sicut Spiritus Sanctus per sanctos admonuit Apostolos.* VBI nota inter 85. Apostolorũ canones, quos VI. Synodus in can. 2. recepit atq; probauit Canonẽ 42. esse hunc. *Episcopus aut presbyter, aut Diaconus aleæ atq; ebrietati deseruiẽs, aut desinat, aut cõmunione priuetur.* 43. verò est. *Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut certè cõmunione priuetur: similiter etiã laicus.* Hos recitat Gratianus in Decreto. Idem repetitum est in Synodo VI. Constantinop. can. 50. his verbis: *Nullum omnino siue clericum, siue laicum ab hoc deinceps tempore alea ludere: qui secus fecerit excommunicetur.* Nec Cæsarea lex IVSTINIANI Imperatoris ab his canonibus dissentit, nam in constitut. Nouella prohibet *Episcopis, presbyteris, diaconib. Lectoribus, & aliis Ecclesiasticis personis, ne ad tabulas ludant, aut talis ludo ludentibus se associent, aut spectatores sint, aut ad quodcunque spectaculum, scilicet theatrum spectandi gratia veniant.*

Bas. hom. 8.

Ephr. tom. 2.

c. Episcopus dist. 35.

Inst. nouell. 123.

III. REMED. Considera quam pernicios̃us sit alearum vel taxillorum lusus. HOSTIENSIS Cardinalis in sua summa, tit. de Excessibus Prælatorum, notauit 16. vitia illo produci, his versibus comprehensi.

Host. §. clericus.

Hæc cum taxillis ludendo crimina sumit,
Ecclesiæ spretus, vsuraq; siue rapina,
Scandala, vel nugæ, blasphemia, seu faciendi
Furti doctrina, violentia, crimina falsi,
Et mortis causa, deceptio, perditioque
Temporis, & desiderium, corruptio, iungas
Isti prædictis adulatio, vitaque turpis.

S. AN.

S. ANTONINVS autem Archiepiscopus Florentinus in altera summæ Theologicæ parte tot crimina ex ludo nasci arbitratur, & probat, quot sunt in taxillis puncta. Prisci certè Patres fusè ea descripserũt. vt B. CYPR. *Aleæ*, inquit, *tabula est diaboli venabulum, & delicti vulnus insanabile. Aleæ tabulam dico, vbi diabolus præsto est, ad capiendũ summissus, & cum cœperit de captiuo triumphum, perfidia, falsa testimonia. Tabulam aleæ dico: vbi dementia & furia, & venale periurium, imperium & colloquium serpentinum. Illic rabiosa amicitia, illic atrocissimi sceleris fraternitas discordans, illic conuitia & audacia sæua, & mens insana, & fera impatientia. Aleæ tabulam dico, vbi possessionũ amissio & pecuniarum ingentium perditio, monstrum, & demonstrans litigiosum, furax dementia. O aleatorum noxia sedentaria & pigra nequitia. ô manus crudeles, & ad periculum sui armatæ, quæ bona paterna, & opes auorum sudore quæsitas, ignominioso studio dilapidant: manus trux, noxia & insomnis, noctè dieque continuis instrumentorum suorum armigera, quæ peccando se ipsam damnauit, & post peccata non desinit ire.* Et paulo post. *Est & quando isti aleatores cum prostitutis mulieribus penes auctorem suum nocturnas vigilias clausis foribus celebrant: armantur aduersum se miseri, Spiritu diaboli repleti, & illic duplex aut geminum crimen admittunt. Hic concrepat aleæ sonus, illic silentio operatur incestus: hic sine vllo dignitatis suæ respectu, sine vlla excusatione, pestifero studio cedere bonis suis cogitur; illic secreto mortale venenum bibitur.* S. AMB. in libro de Tobia agens contra fœneratores. *Obseruant*, inquit, *isti aleatorum conuenticula, & perditis ærumnam commoditatem suam iudicant, spondent pro singulis. Varios primo sors ludit euentus, ad diuersos sæpè transfertur victoria, stipendiaq; eius vicissim, atque ærumna mutantur, Omnes vincuntur & vincunt, fœnerator solus acquirit. Penes alios inane manet nomen, quod vicerint, penes fœneratorem solum fructus est, non annuus, sed momentarius. Illi solum lucrum faciunt in omnium detrimento, illis solis est vsuræ victoria. Videas reliquos subito egentes, repente diuites, deinde nudos, singulis iactibus statum mutantes. Versatur enim eorum vita, vt tessera. Voluitur census in tabula, fit ludus de periculo, & de ludo periculum: quot propositiones, tot proscriptiones. Clamor plaudentium, fletus despoliatorũ, gemitus deplorantium. Sed & hoc creditor vt tyrannus damnat vnum quemq; sorte capitali, agitat hastas, feralem instituit de singulorum exuuiis auctionem. Alios proscriptioni addicit, alios seruituti, non tanti occisi sub tyrannis sunt. Vitæ igitur hanc aleam rectius dixerim, quam pecuniæ: sub momento fertur, quod valeat in æternum. Ebrietas iudicat. Et nullus appellat. Habet & alea suas leges quas foriitura non soluant. Notatur, si credi potest, infamia, qui putauerit renitendum. & infamium sententia grauius, quam censura iudicialis inurit opprobrium: quoniam qui apud Iudicem damnantur, apud illos glorioſi sunt: quia apud illos damnantur, apud Iudicem criminoſi sunt.*

Aut. tit. 1. c. 23. §. 6.

Cypr. de aleat.

Amb. c. 12.

IV. REMED. Considera exempla eorum quibus pessimè cessit consuetudo ludendi aleis. Primum narrat B. Ambrosius loco citato. *Ferunt*, inquit, *Hunnorum populos omnibus bellum inferre nationibus, fœnatoribus tamen*

esse subiectos: & cum sine legibus viuant, aleæ solius legibus obedire, in procinctu ludere tesseras simul & arma portare, & plures suis, quam hostilibus ictibus interire: in victoria sua captiuos fieri, & spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste non nouerint. Ideo nunquam belli studia deponere, quod victi aleæ ludo cum totius prædæ munus amiserint, ludendi subsidia requirunt bellandi periculo. Frequenter autem tanto ardore rapti, cum ea, quæ sola magna æstimant, victus arma tradiderit, ad vnum aleæ iactum vitam suam potestati vel victoris vel fœneratoris addicat. Denique constitit, quod quidam eorum & Imperatori Romano cognitus in fide pretium seruitutis, quam sibi tali sorte superatus intulerat, supplicitis imperatæ mortis exoluerit. ALTERVM narrat Cæsarius in libro Exemplorum sui seculi. IN Susato, quæ ciuitas est Coloniensis diœcesis, miles quidam Thyemo nomine habitabat, qui sic totus deditus erat ludo tesserarum, vt non die, non nocte quiesceret: semper sacculum cum nummis secum portabat, vt secum ludere volentibus obuiaret. Ita in ludis expeditus & fortunatus erat, vt vix aliquis ab illo sine damno recederet. Vt autem posteris ostenderetur, quantum Deo tales ludi in quibus iræ, inuidia, rixæ, & damna suscitantur, & peccati verba rotantur, contrarii forent, permissum est diabolo, vt cum eo luderet, qui multos illuserat atq; euiscerarat, qui multorum marsupia euacuarat. Nocte ergo quadam domum eius in specie hominis cuiusdam ludere volentis intrans, sacellumq; nummis refertum, sub ascella portans ad tabulam sedit, denarios liberaliter apposuit, tesseras iactauit & multa acquisiuit. Cui cum prosperè succederet, & militi iam pecunia, quam apponeret, defuisset, rogatus ait. Nunquid non habes tues? Et ille. Nunc satis est. appropinquat enim tempus matutinale: oportet nos ire: tollensq; illum per tectum traxit, cuius viscera tegulis retrahentibus miserabiliter excussit, & quid de eius corpore factum sit, vel quem in locum illud proiecerit, vsque hodiè tàm à filio eius, quam à cæteris, qui illum nouerant, ignoratur. Mane verò viscerum eius reliquiæ tegulis inhærentes repertæ sunt, & & in cæmiterio sepultæ. Cæs. lib. 5. c. 34.

Cantip. lib. 2. c. 43.

TERTIVM commemorat his verbis, THOMAS Cantipratensis in Apiario suo. *Fui in quadam villa Campaniæ, vbi Iudæus cum Christiano sacra nocte Parascenes in tesserarum ludo consedit. Cumque Iudæus multam pecuniam perderet & ex hoc impatientius turbaretur, tandem in* CHRISTVM *retorquens iniuriam, blasphemauit. Et mox cum ad iactandum hasardum tesseras collegisset, manus eius cum tesseris sit contracta. Qui reprobo furore succensus, eum ipsa manu contracta mensam luforiam percutere niteretur, iterato in* CHRISTVM *& matrem eius blasphemiam turpissimam euomens, statim euersis terribiliter oculis cecidit & expirauit. Christianus verò collusor illius pauore nimio in amentiam versus, elanguit, & vitam miseram dira morte finiuit.* QVARTVM est eiusdem. *Frater quidam*, inquit, *ordinis Prædicatorum, bonus & veridicus narrauit mihi, quod quidam ludo tesserarum nudatus adeo desperatus est, vt arrepto arcu sagittã sursum in aërem iaceret, quasi ipsum cœli Dominum percussurus: & mox sagitta reuersa ante faciem iacentis, sanguine recenti totaliter infecta reperta est. Qui mox in maximas lachrymas resolutus fratrem, qui mihi hæc narrauit, ad duo milliaria quæsitum*

situm, inuenit, & confessus vitam suam cum mira pœnitentia ac deuotione correxit.

QVINTVM est THEODORI GRESMVNDI Iureconsulti, apud Tilm. Bredenbachium. *Anno*, inquit, *M. CCC. LXXXIII. fuit homo quidam nomine Schelkropff ex infima plebe, qui in lustris & tabernis agebat ludi appetentissimus. Hic cum aliquando in publico diuersorio suburbii Moguntini, Filtzbach appellati, taxillorum lusu pecuniam ferè omnem perdidisset, cœpit tandem, vt solebat, grauiter stomachari, & post conuitia in collusores iacta, Deum & sanctos blasphemare. A sociis autem nihil placatiore animo digressus, cum peruenisset ad sacellum inter D. Albani & D. Mariæ in campis ædem* (nunc S. Crucis dictam) *CHRISTI è cruce pendentis ligneam statuam atrociter vulnerauit, & vnico ictu cervicem crucifixi dissecuit. Mox & diuæ Virginis, aliorumque sanctorum signis cruci astantibus cæsim & punctim plæraque vulnera inflixit. Ac illico multus cruor effluxit, haud secus quam si viui homines eam iniuriam perpessi forent. Schelkropff verò expleta impietate sua siue nutu DEI affixus, siue ipso crucis miraculo exterritus, inde pedem non mouit, donec à superuenientibus in flagranti crimine deprehensus, & in vrbem Moguntinam deductus, viuus in conspectu populi non longè ab vrbe in loco, quem Iudæorum arenam vocant, exustus est. Imagines deinde vulneribus & cruore insignes in D. Virginis, vel S. Crucis templum sacerdotum manibus translatæ fuerunt, vbi in hodiernum vsque diem ille cruor visitur, & admodum religiosè colitur, multique mortales variè afflicti susceptis votis DEI Opt. Max. clementiam & salutem experti sunt.* Bred. lib. 3. coll c. 18.

Exstat hæc historia eleganti carmine ab eodem THEODORICO descripta, & ante centum annos in tabula eiusdem sacræ ædis appensa. Cui aliam non absimilem habes apud Bredenbach. cap. 13. eiusdem libri 3. Collat.

V. REMEDIVM. Considera dicta factaque Gentilium. ARISTOTELES in Ethicis ad Nicomachum scribit aleatores, fures & latrones esse illiberales, eo quod in turpi lucro versentur, & quæstus causa omnia etiam probra sustineant. Aristot. 4. Eth. c. 1.

PLATO annotauit alicubi aleam & reliquas pernitiosas artes à dæmone, quem apellat Theut. inuentas esse, & ad Thamum Ægypti regem delatas. Plato in Phædro.

HORATIVS libro primo odarum asseuerat vetitum legib. aleæ vsum. Hor. od. 25.

OCTAVIVS Cæsar in iuuentute ex aleæ lusu ignominiam contraxit, teste Suetonio, de quo & vulgatum distichon. Suet. c. 71. in Octau.

Postquam his classe victus naues perdidit,
Aliquando vt vincat, ludit assidue alea.

Emendauit autem vitium senex. Eo enim tempore lusit quidem talis & alea, sed tantum oblectamenti causa inter cœnam παιδικῶς. Notatus ab eodem est Imperator Caligula, quod non contempserit quæstum etiam ex vsu aleæ factum. Suet. c. 41. in Calig.

VLPIANVS ex Prætoris edicto in eum animaduerti

L. 1. de aleat. tit. 5. Ibid.

vult, qui compulit alea ludere, vt aut mulctetur, aut in latumias vel vincula publica ducatur. Vnde denegatur actio pro subtracto in domo ludentium: nec, si quis verberauerit eum, qui ad ludendum habitationem præbuit, iniuriarum nomine tenetur. IVSTINIANI quoque exstat constitutio, qua statuit nulli licere in publicis vel priuatis domibus vel locis ludere, vel ludentes inspicere. IOAN. Cuspianus in libro de Turcarum institutis, scribit Agarenos seu Turcas quocunque genere ludi depositâ pecunia instituti ignominia affici, & deinceps supplicio grauiori.

Iustin. l. fin. de relig. & sumpt. funeb lib. 3. C. Cuspin. c. de mor. Tur.

VI. REMED. Considera diligenter, cum ludus sit res adiaphora in se, quando secundum moralis Theologiæ tractatores reddatur licitus vel illicitus. Hi verò decernunt ludum, etiam aleatum & chartarum, si conuenienter rectæ rationi instituatur, posse non solum alienum esse à reprehensione, sed etiam virtutis nomen obtinere, quam Aristoteles in 4. Ethicorum εὐτραπελίαν, hoc est, vrbanitatem, S. Thomas iucunditatem appellet. Rationi autem consentaneum esse, si non vitietur accessione peruersæ circumstantiæ: vitiari autem, si in quantitate pecuniæ pro victoris mercede depositæ excedatur. 2. si ludus cum offendiculo circumstantium instituatur. 3. si loco vel tempore alieno, vt dum frequentandæ sunt conciones, diuinaque officia. 4. si occasionem præbeat iurgiis, periuriis, blasphemiis, 5. si ludo interueniant fraudes & doli. quoniam enim hæc vitia ludum inprimis alearum comitari solent, idcirco legibus tàm politicis quàm Ecclesiasticis vetitus videtur. Quod verò ad clericos, religiososque attinet, sub lethali culpa alearum ludus eis est interdictus. Nam cap. inter dilectos. extra. de Excessibus Prælatorum, ob aleæ vsum clericus iubetur deponi, quæ pœna non infligitur nisi ob noxam mortalem. Et Concil. quidem Tridentinum, agens de Reformatione, omnes canonicas pœnas & leges innouauit. Idem sentit NAVARRVS cum aliis, quos in Manuali allegat. *Cæterum*, inquit noster LYD. MOLINA tractatu. 2. de Contractibus, *cum pœnæ illæ publicis aleatoribus sint impositæ, qui non semel, aut raro ludunt, sed ludo sunt dediti non iudico condemnandos esse culpæ lethalis eos clericos, qui sine aliorum scandalo, recreationis gratia chartis ludunt quantitates modicas, quæ conditionem ac statum ipsorum, spectatis eorum redditibus ac bonis, non dedecent. Neq; hos damnare lethalis culpæ videtur Nauarrus, qui eos solos culpæ lethalis damnat, qui notabilem quantitatem ludunt. Eiusmodi tamen ludus chartarum & multò magis tesserarum indecens valde illis est, atque omnino dissuadendus: præsertim cum multi strictius de hac re loquantur, & ego loquerer, si Ecclesiasticorum mores non adeò ab antiquo illo statu primitiuæ Ecclesiæ deflexissent. Quare & religiosis longe magis indecens est, & scandalosus aliis, eo ipso, quod arctiorem vitam profitentur, maiorq; in populo opinio est de ipsorum obseruantia ac sanctitate.* Hæc ille.

Arist. c. 8. Tho. 22. q. 168. a. 2.

C. Trid. sess. 22. c. 1. Nau. c. 19. n. 9. Mol. disp. 522.

a. 9.

VII. REMED. Considera aleæ nomine intelligendos esse ludos omnes

omnes, qui pendent à casu ancipiti, vt foliorũ, tesserarum, talorũ, astragalorum, tabularum, & similium. Eodem quidam referunt ludum scachorum, vel latrunculorum. Nam S. BERNARD. Militum templi Ordinem laudat, quod à lusu scachorum & alearum abhorreant. Sic enim loquitur in sermone exhortatorio ad illos. *Verbum insolens, opus inutile, risus immoderatus, murmur vel tenue, siue susurrium neqnaquã ibi deprehenditur inemendatum. Scachos & aleas detestantur, abhorrent venationem, nec ludicra illa auium rapina, vt assolet delectantur. Mimos & magos, & fabulatores, scurriles q; cantilenas, aut ludorum spectacula tanquam vanitates & insanias falsas respuunt & abominantur.* Bern. c. 4.

B. PETRVS Damianus Cardinalis verò in epistola ad Alexandrum II. Pontificem Romanum, & Hildebrandum Cardinalem data, contendit aleæ nomine in canonibus Ecclesiasticis comprehendi scachos. Cum enim Episcopum quendam sui itineris comitem deprehendisset in diuersorio scachis ludentem, his verbis eum aggressus est. *Librata manu virgas exero, plagas infigere quæro: si sit qui terga subiiciat. Et ille inferatur inquit, culpa, non recusabitur pœnitentia. Rectène, inquam, tuiq; erat officij vespere in scachorum vanitate colludere, & manum Dominici corporis oblatricem, linguam inter DEVM, & populum mediatricem sacrilegi ludibrij contaminatione fædare? præsertim cum canonica decernat authoritas, vt aleatores Episcopi deponantur. Et quid prodest ei, quem efficaciter auctoritas damnat, etiam si iudicium extrinsecus non accedat? Ille autem ex diuersitate nominum defensionis sibi faciens scutum, ait, aliud scachum, aliud aleam esse. Aleas autem auctoritas illa prohibuit, scachos vero tacendo concessit. Ad quod ego. Scachum, inquam, Scriptura non ponit, sed vtriusq; ludi genus aleæ nomine comprehendit. Quapropter dum alea prohibetur, & nominatim de scachis nihil dicitur, constat procul dubio verumq; genus vno vocabulo comprehensum, vnius sententiæ autoritate damnatum. Tunc ille vt mitis est animi & perspicacis ingenii redditis rationib. humiliter acquieuit, culpam nullatenus iterandam certa pollicitatione constituit, iniungi sibi pœnitentiam postulauit. Cui mox præcepi vt ter Psalterium meditando percurreret, ac duodecim pauperum pedes suas post à culpæ contagio manus ablueret & imprimens alienis vestigiis ora pacem sibi cum Domino, quem per flendos iocos offenderat, reformaret. Hoc autẽ diximus, vt quàm inhonestum, quàm absurdum, quàm deniq; fœdũ sit hoc in sacerdote ludibrium, ex alterius emendatione noscatur.* Dam. l. 1. ep. 10.

Ex recentioribus Doctoribus MARTINVS NAVARRVS capite 19. Manualis, scribit ludum scachorum esse quidem magis licitum, quam aliquot alios lege prohibitos, inter omnes tamen ludos esse ineptissimum, eo quod magis arti & industriæ, quam fortunæ nitatur, atq; ideò minus, quam alii, animum relaxet. Quam censuram alii improbant, docentq; optimum esse ludum, vt in quo coniungatur industria cum fortuna. Ludus siquidẽ nomen suum retinere nequit nisi ad animi relaxationem referatur, at maior relaxatio capitur, vbi industriæ & ingenio locus est, Vtut sit, securius est, quando Nau. 23.

discrepantes de hoc genere ludi extant sententiæ, in totum propter allegatos Auctores ab eo abstinere.

Cyp.l.cit.

VIII. REMED. est B. CYP. loco supra citato, quod adscribam eius verbis. *Esto*, inquit, *potius, non aleator, sed Christianus: pecuniam tuam adsidens Christo, spectantibus angelis, & martyribus præsentibus, super mensam Dominicam sparge: patrimonium tuum, quod forsitan sæuo studio perditurus eras, pauperibus diuide: diuitias tuas Christo vincenti committe: seruus cum Domino tuo vocare, studio deifico obsequere, artem Domini imitare, quæ non perdit, sed potius acquirit. Desine ab illis tuis furacissimis moribus, cohibe præcipitem nequitiam tuam: sit tibi cum pauperibus quotidianus lusus: sit tibi enm viduis frequens operatio: censum & apparatus tuos omnes ad studium Ecclesiæ distrahe: aurum tuum & argentum, & pecunia tuas in thesauris cœlestibus repone, fundos & villas tuas iusta operatione ad paradisum remoue, vt peccata donentur tibi, eleemozynis & operationibus continuis incumbe.*

IX. REMED. Considera antidota vitiorum in hocipso opere tradita, quorum occasione vel ad pernitiosos ludos excitamur, vt est, *accidia, auaritia, choreæ, colloquia otiosa, consuetudo praua, ebrietas, otium, societas praua, voluptas carnalis:* Vel in quæ per varios in ludo excessus incidimus, vt est *Scandalum*, vel *exemplum prauum, iuramentum, blasphemia, periurium, fraus, mendacia, iracundia, discordia, homicidia, adulteria, vindicatio iniuriæ, contumelia, detractio, desperatio*, & alia huiusmodi.

LVXVRIA.

Remedia contra Luxuriam.

I. REMEDIVM. Considera quid de Luxuria, vel libidine, lasciuia, concupiscentia carnis, (quæ nomina eiusdem rei sunt) diuinæ litteræ prodiderint. Primo enim prohibent, vt liquet ex sexto Decalogi præcepto fornicationem & adulterium, quæ sunt species luxuriæ, ac subtis nominibus omnem illegitimum concubitum, & impuram quamcunq; libidinem, eiusq; occasiones. Ait enim Sapiens. *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui.* Et. *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius.* Et. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere* Deinde Christus. *Audistis, quia dictum est antiquis Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Et Paulus. *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* Et. *Fornicatio & omnis immunditia aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo.* Et D. Petrus. *Carissimi obsecro vos tanquam aduenas, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.* Et. *Efficiamini diuinæ naturæ consortes, fugientes*

Exod.20.14.
Leuit.19.20.
Deut.5.17.
Eccli.5.2.
Eccli.9.5.
Eccli.18.30.
Matth.5.28.
Rom.13.14.
Eph.5.3.
1.Pet.2.11.
2.Pet.1.4.

tes eius, quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. 2. produnt luxuriosos exclusos esse regno cœlorum. *Si secundum carnem vixeritis*, ait Apostolus, *moriemini*. Et. *Nolite errare, neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neq; molles,* Rom. 8. 13. 1. Cor. 6. 9. *neq; masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.* Et. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Et Beatus Iacobus. *Concupiscentia cum conceperit parit peccatum: peccatum verò cum consummatum fuerit generat mortem.* Gal. 5. 10.

II. REMEDIVM. Considera SS. Patrum testimonia. CYPRIANVS. *Pudicitia*, inquit, *est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput.* Et paulo post. *Sed vt matura & in viris probata semper, & à fœminis appetenda: sic inimica eius impudicitia semper est detestanda, obscœnum ludibrium reddens ministris suis, nec corporibus parens nec animis. Debellatis enim propriis moribus, totum hominem suum sub triumphum libidinis facit: blanda prius, vt plus noceat, cum placet, exhauriens rem cum pudore, hostis continentiæ, frequenter perueniens ad sanguinem, cupiditatum infesta rabies, incendium conscientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis, contumelia generis,* Cyp. de bono pudicitiæ. *&c.* LACTANTIVS in libris institutionum. *Mens inquinata contagione impudici corporis non potest, nisi & longo tempore, & multis bonis operibus à colluuione, quæ inhæserit purgari.* Et rursum. *Nec tamen deficiet aliquis, si semel à voluptate vitius sit: potest enim reduci, si eum pœniteat actorum.* Lact. l. 6. c. 23. Id. c. 24. *Nihil enim officiunt peccata vetera correcto, quia superueniens iustitia labem vitæ prioris aboleuit.* AMBROSIVS de Cain & Abel. *Sæuus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum: nocte feruet, die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat, nullus peccandi modus & inexplebilis sceleru sitis nisi morte amantis extinguino potest.* Amb. l. 1. c. 5. Id. in. c. 4. Et in Lucam. *Etenim quasi clauis suffigitur anima corporeis voluptatibus, & cum semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest, vnde descendit sine Dei fauore reuolare. Actuum enim suorum vincta laqueis, & secularium deliciarum illecebris obnoxia iam tenetur.* HIERONYMVS aduersus Iouinianum. *Amor formæ rationis obliuio est, & insaniæ proximus, fœdum minimè conueniens animo suspitiosum: turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit; querulos, tracundos, temerarios, durè imperiosos seruiliter blandos, omnibus inutiles, ipsi nouissimè amori facit. Nam cum fruendi cupiditate insatiabilis flagrat plura tempora suspicionibus, lachrymis, conquestionibus perdit, odium sui facit, & ipsi nouissimè sibi odio est.* Hier. lib. 1. sub finem. Et post. *Doctissimi viri vox est, pudicitiam imprimis esse retinendam: qua amissa omnis virtus ruit. In hac muliebrium virtutum principatus est. Hæc pauperem commendat, diuitem extollit, deformem redimit, exornat pulchrã: bene meretur de maioribus, quorum sanguinem furtiua sobole non vitiat, &c.* AVGVSTINVS libro 14. de ciuitate Dei. *Cum sint multarum libidines rerum,* Aug. c. 16.

tamen.

tamen cum libido dicitur, nec, cuius rei libido sit, additur, non fere assolet animo occurrere nisi illa qua obscœnæ partes corporis excitantur. Hæc autem sibi non solum totum corpus, nec solum extrinsecus verum etiam intrinsecus vendicat, totumq; commouet hominem animi simul affectu cum carnis appetitu coniuncto atque permixto. Vt ea voluptas sequatur, qua maior in corporis voluptatibus nulla est, ita vt momento ipso temporis quo ad eius peruenitur extremum, pœne omnis acies & quasi vigilia cogitationis

I. lib. 4. c. 14. *obruatur.* Et contra Iulianum Pelagianum. *Vide quid in Hortensio dialogo Tullius pro viuacitate mentis contra voluptatem corporis dicat. An verò, inquit, voluptates corporis expetendæ, quæ verè & grauiter à Platone dictæ sunt illecebræ esse, atque escæ malorum? Quæ enim confectio est, inquit, valetudinis, quæ deformatio colorum corporis, quod turpe damnū, quod dedecus, quod non euocetur atque eliciatur voluptate? cuius motus vt quisque est maximus, ita est inimicissimus Philosophiæ. Congruent enim cum cogitatione magna voluptas corporis non potest. Quis enim, cum vtatur voluptate, ea, qua nulla possit maior esse, attendere animo, intre rationem, cogitare omnino quicquam potest? Quis autem tantus est gurges, qui dies & noctes sine vllo minimi temporis intermissione velit ita moueri suos sensus, vt moueantur in summis voluptatibus? Quis autem bona mente præditus, non mallet nullas omninò nobis à natura voluptates datas? Hæc ille dixit, qui nihil de primorum hominum vita, nihil de paradisi felicitate, nihil de corporum resurrectione crediderat.* S. Greg. lib. 31. moralium. Greg. c. 31. *De luxuria cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, horror autem vel desperatio futuri generantur.* B. Isidorvs de summo bono. Isid. l. 2. c. 39. *Principaliter his duobus vitiis diabolus humano generi dominatur: id est, superbia mentis, & luxuria carnis.*

III. Remed. Considera, quanta sit in morbo luxuriæ sanando difficultas, vt eo plura & efficatiora antidota conquiras. S. B. Hier. ad Furiam ira scribit. *Omnia alia peccata extrinsecus sunt, & quod foris est facile abiicitur. Sola libido insita à Deo ob liberorum procreationem fines suos egreditur, redundat in vitium, & quadam lege naturæ in scelus erumpit. Grandis virtutis est, & solicitæ diligentiæ superare quod natus sis, in carne, non carnaliter viuere tecum pugnare quotidie & inclusum hostem Argi vt fabulæ ferunt, centum oculis obseruare. Hoc est quod* 1. Cor. 6. 18. *Apostolus verbis aliis loquebatur. Omne peccatum, quod fecerit homo, extra corpus est: qui autē fornicatur, in corpus suum peccat.* Alibi verò, vt in epistola ad Eustochium, de custodia Virginitatis suo exemplo difficultatem illam exaggerat. Id. in ep. 22. *O quoties, inquit, ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum monachis præstat habitaculum putabam me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situ Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lachrymæ, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum talis me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantum socius & ferarum sæpe choris inter-*

tram puellarum. Pallebant ora ieiuniis, & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant, &c.

Hieronymo consentit AVGVSTINVS, dum in libro de honestate mulierum sic loquitur. *Inter omnia certamina Christianorum sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna & rara victoria. Grauem namque sortita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur & semper timetur.* Aug. c. 8.

Quam autem ipse suæ conuersionis tempore in hoc vitio difficultatem senserit, ipse tam lamentabiliter in libris Confessionum exponit, vt vel ex horrore capilli erigi possint lectori, maximè cum libido consuetudine longa iam callum quasi obduxisset. *Dum seruitur*, inquit, *libidini facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Id. lib. 8. confess. c. 12. & seq. & l. 7.

PALLADIVS quoque in historia Lausiaca scribit S. Pachomium optasse ferarum dentibus laniari, eo quod 40. annorum solitudine, ieiuniorum, aliarumq; rerum asperitate non potuerit hunc hostem expugnare, licet nunquam hosti succubuisset. Deinde & B. Mosen è latrone eremitam, cuius vita quondam parum continens fuerat, nulla ieiunii seueritate potuisse lasciuiam carnis domare. imò cum post sexennium ieiunio vigilias diuturnas, longas preces, multasque lacrymas iunxisset, nihil tamen obtinuisse, donec tandem post exantlatos multos alios labores benedictione Patris sui spiritualis quietem aliquam fremente licet Satana, meruisset. Quibus exemplis DEVS videtur ostendere voluisse, quàm sit arduum, initum semel cum luxuria fœdus dissoluere. Pallad. c. 26. Id. c. 25.

IV. REMED. Vt primum animum tuum titillauerit cogitatio libidinis, confestim eam expelle. Quemadmodum enim miles ianuam domus ingressus, facile totam domum occupat, sic carnis tentatio. Vnde B. CYPRIANVS. *Diaboli primis titillationibus obuiandum est, nec coluber foueri debet, donec in serpentem formetur.* Cypr. serm. de ieiunio. HIERONYMVS in Eccleiasten. *Diabolus serpens lubricus est, cuius captti, hoc est, primæ suggestioni si non resistatur, non est dubitandum, quin in penetrale cordis furtim illabatur.* Hier. in c. 9. Et in epistola citata ad Eustochium. *Noto sinas cogitationem libidinis crescere, nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum paruus est hostis interfice. nequitia, ne Zizania crescant, elidatur in semine. Audi psalmistam dicentẽ. Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram. Quia enim impossibile est, in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cæperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad petram, Petra autem Christus est.* Psal. 136. 8. Et CASSIANVS in libro sexto institutionum. *Illius præcepti iugiter meminisse debemꝰ. Omni custodia serua cor tuum, & secundum DEI principale mandatum solicitè serpentis obseruare nexium caput, id est, cogitationum malarum principia, quibus serpere in animam nostram diabolus tentat: ne si caput eius per negligentiam penetrauerit cor nostrum, reliquum* Cass. c. 13. Prou. 4. 23. Gen. 3. 1.

eius corpus, id est, oblectationis assensus illabatur. Qui procul dubio si fuerit intromissus morsu virulento mentem interimet captiuatam. Emergentes etiam peccatorum terræ nostræ, id est, sensus carnales in matutinis sui ortus nos oportet extinguere, & dum adhuc parusuli sunt allidere filios Babylonis ad petram. Qui nisi dum tenerrimi sunt fuerint enecati, adulti per conniuentiam in perniciem nostram validiores insurgent.

Psal. 136. 8.

V. REMED. Si aditum fortè cogitationi tuæ iniuria dederis, & periculum sit consensus, magno affectu clama ad Dominum, more eorum, qui orta tempestate in discrimine sunt naufragii; ac breuia aliqua efficaciaq; S. scripturæ dicta vsurpa, vt, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. IESV fili Dauid miserere mei.* Ita consulit B. Hieronymus epistola citata. *Non soluatur, inquiens, fascia pectoralis sed statim vt libido titillauerit sensum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem. Dominus auxiliator meus, non timebo, quid faciat mihi caro. Cum paululum interior homo inter vitia atq; virtutes cœperit fluctuare, dicito. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Domino, quia confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.* Nec mirum, quod ad Deum confugias, quia inter omnes virtutes maximè castitas doni diuini nomen obtinuit. Vnde Sapiens. *Sciui*, inquit, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & id ipsum adii Dominum & deprecatus sum illum.* Sic B. Susanna in angustiis constituta ad solum Deum perfugium habuit. Sic Apostolus ter Deum rogauit, cui stimulos carnis pateretur. Sic Augustinus clamauit. *O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris. Caritas Deus meus accende me. Continentiam iubes. Da quod iubes, & iube quod vis.* Sic B. Iustina teste Nazianzeno, cum eius pudicitiam attentaret Cyprianus magus deploratis omnibus aliis remediis ad Deum, & B. Virginem Mariam confugit, & magum dæmon obsedit. Sic S. Thomas Aquinas, cum procax scortum in eius cubiculum immissum esset, statim auxilium CHRISTI & B. Virginis implorauit, orans in hunc modum. *Ne finas quæso Domine IESV, & tu sanctissima mater & virgo Maria, vt tam immani me scelere obstringam.* Et ilico titione ex igne rapto, illud fugauit, ostioq; concluso à duobus Angelis lumbos sibi constringi sensit, ad perpetuam continentiam seruandam, quam & impetrauit. Sic denique nosipsi quotidie in Dominica oratione Deum precari, vt ne inducamur in tentationem, à saluatore instituti sumus. Eodem pertinet, si feruente tentatione aliquando ob oculos ponas Christum quasi præsentem, & cruci pro te suffixum. Quod suadet pius HVGO de S. Victore *Quoties*, inquiens, *te sentis turpibus cogitationibus pulsari, & ad illicitam delectationem affici, toties pone ante mentis oculos quomodo Christus in cruce crucifixus est pro te. Intuere quomodo à Iuda Iudæis traditur, & quam viliter pertractetur, blasphemetur & colaphizetur, iudicetur, & condemnetur, expolietur, & flagelletur, ad vltimum*

Sap. 8. 21.
Dan. 13. 35.
2. Cor. 12. 8.
Aug. 10. confes. c. 29.
Greg. orat. in laudem Cypriani
Sur. in vita.
Matth. 6.
Hugo lib. 3. de anim. c. 23.

verò contumeliis affectus inter duos latrones suspenditur, clauis crucis affixus, sputis derisus, spinis coronatus, lancea perforatus, ex omnibus partibus sanguis emanat & inclinato capite emittit spiritum. Ita redemptor tuus moritur pro te, & tu nescis, cuiusmodi sordida cogitatione sordidaris in mente?

VI. REMEDIVM est Fuga. Hoc remedium præscripsit Apostolus dicens in priore Epistola ad Corinthios. *Fugite fornicationem.* Vnde AVGVSTINVS in sermone quodam Dominicæ 25. post Trinitatem. *Quod libidinem fugiendam esse suggerimus; Apostolus Paulus euidenter ostendit, qui cum omnibus vitiis prædicauerit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit. Resistite, sed fugite fornicationem. Sic & alibi in scripturis diuinis legimus. Noli, inquit, in factem virginis intendere, ne te scandalizet vultus eius. Et beatus Ioseph, vt impudicam dominam posset euadere, pallii, quo apprehensus fuerat reliquit & fugit. Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere.* Sic & AMBROSIVS in libro de Pœnitentia. *Transeamus & nos ignem libidinis, quem timens Paulus, sed nobis timens, qui castigando corpus suum fecerat, vt iam non timeret sibi sed dicit nobis: Fugite fornicationem, Fugiamus ergo tanquam sequentem, quæ non post nos, sed in nobis sequitur. Nosmetipsos ergo videamus diligenter, ne dum illam fugimus, nobiscum eam portemus. Volumus enim plerumq; fugere, sed si non penitus exuimus animo, tollimus eam magis, quam relinquimus.* CAVSA autem cur hoc vitium fuga magis, quam congressu & pugna expugnetur, ita videtur, quod cum naturali affectione nostra maximam habent coniunctionem, atq; ita iucunda quadam necessitate voluntatem trahat ad peccatum. *Vnusquisq; enim*, ait B. IACOBVS Apostolus, *tentatur à concupiscentia sua ille ctus & abstractus.* Vnde CASSIANVS alicubi vocat *pugnam insuperatam.* Deinde, quia delectatio morosa imprimis viget in hoc peccato: neque enim solum actio externa ab interno desiderio in eo distinguitur, de quo illud Christi intelligitur *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo*, sed etiam ipsa delectatio, qua oblectatur animus de cogitatione turpi, sæpe est mortalis, etiamsi factum repudietur. *Totus homo*, inquit Augustinus in libris de Trinitate, *damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi sibi cogitationibus sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur.* Vnde illud Hieronymi. *Perit & mente virginitas.* Et Cassianus districtam, vt ipse vocat, S. Basilii sententiam laudat dicentis. *Et mulierē ignoro, & virgo non sum.* Quare iidem S. Patres primo hoc vitium conuenienter phrasi Paulina vocant ignem. quis. n ignē forte in sinu exortū non statim excludat? ac Ambrosius quidem in libro priore de pœnitentia allegat illud. *Bonū est rubere magis quam vri.* Est enim flamma, inquit, quæ interna vrit. Basilius verò in

1. Cor. 6. 18.
Aug. serm. 2. Et l. de honest. mul. c. 1.
Eccli. 9. 5
Gen. 39. 12.
Amb. l. 1. c. 14.
1. Cor. 6. 18.
Iac. 1. 14
Cassi. c. 11. 4. c. 7
Matth. 5. 28.
Aug. 12. de Trinit. c. 12.
Hier. ep. ad. Faust.
Cassi. 6. c. 18.
Amb. c. 13
1. Cor. 7. 10.

Eph. 6. 16. Constitutionibus monasticis, illud. *Sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Deinde conferunt cum voluptate pestilenti. Quid verò studiosius fugimus quam pestem? Itaidem Basilius in regulis fusius disputatis. Et Ambrosius sic scribens de fuga Iosephi patriarchæ. *Qui cum ab vxore Domini conueniretur, teneri veste potuit, animo capi non potuit: ac ne ipsa quidem verba diu passus est. Contagium enim iudicauit, si diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiua transirent.*

Basil. q. 19. Amb. de Ioseph. cap. 5.

VII. Remed. Castigatio corporis per ieiunia, vigilias, flagellationes, aliaq; id genus, semper à sanctis omnibus vsurpata exemplo Apostoli scribentis. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne quando reprobus efficiar.* Hoc antidotum teste B. Greg. Nazianzeno, vsurpauit post preces B. Iustina cum à Cypriano mago pelliceretur ad libidinem. *Ieiunii, atq; in cubitationis, inquit, pharmaco sese communiit vt formæ venustatem tanquam insidiosam obscuraret, sicq; flammæ materiam subtraheret ac libidinis faciem absumeret: partim vt humilitate sua propitium sibi Deum & exorabilem redderet. Neque enim vlla reperinde, atq; corporis animiq; afflictione conciliatur DEVS, lachrymisque misericordia vtcissim rependi solet.* Imo vsurpauit & ipse Gregorius. Nam in carmine quo deplorat animæ suæ calamitatem ita loquitur. *Cœlestem regem, qui omnia imperio tenet supplex obtestor, vt corporis animæq; bellum in me comprimat, nimirum præstabiliori parti, vt æquum est, deteriorem subiiciens, & c. ventri claustra impono, animum mœrore conficio, lacrymarumq; vim profundo, sempiterno regi debilitata genua flecto, ac sordidatus incedo, & c. pro lecto mihi thorus est, pro lintea cilicium, & pauimentum lacrymis perfusum.* Ambrosius libro de Pœnitentia. *Libido grauis ignis est, & ideo non demus illi alimenta luxuriæ. Pascitur libido conuiuiis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate flammatur.* Hieron. ad Furiam, de viduitate seruanda. *Ardentes diaboli sagittæ, ieiuniorum & vigiliarum rigore restinguendæ sunt.* Et post. *Quid necesse est nos iactare pudicitiam, quæ sine comitibus & appendicijs suis continentia & parcitate, fidem sui facere non potest. Apostolus macerat corpus suum, & animæ subiicit imperio, ne quod alijs præcipit ipse non seruet, & adolescentula feruente cibis corpore de castitate secura est?* Et ad Eustochium se vsum hoc antidoto fatetur. *Omni auxilio in eremo destitutus ad Iesu iacebam, pedes, ait, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Memini me clamantem diem crebro iunxisse cum nocte nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret Domino increpante tranquillitas.* Et infra. *Si quid itaque in me potest esse consilii, si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, vt sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Hæc aduersus adolescentiam prima arma sunt dæmonum. Facile aliis caremus vitijs, hic hostis nobis inclusus est. Quocunque tergimus, nobiscum portamus inimicum. Vinum & adolescentia duplex incendium voluptatis est. Quid oleum flammæ adicimus?* B. Greg. Romanus in primum Regum. *Abstinentia ciborum contra hoc vitium fortissima est. Si enim*

1. Cor. 9. 27. Naz. de laud. S. Cypriani.

Amb. l. 1. c. 14.

Hier. ep. 10.

1. Cor. 9. 27.

Ep. 22. de cust. Virg.

Greg. l. 5. c. 14.

ignis libido est, subtrahis igni materiam, cum cibos subtrahis, & vinum præsertim, in quo, vt est apud Apostolum, luxuria est. Eph. 5.

Exempla Sanctorum qui libidinem in carne subito exortam, vel à dæmone excitatam extraordinariis pœnis profligarunt.

PRIMVS sit S. BENEDICTVS, cui cum malignus Spiritus, teste B. GREGORIO, in dialogis, speciem feminæ quam aliquando viderat obiecisset, tantoq; libidinis igne animum eius accendisset, vt pœnè de deserenda eremo deliberaret, abiectis ilico vestib. nudum se in vrticas & vepres abiecit, & tam diu in illis se volutauit, *donec per cutis vulnera*, inquit GREGORIVS, *eduxisset vulnus mentis. Ex quo tempore, sicut post ipse discipulis perhibebat, ita in eo est tentatio voluptatis edomita, vt tale aliquid deinceps minimè in se sentiret.* Greg. l. 2. dial. cap. 4.

SECVNDVS sit S. BERNARDVS. Is, vt legere est in eius vita apud Surium, antequam monasticen professus esset, fixius aliquando mulierem quandam erat intuitus. Vbi autem se collegit, tanta cupiditate vindicandi hanc curiositatem exarsit, vt subito in vicinum lacum tempestate præfrigida desiliret. In eo immersus collo tenus vsq; eo constitit, dū exanguis, & tantum non conglaciatus omnem libidinis calorem extingueret. Vnde postea in religione, teste Guilhelmo abbate S. Theorici vitæ eius scriptore, ad eum statum peruenit, vt non modo caro se aduersus Spiritum non commoueret, sed Spiritus etiam vltro dominaretur carni. Lib. 1. c. 3. & 4.

TERTIVS est S. FRANC. qui, vt scribit B. Bonauentura in eius vita, circa conuersionis suæ primordia tempore hyemali in foueam glacie plenam seipsum plerunq; mergebat, vt domesticum suum hostem perfectè subigeret. Alias verò apud eremum de Sarthiano nocte orationi vacantem dæmon cum tentatione libidinis accendere cœpisset, chorda se verberauit fortissime, dicēs. Eia frater asine, sic te decet manere, sic subire flagella: cellam deinde egressus in medias niues se abiecit. Qua pœna *sic ardorem extinxit libidinis*, inquit ille, *vt deinceps tale aliquid minimè senserit.* Bon. c. 5.

QVARTVS & quintus sint SS. eremitæ, MARTINIAN. & IACOB, qui internam libidinis flammam ex præsentia meretriculæ, quæ per fraudem intempesta nocte in earum cellas irrepserat, ortam corporali incēdio tum in se tum in scorto depulere; cum alter sinistram manum, alter totum corpus igni ex sarmentis excitato immisisset, vt est in eorum vita apud Surium. Vtroq; exemplo admirabilius est, quod commemorat suo Sur. 3. Febr. & 14. Ian.

* Cantip. lib. Apum. 2. c. 30.

seculo in Hispania accidisse THOMAS Cantipratensis de quodam Dominico Ordinis S. Dominici monacho, qui ab impurissimo scorto invitatus ad cõcubitum, simul atq; aduenit, se totum in ardentissimas prunas lecti instar compositas abiecit, nec tamen vlla corporis parte læsus est, quo facto diuulgato mirificè familia Dominicanorum propagata est.

VIII. REMEDIVM. Considera fœditatem huius vitii quæ tanta est, vt propriè ei competat nomen turpitudinis & flagitii, cuius causam reddit B. THOMAS Aquinas, quod omnia sensu, & cupiditate carnali, quæ nobis communis est cum bestiis, non ratione, metiatur. Vnde & Aristoteles, aliiq; Ethnici Philosophi luxuriam inter belluina vitia enumerant, ac diuina scriptura luxuriosos confert apud Psalmographum *equis & mulis, quibus non est intellectus*, & apud B. Petrum, *sui lotæ in volutabro luti*. Eorum verò actus appellat confusiones, vt in epistola Apostoli Iudæ. *Fluctus feri maris*, inquit, *despumantes suas cõfusiones*. Et B. Pauli. *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*. Vnde pudefacti refugiunt lucem, semperque reformidant, ne in fœditate sua deprehendantur. CLEMENS Alexandrinus in libris Stromatum comparat libidinosum centauro, qui sursum hominis, deorsum equi effigiem refert. AMBROSIVS in libro de Abraham Patriarcha causam reddit, cur equo rectè comparetur. *Equus enim*, inquit *stare nescit, velox ad impetum, cervicem exaltans suam, hinniens ad libidinem. Quid tam simile peccati? Fervet enim primo culpa impetu & omnem recti cogitationem præuenit, motuq; immaturo exilit, vt eam difficile ratio revocare possit. Fertur in præceps, & ascensorem eius proiicit in mare istud huius seculi, cervice tumida recusans iugum correctionis. Et specialis quædam forma libidinis, quæ vocem mutet hominis, verba amantis corrumpat, suisque se prodat sermonibus. Denique ad Iudam per Ieremiam dicit Dominus Deus. Nunc videbitur ignominia tua, & adulterium tuum, & hinnitus, & alienatio fornicationis tuæ supra colles*. CAESARIVS in homilia quadam, fœtorem huius vitii confert cloacæ. *Si bene*, inquit, *ac rectè iudicas, incomparabiliter grauiorem putorem reddunt cogitationes luxuriosæ, quàm cloacæ*. RAIMVNDVS Capuanus S. Catharinæ Senensis Confessarius scribit eam, si aliquando à viris vel fœminis opulentis sed flagitiosis salutaretur, nihil respondisse, nec eos aspexisse, imò tergum obuertisse, & dixisse se ex anima illorum tantum fœtorem efflantem sensisse, vt ad vomitum prouocaretur. Palladius in historia Lausiaca commemorat S. Pachomiũ, cum dæmoni, qui in specie Æthiopissæ ad tẽtandum ipsum aduenerat, colaphum infregisset, fœtorem manu contractum duobus vix annis eluere potuisse. Et S. Euthymius Abbas, vt refert Cyrillus monachus in eius vita, cum forte transiret quendam qui turpi suggestioni assensserat, tantum sensit fœtorem, vt à dæmone possessus videretur.

In 22. q. 156. a. 4.

Arist. 7. Eth. c. 6.

Psal. 31. 9.

2 Pet. 2. 22.

Phil. 3. 19.

Clem. 4. strom.

Amb. l. 1. c. 7.

Ier. 13. 27.

Cæsar hom. 3. In eius vita.

Pallad. c. 29.

In Sur. 20. Ianuar.

IX. Re-

IX. REMED. Considera quam grauiter à Deo punitum sit crimen luxuriæ. Quod ad scripturas sacras attinet. Propter illud diluuio totus orbis periit. Sodomæ igne & sulphure de cœlo consumptæ. Hemor subito occcisus, Sichem euersa. Tota tribus Beniamin ad internecionem deleta. Samson excæcatus. Amnon à fratre Absolon occisus. Dauid ipse deceptus. Salomon idololatra factus. Saræ septem maritiocciſi, senes Susannæ accusatores lapidati. Populi Israelitici hominum 24. millia interfecti. In aliis historiis siue Ecclesiasticis, siue secularibus, exempla eiusdem generis sunt quam plurima. In B. GREG. dialogis primũ est de Florentio presbytero, qui inuidens fœlicibus Ordinis S. Benedicti auspiciis septem puellas nudas manibus consertis choreas agentes in hortum monasterio eius vicinum immisit, vt monachorum mentes ad peruersitatem libidinis inflammarẽt. At Benedictus non ignarus id propter se factum, cum paucis fratribus locum deseruit. Quod vbi Florentius stans in solario cognouit, vehementer exultauit, sed confestim solarium casu suo hominẽ obtriuit. ALTERVM est, de Episcopis Africanis, qui, Iustiniani Cæsaris æuo, cum ab Ariano Wandalorum rege ob fidei constantiam illis linguæ exectæ essent, vacuo tamen ore integra verba formantes clamarunt. Ecce videte, linguas non habemus & loquimur. *Quorum vnus*, inquit Greg. *Constantinopoli postea in luxuriam lapsus mox priuatus est dono mirabili: recto videlicet omnipotentis Dei iudicio, vt qui carnis continentiam neglexerat seruare, sine lingua carnea non non haberet verba veritatis.* PALLADIVS in historia Lausiaca, agẽs de S. Macario Alexandrino. *Ego*, inquit, *ad eum accesse aliquando & extra cellam inueni iacentem quendam vicì presbyterum, cuius caput ita erat exesum à morbo, qui dicitur cancer, vt etiam os totum appareret in vertice. Is accessit ad ipsum vt curaretur; nec eum admittebat ad colloquium. Rogaui autem eum dicens. Miserere huius miseri, & saltem da ei Responsum. Is verò mihi respondit dicens. Est indignus qui curetur. Quod si velis eum curari persuade ei, vt deinceps abstineat à ministerio sanctorum Sacramentorum. Ego autem ei dico. Quamobrem quæso? Is verò dicit. Fornicans sacrum peregit ministerium, & ideo castigatur. Nunc ergo si metu desistat ab eo quod ausus est facere per contemptum, DEVS ipsum curabit. Cumque spopondisset se facturum, sanctus ei manus imposuit, & paucis diebus curatus est, capilliique eius creuerunt, & sanus domum redit.* Deinde de B. Abbate Innocentio. *Cum is fuisset illustris in palatio inter magistratus Constantini Imperatoris mundo renunciauit, profectus à matrimonio. In quo etiam habuit filium Paulum nomine domesticum, qui militabat. Is cum peccasset in filiam presbyteri imprecatus est proprio filio Innocentius Deum rogans & dicens. Domine, da ei Spiritum, ne amplius inueniat eius caro tempus peccandi: melius arbitratus eum pugnare cum dæmone, quam cum intemperantia. Quod etiam factum est. Nam nunc quoq; adhuc est in monte oliuarum ferrum gestans, & castigatus à Spiritu.*

Gen. 7. 23.
Gen. 19. 25.
Gen. 34. 26.
Iud. 20. 42. & 16. 21.
2. Reg. 13. 32. Et 11. 4.
3. Reg. 11. 4.
Tob. 3. 8.
Dan. 13. 62.
Num. 25. 9.
Greg. 2. dial. c. 8.
3. dial. c. 32.
Pall. c. 20.
ibid. c. 103.

X. RE-

X. REMED. Crebra meditatio mortis, aliorumq; nouissimorum.

Greg. 16. mor. c. 31. *Nihil enim sic*, ait GREG. magnus, *ad edomandum desiderium carnalium appetitum valet quàm vt vnusquisq; hoc quod viuum diligit, quale sit mortuum, perspiciat.* Et B. ISIDORVS de summo bono. *Quando impulsu dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, diuini iudicii metus, & æterni tormenta incendij ante oculos proponantur, quia animi ira omnis pœna grauioris supplicij formidine superatur. Sicut enim clauus clauum expellit, ita sæpe recordatio ardoris gehennæ ardorem excludat luxuriæ.* Idem remedium suis præscripsit, teste B. Athanasio olim S. Antonius. *Cessabit*, inquiens, *amor mulierum, libidinis extinguetur incendium, si ante oculos semper habebimus vltimæ retributionis aduentum, quia magnus formido iudicii, & pœnarum timor horridus simul & lubricæ carnis incentiua dissipauit & ruentem quasi ex alta rupe sustentat.* Vnde CASSIAN. *Continentes multos existere non dubitamus, qui impugnationem carnis, quam vel rarò, vel quotidiè sustinent seu metu gehennæ, seu desiderio regni cœlorum extinguunt, atq; compescunt.* THO. Cantipratensis in libro Apum tale narrat exemplum. *VIDI sanctum Virum M. Guidonem presbyterum Monialium Niuellensium, de quo certissimè ferebatur, quod cum in Schonegio Hannoniæ oppido scholas regeret adolescens, incautè semel faminam contemplatus per annos tres, etiam ipsa mortua in tantum tentatus est, vt excepto eo, quod vigilans sustinebat, omni nocte in somnis crederet esse præsentem. Sentiens ergo diabolum circa se non cessare, de nocte clam tumulum mortuæ mulieris aperuit, narisq; & faciem in cœno putrefacti corporis tamdiu tenuit, vt pœnè fœtore nimio suffocatus quasi mortuus caderet resupinus. Quæ res in tantum valuit sancto viro, vt nullum postea stimulum in carne sentiret.* NON absimile exemplum habes in Vitis Patrum de pio eremita Scythiæ, qui cum non ignoraret sepultam feminam, cuius memoria sæpè animo recurrebat, ingressus sepulchrum abstulit putridi cadaueris partem, eamq; panno inuolutam seruabat, vt cum sentiret libidinis commotiunculam, hunc fœtorem subito applicaret adnares non minore sui victoria, quam sensuum molestia.

Cantip. lib. 2. c. 30.

V. P. p. 2. de fornic. n. 10.

XI. REMED. Otii detestatio. *Otiositas*, inquit Ecclesiasticus, *multam malitiam docuit.* Eam præcipuè quam Salomon describit dum ait. *Desideria occidunt pigrum. Tota die concupiscit, & desiderat.* Vnde Ezechiel exponens causas peccati Sodomorum, quod erat luxuriæ: *Hæc*, inquit, *fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ. Superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius.* Legimus Dominum Deum idcirco noluisse omnes Cananæorum populos delere, *vt erudiret in eis Israelem*, hoc est, vt occupati in oppugnandis illis non indulgerent otio. Vnde B. GREG. in primum Regum ita scribit. *Inter opera & labores spirituales contra stimulos carnis fortes sumus: sed si quasi fessi à solitæ conuersationis rigore torpescimus, vel remittimus, dum paulatim negligimus, aculei carnis insurgunt, qui quasi depositis Moysi manib. Israelem vincunt.* Cuius causam paulopost subiicit. *Quum duæ simul res cogitare*

Eccli. 33. 29. Prou. 21. 25. Ezech. 16. 40.

Iud. 2. 22.

Greg. li. 6. c. 1.

Ib. c. 2.

non possumus, fit vt aliquid aliud cogitando non cogitemus immunda. Celer ergo & facilis victoria libidinis est, circumspectio cogitationis, si quoties carnalia obuiant ad aliquid aliud recurramus, quod libidinis non sit incitamentum. In quem sensum BASILIVS quæstione posita, quod sit, tentationis carnalis remedium, respondet: *Desiderium rerum meliorum.* Et S. HIERONYMVS in Epistola ad Rusticum monachum, docet ex Philosophorum sententia *amorem veterem, amore nouo, quasi clauum clauo, expellendum.* Quarum autem rerum nouo amore & studio otium, omnesque carnales cupiditates excludi queant eadē epistola fusè prosequitur. *Nunquā*, inquit, *de manu & oculis tuis recedat liber, discatur Psalterium ad verbum, oratio sine intermissione, vigil sensus, nec vanis cogitationibus patens. Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Facito aliquid operis, vt te semper diabolus inueniat occupatum, &c. Scribantur libri vt & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur. In desideriis est omnis otiosus. Ægyptiorum monasteria hunc morē tenent, vt nullum absq; operis labore suscipiāt, non tam propter victus necessitatem quàm propter animæ salutem. Ne vagetur pernitiosis cogitationibus mens, & instar fornicantis Hierusalem omni transeunti diuaricet pedes suos. Dum essem iuuenis, & solitudinis me deserta vallarent, incentiua vitiorum, ardoremq; naturæ ferre non poteram, quem cum crebris ieiuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat. Ad quam edomandam cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, vt alphabetum discerem & stridentia anhelantiaq; verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperauerim, quoties q; cessauerim, & contentione dicendi rursus inceperim, testis est conscientia.* Basil. reg. bre. q. 10. Hier. ep. 4.

XII. REMEDIVM est Custodia sensuum, maximè visus & tactus. Hoc remedium præscripsit Christus Dominus apud Matthæum. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Et. *Si manus tua scandalizat te, abscinde eam.* Manu enim fit tactus. Et SS. Patres. *Si Virginitatem*, ait AVGVSTINVS in libro 50. homiliarum. *animæ integram seruare desideras, quantum potes, obserua blandimenta draconis, ne forte si incautus fueris, quinq; sensus, qui in te sunt quasi quinq; virgines permittas à serpente corrumpi*, &c. Et. B. GREG. in verba Iob. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine. *Cum sit*, inquit, *inuisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, sed per quinq; corporis sensus, quasi per fenestras interiora respiciens concupiscit. Hinc etenim Ieremias ait. Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras. Mors quippe per fenestras ascendit, & domum ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis*, &c. *Vt ergo sanctus Iob cogitationes cordis castè seruare potuisset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incaute aspiceret, quod postmodum inuitus amaret. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, prouidendum nobis est, quia intueri non decet, quod non licet concupisci.* Idem habet B. BASILIVS lib. de vera virginitate, & CASSIANVS libro 6. institutionum. cap. 3. Neglecti Matth. 5. & 18. Aug. hom. 35. Greg. 11. mor. c. 1. Iob. 30. v. 1. Ier. 9. 21.

huius antidoti exempla non desunt luctuosa. Primum communis omnium parentis Euæ. *Neq; enim Eua*, ait loco iam citato Gregorius, *vetitum lignum contigisset, nisi hoc prius incautè conspiceret. Scriptum quippe est. Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius & comedit.* Alterum est Dauidis regis, de quo Hieronymus ad Eustochium. *Dauid secundum cor Domini electus, & qui venturum Christum sancto sæpe ore cantauerat, postquam deambulans super tectũ domus suæ Bethsabee captus est nuditate, adulterio iunxit homicidium. Vbi & illud breuiter attende, quod nullus sit etiam in domo tutus aspectus. Quapropter ad Dominum pœnitens loquitur. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Rex enim erat, & alitũ non timebat.* Omitto alios, Samsonis, Salomonis. Holofernis, duorũ seniorum apud Danielem, &c.

Gen. 3. 6.

Hier. epist. 22. 2. Reg. 11. 2.

XIII. REMED. Considera exempla eorum, qui pro castitate corporis tuenda atrocissima quæq; etiam mortem ipsam, perpessi sunt. In veteri testamento habemus exemplum B. Ioseph, & Susannę. In nouo S. Tecłę, Agnetis, Agathæ, Ceciliæ & aliarum. EVSEB. Cæsariensis refert de Romana quæ se transfodit, ne à Maxentio tyranno vitiaretur. Ambrosius de Antiochena, quæ vna cum filiabus se præcipitauit in profluentem. Et de adolescente Etrusco, *qui cum ob admirandam oris proprii pulchritudinem in amorem accenderet fœminas, fertur stigmatibus inarasse vultum suum, ne quæ eum amare posset.* HIERON. de iuuene, qui *præcisam morsu linguam in osculantis scorti faciem expuit, ac sic libidinis sensum succedente doloris magnitudine superauit.* PRATVM spirituale de virgine Alexandrina, quæ aduertens suorum oculorum pulchritudine captum adolescentem oculos sibi eruit. IACOB de Vitriaco Cardinalis de virginibus Leodiensibus, quæ ne opprimerentur à militibus se in aquas & cloacas præcipites egerũt. PLVTARCH. de Democle adolescente formoso, qui cum lauaturus in balneo aduertere regem Demetrium sua forma captum, detracto vicini aheni operculo in feruentem aquam insiliit. Quid mirabilius quam tanti principis promissis & blanditiis puerum non cedere?

Euseb. l. 8. c. 4. Amb. l. 3. de virgin. Et ex hort. ad Virgin.

Hier. in Paulo eremita. Prat. c. 60.

Plut. in vita Demet.

XIV. REMED. Recursus ad Patrem Spiritualem, maximè pro Religiosis. Est Ioannis Cassiani collatione secunda, causamq; reddit *quia nunquam valebit*, inquit, *ignorationi eius (religiosi) callidus hostis illudere, qui omnes eius cogitationes in corde nascentes permittens sua verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobat, vel admittit. Illico namq; vt patefacta fuerit, cogitatio maligna marcescit, & antequã discretionis iudicium proferatur, serpens teterrimus, velut è tenebroso ac subterraneo specu virtute confessionis protractus ad lucem, & tradidisse quodammodo ac deboneſtatus abscedit. Tamdiu enim suggestiones eius noxiæ dominantur in nobis, quamdiu cælantur in corde.* Illustre huius antidoti exemplũ extat apud B. HIERON. in epistola ad Rusticum monachum his verbis. Dicam & aliud quod in Ægypto viderim. *Græcus adolescens erat in cœnobio, qui nulla* conti-

Cass. c. 10.

Hier. ep. 4.

tinentia, nulla operis magnitudine flammam carnis poterat extinguere. Hunc periclitantem Pater monasterii hac arte seruauit. Imperat cuidam viro graui, vt iurgiis atq; conuitiis insectaretur hominem, & post irrogatam iniuriam primus veniret ad querimoniam. Vocati testes pro eo loquebantur qui contumeliam fecerat. Flere ille contra mendacium. Nullus alius credere veritati, Solus Pater defensionem suam callidè opponere, ne abundantiori tristitia absorberetur frater. Quid multa? Ita annus ductus est. Quo expleto, interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, an adhuc molestiæ aliquid sustineret. Papæ, inquit. Viuere mihi non licet, & fornicari libeat? Hic si solus fuisset, quo adiutore superasset? In patrvm quoq; vitis eiusmodi narratur exemplum. Monachus quidam exagitatus à dæmone cogitatione fornicandi nocte se contulit ad Patrem spirituale qui eum consolatus est, monuitq; vt quoties tentatio repullulascere t ad se quoq; rediret; nihil n. eque affligere dæmonē, quàm cũ fœdæ cogitationes Patri spirituali patefiunt, cõtra verò nulla re magis exultare quàm earũdem occultatione. Itaq; factũ est vt vndecies, repetita tẽtatione redierit, ac tandẽ dæmonẽ fugauerit. V. PP. part. 2. contra fornic

Vide V. *Amor sui. Chereæ. Colloquia otiosa. Consuetudo praua. Ebrietas. Exemplum malum. Familiaritas nimia. Gula. Immortificatio passionum. Linguæ abusus. Otium. Societas praua. Tentatio. Vestium luxus. Voluptas carnalis.*

M

MALEDICTIO.

Remedia contra Maledictiones.

Primvm Remedium. Considera diuinæ scripturæ sententias. Primo enim iubet nos benedicere, vetat autem maledictionem, Vt in Psalmis. *Maledicent illi, & tu benedices.* Et apud Tobiam. *Omni tẽpore benedic Deum.* Et in Ecclesiastico. *Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram, & non relinquas quærentib. tibi retro maledicere,* id est, secreto, vt faciunt pauperes dum negatur eis eleemosyna. Et apud Apostolũ. *Benedicite persequentib. vos: benedicite, & nolite maledicere.* 2. damnat maledicendi consuetudinẽ, vti animæ & corpori noxiã. Dicit. n. Prophetа Dauid. *Dilexit maledictionẽ & veniet ei. Et induet maledictionẽ sicut vestimentũ.* Psal. 108. 28. Tob. 4. 20. Eccli. 4. 5. Rom. 12. 14. Psal. 108. 18.

Leuit. 20. 9. & 24. 15. Et Moses in Leuitico. *Qui maledixerit patri suo aut matri, moriatur.* Et. *Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, & qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur.* Et Sapiens. *Maledictio matris eradicat fundamenta,* id est, *euertit*

Eccl. 3. 11. Et 4. 6. *totam familiam suam.* Et. *Maledicentis tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum, qui fecit illum.* Et. *Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam.* Et B. Paulus. *Nunc autem scripsi vobis, si is*

Eccli. 21. 30. 1. Cor. 5. 11. *qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut*

Ib. c. 6. 10. *ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.* Et rursum. *Neque auari, neque*

Ephr. tom. 1. *ebrij, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

II. REMED. Considera SS. Patrum dicta. B. EPHRÆM in libro de Virtutibus & vitiis. *Verè beatus iterumq; beatus ille est, qui à deterrimo hoc maledicendi genere se integrum custodierit, quoniam Spiritus sanctus in eo habitabit. Homo*

1. Cor. 6. 10. *maledicus vtroq; & odij & susurrationis morbo laborat. Et qui talis est, fratricida, & crudelis atq; immitis censetur. Quid hoc scelere grauius? Vnde quoq; sanctus Apostolus nefaria impiorum opera prohibens, etiam maledicos iis annumerat. Neq; maledici, iniquiens neq; rapaces regnum Dei possidebunt.* Et libro de linguæ malo. *Quemadmodum latro vel vnico confessionis verbo factus est ciuis paradisi, ita vno verbo blasphe-*

Num. 12. 10. *miæ redditur quis reus gehennæ ignis. Vt propter vnum maledicentiæ verbum Maria, quamuis esset alioquin vates, damnaretur lepra multata est: quo tandem genere supplicii digni sunt illi, qui sine vllo delectu contumelioſi?* B. GREG. lib. quarto

Greg. c. 5. Moralium. *Sciendum est, quod scriptura sacra duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet, quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur*

Gen. 3. 17. *iudicio iustitiæ, aliter liuore vindictæ. Maledictum quippe iustitiæ iudicio ipsi primo homini peccanti prolatum est cum audiuit. Maledicta terra in opere tuo. Maledictum*

Gen. 12. 3. *iudicio iustitiæ, profertur, cum ad Abraham dicitur; Maledicam maledicentibus tibi.*

Rom. 12. 14. 1. Cor. 6. 10. *Rursum, quia maledictum non iudicio iustitiæ, sed liuore vindictæ promitur, vocat Apostoli Pauli prædicantis admonemur, qui ait. Benedicite, & nolite maledicere. Et rursum neq; maledici regnum Dei possidebunt. Deus ergo maledicere dicitur, & tamen maledi-*

Cap. 6. *cere homo prohibetur, quia quod homo agit malitia vindictæ, Deus non facit nisi examine & virtute iustitiæ. Cum ergò sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non*

Act. 8. 20. *ad hanc ex voto vltionis, sed ex iustitia examinis eruumpunt. Intus enim subtile Dei iudicium aspiciunt, & mala foris exurgentia, quia maledicto debeant ferire cognoscunt, & eo in maledicto non peccant, quo ab interno iudicio non discordant. Hinc est quod Petrus*

4. Reg. 1. 12. *in offerentem sibi pecunias Simonem sententiam maledictionis intorsit dicens. Pecunia tua tecum sit in perditionem. Qui enim non ait, est, sed fit, non indicatiuo sed optatiuo modo signauit se hæc dixisse. Hinc Elias duobus quinquagenariis ad se venientibus dixit. Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo & consumat vos. Quorum vtrorumq;*

S. Thom. 22. q. 76. a. 3. *sententia quanta seueritatis ratione conualuit, terminus causæ monstrauit. Nam vt Simõ æterna perditione interiit, & duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumpsit.* S. THOMAS AQUINAS. *Maledictio, de qua loquimur, est per quam pro-*

aut

nunciatur malum contra aliquem, vel imperando vel optando. Velle autem, vel imperio mouere ad malum vlterius secundum se repugnat charitati, qua diligimus proximum volentes bonum ipsius: & ita secundum suum genus est peccatum mortale, & tanto grauius, quanto personam, cui maledicimus, magis amare & reuereri tenemur. Vnde dicitur Leuitici 20. Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur. Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse veniale peccatum, vel propter paruitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur, vel etiam propter affectum eius, qui profert maledictionis verba, dum ex leui motu, vel ex ludo, aut ex surreptione aliqua talia verba profert; quia peccata verborum maximè ex affectu pensantur.

III. REMEDIVM. Considera ingentia mala, quæ eximprecatione, siue iusta, siue iniusta, nonnuquam sunt secuta, vt merito sit extimescenda. Præter duo exempla ex scriptura à B. Gregorio commemorata, est illud Elisæi Prophetæ, quo iter habente in Bethel, inquit Regum historia, *pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes. Ascende calue, ascende calue. Qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini, egressique sunt duo vrsi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Deinde B. Pauli in Actis Apostolicis. Cum enim Proconsul Sergius Paulus desideraret audire verbum Dei à Saulo & Barnaba, *resistebat illis*, inquit B. Lucas, *Elymas magus quærens auertere Proconsulem à fide. Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu sancto intuens in eum dixit. O plenè omni dolo & fallacia fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circuiens quærebat, qui ei manum daret. Tunc Proconsul cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini.* 4. Reg. 2. 24. Act. 13. 10.

TERTIVM exemplum sit B. AVGVSTINI in libris de ciuitate Dei ita scribentis. *VNVM est apud nos factum tam clarum atque illustre miraculum, vt nullum arbitrer esse Hipponensium, qui hoc non vel viderit, vel didicerit; nullum qui obliuisci vlla ratione potuerit. Decem quidam fratres fuerunt, quorum septem sunt mares, tres fœminæ de Cæsarea Capadociæ suorum ciuium non ignobiles maledicto matris recenti patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali pœna sunt diuinitus coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum. In qua fœdissima specie oculos suorum ciuium non ferentes, quaquauersum cuique ire visum est, toto pene vigabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & soror, Paulus & Palladia, multis aliis locis miseria diffamante iam cogniti.* Aug l. 22. c. 8.

Deinde fusè narrat, quemadmodum ambo ad memoriam S. Stephani martyris, à tremore liberati sint, toto populo spectante, & maximo clamore Deo & martyri gratias agente. QVARTVM est. B. GREG. in tertio dialogorum, de seruo Dei Florentio tanta sanctitate prædito, vt ei vrsus in omnibus pareret; quem cum quatuor monachi è vicino monasterio eius sanctitati inuidentes per insidias occidissent. *Florentius*, inquit ille, *se se in lamentum dedit,* Greg. c. 15.

fratrum malitiam magis quam vrsi mortem deplorans. Quem venerandus vir Eutycius ad se deductum consolari studuit, sed idem vir Domini coram eo doloris magnitudinis accensus imprecatus est dicens. Spero in omnipotenti Deo, quia in hac vita eum oculos omnium ex sua militia vindictam recipiant, qui nihil se lædentem vrsum meum occiderunt. Cuius vocem protinus vltio diuina secuta est. Nam quatuor monachi, qui eundē vrsum occiderant, statim elephantino morbo percussi sunt, vt membris putrescentibus interirent. Quod factum vir Dei Florentius vehementer expauit, seq; ita fratribus maledixisse pertimuit. Omni enim vitæ suæ tempore flebat, quia exauditus fuerit se crudelem, se in eorum morte clamauit homicidam. Quod idcirco omnipotentem Dominum fecisse credimus, ne vir miræ simplicitatis quantolibet dolore commotus intorquere vltra præsumeret iaculum maledictionis. Subiicit deinde Gregorius quæstionem Petri dialogistæ, sitnè graue peccatum ex ira alicui maledicere? Et

1 C. 6. 10. respondet esse, quia Paulus dicat maledicos regnum Dei nō possessuros, cumq; Petrus exciperet. quid si non ex malitia, sed linguæ incuria male-

Matth. 12. 36. In. Sur. 25. Maii. dictio fiat? Respondet, si de otioso sermone reddenda sit ratio, multo magis de noxio. QVINTVM & sextum est in vita S. Zenobii Episcopi Florentini à Ioanne Aretino conscripta. Filii duo æquo indulgentius educati, matrem verberarant. Quod scelus illa execrata genibus procumbens, & terram manibus pulsans furias infernales in vindictam inuocauit. Exaudita est, mox iuuenes à dæmonibus obsessi veluti rabidi canes mordaciter inuicem sua membra corrodunt. Catenis vinciuntur, mater misericordia mota, licet pagana, refugit ad S. Zenobium, qui in basilica Saluatoris, cum per horas duas corā vexillo S. crucis pro filiorū salute orasset signo crucis dæmones fugauit. Qui sanitatem consecuti vna cum ma-

Ibid. tre totaq; familia sunt baptizati & Christo adiuncti. ALIVD. Mater, cum filio febribus laboranti quadragies vna nocte poculum porrexisset, puerōque adhuc potum petenti irata dixisset. Vna cum hoc diabolum bibe, puer statim à dæmone possidetur, qui tam crudeliter eum exagitauit, vt vix vllis vinculis constringi, remedio nullo liberari posset, donec tandem ad S. Zenobii monumentum deportatus est. Simili imprecatione parentum nostro sæculo multi alii in potestatē dæmonis deuenere, vt celebris illa dæmoniaca Laudunensis in Gallia, anno 1566 liberata: & Montensis in Hannonia anno 1584. HADRIANVS Iunius in historia Batauiæ com-

Iun. c. 10. memorat Hollandiæ comitissam Anno Domini 1276. ex imprecatione mulieris mendicæ vno partu edidisse 364. proles, easque omnes in vna pelui, quia viuebant, sacris baptismi aquis elutas. Nam cum Comitissa mendicæ gemellos gestanti temere obiiceret, quod alterum ex adulterio concepisset, illa mox imprecata ei est, vt vno partu tot proles effunderet, quot sunt dies in anno.

IV. REM. Considera, quando iniusta est imprecatio, eam refundi in

suum

ſuum auctorem, ſpiritualiter quidem ſemper, quia grauiſsimè delinquit, & ideo ab Apoſtolo regno cœlorum excluditur; ſæpenumerò verò etiam corporaliter. Vnde Sapiens dicit. *Qui in alium mittit lapidem, ſuper caput eius cadet.* & ISAAC Patriarcha ad filium Iacob. *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus.* Exemplum habemus in Magno Speculo Exemplorum, quod accidit in diœceſi Moguntina. *Sacerdos quidam, Eccleſiæ Paſtor, acriter inuectus eſt in calceos roſtratos, in publica diei feſti concione. Id moleſtè ferens ſutor quidam, imprecatus eſt coram aliis vulgari idiomate concionatori epiſcopiam, vel morbum comitialem in capitis coronam, & mox indignabundus ſe ex templo proripuit. Verum, quia plerumq; recidunt in ſuos maledicta magiſtros, ecce in reditu ad ſuos obuium habuit virum ſtatura procerum, aſpectu terribilem, qui eum per capillos arreptum tanta vi deiecit in terram, vt auulſam vna cum pelle capitis comam manu retinuerit. Cumq; per horam integram maledictus omni ſenſu deſtitutus humi iacuiſſet, tandem à quibuſdam eiuſdem concionis auditoribus in ſuas ædes deductus eſt; & menti reſtitutus cauſam rei geſtæ illis ingenuè aperuit.* Cætera remedia pete ex verbo *Blaſphemia.*

1. Cor 6. 10. Eccli. 27. 28.

Gen 27. 29. Spec. diſt. 10. ex 27.

Dæmon is erat

Conſuetudo praua Detractio. Diſcordia. Ira. Iuramentum. Linguæ abuſus, Superbia. Vindicatio iniuriæ.

MENDACIVM

Remedia contra Mendacium.

I. REMED. Conſidera Spiritus S. dicta in diuinis litteris. Primo enim declarat mentiri eſſe improbum, imò dæmonis ipſius. Nam Salomon ait. *Verbum mendax iuſtus deteſtabitur.* Et. *Qui nititur mendaciis paſcit ventos.* Et. *nõ de et principem labium mentiens.* Et. *malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtempe rat labiis mendacibus.* Et. *Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes miniſtros habet impios.* Et. *Qui me vitat, teſtis eſt fraudulentus.* Et. *Vanitatem & verba mendacia longe fac à me.* Et in libro Paralipomenon. *Egrediar,* ait Satan, *& ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* Et Chriſtus apud Ioannem, Diabolus *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater eius,* id eſt autor mendacii. 2. prohibet omne mendacium. Vt in Exod. *Mendacium fugies.* Et Leuit. *Non mentiemini nec decipiet vnuſquiſq; proximum ſuum.* Et apud Eccleſiaſticum. *Noli velle mentiri omne mendacium, aſſiduitas enim illius non eſt bona.* Et. *Ante omnia verbum verax præcedat te.* Et apud Zachariã. *Iuramentum mendax ne diligatis.* Et apud Apoſtolũ. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſq; cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicẽ membra.* Et. *Nolite mentiri inuicem* 3. docet Deo eſſe exoſum & dignum pœna æterna. nam Pſalmiſta ait. *Perdes omnes qui loquũtur mendaciũ.* Salomõ verò. *Sex ſunt, q̃ odit Dominus, oculos ſublimes, linguã mendacẽ, &c.* Et. *Os bilingue deteſtor.* Et. *Abominatio eſt Domino labia mẽdacia.* Et. *Qui mẽdacia loquitur, nõ effugiet. Et q̃ loquitur mẽdacia peribit.* Et Sap. *Os q̃ mẽtitur, occidit animã.* Et. *Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis.*

Prou. 13. 5. Prou. 10. 4. Prou. 17. 7. 4. Prou. 29. 12. Prou. 12. 17. Prou. 30 8.

2. Paral. 18. 21. Ioan. 8. 44.

Exod. 23. 7. Leu. 19. 11.

Eccli. 7. 14. Eccli. 37. 20. Zach. 8 17. Eph. 4. 25. Col. 3. 9.

Pſal. 5. 7. Prou. 6. 16. Prou. 8. 13. Prou. 12. 22. Prou. 19. 5. Sap. 1. 11. Eccli. 2. 14.

II. RE-

Bas. q. 76.

II. REMED. Considera SS. Patrum sententias. S. BASILIVS in Regulis breuioribus. *Vt vtilitatis causa consulto aliquis mentiatur sententia Domini non permittit, à quo sic præcisè dictum est, mendacium ex diabolo esse: neque mendacij vlla omninò distinctio adhibita. Quin hoc idem Apostolus quoq; testificatur his verbis. Si autem & certet aliquis, non coronatur, nisi legitimè certauerit.* Et in procemio libri de Spiritu sancto, *Rerum omnium potentissima est veritas; & extrema malitiæ linea mendacium.* AMB. in Psalmum 35. *Dixit Cain. nunquid ego custos sum fratris mei? & sibi ipse mentitus est. Dixit Ananias omne se venditi sui ruris pretium pertulisse, & mentitus est sibi, qui potuit minus offerre sine fraude. Ideoque præclarè ait Dauid & mentita est iniquitas sibi. Sibi enim ante mentitur, qui in suum mentitur exitium: sibi delinquit qui sibi innocentiæ eripit suauitatem. Quis enim puritate & simplicitate pectoris dulcior fructus? Quis cibus suauior, quam is quem animus bene sibi conscij, & mens innocentis epulatur?* S. AVG. in libro de Mendatio ad Consentium. *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enunciat. Vnde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est, duplex cogitatio. Vnam rei eius, quam veram esse scit, vel putat, & non profert: alteram rei, quam pro ista profert, sciens falsam esse, vel putans. Ex quo fit, vt possit falsum dicere non mentiens, si putat ita esse vt dicit, quamuis non ita sit: & vt possit verum dicere mentiens, si putat falsum esse, & pro vero enunciat, quamuis reuera ita sit, vt enunciat.* Et in Enchiridio ad Laurentium. *Omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia homo non solum quando scit ipse, quod verum sit, sed etiam si quando errat & fallitur, sicut homo hoc debet loqui, quod animo gerit, siue illud verum sit, siue putetur & non sit. Omnis autem qui mentitur, ea contra id quod animo sentit loquitur voluntate fallendi. Et vtique verba propterea sunt instituta, non per quæ se inuicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisq; notitiam cogitationes suas proferat. Verbis igitur vti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Nec ideo vllum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando aliquando alicui prodesse si pauper cui datur palam sentiet commodum, nec ideò tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum.* Et in verba Psalmi. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. *Duo sunt omninò genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cum amicamur, aut vt proximis prosimus, mentimur. Illud primum in iocando ideo non est pernicie simillimum, quia non fallit. Nouit enim ille cui dicitur, ioci causa esse dictum. Secundum autem ideò mitius est, quia retinet nonnullam beneuolentiam. Illud verò quod non habet duplex cor, nec mendacium quidem dicendum est. Tanquam, verbi gratia, si cui gladium commendatur, & promittat se redditurum, cum ille qui commendauit poposcerit: si forte gladium suum repetat furens, manifestum est tunc non esse reddendum, ne vel se occidat, vel alios, donec ei sanitas restituatur. Hic ideo non habet duplex cor, quia ille cui commendatus est gladius, cum promittebat se redditurum poscenti, non cogitabat furentem posse repetere.* B. GREC. in verba Iob. Non loquentur labia mea iniqui-

Ioan. 8. 44.

2. Tim. 2. 5.

Amb. tom. 4. Gen. 4. 9. Act. 5. 3. Psal. 16. 12.

Aug. c. 3.

Id. c. 22.

Idem Psal. 5.

Greg. 18. mor. c. 6.

iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. *Quod prius iniquitatem, hoc postmodum repetens mendacium dicit, nam & omne mendacium iniquitas est, & omnis iniquitas mendacium; quia profecto ab æquitate discrepat, quicquid à veritate discordat. Sed inter hoc, quod ait, loqui: & postmodum subdit, meditari, magna distantia est. Nonnunquam enim peius est meditari mendacium, quam loqui. Nã loqui, plerunq; præcipitationis est, meditari verò studiosæ prauitatis. Et quis ignoret, in quanta distãtia culpa distinguitur: vtrum præcipitatione aliquis, an studio mentiatur.* B. DOROTHEVS. *Tria sunt mendacii genera. Primum est, cum quis animo; secundũ, cum verbo mentitur: tertium, cum in vitam suam quis mendax est. Qui mentitur animo, is est, qui facile quascunq; suspiciones admittit, vtpote cũ fratres viderit colloquentes suspicatur, ne de se colloquantur. &c. Sermone autem quis mendax est, cum verbi gratia torpescens aliquis ad nocturnas vigilias surgere. febrem, inquit, passus sum & vertiginem, caput dolebam, stomachi tormina patiebar. Et decies mentitur, ne vnicam pœnitentiam agat, atq; humilietur, &c. Mentitur autem in vitam suam, cum turpis & luxuriosus continentiam simulat, auarus & tenax de eleemosyna loquitur.* Dorot. doctr. 6

III. REMED. Considera mendacium propriè diabolicum esse vitium, & ideo homini maximè cauendum. Nam Christus apud B. Ioannem affirmat diabolum esse patrem mendacii, id est, autorem primum & inuentorem; quia quodammodo illud peperit, vt exponit Chrysostomus, Ammonius, Augustinus, Beda, Eutymius, Rupertus. Vnde sequitur mendacium, esse filium diaboli ac similiter omnes mendaces rectè dici filios diaboli, sicut hic Christus appellauit Scribas & Pharisæos, dicens. *Vos ex patre diabolo estis.* Filios diaboli vocat, inquit Epiphanius aduersus Caianos & Archonticos, *non natura, sed imitatione*, vel vt Ambrosius in Lucam, *non carnis successione, sed criminis.* Dicitur autem primus auctor mendacii, secundum eosdem Patres, quia Euæ in paradiso dixit illa verba. *Eritis sicut Dii scientes bonum & malum*, quibus sine dubio mentitus est. Quid enim veri dixerit ante illa verba non inuenimus. Cum ergo Christus hic addit, *Cum diabolus loquitur mendacium ex propriis loquitur*, sensus est. Cum mẽtitur, propria vtitur inuentione, eo quod nemo ipsum mentiri docuit, ipse verò primus docuerit alios quicunq; mentiuntur. Vnde colligit Origenes, diabolum, cum quicquid habet boni à DEO acceperit, mendacium tamen à Deo non accepisse sed ipsum per se illud excogitasse. Cyprianus verò ad Antonium, *hoc esse semper opus diaboli, vt seruos Dei mendacio laceret.* BASILIVS ad Eustathium Sebastiæ Episcopum, & ad clericos Neocæsarienses, *mendacium esse diaboli fœtum.* B. Cæsarius, mendacem à diabolo possideri. *Quod omnis mendax, inquit, sine maligno Spiritu esse non possit. Scriptura testis est. Perdes, inquit, omnes, qui loquuntur mendacium. Et iterum. Os quod mentitur occidit animam. Et in libro regnorum legimus spiritum malignum dixisse Domino. Ego, inquit, decipiam Achab. Cui dixit Dominus. In quo decipies? Et ille respondit.* Ioan. 8. 44. Aug. tract. 42 in Ioan. Epip. hær. 38. & 40. Amb. l. 4. Gen. 3. 5. Ioan. 8. 44. Orig. in c. 8 Ioan. Cyp. l. 4. ep. 1. Basil. ep. 79. & 63. Cæs. hom. 16. Psal. 5. 7. Sap. 1. 11. 3. Reg. 22. 22.

spondit. Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore Prophetarum eius. Dixit autem Dominus. Decipies, & prævalebis.

IV. Rem. Considera hominẽ, non modo apud Deum, sed etiam apud homines hoc vitio reddi contemptibilem, & fide omni, etiam cum vera dixerit, indignum, secundum illud Hier. *Antiquus sermo est, Mendaces fiunt, vt nec vera dicentibus credatur.* Cum quo congruunt vulgares rhythmi.

Hier. ep. 37. ad Iulianum. Arist. apud Laert. lib. 5.

Gelt verlohren/ viel verlohren/
Ehr verlohren/ mehr verlohren/
Glaub verlohren/ alles verlohren/

LATINE.

Amissi sunt magna Æris maioraq; Honoris
Damna, sed amissæ maxima sunt Fidei.

Eccli. 20. 26. Nec omisit Ecclesiasticus noster. *O probrium nequam*, inquiens, *in homine mendacium, & in ore disciplinatorum assiduè erit.* quibus verbis satis indicat, consuetudinem mentiendi esse hominum improborum & infamium, qui malè ab ineunte ætate sint instituti. Vt autem abstrahat eos ab illa mendaciorum assiduitate, mox subiicit. *Potior fur, quam assiduitas viri mendacis, perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium sine honore, & confusio illorum cum ipsis sine intermissione.* Recte autem mendacium confert cum furto, tum quod vtrumq; vitium fere coniunctum sit iuxta adagium. *Ostende mihi mendacem, ostendam tibi furem.* tum quod mendacium sit quoddam furtum, hominibus subripiens & veritatem & bonam famam. Furtum verò idcirco dicit ab assiduitate mentiendi superari, vel quod sæpe plus homini noceat, quam furtum, cum illa bonum spirituale famæ, hoc temporalia tantum auferat: vel quod fur fere peccet ex inopia, *vt esurientem impleat animam*, vt loquitur Salomon, mendax verò ex petulantia linguæ. Demum mendacium hominum hanc pœnam esse denotat, vt indelebilis sit eorum ignominia, ac mores etiam boni, piaque actiones omni honore careant.

Prou. 6. 30.

V. Rem. Quo longius abs is à consuetudine mentiendi, da operam vt etiam à iocosis & officiosis mendaciis abstineas, imò ab omni ficione, simulatione, & dolo, ac omnibus quæ speciem mendacii obtinent. Nam imprimis vir secundum cor Dei rex Dauid, cum orasset. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? respondit. Qui loquitur veritatem in corde suo; qui non egit dolum in lingua sua. Nec fecit proximo suo malum. Qui iurat proximo suo & non decipit. Qui facit hæc non commouebitur in æternum.* Et Christus Dominus. *Sit sermo vester: est, est, non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* Et. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Et Apostolorum Princeps. *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles.*

Psal. 14. 2. Matth. 5. 37. Matth. 10. 16. 1. Pet. 2. 1.

sine

sine dolo lac contupisite. 2. quia S. Patres conuenienter verbo Dei docent non solum omnia mendacia officiosa esse peccata, sed nequidē pro salute corporali vel spirituali vnius hominis, ciuitatis, prouinciæ, imò totius orbis esse mentienda, *quia mala non sunt facienda, vt eueniant bona.* Vnde AVGVST. ad Consentiū cum probasset ex loco psalmi. *Perdes omnes qui loquuntur mendaciū*, mentiri esse peccatū: *Quo constituto*, inquit, *quis cōmouebitur illis exemplis, cum dicitur. Quid si homo ad te confugiat, qui mendacio tuo possit à morte liberari? Illa enim mors, quā stulti timent homine, qui peccare non timēt, non animā, sed corpus occidit, sicut Dominus in Euangelio docet, vnde præcepit, ne ipsa timeatur. Os autē quod mēntitur, non corpus, sed animā occidit. His enim verbis apertissimè scriptum est. Os quod mentitur occidit animā. Quomodo ergo non peruersissimè dicitur, vt alter corporaliter viuat, debere alterū spiritualiter mori? Nam & ipsa dilectio proximi ex sua cuiusq; dilectione terminū accepit. Diliges, inquit, proximū tuū sicut teipsum. Quomodo ergo quisquis diligit tanquā seipsum, cui vt præstet vitā temporalē, ipse amittit æternā, non est iam diligere sicut seipsum, sed plꝰ quā seipsū.* Alibi tamē docet idē AVG. etiāsi mentiendo non possimus aliquē à morte liberare, posse tamen veritatem tacendo. *Aliud enim est*, inquit, *mentiri aliud verum occultare. Siquidem aliud est falsum dicere, aliud verum tacere. vt si quis forte vel ad istā visibilem mortem non vult hominē prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, vt neque prodat neque mentiatur, ne occidat animam suam pro corpore alterius. Si autem hoc nondum potest, vel sola huius necessitatis habeat mendacia, vtetiam ab istis, si sola remanserint, liberari mereatur, & Spiritus sancti robur accipere, quo quicquid perpetiendum est pro veritate, contemnat.* Et infra. *Verum autem occultanit & Dominus, cum discipulis nondum idoneis dixit. Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare illa. Et Apostolus Paulus cum ait. Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Vnde manifestum est, non esse culpandum, aliquando verum tacere, falsum autem dicere non inuenitur concessum esse perfectis.* Et S. GREG. in moralibus. *Summopere cauendum est omne mendacium; quamuis nonnunquam sit aliquod mendacii genus culpæ leuioris, si quisquam vitam præstando mentitur. Sed quia scriptum est. Os quod mentitur, occidit animam. Et Perdes omnes qui loquuntur mendacium, hoc quoq; mendacii genus perfecti viri summopere fugiunt, vt nec vita cuiuslibet per rerum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceāt, dum præstare vitam carni nituntur alienæ, quanquam hoc ipsum peccati genus facillimè credimus relaxari. Nam si quælibet culpa sequenti solerti operatione purgari, quanto magis hæc facilè abstergitur, quam mater boni operis pietas ipsa comitatur?* HIER. ad Lætam. *Virgo mentiri sacrilegium puxi.*

Rom. 3. 8.
Aug. de mendac. c. 6.
Matth. 10. 28.
Sap. 1. 11.
Matth. 22. 39.
Id. in Psal. 5.
Ioan. 16. 12.
1. Cor. 3. 1.
Greg. 18. mor. c. 2.
Sap. 1. 11.
Psal. 5. 7.
Hier. ep.

VI. REM. Considera exempla eorum, qui acerbissimos cruciatus subire & mori maluerunt, quam vnicum proferre mendacium. Illustre huius rei exemplum extat apud B. HIERON. de muliere septies icta, quæ falsò accusata de adulterio *sexu fortior suo, cum aculeus corpus extenderet, & sor-*

Hier. ep. 45. ad Innocentium.

didas fœtore carce is manus post tergum vincula cohiberent, oculis quos tantum tortalligare non poterat, suspexit ad cœlum, & volutis per ora lachrymis. Tu, inquit, testis es Domine Iesu, cui occultum nihil est, qui es scrutator renis & cordis, non ideo me negare velle, ne peream, sed ideo mentiri nolle ne peccem. At tu miser homo, (alloquitur adolescentem, de eodem scelere falso accusatum, qui mentitus erat se reum & illam, vt tormenta effugeret) *si interire festinas, cur duos interimis innocentes? Equidem & ipsa cupio mori, sed non quasi adultera: præsto iugulum, micantem intrepida excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram.* Cum autem Consularis duplicari tormenta iuberet. *Vna interim eius vox erat. Cade, vt, lacera, non feci. Si dictis tollitur fides, veniet dies, quæ hoc crimen diligenter discutiat.* Postea miserrimi iuuenis caput vno ictu amputatum est. Mulieris vero tangi quidem, sed truncari non potuit, ne septies quidem repetito à diuersis carnificibus ictu. Ita clam erepta manibus carnificum sanitati restituta est, & libertate à Cæsare tandem donata; vt fusè prosequitur Hieronymus. ALTERVM exemplum est apud Simeonem Metaphrasten, de Anthimo Nicomediensi Episcopo & Martyre, qui cum sæuiente Maximiani Cæsaris persecutione à viginti satellitibus ad cædem quæreretur, ipsos satellites hospitio excepit, mensamq; prælautam eis apposuit, acsimul addixit se breui Anthimum in eorum conspectum adducturum. In medio verò ciborum apparatu exurgens, palam prodidit se esse, quem tam studiosè quærerent: hic illi stupore attoniti, & venerandos illius canos reueriti, ob beneuolentiam & caritatem qua illos exceperat, vna spoponderunt se Imperatori renunciaturos Anthemium diu quæsitum non esse inuentum. Ille verò contra obtendi, se id non permissurum. Fas non esse Christiano pro vita cuiusquam mentiri. Itaq; vltro se captiuum illis adiunxit, & post diuturnos acerbosq; cruciatus Martyrii coronam potitus est.

S ur. 27. April.

VIDE. V. *Adulatio. Detractio. Hypocrisis. Iudicium temerarium. Iuramentum. Linguæ abusus. Maledictio. Murmuratio.*

MORTIS METVS IMMODICVS.

Remedia aduersus metum mortis.

I. REMED. Considera Spiritus S. oracula in verbo diuino. Primo autem docet moriendi necessitatem omnibus hominib. esse communem. Nam in historia Regum sapiens illa mulier Thecuitis dixit, *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* Et psaltes Regius.

2. Reg. 14. Psal. 88. 49.

Qui

Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem? Et Sapiens. *Vnus introitus omnibus ad vitam, & similis exitus.* Et. *Omnia quæ de terra sunt, in terram conuertentur.* Et B. Paulus. *Statutum est hominibus semel mori.* 2. hortatur ne timeamus mortem. Nam Ecclesiasticus ait. *Noli metuere iudicium mortis, memento quæ ante fuerunt, & quæ superuentura sunt tibi.* Et Christus Dominus. *Nolite timere eos qui occidunt corpus: timete autem eum, qui potest animam & corpus mittere in gehennam.* 3. anteponit proborũ mortem vitæ. Pretiosa, inquit Rex Dauid, *in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Et Ecclesiasticus. *Laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & feliciorem vtroq; iudicaui, qui nec dum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt.* Et. *Melior est dies mortis die natiuitatis.* Et Sapiens. *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Et Syracides. *Ante mortem ne laudes hominem quenquam.* Et. *Melior est mors, quàm vita amara.* Et. *O mors bonum est iudicium tuum homini indigenti.* Et Christus apud Ioannem. *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet, & omnis qui credit in me, non morietur in æternum.* Et B. Ioannes *Beati qui in Domino moriuntur.* 4. docet sanctos optasse mortem; Nam Dauid ita loquitur. *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Et. *Quemadmodum ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEVS.* Et Simeon iustus apud Lucam, vt Christum in carne vidit. *Nunc*, inquit, *dimitte seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Et B. Apostolus. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Et. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius.*

Sap. 7. 6. Eccli. 4. 13. Heb. 9. 27. Eccli. 41. 3. Matth. 10. 28. Psal. 115. 15. Eccl. 4. 2. Eccl. 7. 2. Sap. 4. 7. Eccli. 11. 30. Eccli. 30. 17. Eccli. 41. 3. Ioan. 11. 25. Apoc. 14. 13. Psal. 119. 5. Psal. 41. 1. Luc. 2. 29. Phil. 1. 21.

II. REMED. Considera priscorum Patrũ sententias: TERTVLLIANVS. *Non est timendum, quod nos liberat ab omni timendo. Si times vita decedere, quia optimam nosti, certè mortem timere non debes, quam malam nescis. At cum times, scis malam. Non scires autem malam, quia nec timeres, si non scires aliquid esse post mortem, quod eam malam faciat, vt timeas.* CYPRIANVS de mortalitate. *Mori planè timeat, sed qui ex aqua & spiritu non renatus gehennæ ignibus mancipatur: mori timeat, qui non Christi cruce & passione censetur: mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit: mori timeat, quem de seculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit: mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, vt truciatus eius & gemitus interim differatur. Mortalitas ista, vt Iudæis & gentibus, & Christi hostibus pestis est, ita Dei seruis salutaris excessus est.* Et rursum. *Eius est in mundo diu velle manere, quem mundus oblectat, quem seculum blandiens atq; decipiens illecebris terrenæ voluptatis inuitat. Porrò cum mundus oderit Christianum, quid amas eum, qui te odit, & non magis sequeris Christum, qui te redemit & dilegit? Ioannes in epistola sua clamat, & loquitur: & ne, carnalia desideria sectantes mundum diligamus, hortatur. Nolite, inquit, diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt.* GREG. NAZ. in funere Patris. *Mors, quæ non modo nos à præsentibus malis vindicat, verum ad supernam quoq; vitam sæpe traducit, haud scio an propriè mors appellari queat, vtpote nomine magis, quam re formidabilis. Atque absurde sanè, & præposterè affecti*

Tert. l. de test. animæ. Cypr. serm. 4. 1 Ioan. 2. 15. Naz. orat.

esse videmur, quia ea quæ formidolosa non sunt eximè extimescamus: ea autem quæ metuenda sunt, vt meliora magisq; expetenda cõplectamur. Vna vita est oculos ad vitam conclos habere. Vna mors peccatum, animæ enim est interitus. AMB. de bono mortis. *Non habemus, quod in morte metuamus, si nihil quod timendum sit, vita nostra commisit. Etenim prudentibus delictorum supplicia terrori sunt, delicta autem non moriturum actus sunt, sed viuentium. Vita igitur ad nos refertur, cuius actus in nostra potestate est: mors autem nihil ad nos. Est n. separatio animæ & corporis. Anima absoluitur, corpus resoluitur. Quæ absoluitur gaudet: quod resoluitur in terram suam, nihil sentit:*

Chry. hom. 5. *quod nihil sentit, nihil agnoscit. Tamen si mors malum, quomodo iuuenes non timent fieri senes, nec finitimam mortis verentur ætatem?* CHRYS. ad populum Antiochenum. *Puerilem timemus pauorem mortẽ timentes. Pueri enim laruas quidem timent, ignem verò non timent: Sic quidem & nos timemus mortẽ, quæ est larua conceptu digna, peccatum verò non timemus, quod est verè timendũ. Quod si cogitemus quid tandẽ sit mors, nunquã eam timebimus. Quid n. mors est? quod est, vestem exuere: corpus n. animæ quasi vestis circumdatũ est.* Et paulo post. *Vis scire causam, cur mortem*

Aug. quæst. 25. *timeamus? Non viuimus cum diligentia, nõ habemus conscientiam puram: quod si hoc esset, nihil nos mors terruisset.* AVG. in lib. 83. quæst. *Pertinet ad vitam rectam, ea quæ non sunt metuenda non metuere. Mors autẽ metuẽda non est. Opportune ergo ipsum illius hominis, quem Dei sapientia suscepit, morte monstrari. Sunt autem homines, qui quamuis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod ipsius mortis horrescunt. Nihilominus autem vt ipsa mors metuenda non est, ita etiã nullũ genus mortis bene & recte viuenti homini metuendum est, quod quoq; illius hominis cruce ostendendũ fuit. Nihil n. erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius, & formidolosius.* BERN.

Bern. ep. 105. in epist. ad Romanum. *Volo te mortem, etsi non effugere, certe vel non timere. Iustus quippe mortem, etsi non cauet, tamen non pauet. Deniq; si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Moritur quidẽ & iustus, sed securè: quippe cuius mors vt præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris.* Et infra. *Bona mors tuli propter requiem, melior*

Psal. 33. 32. *propter nouitatem, optima propter securitatem. E contra, mors peccatorum pessima. Et audi, vnde pessima. Mala siquidem est in mũdi amissione, peior in carnis separatione, pessima in vermis ignisq; duplici contritione.* SEN. ad Lucilium. *Mihi credo, Lucili, adeo*

Sen. ep. 24. *mors timenda non est, vt beneficio eius nihil anteferendum sit. Quod vides accidere pueris, hæc nobis quoq; maiusculis pueris euenit. Illi, quos amant, quibus assuenerunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expauescunt. Non hominibus tantum, sed & rebus persona demenda est, & reddenda facies sua. Quid mihi gladios & ignes ostendis, & turbam carnificum circa te frementium. Tolle istam pompam sub qua latet & stultos territas. mors est, quam nuper seruus meus, quam ancilla contempsit.*

III. REM. Considera legi naturæ consentaneam esse moriendi necessitatẽ, ac proinde non extimescendam. CYP. contra Demetrianum. *Hæc*

Cypr. tract. 1. *sententia mundo data est: hæc Dei lex est, vt omnia orta occidant, & aucta senescant: vt infirmentur fortia & magna minuantur, vt cũ infirmata & diminuta fuerint, finiantur*

tur. BAS. in Psal. 114. *Mundus mortalis est, & morientium regio. Quoniam. n. visibilium substantia composita est: omne verò compositum dissolui est aptum. Nos qui in mundo sumus, cum simus partes mundi, necessariò efficimur consortes naturæ vniuersæ. Idcirco prius quàm anima per mortem à corpore separetur, morimur sæpe homines. Id ne paradoxum tibi videatur, considera parumper rei veritatem. In tribus. n. annorum hebdomadis tres vitæ mutationes sustinet homo. Puelli ætas dentium abiectione primâ explet hebdomadam. Pueri deinde disciplinis addiscendis traditi, terminus extenditur ad pubertatem. Puberis hinc ætas ad annum vsque primũ & vicesimum se porrigit. Lanugine inde prima genas vestiente adolescentia clam in virũ transit. Senex rursus aliò sine dubio à primis ætatib. apparet. Ex quo vita hominis per multas mortes expléri consuevit.* Basilius hom. Idem docuere Ethnici à lege naturæ sola instituti. Vt M. Tullius. *Mortem, inquit, omnib. natura proposuit.* Et. *Commorandi nobis natura diuersorium non habitandi dedit.* Et. *Pellantur istæ ineptiæ pœne aniles ante tẽpus mori miserũ esse. Quod tandem tempus? naturæne? At ea quidem dedit vsuram vitæ tanquam pecuniæ nulla præstituta die. Quid igitur est quod quærare, si repetit cum vult? ea enim conditione acceperas.* Cic. Philip. 4. In Catone. Tuscul. 1. Sen. c. 32. SENECA in naturalium quæstionum sexto. *Mors naturæ lex est, mors tributum, officium que mortalium, malorum que omnium remedium est. optabit illam quisquis timet.* Et epistola citata. *Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum crescimus vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam: vsque ad hesternum, quicquid transiit temporis periit. Hunc ipsum quem agimus diem cum morte diuidimus. Quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit, sit vltima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat.* Id ep. 24. DICES Apostolum clarè testari peccato primi parentis mortem intrasse in orbem terrarum. Et Augustinum in libris de ciuitate Dei sic loqui. *Constat inter Christianos veraciter Catholicam tenentes fidem etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturæ sed merito inflictam esse peccati.* Respondeo, his verbis Augustinum tantum significare moriendi necessitatem quæ ex hominis natura secutura erat, per Dei gratiam Adamo, in ipsa creatione gratuito communicatam, fuisse sublatam, & ideo mortem, quæ post eius lapsum regnat in nobis, non lege naturæ, sed merito inflictam esse peccati. Et eodem sensu per peccatum Adæ mors intrauit in orbem. Rom. 5. 12. Aug. l. 13. c. 15. Bellarm. t. 3. p. 1. c. 9.

IV. REMED. Considera à moriendi necessitate, nullum quantumuis Christianum, sanctum, pium, potentem, aliisue donis prædituũ esse exceptum, imò nihil in rerũ natura certius esse morte vniuscuiusq; *Quid nobis Christianis*, inquit Cypr. *non commune cum ceteris, quamdiu adhuc secundum legem primæ natiuitatis manet caro ista communis? Quoadusq; isthic in mundo sumus, tum genere humano carnis æqualitate coniungimur, spiritu separamur. Pallida mors æquo* Cyp. de mortal. Horat. l. 1. car. od. 4. *pulsat pede pauperum tabernas*, ait Horatius. *Regum q; turres.* Et alius. *Mors domi-* Cic. pro Sextio. *nus seruis, & sceptra ligonib. æquat.* Et Cicero. *Omnib. definita est mors.* Et Seneca. Sen. ep. 77.

Eo ibis

Eo ibis, quo omnia eunt. Quid tibi nouum est? ad hanc legem natus es: hoc patritio cecidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. Quantus te populus mortuo sequetur? quantus comitabitur? Fortior, vt opinor, esses, si multa millia tibi commorerentur. Atqui multa millia hominum & animalium hoc ipso momento, quo tu mori dubitas animam variis generibus emittunt. Et iterum. *Stultum est timere, quod vitare non possis. Morieris. Nec primus, nec vltimus. Multi me antecesserunt, omnes sequentur. Morieris, hic est humani officij finis. Quo transit orbis, ego transibo. Ad hanc conditionem cuncta, gignuntur. Quod cœpit, & desinit.* Quod autem nihil certum sit præter mortem, docet clare B. Aug. in Psalmos. *Quid, inquiens, in hac terra certum est nisi mors? Profecisti? qui sis hodie scis, quid futurus sis crastino nescis. Peccator es? quid sis hodie scis, quid sis crastino nescis. Speras pecuniam? incertum est an proueniat. Speras vxorem? incertum est an accipias, vel qualem accipias. Speras filios? incertum est, an nascantur. Nati sunt, incertum est, an viuant. Viuunt? incertum est, an proficiant, an deficiant. Quocunque te verteris, incerta omnia, mors certa. Natus es, certum est quia morieris. Itaque hæc incerta, vbi sola mors est certa: & in hoc ipso quia mors certa est, dies mortis incertus est.*

V. Remed. Considera, quot quantisq; malis beneficio mortis liberemur. Ea describit primò Ecclesiasticus. *Occupatio, inquiens, magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ matris omnium. Cogitationes eorum, & timores cordis, &c. furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia persederant & contentio,* &c. multa. Deinde SS. Patres Cyprianus de mortalitate. *Quid aliud in mundo, quam pugna aduersus diabolum quotidie geritur? quam aduersus iacula eius & tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum auaritia nobis, cum impudicitia cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua, & iugis, & molesta luctatio est. Si auaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Tot persecutiones animus quotidiè patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter Zabuli gladios diu stare?* Et Ambrosius de bono mortis. *Quid enim est, quo hæc vita delectet, plena ærumnarum & solicitudinum, in qua innumeræ calamitates, & multæ molestiæ, & multæ lachrymæ eorum, qui afflictantur molestiis, etc. Quid boni est homini in hac vita, qui in vmbra viuit, nec expleri potest cupiditatibus suis? Et si expleatur diuitiis, fructum quietis amittit, quia cogitur custodire, quod misera auiditate quæsierit, vt miserius eas possideat, cui prodesse non poterunt. Itaque si plena oneris vita, vtiq; finis eius alleuamentum est, alleuamentum autem bonum mortis.* Et infra. *Quotidie ad edendum & bibendum surgimus, & nullus expletur vt non post momentum esuriat ac sitiat. Quotidie lucrum quærimus, & nullus cupiditati modus ponitur. Non satiabitur, inquit, oculus visu, nec auris auditu. Qui diligit argentum, non satiatur argento. Nullus finis laboris, & nullus est fructus abundantiæ. Cupimus*

quibbi

In exer. — Eccli. c 40. 1. — Aug. in Psal. 38. — Cypr. ser. 4. — Amb. c. 2. — Cap. 7. — Eccl. 1. 8.

quotidie scire noua, & quid est ipsa scientia, nisi quotidianis dolori adiectio? Omnia quæ sunt, iam fuerunt, & nihil est sub sole nouum. sed omnia vanitas. Totam vitam odio habui dixit Ecclesiastes. Qui vitam odio habuit, vtiq; mortem prædicauit. Et SENECA ad Marciam. *Mors omnium dolorum & solutio est, & finis: vltra quam mala nostra non exeunt, quæ nos in illam tranquillitatem, in qua antequam nasceremur iacuimus, reponunt, &c. O ignaros malorum suorum, quibus non mors, vt optimum inuentum naturæ laudatur, quæ siue fœlicitatem includit, siue calamitatem repellit. siue satietatem, aut lassitudinem senis terminat, siue iuuenile æuum, dum meliora sperantur, in flore deducit, siue pueritiam ante duriores gradus reuocat, omnibus finis, multis remedium, de quibusdam votum, de nullis melius merita, quam de his ad quos venit, antequam inuocaretur. Hæc seruitutem inuito Domino remittit: hæc captiuorum catenas leuat: hæc è carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat.* Eccl. 2. 17. Sen. consolatio

VI. REMED. Considera, quot bonis beneficio mortis locupletemur. *Quantum prosit, inquit Cyprianus, exire de seculo, Christus ipse salutis atque vtilitatis nostræ magister ostendit, qui cum discipuli eius contristarentur, quod se iam diceret recessurum, locutus est ad eos dicens. Si me dilexissetis gauderetis, quoniam ad patrem vado: docens & ostendens, cum chari, quos diligimus de seculo exeunt, gaudendum potius, quam dolendum. Cuius rei memor Apostolus Paulus in epistola sua ponit & dicit. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Lucrum maximum computans iam seculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum pressuris agentibus & venenatis diaboli faucibus liberatum ad lætitiam salutis æternæ Christo vocante proficisci.* Et iterum. *Quis non peregrè constitutus properet in patriam regredi? Patriam nostram paradisum computamus, parentes nostros Patriarchas habere iam cœpimus, quid non properamus & currimus, vt Patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numer⁹ expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra incolumitate solicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis, & nobis in commune lætitia est? qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi & cum æternitate viuendi, quam summa & perpetua felicitas?* AMB. de fide resurrectionis *Morte vnius plerunque accepimus maximos populos liberatos: morte imperatoris fugatos exercitus hostium quos viuus vincere nequiuisset. Morte martyrum religio defensa, cumulata fides, Ecclesia roborata est, vicerunt mortui, victi persecutores sunt. Itaque quorum vitam nescimus, mortem celebramus. Morte etiam inimicorum odia soluuntur. Quid plura? Vnius morte mundus redemptus est. Potuit enim Christus non mori, si voluisset. Mors eius vita est omnium. Morte eius signamur, mortem eius omnes annunciamus, mortem eius offerentes prædicamus. Mors eius victoria est. Mors eius sacramentum est, mors eius annua solemnitas mundi est.* Et libro de bono mortis. *Mors hæc transitus vniuersorum est, opus est, vt constenter transeas. Transitur autem à corruptione ad incorruptionem, à mortalitate ad immortalitatem, à perturbatione ad tranquillitatem. Non* Cyp. l. cit. Ioan. 14. 28. Phil 1. 21. Amb orat. 2. de morte fratris. Id. c. 4.

iturnomente mortis offendat, sed boni transitus beneficia delectent. Quid est n. mors nisi sepultura vitiorum, virtutum suscitatio? Ethnicorum quoq; plerique, lumine naturali edocti, non omnino ignorarunt probis post hanc vitam

Cic. 1. Tusc. magnum aliquod bonum destinatum. Sic enim scribit in Tusculanis suis M. TVLLIVS. *Duæ sunt viæ, vt ait Socrates, duplices q; cursus animorum è corpore excedentium. Nam qui se humanis vitiis contaminarunt & se totos libidinibus dedidérunt, iis deorum quoddam iter est seclusum à concilio Deorum. Qui autem se integros castosq; seruarunt, quibusque fuit minima cum corporibus contagio, suntque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, à quibus sunt profecti, facilis patet reditus.*

VII. REM. Considera quibus rebus mors bonorum æquè à prophanis, atq; sacris scriptorib. comparetur. Primo autem comparatur somno & quieti. Vnde Christus de Lazaro mortuo. *Lazarus amicus noster dormit.* Et B. Paulus. *Nolo vos ignorare de dormientibus.* Et S. Ioannes. *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* CHRY. ad populum Antioch. *Quid tandem est mors? Somnus consuetò longior. Itaque si mortem times, time & somnum: si propter morientes angeris, & propter comedentes & bibentes angere, sicut enim hoc naturale, sic & illud.* HIER. ad Theodoram. *Aduersum mortis duritiam & crudelissimam necessitatem hoc solatio erigimur, quod breui visuri simus eos, quos dolemus absentes. Neq; n. mors, sed dormitio & somnus appellatur. Vnde & beatus Apostolus vetat de dormientib. contristari.* BAS. de Barlaam Martyre. *Somnus iustis est mors, imò magis migratio ad vitã meliorem. Hinc est, quod martyres exultant dũ trucidantur.* Sic Cicero in Catone Maiore. *Morti nihil est tã simile, quàm somnus.* OVIDIVS. *Stulte quid est somnus? gelidæ nisi mortis imago? Longa quietscendi tempora fata dabunt.* 2. cõparatur peregrinationi, qua redit ad patriã. Vnde propheta. *Aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei. at peregrinus optat in patriam redire. Non. n. habemus, inquit Apostolus, hîc manentem ciuitatẽ, sed futurã inquirimus.* CYP. *Considerandũ est fratres dilectissimi, & identidẽ cogitandũ renunciasse nos mundo, & tanquã hospites & peregrinos hîc degere. Amplectamur diẽ, q assignat singulos domicilio suo: qui nos isthinc ereptos, & laqueis secularib. exutos paradiso restituit, & regno cœlesti. Quis nõ peregre constitutus optet in patriã regredi? Quis non ad suos nauigare festinans ventũ prosperũ cupidius optet, vt velocitèr charos luceret amplecti?* CHRY. ad pop. Ant. *Nihil aliud mors est, q somnus, & migratio, & translatio, & requies, & tranquillus portus, & perturbationis liberatio, & à vitæ curis absolutio.* Et in Genesin. *Nihil mors est vltrà q somnus & peregrinatio, & trãsmigratio à deterioribus ad meliora, adeo vt multi exiliũ & festinẽt, cũ hinc migrandũ. proinde & Paulus clamat dicens. Dissolui cupio, & cum Christo esse multo melius.* AMB. de bono mortis. *Deniq; festinabat etiã sanctus Dauid de hoc loco peregrinationis exire, dicens. Aduena ego sum apud te in terra & peregrinus, sicut omnes patres mei. Et ideo tanquam peregrinus ad illã sanctorum cõmunem omnium patriã festinat.*

Ioan. 11. 11.
1. Thess. 4. 13.
Apoc. 14. 13.
Chry. hom. 5.
Hier. ep. 29.
Bas. hom. 18.
Cic. de sene &
Ouid. l. 2. eleg.
Psal. 38. 13.
Heb. 13. 14.
Cyp. de mort.
Chry. hom. 7.
ad. hom. 45.
Phil. 1. 23.
Amb. cap. 2.
Psal. 38. 13.

festinabat, petens p huius cõmorationis inquinamento remitti sibi peccata prinsquã discederet vita. Quid igitur tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto diutius qs fuerit, tanto maiore oneratur sarcina peccatorum? Sic Cicero de Senectute. *Commorandi nobis natura diuersoriũ, non habitandi dedit. Ex ipsa vita discedendum est tãquam ex hospitio, non ex domo?* Et. *Mihi tam iucunda senectus est, vt quo propius ad mortẽ accedam, quasi terram videar videre, aliquandoque in portum ex longa nauigatione esse venturus.* SENECA. *Si quis in mortem ante primos annos delatus est, non magis conqueri debet, quã qui cito nauigauit.* Et *In freto viximus, moriamur in portu.*

Cicero in Catone.

Sen. ep. 71. & 26.

VIII. REMED. Considera exempla sanctorum, qui mortem non reformidarunt. Omitto exempla scripturæ supra relata. POSSIDIVS in vita S. AVGVSTINI primo laudat D. Ambrosium, quod dum vsque ad mortem decumberet rogatus ab astantibus, vt Deum pro longiore vita precaretur, responderit: *Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere. sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus,* quæ verba, inquit, *Augustinus vt elimata & librata* laudabat, ideoq; dicta putabat, ne videretur præfidere suis meritis. Deinde Augustinum, cum ad Coepiscopum familiarem morti proximum venisset, & is gestu manus se de seculo exiturum indicaret, dixisse. *Posses diutius viuere, cum sis Ecclesiæ necessarius:* illum verò respondisse, ne videretur huius vitæ cupiditate teneri. *Si nunquam, bene: si aliquando, quare non modo? Et mirabatur,* inquit, *hominem non doctum* Augustinus, *& in villa nutritum talia protulisse,* & laudabat. Postremo addit, Augustinum solitum referre in hanc rem exemplum cuiusdam Episcopi, de quo B. CYP. ita scribit. *Cum quidam de collegis & consacerdotibus nostris iam infirmitate defessus, & de appropinquante morte sollicitus commeatum sibi precaretur, astitit deprecanti & iam pœnè morienti iuuenis honore & maiestate venerabilis, statu excelsus & clarus aspectu, & quem assistentem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre iam poterat de seculo recessurus. Atq; ille non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit, & dixit. Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Increpantis vox est, & monentis, qui de persecutione sollicitis, de accersione securis, non consentit ad præsens desiderium, sed contulit in futurum. Audiuit frater noster & collega morituru, quod cæteris diceret. Nam qui moriturus audiuit ad hoc audiuit, vt diceret: non sibi audiuit ille, sed nobis. Nam quid discret iam recessurus?* De B. HILARIONE eremita ita scribit S. HIER. *Cum habitaret adhuc in tugurtolo annos natus decem & octo, latrones ad eum nocte venerunt, vel existimantes habere aliquid quod tollerent, vel in contemptum sui reputantes fieri, si puer solitarius eorum impetus non pertimesceret. Itaq; inter mare & paludem à vespere vsq; ad solis ortum discurrentes nunquam locũ eius cubiculi inuenire potuerunt. Porrò clara luce reperto puero, quasi per iocum; quid inquiunt, faceres si latrones ad te venirent? Quibus ille respondit. Nudus latrones non timet. Et illi certe aiunt, occidi potes. Possum inquit, possum: & ideò latrones non timeo, quia mori paratus sum. Tunc admirati constantiam eius & fidem,*

Poſſid.

Cyp. de mortal.

Commeatum t. vitæ prorogati onem.

Hier. in eius vita.

consessi sunt noctis errorem, cæcatosque oculos, correctiorem deinceps vitam pollicentes.

Sulp. in eius hist. c. 4.

Non absimile est quod Sulpitius Seuerus de S. Martino Turonensi antistite commemorat. *B. Martinus*, inquit, *inter alpes deuia secutus incidit in latrones. Cum quidam vnus securim eleuatam in caput eius librasset, ictum ferentis dextera sustinuit alter. Vinctis tamen post tergum manibus vni seruandus & spoliandus traditur. Quo cum eum ad remotiora duxisset, percontari ab eo capit, quisnam esset. Respondit, Christianum se esse. Quærebat etiã ab eo, an timeret. Tum verò constantissimè profitetur, nunquam se fuisse tam securum, quia sciret misericordiam Domini maximè in tentationibus affuturam: se magis illi cõdolere, qui Christi misericordia, vtpote latrocinia exercens, esset indignus. Ingressus quidam Euangelicam disputationem verbum Dei latroni prædicabat. Quid longius moror? latro credidit, profectusque Martinum viæ reddidit, orauit vt pro se Dominum precaretur, idemque postea religiosam agens vitam visus est, vt hæc quæ supra retulimus, ab ipso audita dicantur.* Et multo post subiungit de eodem Episcopo. *In pago Æduorum dum templum B. Martinus euerteret furens gentilium rusticorum in eum irruit multitudo. Cumque vnus audacior cæteris stricto eum gladio peteret, reiecto pallio nudam ceruicem percussori præbuit. Nec cunctatus ferire gentilis sed cum dexteram altius extulisset, resupinus ruit, consternatusque diuino metu veniam precabatur.*

Sur. 4. Aug.

Eiusdem generis est exemplum B. DOMINICI apud Theodorum de Apoldia. *Cum, inquiens, multo tempore apud Tolosanos hæresin expugnasset, scelerati dæmonum satellites de nece Dominico inferenda consilia captarunt, itaque posse is certo loco insidiis aduentum eius præstolabantur. At ille cognita eorum malitia cantans & alacer iter fecit, eorumque furorem vltro etiam ad cædem prouocauit. Qua re stupefacti carnifices. An non, inquiunt, mortem pertimescis? Quid faciesi nos tibi mortem abripiamus. Quibus ille. Rogarem, inquit, vos, ne mortem mihi celerem afferretis, sed paulatim singula membra ferro præscinderetis, atque ad extremum cum sensim animo sinueretis ita mutilatum corpus in suo sanguine volutari vel prorsus pro vestro arbitratu vita omni priuaretis.* Eodem pertinent exempla innumerabilium martyrum qui atrocissimam etiam mortem non timuerunt.

IX. REMED. sit crebra meditatio mortis coniuncta cum quotidiano moriendi affectu, iuxta monitum Sapientis. *Memor esto, quoniam mors non tardat.* Et Christi. *Estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.* Per *imaginem mortis*, inquit TERTVLLIANVS, *fidem imitaris, spem meditaris, disces mori & viuere, disces vigilare dum dormis.* CHRYSOST. ad pop. Antioch. *Christus docebat. Si quis non tollit crucem suam, & sequitur me non est me dignus. Hoc autem dicebat, non vt lignum super humeros feramus, sed vt mortem semper ante oculos habeamus. Sicut igitur & Paulus, quotidie morere, & mortem deride, præsentemque contemne vitam. Es enim miles semper in conflictu constitutus: miles verò mortem timens nunquam generosè se geret.* AMBROSIVS de fide resurrectionis. *Sit quidam quotidianus vsus in nobis affectusque moriendi, vt per illã quod diximus segregationem à corporeis cupiditatib. anima nostra se discat extrahere, & tanquam in sublimi*

Eccli. 14. 12. Luc. 12. 40. Tertull. de anima. Chry. hom. 5. Amb. orat. 2.

locata

locata quo terrenæ adire libidines, & eã sibi glutinare non possint, suscipiat mortis imaginem, non pœnam mortis incurrat. HIER. epist. ad Cypr. presbyterũ exponens versum Psalm 89. *Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia.* vbi alii vertunt, Dies nostros sic ostende; vt veniamus corde sapienti. *Est autem,* inquit, *sensus numerũ annorum, dierumq; nostrorum, quibus in hoc seculo nos vivere decreuisti, ostende nobis, vt præparemus nos aduentui tuo, & contempto errore mortaliũ ad te pergere festinemus, cupiamusq; præsentiam tuam, & ad te festinemus corde sapienti. Nihil enim ita decipit humanum genus, quam quod dum ignorant spatia vitæ suæ longiorem sibi seculi huius promissionem repromittunt. Vnde & illud egregiè dictũ est: nullum tam senem esse, & sic decrepitæ ætatis, vt non se adhuc vno plus anno viturum suspicetur. Ad hunc sensum pertinet & illud quod dicitur. Memento mortis tuæ & non peccabis. Qui enim se recordatur quotidie esse morituru, contemnit præsentia, & & ad futura festinat. Hoc est, quod David in alio precatur loco dicens. Ne auferas me in dimidio dierum meorum, priusquam abeam & non subsistam: quod ita exponitur. Nec eo tempore facias me mori, quando adhuc putabam me victurum, vt possim peccata corrigere pœnitentia. Si enim hoc feceris, inuentus in delictis meis esse desistam.* ANTIDOTO hoc præmeditandi mortem præclarè vsa est in vita sua B. MARCELLA vidua, de qua idem Hieronymus ad Principiam Virginem. *Annis,* inquit, *plurimis sic suam transegit ætatem, vt antequam vetulam cerneret, quam adolescentulam fuisse meminisset, laudans illud Platonicum, qui Philosophiam, meditationẽ mortis esse dixit. Vnde & noster Apostolus. Quotidie morior propter vestram salutem. Et Dominus iuxta antiqua exemplaria. Nisi quis tulerit crucem suam quotidie, & secutus fuerit me, non potest meus esse discipulus. Multoq; ante per Prophetam Spiritus sanctus. Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus vt oues occisionis. Et post multas ætates illa sententia. Memento semper diem mortis, & nunquam peccabis. Dixisti nimirum præceptum Satyrici. Viue memor lethi, fugit hora, hoc quod loquor inde est. Sic ergo, vt dicere cœperamus, ætatem duxit, & vixit vt semper se crederet esse morituram. Sic induta est vestibus, vt meminisset sepulchri, offerens hostiam rationabilem, viuam placentem Deo.* Denique hoc remedium apud omnes fere Ethnicos Philosophos fuit vulgatum, postquam Socrates apud Platonem in Phædone germanam omnis Philosophiæ rationem posuit in meditatione mortis. Vnde M. TVLLIVS in Catone maiore. *Hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem vt negligamus, sine qua meditatione tranquillo esse animo quit nemo potest.* Et in Tusculanis. *Quæ potest esse in vita iucunditas, cum dies & noctes cogitandum sit iam iam esse moriendum?* SENECA ad Lucilium. *Molestum est inquis, mortem ante oculos habere. Primam, ista tam iuueni ante oculos debet esse, quàm seni. Non enim citamur ex censu. Deinde nemo tam senex est, vt improbè vnum diem speret.* Et infra. *In somnum ituri lati hilaresq; dicamus.*

Vixi & quem dederat cursum fortuna, peregi.

Crastinum si adiecerit Deus, lati recipiamus. Ille beatissimus est, & securus sui possessor

Hier. tom. 3.

Eccli. 7. 40.

Psal. 101. 25.

In epitap. Marcellæ ep. 16.

1. Cor. 15. 31.

Psal. 43. 22.

Eccli. 7. 40.

Pers. sat. 5.

Cic. de senect.

Tuscul. 1.

Seneca ep. 12.

Ep.30. Ep.26. *sor, qui crastinum sine sollicitudine expectat. Quisquis dixit, vixi, quotidie ad lucrum surgit.* Et rursum. *Mortem venientem nemo hilaris excipit, nisi qui se ad illam iam composuerit.* Et. *Incertum, est, quo te loco mors expectet. Itaque tu illam omni loco expecta. Egregia res est, mortem condiscere. Semper discendum est, quodam sciamus experiri non possumus. Meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem iubet. Qui mori didicit, seruire dedidicit. Quid ad illum carcer, & custodia, & clausträ? liberum ostium habet.*

X. REMED. Considera, quot bonorum, maximè spiritualium, iacturam facias, si plus æquo, siue sanus, siue æger reformides mortem. Primo enim apertè repugnas non solum diuinæ voluntati, sed etiam tuæ propriæ, vt bene ostendit B. CYPRIANVS. Cyp. de mortal. *Meminisse debemus*, inquit, *voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Deus quotidie iussit orare.* Fiat voluntas tua. *Quam præposterum est, quamque peruersum, vt cum Dei voluntatem fieri postulamus, quando euocat nos, & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis eius imperio pareamus. Hoc nitimur & reluctamur, & peruicacium more seruorum ad conspectum Domini cum tristitia & mœrore perducimur, exeuntes isthinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis, & volumus ab eo præmiis cœlestibus honorari, ad quem venimus inuiti. Quid ergo rogamus & petimus vt adueniat regnum cœlorum, si captiuitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus & poscimus vt acceleret dies regni?* 2. Id consequeris, vt minus placeas Deo. Cyp. ib. *Sic in Genesi*, inquit idem, *Pater, testatur & loquitur scriptura diuina. Et placuit Enoch Deo, & non est inuentus post modum, quia Deus illum transtulit.* Gen. 5. 24. *Hoc fuit placuisse in conspectu* Eccli. 44. 16. *Dei, de hac contagione seculi meruisse transferri. Sed & per Salomonem docet Spiritus* Sap. 4. 11. *sanctus qui Deo placeant maturius hinc eximi, & citius liberari, ne dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur. Raptus est, inquit, ne malitia mutaret intellectum eius. placita enim erat Deo anima eius: propter hoc properauit educere eum de media iniquitate. Eius est in mundo diu velle manere, quem mundus oblectat, quem seculum blandiens atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis inuitat.* 3. quo plus times mortem, hoc minus ostendis te paratũ ad martyrium, eiusq; meritum, cum tamen quilibet Christianus secundum professionẽ suam paratus esse debeat potius sanguinẽ suum profundere, quam Christum negare, vel aliud peccatum mortale committere. Luc. 14. 26. 33. Vnde Christus. *Qui odit animã suam, non potest meus esse discipulus.* Et. *Qui non renũciauerit, omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Vt nihil aliud*, inquit idem Cyprianus, *mortalitas ista contulerit, hoc Christianis & Dei seruis plurimum præstitit, quod martyrium cœpimus libenter appetere, dum mortem discimus non timere.* 4. quia coniicis te in periculum ne à salute excidas, maximè cum ab vltimo vitæ momento pendeat vel salus vel exitium sempiternum. Dicit enim Eccli. 11. 3. Ecclesiastes. Cyp. de mort. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Illud quoque egregium*, ait Cyprianus, *quod ait scriptura. Ante mor-*

tem

tem non laudaueris quenquam. Vnusquisque enim in nouissimis suis cognoscitur, & quia vnusquisq; quamdiu viuit, obnoxius est lapsui, nec senectus immunis à crimine. Nam si laudari ante gubernator non potest, quam in portum nauem deduxerit, quomodo laudabis hominem, priusquã in stationem mortis successerit. Dux ipse nisi confecto prælio non sumit lauream, nec miles arma deponit, nec stipendii mercedem adipiscitur nisi hoste superato. Et vulgatum est dictum Augustini ad Hesychium. *In quo quemq; inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies: quoniam qualis in die isto quisq; moritur, talis in die illo iudicabitur.* Consentit & hic, quod mirũ est, SENECA. *Omnis dies*, inquiens, *velut vltimus ordinandus est. De felicitate hominis vltimus dies iudicat.* Quod si in periculum salutis te nõ adducat nimius metus mortis, saltem imminuet patientiæ, spei, deuotionis, caritatis in Deum, ceterarumq; virtutũ meritum, & quia, mœrore, metuq; immoderato mortis, potius auges morbum corporalem quã imminuis, imò mortem ipsam accersis, quam animi lætitia & tranquillitate multi depulerunt. *Multos enim*, ait Ecclesiasticus, *occidit tristitia, & non est vtilitas in illa.* Et. *A tristitia festinat mors, & cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit ceruicem.* Et SENECA. *Inquietam nobis vitam facimus metu mortis, & tanta est hominum dementia, vt quidam timore mortis cogantur ad mortem.*

Aug. ep. 80.

Sen. ep.

Eccli. 30. 25

Sen. ep. 24.

XI. REMED. Considera etiamsi laudandi non sint, qui plus æquo reformidant mortem, eos tamen laudãdos esse, qui moderate id faciunt, propter iudicii diuini seueritatem post mortem secuturi, suamq; de salute incertitudinem. *Beatus enim* homo, inquit Salomon, *qui semper est pauidus.* Et Ecclesiast. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die obitus sui benedicetur.* Et Christus. *Timete eum, qui potest animam & corpus mittere in gehennam.* Exemplum habemus pii regis Ezechiæ, qui non solum mori timuit, cum ex Isaia Propheta mortẽ sibi decretam didicit, sed etiam multis lachrymis eã est deprecatus. Deinde Christi Domini qui in horto Gethsemani horrore mortis ita cœpit pauere & tædere, vt exudarit sanguinem. Vnde B. CYP. *Domine tristem te vsque ad mortem præ nimia anxietate sanguineo sudore perfusus coram Apostolis es professus. Audiens hæc ego expaui. Quis enim non timeat, si timet ille, quem omnia timent, si pauet ille, cui omne genu seruatur, si ille qui mors est mortis & morsus inferni morte propinquante pertimescit? nonne tu docueras & instruxeras fideles tuos, vt non timerent, eos qui corpus occidunt, quia vsq; ad animam tyrannica violentia non attingit. Sed metus ille infirmitatis humanæ cõmunem exprimebat affectũ, & generalitatẽ omnium in carne viuentium hoc dolore vrgeri, & dissolutionẽ corporeæ spiritualisq; naturæ hac molestia non posse carere, & hanc pœnam vniuersæ successioni Adam sine exceptione impositam vt difficultas extremi transitus timeretur. Et hæc quidem molestia in eos, qui Dei iudicio rationem reddituri occurrunt, non immeritò cadit.* Et HIERON. libro 11. commentariorum in Isaiam occasione pij regis Ezechiæ deprecantis mortem, annotauit, *etiam sanctos viros morte terreri.*

Prou. 28. 14. Eccli. 1.

Matth. 10. 28. Isa. 38. 3.

Mar. 14. 33. Luc. 22. 44. Cyp. serm. de passione.

Hieron. c. 38. Isa.

teri eri propter incertum iudicij & ignorationem sententiæ Dei, quam sedem habituri sint. Et in vita B. Hilarionis eremitæ hæc habet de eo iam morti proximo verba. *Iamque modicus calor tepebat in corpore, nec præter sensum quicquam vitæ hominis supererat, & tamen apertis oculis loquebatur. Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis seruisti Christo, & mortem times?* Chry. hom. 45. Gen. 20. *In hæc verba exhalauit Spiritum.* Chrysostomvs in commentariis in Genesin profert exemplum Abrahæ Patriarchæ exponens verba illa. *Dixit autem Abraham de Sara vxore sua. Soror mea est: ne forte occiderent eum viri, uitatis propter illam. Vide*, inquiens, *quomodo à violentis affectionibus anima iusti impugnetur, & timor eum incessat. Vide quomodo propter mortis metum iustus ille tulit. Cæterum non ideo condemnes iustum ob pusillanimitatem, quod mortem timuerit, sed potius admirare conditorē vniuersi, qui tantæ erga nos est misericordiæ, quod iustis illis & sanctis tunc terribilem, eandem nunc ita contemptibilem fecerit Christus, vt quam formidabant illi virtute clari, nunc deridean, & iuuenes, & teneræ virgines.* Id. hom. 67. Gen. 50. 1. Et alibi cum agit de planctu magno septem dierum quem Ioseph Patriarcha fieri iussit in morte patris sui Iacob. *Verum tu hæc*, inquit, *audiens dilecte ne simpliciter prætercurre, sed tempus cogita, quo facta sunt, & ab omni culpa libera Ioseph. Nondum enim fuerunt portæ inferni confractæ, neq; inferni vincula dissoluta, neq; mors dicebatur dormitio.* Ex his verbis minimum habes ex sententia Chrysostomi veteres patres mortem timuisse. Quod autem ex nouo testamento aliqui etiam timuerint mortem saltem violentam liquet exemplo Pauli, Id. hom. 6. quem in homilia de laudib. D. Pauli fatetur mortem timuisse, his verbis. *Sed & mortem, inquis, Paulus aliquando pertimuit. Quod si ego Paulum fuisse hominem denegarem, merito mihi has naturæ eius fragilitates opponeres: si verò ipse confirmo, quia homo fuit, & nulla etiam naturæ conditione nobis præstantior, fuit tamen melior voluntate, frustra mihi ista proponis. Ipse enim, qui mortem timuit, dicebat.* 2. Cor 5. 4. Aug. c. 11. Idem c. 33. *Quamdiu sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati, &c.* Avgvstinvs libro primo de Ordine in fine ait, *horrore mortis non terreri, viris etiam doctissimis esse difficillimum, licet omnes confiteantur summam Philosophiæ arcem esse, non terreri.* Et libro de immortalitate animæ *Nihil*, inquit, *difficilius, quam non metuere mortem, & ab illecebris huius mundi, sicut pericula postulant, temperare. Tanta est tamen anima, vt etiam hoc possit adiuuante sane iustitia summi & veri Dei.* Addit deinde posse eam in virtute eousque proficere, vt etiam *pro summo munere mortem desideret.* In libris quoque de Ciuitate Dei approbat Philosophorum Aug. l. 19. c. 4. Cic. 1. offic. & de Fin. 4 & 5. Greg. c. 17. sententiam, dum dicunt *hanc esse naturæ primam quodammodo & maximam vocem, vt homo concilietur sibi, & propterea mortem naturaliter fugiat.* Greg. libro 24. moralium. *Sæpe crescit pauor mortis in electis vicina retributione iustitiæ, & vrgente solutione carnis, quanto magis districtum iudicium iam iamque quasi tangitur, tanto vehementius formidatur. Et si ea quæ sciunt, nunquam se prætermisisse meminerunt, formidant tamen illa quæ nescium: quia videlicet semetipsos diiudicare & compre-*

comprehendere omninò non possunt, atq; vrgente exitu subtiliori terrentur metu. Vnde redemptor noster solutioni carnis appropinquans, & membrorum suorum seruans speciem, factus in agonia, cæpit prolixius orare. Et paulo post. Consideramus etiã, quia nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remota pietate iudicemur. Quis enim nostrum vitam præcedentium Patrum valeat vel superare vel assequi? & tamen Dauid dicit. Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. &c. Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? Et alibi sic scribit. Cogitandum valde est, quantum nobis erit terribilis hora nostræ resolutionis, qui pauor mentis, quanta tunc omniũ malorum memoria, quæ obliuio transactæ felicitatis, quæ formido & consideratio iudicis. Quid ergo esse nobis de præsentib. ad delectationem debet, quando cunctis simul transeuntibus non valet transire quod imminet? quando & hoc funditus finitur, quod diligitur, & illud incipitur, vbi dolor nunquam finitur? Tunc maligni spiritus egrediente anima sua opera requirunt. Tunc mala, quæ suaserunt, replicant, vt socium ad tormenta trahant. Sed cur hoc de peruersa solummodo anima dicimus, cum ad electos quoque egredientes veniant, & suum in illis, si præualeant, aliquid requirant? Quod autem metus mortis quibusdam sanctis viris sit salutaris docet in quarto dialogorum. Plerumque, inquiens, de culpis minimis, ipse solus pauor egredientes iustorum animas purgat, sicut narrari de quodam sancto viro mecum frequenter audisti. Qui ad mortem ventens vehementer timuit, sed post mortem discipulis in stola candida apparuit, & quam preclarè sit susceptus indicauit. Nonnunquam verò omnipotens DEVS trepidantium mentes quibusdam prius reuelacionibus roborat, vt in morte minimè pertimescant. Nam quidam mecum in monasterio frater Antonius nomine viuebat, qui multis quotidianis lacrymis ad gaudia patriæ cœlestis anhelabat. Huic per visionem nocturnam dictum est. Fauatus esto, quia Dominus iussit migrare te, cumque ille non habere se sumptus ad migrandum diceret, responsum protinus audiuit dicens. Si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt. Quod cum semel audisset & magno adhuc metu trepidaret, nocte quoq; alia eisdem verbis est admonitus. Tunc post quinq; dies febre correptus cunctis fratribus orantibus flentibusq; defunctus est. Hæc ille. Illustre exemplum metus mortis habemus in B. ARSENIO eremita Arcadii quondam Theodosii imperatoris filii magistro, de quo sic loquitur Simeon Metaphrastes. Postquam adfuit tempus translationis, licuit videre illum ipsum Arsenium, qui erat pauloante vel angelis virtute similis metu pulsari & opprimi, & ad lachrymas effundendas moueri. Rogantibus ergo discipulis: Et tu pater times mortem? Reuera, inquit, hic metus, quo nunc me videtis affici, nunquam omnino à me recessit, ex quo factus sum monachus. Hoc cum dixisset, & præsentibus Patribus quam fieri potuit iucundissimè, quæ in exitu dici solent verba esset elocutus, sanctorum angelorum manib. verè beatam tradidit animam, cum vixisset quidẽ inter monachos quinquaginta quinq; annos, omnes autem centũ viginti.

Cap. 12.

Psal. 142.

Id. hom. 39. in Euang.

Id. c. 46.

Cap. 47.

Sur. 19 Iul.

VIDE. V. *Amor sui. Immortificatio passionum. Impatientia in aduersis. In morbis. In morte carorum. Pusillanimitas. Timor humanus. Tristitia.*

MVLIERVM COMMORATIO MAXIME CVM CLERICIS ET MONACHIS.

Remedia contra Mul. Commorat.

I. REMED. Considera sacrarum litterarum testimonia. Primò enim absterrent nos à societate mulierum: Vt in prouerbiis Salomonis. *Si intrauerit,* aiunt, *sapientia cor tuum, consilium custodiet te, vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit sermones suos, & pacti Dei sui oblita est, inclinata est enim ad mortem domus eius, & ad inferos semita ipsius.* Et *Ne attendas fallaciæ mulieris, fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouissima autem illius arma quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.* Et iterum. *Conserua fili præcepta patris tui, custodiant te à muliere mala & à blanda lingua extranea. Non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius: pretium enim scorti vix est vnius panis.* Et in Ecclesiastico. *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, [illegible] virtutem tuam, & confundaris. Ne respicias mulierem multiuolam, ne forte incidas in laqueos illius. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris [illegible] perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Cum aliena muliere ne sedeas omninò, nec accumbas cum ea super cubitum ne forte declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem.* 2. delectibunt nequitiam mulierum. Vt in Ecclesiastico. *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem eius, & obcæcat vultum suum tanquam vrsus, & quasi saccum ostendit. Breue omnis malitia super malitiam mulieris.* Et rursus. *Sicut boum iugum, quod mouetur, ita & mulier nequam. qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscetur. Ab omni reuerentia oculorum eius caue, & ne mireris, si te neglexerit.* Et iterum. *In medio mulierum noli commorari de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Melior est enim iniquitas viri, quam mulier bene faciens, & mulier, confundens in opprobrium.* Et in prouerbiis *Numquid potest homo abscondere ignē in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui non erit mundus, cum tetigerit eam.* Quomodo autem mulier adolescentem in laqueos suos induat, paulo post ibidem prolixe declaratur.

Prou. 2. 16.
Prou. 5. 3.
Prou. 6. 24.
Eccli. 9. 8.
Eccli. 25. 22.
Eccli. 26. 10.
Eccli. 42. 12.
Prou. 6. 27.
Prou. 7. 6.

II. REMEDIVM. Considera S. Patrum sententias. Ac imprimis D. CYPRIANVS in libro de singularitate Clericorum asserit diuina reuelatio-

uelatione se cognouisse, ne clerici cum feminis commorentur. *Quia*, inquit, *nunc de feminarum commoratione vulgariter inter vos quidam ignominiosè deoluti sunt, etiam de hac re specialiter vobis Domini correptionem scribere compulsus sum, qui miserum me pro vestra negligentia cum seueritate conueniens, mandare præcepit, ne clerici cum feminis commorentur. Et licet hæc admonitio sola litterarum mearum auctoritate sufficeret, tamen ne somniatorem irrideat quisquam sicut Ioseph fratres irriserunt, scripturarum addimus firmitatem, vt omnes sciant hoc etiam modo per reuelationem Dominum iubere, quod litteris cognoscitur, ante iussisse.* His verbis inchoat librum, terminauit autem hisce. *Perditionis meditatio est, frequentatiunm inter mulieres celebrare processum: de qua re nobis Salomon moderamen imposuit dicens. In medio mulierum noli assiduus esse. Sic igitur ambulate, sic agite, vt semper in clericis Ecclesiæ senatus candidus constet. Seueritas in vobis circa feminas vigeat, autoritas polleat, vigor teneatur, grauitas veneretur. Vt semel omnia colligamus ad clausulam, breuiarium relegimus vobis, quod ad copiosam plenitudinem redigens Paulus Apostolus insinuat. De cetero fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bona famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, quæ accepistis & didicistis, & audistis, & vidistis in me. Hæc agite, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum? Amen.* S. BASILIVS in admonitione ad filium spiritualem. *Ab aspectu nefando auerte oculos tuos, & ne delecteris pulchrarum vultibus feminarum, ne per talem oblectationem vltima exoluas supplicia. Memento cui dedicasti membra tua, & ne commisceas illa meretricibus. Reflecte amorem ab amore mulieris, neque ab amore Domini te amor excludat. Non te simules simpliciter accedere ad virginum domus, nec velis cum eis vti longis & otiosis fabulis, ne per plurimas sermocinationes vtrorumque mens polluatur. Si ad feminarum domus importunè accesserit clericus, vel monachus, vt virgo patiatur huiusmodi intoire ad se, statim immutant pristinam dignitatem, & quod Domino pollicti sunt sua voluntate amittunt. Nec enim potuerunt huiusmodi mansionem in se Domino præparare, sed desolabuntur vt lignum aridum.* B. EPHRAEM in Doctrina varia. *Non decet monachum vllam habere cum femina societatem: ad eam verò quæ virginitatem profitetur prorsus ne accesseris, siquidem vllus in te carnalis sensus viget. Nam monachum inter epulas cum feminis versari, idem est ac se in ignem proicere. Qui autem earum fugit consuetudinem, fugiat tanquam damna ex retibus, & velut auis ex laqueo.* Et in sermone aduersus improbas mulieres. *Christus ipse dicit in Euangelio. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Verè tremenda hæc est admonitio, & multa vigilantia opus habet. Quid enim est mulier? Laqueus comptus, & homines in voluptate illiciens, quæ splendida quidem facie, & excelso collo oculis annuit, & genis arridet, lingua verò dulciter canens vocat alios decipit, & sermone pellicit, &c. Quid est mulier? naufragium super terram,*

C. Baron. tom. 8. Anal. Eccl. probat esse genuinum. Cypr. partum.

Eccli. 42. 12.

Phil. 4.8.

Basil.

Ephr. tom. 2.

Matth. 5. 28.

fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ & malitiæ, mortifera conuersatio atque confabulatio, oculorum pernities, animarum exitium, cordis spiculum, iuuenum perditio, septrum inferni, & concupiscentia præceps. Quid est mulier? causa diaboli, requies ser-

Hier epist. 2. *pentis, diaboli consolatio, dolor inconsolabilis, caminus succensus, malitia incurabilis diurna confabulatio, hospicium lasciuorum, & officina dæmonum.* &c. S. HIER. ad Nepotianum, de vita clericorum & Sacerdotum. *Hospiciolum tuum, aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites: nec in præsentia*

Idem lib. 1. Prou. 30. 15. *castitate confidas. Nec sanctior Dauid, nec Salomone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit.* Et. in Iouinianum. *Illud vero quia taceat quod sub ænigmate scribitur. Sanguisugæ tres filiæ erant dilectione dilectæ: sed istæ non saturauerunt eam: & quartæ non sufficit dicere, satis est. Infernus & amor mulieris, & terra, quæ non satiatur aqua & ignis exæstuans. Non hic de meretrice, non de adultera dicitur: sed amor mulieris generaliter accusatur, qui semper insatiabilis est, qui extinctus accenditur; & post copiam rursus*

Chrys. hom. 14. *inops est, animumq; virilem effeminat, & excepta passione, quam sustinet, aliud non sinit cogitare.* B. IOAN. CHRYSOST. homilia de muliere mala ad varia loca Matthæi. *Ego existimo nullam esse in hoc mundo bestiam comparabilem mulieri malæ. Sed nunc nihil de tali sermo est, non de bona & honesta. Quid enim inter quadrupedia animlia leone sæuius? sed nihil ad hanc. Aut in serpentibus, quid dracone atrocius? sed ne hoc quidem iuxta mulierem malam & linguosam conferri potest. Nam & leo & draco in malo inferiores sunt. Testificatur huic sermoni meo sapientissimus Salo-*

Eccli. 25 22. *mon dicens. Cohabitare leoni & draconi melius est, quàm cum muliere mala & linguosa.* Et infra, *Mulier impudens nemini parcit, non Leuitam honorat, non Sacerdotem veneretur. non Prophetæ defert. O malũ omni malo pessimum mulier mala, siue illa pauper sit, siue diues; duplex malum est, si habeat facultates malitiæ suæ cooperantes. Inscrabilis vipera, immedicabile venenũ. Scio ego & aspides blandimentis incantantiũ mitigari,*

Aug. serm. 250. *& leones, & tygres, & pardos domita feritate mansuescere. Mulier mala, etsi iniurias patitur, etsi honorẽ accipiat, extollitur* &c. B. AVG. in sermonib. de tempore. *Contra libidinis impetum apprehende fugam si vis inuenire victoriã. Nec tibi verecundũ sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Vnde fratres carissimi ab omnibus Christianis præcipue tamen clericis, siue monachis indigna & honesta familiaritas fugienda est, quia sine vlla dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare suspectam, cito dilabitur in ruinam. Sed forte negligens quisq; & minus de animæ suæ salute solicitus respondet & dicit. Ecce ego & familiaritatem habeo mulierum & extranearum,*

Greg. lib. 11. ep. 41. *& tamen castitatis ornamenta custodio. Infelix est nimium periculosa ista præsumptio. Multi enim dum se putabant vincere, victi sunt.* S. GREG. Christanto Episcopo Spoletano. *Ex quorundam relatione cognouimus sacerdotes territorii. Nuisti cum mulieribus extraneis commanere. Pro qua re valde nos fraternitas tua contristatos agnoscat: quæ dudum talia, si tamen cognouit, minimè passa est coerceri. Sed quoniam*

niam præcipimus Defensori vt hæc debeat modis omnibus emendare. si quisquam ex eis in tali capitulo contumax voluerit apparere ad fraternitatis tuæ eum debent euocare iudicium. Ideoque sanctitati tuæ necessariò duximus scribendum, vt si quos de sacerdotibus ad tuam diœcesin pertinentibus procaces inuenerit, admonitioni sacerdotali præmissa & si res ita exegerit, etiam & canonicam adhibens disciplinam de cætero emendare festinet.

III. REM. Considera exempla eorum, qui occasione mulierum turpiter lapsi sunt, vel perierunt. Quæ commemorat B. EPHRÆM in sermone aduersus improbas mulieres & iisdem verbis Chrysostomus loco supracitato. *Leones*, inquiunt, *in lacu Danielem veriti sunt, at Naboth Iezabel occidit. Cete ventre suo Ionam seruauit: Dalila vero Samsonem septem crinibus capitis eius abrasis tradidit alienigenis. Dracones & aspides ac bestiæ cornutæ Ioannem in eremo timuerunt. Herodias verò in conuiuio ipsum decollauit. Corui Eliam in monte sustentarunt: at Iezabel ipsum post beneficium pluuiæ acceptum ad necem persecuta est.* Et paulo post. *Diabolus per mulierem à principio Adamum in paradiso peruertit, per mulierem castissimum Ioseph in carcere conclusit. Per mulierem Dauidem ad Vriam Hethæum dolo occidendum concitauit. Per mulierem sapientissimum Salomonem ad prænaricandum induxit. Per mulierem cunctos oppugnat, cunctos dedecorat, cunctos occidit.* Similiter B. HIER. ad Eustochium, de custodia Virginitatis. *Samsone leone fortior, & saxo durior, qui & vnus, & nudus mille persecutus est armatos in Dalilæ mollescit amplexibus. Dauid secundum cor Domini electus, & qui venturum Christum sancto sæpe ore cantauerat, postquam deambulans super tectum domus suæ Bethsabeæ captus est nuditate, adulterio iunxit homicidium. Vbi & illud breuiter attende, quod nullus sit etiam in domo tutus aspectus. Salomon, per quem se cecinit ipsa sapientia, qui disputauit à cedro Libani vsque ad hissopum, quæ exit per parietem, recessit à Domino, quia amator mulierum fuit Et ne quis sibi de sanguinis propinquitate confideret in illicitum Thamar sororis Amnon frater exarsit incendium* IDEM ad Ctesiphontem aduersus Pelagium scribens non dubitat affirmare & hæreses natas occasione mulierum. *Simon*, inquit, *magus hæresin condidit, Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit femineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Appelles Philomenem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator multas Ecclesias per Priscam & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas primũ auro corrupit, deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, ad vicinora transcendam. Arius, vt orbem deciperet, sororem Principis ante decepit. Donatus per Africam, vt infelices quosque fœtentibus polluerct aquis, Luciliæ opibus adiutus est. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foueam, successoremq; sui Priscillianum habuit, Zoroastris magi studiosissimum, & ex mago Episcopum: cui iuncta Galla, non gente sed nomine, Germanam huic illuc q; currentem alterius & vicinæ hæreseos reliquit hæredem. Nunc quoq; misterium iniquitatis*

Ephr. tom. 1. Chrys. hom. 14. Dan. 6. 22. 3. Reg. 21. 13. Ioan. 2. 1. Iud 16. 27. Marc. 6. 27. 3. Reg. 17 6. Gen. 3. 4. Gen. 39. 20. 2. Reg. 11. 3. Reg. 11. 7. Hier. ep. 22. Iud. 16. 15. 2. Reg. 11. 4. 3. Reg. 4 11. 2. Reg. 13. 14.

operatur. Duplex sexus vtrumq; supplantat. QVOD ad nostrum sæculum attinet LVTHERVS omnium hæreticorum parens, votis licet monasticis obstrictus, non dubitauit sanctimonialem fœminam sibi matrimonio copulare. Cuius exemplum secuti sunt omnes, quotquot nunc Lutherani Ministri, Caluiniani, Suenckfeldiani vel aliter, appellantur; summi cælibatus hostes.

Eccli.3.27. IV. REMEDIVM. Considera periculum, in quod se coniiciunt clerici vel monachi, qui contubernio mulierum carere nolunt. *Qui autem amat periculum, in illo peribit*, ait Sapiens. Hoc autem cognoscere potes primum ex eo, quod SS. Patres conuenienter cum S. Scriptura mulierem comparent cum leone, pardo, dracone, scorpione, cölubro, vrso, aliisque ferocibus animalibus, quibuscum versari summum est periculum. Hier. ep. 47. S. Hieronymus in epistola quadam de vitando suspecto contubernio, ita scribit virgini cum clerico commoranti. *Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habes quotidie, aut perire, aut vincere? Quis vnquam mortalium iuxta viperam securos somnos capit? quæ eos non percutiat, certe solicitat. Securius est perire non posse, quam iuxta periculum non periisse.* Et B. CYPRIANVS de singularitate clericorum *Nunquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec intra vnam caueam habitans cum lupo tutus est agnus.* Cyp. Matth.5.28. 2. liquet ex eo, quod Saluator noster apud Beatum Matthæum clarè denunciet, quisquis vel viderit mulierem ad concupiscendum eam iam mœchatum esse eam in corde suo. Quomodo autem non sæpe videat, qui cum ea commoratur, aut sæpe inuisit? *Sæpenumero*, inquit B. EPHRAEM in sermone de iudicio & retributione, *quis vestrum lasciuiente mente prohibente mulierem aspexit, & cogitationem sceleris admisit, præteriitq; illico. Similis est ille capreæ spiculo transfixæ, quæ cum venatorii mactus cuaserit, sagittam tamen secum in tecore gestans obiit.* Quod si tuus aspectus non sit lasciuus, non idcirco periculum euasisti. Frequenter enim mulier conspecta *ictu oculorum*, inquit B. BASILIVS scribens in Isaiam, *sagittam planè exitialem emittit; eiusmodi tandem obtinet rumor de basiliscinatura, quæ dicunt solo aspectu corrumpere suos spectatores.* 3. periculum liquet ex eo, quod ne quidem coniugati nec alii seculares semper ab eo immunes sint. *Si illi*, inquit CYP. *qui duo sunt in carne vna concreti tentationibus mutuis inuicem punguntur, quid facient hi qui in vna carne nec nati, nec iuncti sunt?* Et rursus. *Nunquam*, ait, *desideriis carnalibus spiritum cessat infestare corpus humanum, quod Apostolus affirmat dicens. Caro concupiscit, inquit, aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. hæc enim inuicem aduersantur sibi, vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Habes nunc carnem tuam, quâ superes semper. Quid tibi vis alteram velle conducere? Nemo super vnam febrem capiti adhibere peiorem: neque aliquis super eos proprium tollit insuper alienum, ne oneribus duobus oppressus vsque ad inferos demergatur.*

Cyp. lib. cit. Baſ. in c. 3. Ephr. tom. 1. Sal. 5.16.

V. REM.

V. REM. Consira, quam paradoxa sit excusatio eorum, qui pericula vel contemnunt, vel quia sperant se ab eis immunes fore, vel quia iam dudum experti sint, se ab omni lapsu immunes fuisse. At vt fuerint à lapsu grauiori, an ideo à lasciuis osculis, à choreis, quas illi vocant honestas, an ab omni petulanti contactu, an à cogitationibus impudicis? Certè S. Patres eam non admittunt. *Lubrica spes est*, ait B. Cyprianus, *quæ inter fomenta peccati saluari se sperat. Incerta victoria est, inter hostilia arma pugnare. Et impossibilis liberatio est, flammis circumdari, nec ardere. Quod Salomon non negat dicens. Quis alligabit in sinu suo ignem, vestimenta autem sua non comburet? aut quis ambulabit super carbones ignis, pedes verò non comburet? &c. Difficile quis venenum bibet, & viuet. Vtrendum est dormienti in ripa ne cadat cum dicat Apostolus. Qui se putat stare, videat ne cadat. In hac parte expedit, plus bene timere, quàm malè fidere. Et vtilius est infirmum se homo cognoscat, vt fortis existat, quàm fortis videri velit, & infirmus emergat.* Et S. BASILIVS in constitutionibus monasticis. *Quod si quis dicat ex assiduo se cum mulieribus colloquio, congressuq; & conuictu non admodum lædi, hic sine dubio, aut maris naturæ particeps non est, & portentum est quoddam insolentissimum, & præter omnium opinionẽ admirabile & in vtriusq; sexus, vt ita dicam, confinitis positum: cuiusmodi esse illos ferunt, qui nati Eunuchi sunt: siquidem hoc illis etiam velimus tribuere, quod nullo modo fœminarum libidine moueantur.* Et S. BERN. in Cantica. *Cum femina semper esse, & non cognoscere feminam, nonne plus est, quam mortuum suscitare? Quod minus est non potes, & quod maius est, vis credam tibi? Quotidie latus tuum ad latus iuuenculæ est in mensa: lectus tuus ad lectum eius in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuæ ad manus ipsius in opere, & continens vis putari? Esto vt sis, sed ego suspicione non careo.* DICENTI forte, humana quidem virtute id fieri non posse: Nemo enim potest esse continens nisi Deus dederit, posse tamen diuina & virtute, & gratia, quam quotidie in precibus implorent. Sed audiant quid respondeat B. CYPRIANVS. *Custos nobis datus est spiritus, sed vt contraria declinantibus assistendo subueniat, non vt contraria eligentibus faueat, nec vt voluntarios & pronos in aduersa confortet, sed vt ab aduersis nitentes separari confirmet. Nam quicunque pernici sit conatibus audet exercere virtutem, iuuamen non habet Spiritus sancti, qui neminem vult vltroneum virum fortem ad fraudulentas victorias coarctari, nec protegit eum quinimo, sed deserit, quem periculis irruentem per illicitos euentos exquirere triumphos agnouerit, sicut ipse iam tunc per Salomonem locutus est dicens. Amans periculum in ipso periet. Ordine suo igitur, non nostro arbitrio virtus sancti spiritus ministratur, & secundum institutum eius cælia, prosperantur. Væ, qui per præsumptionem aliquid faciunt, & non per Deum.*

VI. REMEDIVM. Considera, esto absit omne periculum, tamen non abesse scandalum. Vnde B. BAS. *Verum quod ratio non dat, inquit, hoc de-*

mus

Cyp. l. cit.

Prou. 6. 27.

1. Cor. 10. 12.

Basil. c. 4.

Bern. serm. 64.

Sap. 8. 21.

Cyp. l. cit.

Eccli. 3. 27.

Basil. cit.

mus nos in disputatione, posse videlicet aliquem existere, qui nullis libidinum aculeis pungatur. Verum esse hoc ipse sentit, qui quæso hoc ita esse, ceteris item facilè poterit persuadere? Porrò quod quis nulla proposita vtilitatis spe multitudinem scandalizet, hoc ei arbitror non vacare periculo. Et B. CYPRIANVS. *Si alicui tanta fiducia est de immobilitate propriæ firmitatis, saltem solicitus reformidet, ne ipse sit scandalum visibus alienis, sed terreatur voce Domini comminantis. Væ, inquit, huic mundo ab scandalis: veruntamen, væ homini illi, per quem scandalum venit. Si has Domini comminationes religioso corde metuimus & reueremur, plus de aliis, quam de nobis timescamus periculum nostrum qui mutuis, testante Apostolo Paulo, vtilitatibus obligamur. Non quæ sua sunt, inquit, singuli cogitantes, sed quæ aliorum. Et iterum, Ne quod suum est quærat, sed quod alterius.* Et B. HIERON. *Quod si dixeris. Et mihi sufficit conscientia mea: habeo Deum iudicem, qui meæ vitæ est testis: non curo, quid loquantur homines. Audi Apostolum scribentem. Prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Et S. BERN. *Esto vt sis,* continens, *sed ego suspitione non careo. Scandalo mihi es. tolle scandali causam, quo te præbes verum, vt sanctitas, Euangelij æmulatorem. Qui scandalizauerit vnum de Ecclesia, nonne Euangelium condemnat illum?* Et infra. *Cohabitationem, si nescis, virorum & feminarum in iis qui vouere continentiam vetat. Si non vis scandalizare Ecclesiam, eiice feminam. Alioquin ex hoc vno cetera, quæ non adeo manifesta sunt, proculdubio credibilia fiunt. Sed quo mihi, inquit, Euangelij loco monstras prohibitum illud? Euangelium appellasti, ad Euangelium ibis. Si obedias Euangelio, non facies scandalum. Prohibet enim plane Euangelium scandalum fieri, &c. Nam hoc mandatum habet ex Euangelio, non parcere nec proprio oculo scandalizanti se, non manui, non pedi, sed eruere illum, abscindere ista & proicere ab se. Si, inquit, Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*

Cyp. cit. l.
Matth. 18. 7.
Phil. 2. 4.
1. Cor. 10. 33.
Hier. ep. 47.
Rom. 12. 17.
Bern. l. cit.
Matth. 5. 29.
Matth. 18. 17.

VII. REMED. Considera pessimos effectus commorationis muliebris cum hominibus sacris, & contra, optimos singularitatis. Eos graphicè describit vnus B. CYP. his verbis. *Respicite quanta mala conuersatio promiscuitatis huius acquirat, quæ non nisi corruptionem seminat, pullulat vitia, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, lasciuiam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, ripas eripit, præcipitia instruit, periculis nauigat, naufragiis velificat, perditione gaudet, interitum fouet, confessionem meretur, thesaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accusationes inflammat, & caeruatim semel in faciem glomerans numerosas indagines captionum, per infinita dedecorum multiplices mortes inuehit in pernitiem perditorum. TOT itaque & tantas strages calamitatis & pessimæ conuersationis, nemo prosternit, nemo calcat, nemo funestat, nisi singularis castitas sola, quæ munimen inuictum est sanctimoniæ & expugnatio fortis infamiæ, fortitudinis firmitas, & lasciuæ petulantis infirmitas, probitatis præsidium, & improbitatis excidium, animæ victoria, & corporis præmia, vbertas gloriarum, & sterilitas criminum, pronuba sanctitatis, & repudium turpitudinis, sinceritatis indicium, & abolitio scandalorum, &.*

Cyp. l. cit.

VIII. RE-

VIII. REMED. Considera dignitatem status Ecclesiastici, & monastici, quamq; dedeceat in eorum domiciliis exercitia muliebria videri. Hoc antidotum non omisit idem Cyprianus, *Contenti estote*, inquit ad Clericos, *singularitatem laboriosam pro pudore seruando potius sustinere, quam sine labore ad dedecus peruenire. Contemplamini, quid sit populo sancto praesse, & considerate quale sit diuinis sacramentis insistere. Altaribus placere debent, qui de altaribus viuunt, & talis conuenit cura sinceritatis sacratis, qualia sunt sacra ipsa, quibus exhibent officia seruitutis: ne circa Dominum offendant ipsi, quod tractant, aut circa populum incipiant impedire, quod praedicant. Propter quod Paulus Apostolus sic testificatur. Et omnis, inquit, sustinemus, ne quod impedimentum demus Euangelio Christi. Et iterum. Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. Hac igitur institutione vobis quam plurimum laborandum est, de iis, quibus ad manifestandam grauitatem singularitas magis quam pluralitas testis vera est.* Et multo ante. *Quando libera non est simplex reuerentia, quid illic geritur, vbi libertatis sumit mulier in contubernalitate constantiam, quando in domesticis negotiis, nunc lacertos ac femora lanificis operibus nudat, nunc aestuans detegit membra, nunc fatigata iactatur, aut in risum aliquando dissoluitur? nunc blanditias exhibet & quod est venenosius super cunctia psallere delectatur, aut canere? cuius cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. Contra quam Salomon sic nos cautos efficit dicens. Cum saltatrice noli assiduus esse, nec audias illam, ne forte dispereas in efficatia illius. Taceo reliqua, quae magis pudenda sunt, quàm dicenda.* Et CHRY. in sermone contra clericos qui sorores adoptiuas secum habent. *Quale est si in domum viri solitarij itur, videre calceos muliebres suspensos, & cingula & mithras, calathiscos, & circulos, & pectines, & fusa & alia, quae particulatim omnia numerare non datur. Sin autem vlterius de his quaeseris, plurimus est risus. Primum quidē in puellarum tanta turba solus paciscitur, quasi choraules in orchestra, qui in choro mulierum saltantium concinit, quo quid turpius & inhonestius? Deinde disrumpitur tota die familiaribus succensens obres quae ad mulieres spectant, &c.* multa.

Cyp.l.cit.

1.Cor.9.12.
2.Cor.6.3.

Eccli.9.4

Chryſ.

IX. REMED. Considera, etiamsi canones Ecclesiastici, ex Concilio Nicæno, Carthaginensi & aliis, clericis indulgeant cum quibusdam mulieribus commorationem, vt cum matre, auia, amita, matertera, sororibus filiabus fratrum aut sororum, earumque similibus, (*in quibus naturale foedus*, vt loquitur INNOCENTIVS III. *nihil permittat saeui criminis suspicari*) tutius tamen & consultius esse ab omni femineo contubernio, quoad fieri possit abstinere, exemplo D. AVGVSTINI de quo POSSIDIVS ita scribit. *Feminarum intra domum eius nulla vnquam conuersata est, nulla mansit, nec quidem germana soror, quae vidua Deo seruiens multo tempore vsque in diem obitus sui praeposita ancillarum Dei vixit. Sed neque patrui sui filiae, & fratris sui filiae, quae pariter Deo seruiebant: quas personas sanctorum Episcoporum Concilia in exceptis ponebant. Dicebat verò, quia etsi de sorore, & neptibus secum commorantibus nulla nasci*

C.Nic.can.3.
C.Carth.3.c.17.

C.à nobis de cohab.cle.

Possid.in vita c.26.

possit mala suspicio, tamen quoniam illæ personæ sine aliis necessariis secumq; manentibus feminis esse non possent, & quod adeas etiam aliæ à foris intrarent, de iis posse offen-

Greg.l.9. ep.39. *diculum aut scandalum infirmioribus nasci, & illas, qui cum Episcopo, vel quolibet clerico forte manerent, ex illis omnibus feminarum personis vna commorantibus, aut aduentantibus tentationibus humanis posse perire, aut certe malis hominum suspicionibus pessimè diffamari. Ob hoc ergo dicebat nunquam debere feminas cum seruis etiam iustissimis in vna manere domo.* IDEM consuluit multis B. GREG. in epistola ad Romanum defensorem & alios. *Si qui*, inquiens, *Episcoporum quos commisi tibi patrimonii finis includit, cum mulieribus degunt, hoc omnino compescas, & de cetero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis, quos sacrorum canonum censura permittit, id est, matrem, amitam germanam, & alias huiusmodi, de quibus prauum non possit esse suspicio. Melius tamen faciunt, si etiam à talium se cohabitatione continent. Nam legitur quod Beatus Augustinus nec cum sorore habitare consenserit, dicens. Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Docti ergo viri cautela magna nobis debet esse instructio. Nam incautæ præsumptionis est, quod fortis pauet, minus validum non timere, sapienter enim illicita superat, qui didicerit etiam vti non concessis.*

Hier.ep.4. Sic B. HIERONYMVS Rustico monacho suadet, ne vel matri cohabitet.

X. REMED. Considera, quid SS. Patres faciendum consuluerint, cum

Cyp.l.cit. necessitas incidit adeundi feminas, siue clerico siue monacho. B. CYPRIANVS ita loquitur. *Sunt equidem necessitates aliæ, quæ nos quoque priuatim feminas videre compellant, sed etiam ipsi diuini operis vel præcepti imperant efficaciam, vt visitemus, vt solatia præbeamus, vt hortamenta vitalia salubriter inuitemus: nec tamen & in his officiis minor cura agenda est pro moribus nostris, vt clarescant in nostra operatione indicia puritatis. Seueritas non desit, quæ sub clerico feminam possit astringere, vt ipsam consolationem nostram suscipiat cum tremore, & ita sentiat visitationis affectum, vt clericum veneretur. Ac ne tardius sit enagari per singula totum quicquid agimus, honestum esse potest, si semper in nobis signa honestatis eluceant; sicut Paulus Apostolus vniuersa complexus est dicens. Omnia vestra honeste fiant.*

2.Cor.14.40. Et sub finem. *Si quis autem modo professione cogente, apud fratres, vel apud extraneos hospitatur, vbi mulieres inter sunt, omnino se arctet, ne passibilitate aliqua vitietur. Semotus ac secretus Deo vacet & sibi, ne intus capiatur à diabolo, & qui foris capi non potuit, apud suos cadat. Qui hostes effugit, ad tempus pro salutaribus carnis procedat ad faciem, & iterum discedere de conspectu festinet. Vbique gustanda est cum mulieribus, non continuanda præsentia, sed quasi transeunter feminis exhibenda est accessio*

Bas.c.4. *quodammodo fugitiua.* S. BASILIVS in constitutionibus monasticis. *Danda est opera, vt si fieri possit mulierum colloquia congressusque funditus fugiamus. Sin id non possit, in eo enitendum est certè, vt quam rarissima illa, & quam breuissima fiant: neque id ex odio sexus, apage, neque vt qui cognationem illarum abregemus: quin potius earum etiam patrocinium suscipiamus, &c. congressum tamen de fugia-*

mus

mus, ne ex ipsarum aspectu in memoriam eius, cuius semel nuncium remisimus, libidinis, redire cogamur. S. AMBROSIVS de clericis sic cauet. *Viduarum ac virginum domos, nisi visitandi gratia, iuniores adire non est opus: & hoc cum senioribus, hoc est, vel cum Episcopo, vel si grauior est causa, cum presbyteris. Quid necesse est, vt demus secularibus obtrectandi locum? Quid opus est, vt illæ quoque visitationes crebræ accipiant auctoritatem? Quid si aliqua illarum forte labatur? cur alieni lapsus subeas inuidiam? Quam multos etiam fortes illecebra decepit? Quid nobis cum alienis domibus? Vna est domus, quæ omnes capit. Illi potius ad nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Ministerium altaris Christi, non obsequium hominibus deferendum recepimus.* S. HIERONYMVS ad Nepotianum. *Si propter officium clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Solus cum sola, secretò & absque arbitrio vel teste non sedeas. Si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem maiorem domus, virginem, viduam, vel maritatam: non est tam inhumana, vt nullum præter te habeat, cui se audeat credere* De S. AVGVSTINO ita Possidius. *Si forte ab aliquibus feminis, vt videretur, vel salutaretur, rogabatur, nunquam sine clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis vnquam est locutus, nisi secretorum aliquid interesset. In visitationibus verò modum tenebat ab Apostolo definitum, vt non nisi pupillos & viduas in tribulationibus constitutas visitaret. Et si forte ab ægrotantibus ob hoc peteretur, vt pro eis in præsenti Deum rogaret, eisque manus imponeret, sine mora pergebat. Feminarum autem monasteria non nisi vrgentibus necessitatibus visitabat.*

Amb. offic. c. 20.

Hier. ep. 2.

Possid. in vita c. 26. & 27.

XI. REMED. Considera miserabilem exitum quorundam Clericorum qui in concubinatu vitam traduxerunt. Vnum sit omnium instar, quod PETRVS Venerabilis Abbas Cluniacensis S. BERNARDI æqualis, suo tempore accidisse refert in libris miraculorum. *APVD Castrum Lizinacum*, inquit, *quod in Pictauensi pago situm est, nuper quidam presbyter erat, qui sacerdotalis ordinis super cœlestem dignitatem miserrimæ vitæ conuersatione deturpans, non ad animarum, quibus præerat curam, sed ad carnis suæ voluptatem explendam sacro ministerio vtebatur. Qui iuxta Prophetam lac gregis sui comedens, & eius se lanis operiens absque vlla spe æternorum mercedibus mercenarii auidissimè pascebatur. Mundissimam atque omnia mundantem CHRISTI carnem & sanguinem in altaris sacramento frequenter officio, non deuotione sumebat, nec ab immundis tamen carnis operibus sese cohibebat. Cumque vt sus immunda multo tempore in cœno luxuriæ versaretur, & sui ipsius fœtoribus delectaretur, territus conscientiæ malo (sicut aliquando & mali ad horam compunguntur) familiaritatem quorundam bonorum virorum expetiit, & Abbati Bonæualis ac fratribus eiusdem monasterii se in amicitiam specietenus copulauit. Qui longo tempore cum de vitæ emendatione commonentes, & vt sæculo renunciaret assiduè exhortantes, nihil ab eo impetrare præter inanem spem aliquando potuerunt.*

1. Tim. 5. Iac. 1. 27.

P. Cluniac. lib. 1 c. 25.

Ezech. 34.

Nam libenter quæ dicebant, audire se, fingens, & semper eos de conuersione sua tendere, de societate sanctorum illorum gloriabatur, nec admonitione, vel exemplis eorum à malis retrahebatur. In his atque aliis perditæ atque perdendæ vitæ suæ actibus perdurans & obstinatione impia iram sibi in die iræ thesaurizans in morbum incidit, quo post aliquot dies ingrauescente ad extrema peruenit. Adierat eum visitationis gratia Prior dicti monasterii atq; cum eo aliquantum dici spatium, ipso quoq; rogante, permansit. Et ecce nocte superueniente, cum cunctis discedentibus solus lecto eius assideret, clamare terribiliter æger ille ad Priorem cœpit. Succurre, ita, succurre, ecce duo super omnem feritatem expauescendi Leones in me impetum faciunt hiante ore ac ritu ferocissimo frustra discerpturi me totum consumere volunt. Deprecare citò Dominum, vt ab his eripiar, antequam morsibus eorum consumar. Dicebat hæc & tremebat, ac velut deuoraturos fugiens timore defecto corpori vires addente, retro cedebat. Prior verò vocibus illius ac gestus terrore turbatus, non sine multo & ipse timore erat: ad preces tamen ipsa necessitate impellente conuersus pro misero illo, vt poterat, Dominum exorabat. Quo orante, mutata voce æger. Bene, inquit, bene: recesserunt crudeles bestiæ, & per orationes tuas iam vltrà nusquam apparent. Et quia vsque ad vltimum spiritum semper compos sui extitit, (nec vt quidam morientium solent, vel in modico sensu immutatus fuit) conuersus ad Priorem, loqui cum eo de quibuslibet velut sanissimus cœpit. Cumq; tam de his, quam de aliis multa inter se verba conferrent, hora fere vnius spatio elapso, rursus inclamare longè terribilius, quam primo, exorsus est. En, inquit, en ignis de cælo, vt torrens inundans descendit, & super hunc meum lectum veniens iam iam me in fauillam vsque comburet. Festina, adiuua, ora, si forte & ab hac morte eripi valeam. Et hæc dicens manibus & brachiis opertoria subleuabat, eaq; velut aliquid iuuare possent, insibilibus ignibus turbatus opponebat, sed ne quicquam: non enim corporalia tegumina à spiritualibus incendiis tegere poterant, quem cœlesti vindictæ impia opera exponebant. Prior adaucto timore denuo ad orationem conuertitur, & quantum in tali casu possibile erat, Domini misericordiam deprecatur. Illo, vt supra, orationi instante post paululum patiens gratulationis vocibus preces eius interrupit dicens. Quiesce, iam abigutus sum: nam dum super me, vt dixi, cum impetu descenderet, interpositus est ignis, vsque ad quem ignis peruenit, sed cum transire non potuit. Iam & ab isto periculo ereptus, oro ne à me discedas, quousque quis istorum finis futurus sit agnoscas. Tum Prior qui tam timore, quam hospitandi necessitate recedere volebat, substitit, & ab oratione surgens rursum ei assedit. Cumq; eum tantis terroribus anxium consolaretur, & verbis adiuuaret, vt prius, colloqueretur, subito ægrotus ad inuisibilia raptus obmutuit. Prior raptum eum ab humanis intelligens rei exitum præstolabatur. Cum ecce post multum noctis spatium homo ad se rediit, & miserabiliter ingemiscens ait. Ha, ha, ad iudicium æternum raptus sum: & heu miser, æterna morte damnatus sum. Tradi usque horrendis cruciatibus, igne inextinguibili cum diabolo & Angelis eius perpetuò cruciandus. Ecce, ecce ignita sartago plena ardente adipe, quam coram me tormentorum ministri detulerunt, eamq; ad me figendum vndiq; succenderunt. Et cum Prior orationi, sicut

iam

iam bis fecerat, tertio quoque incubuisset, ille ait. Cessa cessa pro me orare, nec pro illo vltra fatigeris, pro quo nullatenus exaudieris. Priore verò dicente. Frater redi ad cor, & misericordiam, dum adhuc viuis, à Deo require: ille adiecit. Putas ait, me vt insanum loqui? Non insanio, sed sana mente, quæ dixi confirmo. Et cucullam Prioris manu tenens eum interrogauit. Nonne hoc, quod manu teneo, cuculla tua est? Quo respondente, est: adiunxit. Sicut hæc vestis cuculla est? & sicut hoc, quod mihi substratum est, palea est: sic & hoc, quod coram cerno, ignita sartago est. Et dum hæc loqueretur, gutta inuisibilis ignis de illa, quam dicebat, sartagine exiens, in manum eius. Priore vidente, cecidit. Et mirabile dictu, cutem & carnem vsq; ad intima ossa consumpsit. Tum ille acri cum gemitu Eu, inquit, indubia rei probatio. Nam sicut ista, quam vides, de sartagine prolapsa gutta carnis partem consumpsit: sic confestim totum me ignea vorago consumet. Priore ad ista stupente iterum dixit. Ecce sartaginem istam ministri infernales propius afferunt, vt me in illam coniiciant, iam namq; manus adaptant. Et post modicum. Ecce linteum, in quo iaceo, vndiq; concurrentes accipiunt, & me in ignitam sartaginem æternam fixuram proiiciunt. Hoc velut vltimum valeo mox vt Prior, atq; his, qui ad hoc horrendum spectaculum conuenerant dixit, subtracta voce, ac reflexa ceruice puniendum Spiritum condemnatis spiritibus tradidit. Tantus verò terror omnes inuasit, vt illico vniuersi aufugerent, neque aliqui in domo, vbi cadauer mortis remanserat, remanere auderent. Facto mane miserum cadauer sepulturæ mandatum est. Post aliquot autem dies, cum ad vniuersos circa positos hæc tam terribilis fama peruenisset, rei veritatem probare volentes tumulum aperuerunt, atque fossam illam, quæ in manu presbyteri adhuc viuentis gutta præsumtæ damnationis fecerat, in mortui cadauere inuenerunt Hæc Petrus. Plura huius generis, & vetustiora exempla habes apud Petrvm Damiani Cardinalem tomo primo nuper edito; vt epistola tertia & octaua libri quarti, & 16. libri quinti.

Vide *Consuetudo praua. Exemplum malum. Familiaritas nimia. Luxuria. Præsumptio. Societas praua. Tentatio. Voluptas carnis.*

MVNERVM CORRVPTELA.

Remedia contra munerum corruptelam.

I. Remed. Considera oracula Spiritus sancti de acceptione munerum, maximè si fiat à iudicibus, aduocatis & aliis iustitiæ patronis. Primò enim vetat hanc acceptionem, eo quod noxia sit accipienti. Vt in Exodo. *Nec accipies, inquit, munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Et in Deuteronomio. *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* Et in Numeris. *Non* Exod. 23. 8. Deut. 16. 19. Num. 35. 31.

Iob.36.18. Prou.17.23. *accipe is pretium ab eo, qui reus est sanguinis.* Et in Iob. *Ne multitudo donorum inclinet te.* Et in prouerbiis. *Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semita iudicij.* Et iterum. *Victoriam & honorem acquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipientium.* Et. *Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit: iste & pro buccella panis deserit veritatem.* Et in Ecclesiastico. *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Et. *Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum.* 2. execratur munerum acceptores, & pœnam eis comminatur, vt in Deuteronomio. *Maledictus*, ait, *qui accipit munera, vt percutiat animam sanguinis innocentis, & dicit, omnis populus, Amen.* Et in Iob. *Ignis deuorabit tabernacula eorũ, qui munera libenter accipiunt.* Et in Isaia. *Væ, qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* Et in epistola B. Iudæ. *Væ illis* (hæreticis) *quia errore Balaam mercede effusi sunt*, id est, in omne facinus prolapsi instar Balaam, qui mercede conductus fuit vt malediceret populo Israhel. Contra promittit Spiritus sanctus vitã æternam iis, qui nolunt accipere munera. Vt per Salomonem dicentem, *Qui odit munera, viuet.* Et per Isaiam. *Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius.*

Deut.27.25. Iob.15.34. Isa.5.23. Num.22.23. Prou.15.27. Isa.33.15.

Basil.in c.1. II. REMEDIVM. Considera SS. Patrum eloquia. S. BASILIVS in Isaiam. *Quanam alia causa coarguuntur Principes hoc loco, diligentes munera, non item accipientes munera? (multis enim in hac vita pro exhibito officio decenter conferuntur munera) nisi quia notantur ij, qui immodica cupiditate accipiendi exintabescunt, & totam suam dilectionem effundunt in hæc euanida & terrestria, cum potius eam deberent effundere in Deum toto corde diligendum. Sane ob id immodicam illa acquirendi cupiditas efficitur idololatria. Iussi autem sumus non diligere munera, sic vt horum causa non sinamus aliqua fieri ab adeuntibus nos ex iis, quæ lege interdicta sunt. In vniuersum enim huiusmodi munera scriptura non permittit nobis diligere, nec circa ea indulgere affectibus.* S. HIERONYMVS in eundem, ad verba omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. *In Catalogo vitiorum numerantur etiam hi, qui diligunt munera. Non dixit, qui accipiunt: hoc enim sæpe necessitate fit: Sed qui non putant amicos, nisi à quibus dona perceperint: nec os considerant amicorum, sed manus: & eos sanctos iudicant, quorum exhauriunt marsupium, de quibus & Ecclesiastes loquitur. Qui diligit pecuniam, non implebitur pecunia. Istiusmodi sequuntur retributiones, vt laudent eos, à quibus aliquid acceperint, vel certe nulli quippiam tribuant, nisi à quo se recepturos putauerint.* S. AVGVSTINVS in Psalmum vigesimum quintum. *Munera, non solum pecunia est, non solum aurum & argentum, non solum xenia sunt, &c. Sed quid est accipere munera? Propter munera laudare hominem, adulari homini, palpare blandiendo, iudicare contra veritatem propter munera. Propter quæ munera? Non solum propter aurum & argentum, & huiusmodi aliquid, sed etiam propter laudem qui iudicat male munus accipit, & munus, quo nihil vanius. Patuit enim illis*

Hier.in c.1. Isa. Eccl.5.9. Aug.enarr.2.

manus

manus ad accipiendum iudicium linguæ alienæ, & perdidit iudicium conscientiæ suæ. Ergo in quorum manibus iniquitates sunt, dextra eorum repleta est muneribus. B. Greg. c. 26. Isa. 33. 15. Greg. lib. 9. Moralium. *Rectè de iusto per Prophetam dicitur Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere. Quia enim non solum fraus in acceptione pecuniæ est, munus procul dubio vnum non est. Tres vero sunt acceptiones munerum, ad quas ex fraude festinatur. Munus namque à corde est, captata gratia à cogitatione. Munus ab ore, est gloria per fauorem. Munus ex manu est præmium per dationem. Sed iustus quisq; ab omni munere manum excutit, qui a in eo, quod rectè agit, nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem nec à manu recipere donationem quærit.* P. Blesen. ep. 10. Petrvs Blesensis ad Sacellanum regis Siciliæ. *Peremptorium est in Principe vel auram adorare munerum, vel fauorem quærere personarum, teste siquidem Propheta, in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* Psal. 25. 10. *Transibunt verò iniquitates in pœnam, & munera in dolorem: quia testimonio Iob,* Iob. 15. 34. *ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.*

III. Remedivm. Considera exempla sanctorum, qui munera accipere renuerunt. Primus est propheta Samuel, qui iam senex vniuersum Israel, vt est in prima Regum, sic allocutus est. *Loquimini de me coram Domino, & coram CHRISTO eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis. Et dixerunt. Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam. Dixitque ad eos: Testis est Dominus aduersum vos, & testis CHRISTVS eius in die hac, quia non inuenietis in manu mea quippiam. Et dixerunt. Testis.* 1. Reg. 12. 3. Cur autem Samuel speciatim se purget de hoc vitio accipiendi munera, illa causa videtur, quia Prælatorum improborum ferè proprium hoc crimen est, quod laborent auaritia, & diligant munera. Quod non obscure indicauit Isaias cum arguens ciuitatem Hierosolymorum, postquam dixit. *Principes tui infideles, socij furum,* mox subiicit. *Omnes diligunt munera.* Isa. 1. 23. Hanc causam reddit B. Gregorius, dum exponens verba Samuelis ait. *Cum reprobi pastores præsunt, principale eis præpositum est in rapina subditorum. Quia enim æternorum bonorum abundantiam aspicere nesciunt: quo præsentia ardentius concupiscunt, eo auidius oblata recipiunt, non oblata violenter tollunt, innocentibus insidiantur, debiles opprimunt, munera accipiunt, iuraque pertuertunt.* Greg. l. 5. c. 2. in 1. Reg. Secvndvs est, Propheta Eliseus, cui, cum Naaman princeps militiæ regis Syriæ, vt est in quarto Regum, ob mundationem à lepra eius studio impetratam, grati animi ergo magna munera offerret, respondit. *Viuit Dominus, ante quem sto, quia non accipiã. cumq; vim faceret, penit⁹ non acquieuit.* 4. Reg. 5. 16. Et paulo post subditur. *Dixitq; Giezi puer viri Dei. Naamã iam digresso. Dominꝰ meus misit me ad te dicẽs. Modo, venerũt ad me duo adolescẽtes ex filiis Prophetarũ,* v. 20.

da eis

da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices. Dixit q; Naaman. Melius est, vt accipias duo talenta. Et coegit eum. Et regresso dixit Elisaeus. Vnde venis Giezi? Qui respondit. Non iuit seruus tuus quoquam. At ille ait. Nonne cor meum in praesentia quando accepisti argentum & vestes vt emas oliueta, & vineas, &c. Sed & lepra Naaman adhaerebit tibi, & semini tuo, vsq; in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus

Amb. lib. 4. c. 4. *quasi nix.* Quam historiam tractans B. AMB. in Lucam. *Disce,* inquit, *congrua*

Matth. 10. 8. *praecepta virtutis: probauit fidem, qui praemia recusauit. Disce vtroq;, dictorum factorumq; mysterio quid sequaris. Habes Domini praeceptum, vatis exemplum, gratis accipere, gratis dare, nec vendere ministerium, sed offerre. Non enim pretio taxatur Dei gratia, nec in Sacramentis lucrum quaeritur, sed obsequium sacerdotis. Non tamen sacrum est, si lucrum ipse non quaeras: familiae quoque cohibendae manus sunt, &c. Si quis autem domui suae praesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit? Institue ergo familiam tuam, hortare, custodi: & si te fefellerit seruulus (humanam enim non excipio facultatem) prophetico deprehensus repudietur exemplo. Cito turpem sequitur lepra mercedem, & pecunia corpus animumque male quaesita commaculat. Accepisti, inquit, pecuniam, & possidebis ex ea agrum & vineas, & oliueta & greges & lepra Naaman adhaerebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum. Vides quia facta auctoris successio damnatur haeredis. Inexpiabilis est enim venditi culpa mysterii, & gratia vendita*

Dan. 5. 16. *caelestis transit ad posteros,* TERTIVS est propheta Daniel, cui cum Babyloniorum rex Baltassar dixisset. *Audiui de te, quod possis obscura interpretari, & ligata dissoluere: si ergo vales scripturam legere, & interpretationem eius indicare mihi purpura vestieris, & torquem aureum circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo princeps eris. Ad quae respondens Daniel, ait coram rege. Munera tua sint tibi, & dona domus tuae alteri da: scripturam autem legam tibi, rex, & interpretationem eius*

Hier. in c. 5. Dan. Matth. 10. 8. Dan 2. 48. *ostendam tibi.* In quae verba ita commentatur B. HIER. *Aemulemur Danielem regis dignitatem & munera contemnentem: qui absq; pretio proferens veritatem, iam illo tempore praeceptum Euangelicum sequebatur. Gratis accepistis, gratis date.* Si obiicias illum recepisse munera, & nunc à Baltassare, & alias à Nabuchodonosore. Respondeo, recepisse sed inuitum, vel certe nutu diuino. *Acceptis autem,* subdit ibidem Hieronymus, *insigne regium, torquem & purpuram, vt Dario qui erat successurus in regnum fieret notior, & per notitiam honoratior.* Et supra ad caput secundum dicit idem obiecisse vel calumniatum esse impium Porphyrium. *Non considerans,* inquit, *ideo regem vidisse somnium, & interpretationis mysteria per puerum reuelata, vt Daniel crescere, & in loco captiuitatis*

Gen. 41. 40. Esth. 8. 15. *princeps fieret omnium Chaldaeorum & Dei omnipotentia nosceretur. Quod quidem & in Ioseph apud Pharaonē, & Aegyptum factum legimus. Et in Mardochaeo apud Assyrum, vt in vtraque gente haberent captiui & peregrinantes Iudaei solatia, videntes hominem gentis suae Aegyptiorum esse principem, vel Chaldaeorum.* Haec ille. QVARTVS est, Apostolus Paulus, qui non modo munera gratis oblata, sed etiam stipendia, iure naturae, legeque Dei tam veteri quam noua, (vt ipse

multis

multis verbis in priore ad Corinthios probat) sibi debita repudiauit, imo ibidem declarauit se potius fame mori malle, quam ea ob labores prædicationis acceptare. Nam in primis maiores notu Ecclesiæ Ephesiorum, apud quos triennium integrum noctu diuq; in prædicatione Euangelica posuerat, vt est in Actorum Apostolicorum historia, ita allocutus est. *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Et in prima Epistola ad Corinthios protestatur se non vsum potestate accipiendi stipendium, quantumuis multis nominibus iustissima. Et in altera ad eosdem addit, se nec voluisse vti in magna inopia. *Cum essem,* inquiens, *apud vos & egerem, nulli oneriosus fui: nam quod mihi deerat suppleuerunt fratres, qui venerunt à Macedonia, & in omnibus sine onere me vobis seruaui, & seruabo. Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ.* Deinde in priore ad Thessalonicenses sic scribit. *Memores estis fratres laboris nostri & fatigationis nocte ac die operantes, ne quem vestrum grauaremus prædicauimus in vobis Euangelium Dei. Vos testes estis, & Deus quam sanctè, & iustè, & sine querela vobis, qui credidistis fuimus.* Atq; in posteriore. *Ipsi scitis,* inquit, *quoniam non gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus.* QVOD Pauli exemplum alicubi admiratus GREG. Magnus. *Pensemus ergo,* inquit, *si possumus, cuius hoc mansuetudinis fuerit, panem spiritus prædicare & panem carnis non accipere, corda audientium de diuitiis æternis instruere, & inter eosdem discipulos fideles & abundantes fame laborare, inter satiatos pati inopiam, nec tamen quod patiebatur dicere, nec tamen dolere: videre dura erga se corda audientium tenacium, nec à prædicatione desistere. Nam sicut Apostolorum Acta testantur, anno & sex mensibus continuè in eadem ciuitate prædicauit. &c. Verè in hoc Paulus, vere magister gentium: sua negligens, aliena curans, impleuit quod prædicauerat. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Et non quæ sua sunt singuli cogitantes, sed ea quæ alterius.*

1.Cor.9.7.18. Deut.25.4. Matth.10.10. Act.20.33. 1.Cor.9.15. 2.Cor.11.9. 1.Thess.2.9. Act.18.11. 2.Cor.11.9. 1.Cor.10.24. Phil.2.4. Greg.hom.18. in Ezech.

IV. REMED. Considera CAVSAS Paulini huius facti, quas Apostolus locis iam allegatis reddit complures. I. est in Actis. *Quoniam,* inquit, *sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini IESV, quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare, quam accipere.* 2. Est in 1. epist. ad Corinthios. *Omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi* id est, ne cursum prædicationis nostra culpa retardemus, vt exponit Chrysostomus & Theodoretus. 3. ibid. vt plures lucrifaceret. *Cum liber,* inquit, *essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem.* 4. ibidem, vt Particeps fieret mercedis in Euangelio promissæ. *Omnia* inquit, *facio propter Euangelium, vt particeps eius efficiar.* Ita Sedulius & B. Anselmus. 5. in 2. epist. Vt pseudo apostolis omnem ansam se calumniandi præriperet. *Quod autem facio,* inquiens, *& faciam* (hoc est, gratis prædicabo Euangelium) *vt amputem occa-*

Act.20.35. 1.Cor.9.12.19.23. 2.Cor.11.

sionem eorum, qui volunt occesionem, vt in quo gloriantur (se gratis prædicare) inueniantur sicut & nos. Nam eiusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli, fingentes

2. Thess. 2. 9. 2. Thess. 3. 8. scilicet se gratis prædicare, cum sint diuites, inquit Oecumenius. 6. est in vtraq; ad Thessalonicenses, ne quenquã grauaret. Solent enim homines auari ægrè persoluere stipendia quæ debentur parochis & concionatoribus. vel quia arbitrantur eos non indigere, vel quia credunt labores

1. Thess. 5. 9. eorum esse exiguos. 7. ibidem, vt bonum exemplum aliis darent, quod imitarentur. *Vt nosmetipsos,* inquit, *formam daremus vobis ad imitandum nos.* Harum causarum consideratio idcirco proposita est, quod te æquè ac Apostolum deterrere poterunt ab accipiendis muneribus pro concionum, Confessionum, Missarum, aliorumque Spiritualium operum labore.

V. REMED. Assuefac te ad minora etiam munera respuenda, vt

Hier. in eius vita. hoc longius absis à suspicione auaritiæ, vel etiam turpioris amoris. Exemplum habes B. HILARIONIS toto orbe ob miracula facta clarissimi, de quo B. HIER. ita scribit. *Hoc initium signorum eius in Sicilia (* ejecerat autem dæmonem ex quodam scrutario) *innumerabilem ad eum deinceps ægrotantium, sed & religiosorum hominum adduxit multitudinem, in tantum, vt de primoribus quidam tumens morbo interciis, eodem die quo ad eum venerat, curatus sit: qui post ea*

Matth. 10. 8. *offerens ei infinita munera, audiuit dictum Saluatoris ad discipulos: Gratis accepistis, gratis date. Dum hæc ita geruntur in Sicilia, Hesychius discipulus eius toto orbe senem quærebat, &c. & in quadam curuli lictoris vilicula famam senis sctisitatus, consona vice omnium cognouit, vbi esset, quid ageret: nihil in eo ita cunctis admirantibus, quam*

Rien. ep. 2. *quod post tanta signa atque miracula, ne fragmen quidem panis à quoquam in illo locis accepisset.* Idem in epistola ad Nepotianum depingens vitam Clericorum, *Caueto,* inquit, *omnes suspiciones, & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita. Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas & vestes ori applicitas & oblatos ac degustatos cibos, blandasque & dulces litterulas sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delicias & lepores, & risu dignas*

Act. 20. 34. *verbanitates, & cæteras ineptias amatorum in comœdiis erubescimus & in seculi hominibus detestamur, quanto magis in monachis & clericis, quorum & sacerdotium proposito, & propositum ornatur sacerdotio.* Et in fine epistolæ. *Nunquam petentes, rarò accipiamus rogati. Beatius enim est, magis dare quam accipere. nescio enim quo modo etiam ipse, qui deprecatur vt tribuat, eum acceperis, viliorem te iudicat: & minum in modum, si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur.* Exempla spretorum etiam exiguorum munerum, duo illustria refert B. BERN. in libris

Bern. l. 4. de consideratione ad Eugenium Papam. *Dignum nunc,* inquit, *ad medium venire factum dulcis memoriæ Martini nostri. Nosti hoc: sed an memineris ignoro. Is Cardinalis Presbyter, functus aliquando legatione in Dacia tam pauper remeauit, vt penè expensis & equis defatigatibus vix perueniret Florentiam. Ibi Episcopus loci dedignatus

nauit ei equum, quo Pisas vsq; vbi eramus, tunc pernectus est. Postridie credo secutus Episcopus, (*erat enim illi causa cum aduersario, & agendi erat dies*) *cœpit requirere suffragia amicorum. Cumq; per singulos solicitaretur, ventum est ad Martinum. Fiducia erat maior in illo, qui non posset immemor esse recentis beneficii. Tum Martinus. Decepisti me, inquit, nesciebam tibi immunere negotium. Tolle equum tuum: ecce in stabulo est, & hora eadem resignauit illi. Quid dicis mi Eugeni? Nonne alterius seculi res est, reliſſe Legatum de terra auri ſine auro, transisse per terram argenti, & argentum nescisse donum insuper, quod poterat esse suspectum illicò reiecisse?* Deinde subdit alterum exemplum. *Sed ô mihi locum suauem, vbi incidit occasio memorandi & nominandi suauissimi odoris virum, Episcopum loquor, Gaufredum Carnotensem, qui legationem in partibus Aquitaniæ propriis sumptibus strenuè administrauit, idq; annos plures. Rem loquor, quam vidi ipse. Eram cum eo in terra illa, cum à quodam præsbytero præsentatus est illi piscis, quem vulgo vocant sturgionem. Percunctatus Legatus, quanti venierit. Non accipio, inquit, nisi receperis precium, & resignauit solidos quinque inuito & verecundo. Item cum essemus in quodam oppido Domina illius oppidi obtulit ei pro deuotione cum manutergio duas vel tres paropsides pulchras, ligneas tamen. Quas aliquandiu intuens homo scrupulosæ conscientiæ, laudauit eas sed non acquieuit accipere. Quando argenteas recepisset, qui ligneas refutauit? non fuerunt, qui possent legato dicere. Diuitimus Abraham.*

VIDE. V. *Auaritia. Personarum acceptio. Simonia.*

MVRMVRATIO.

Remedia contra Murmurat.

I. REMED. Considera diuinæ scripturæ sententias. Primo enim dehortatur à murmuratione. *Custodite vos,* inquit Sapiens, *à murmuratione, quæ nihil prodest.* Et Christus apud Ioannem. *Nolite murmurare in inuicem.* Et B. Paulus ad Corinthios. *Neq; murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Et ad Philippenses. *Omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus vt sitis sine querela, & simplices filii Dei.* Et B. Petrus. *Hospitales inuicem sine murmurationibus.* 2. declarat murmur contra superiores, fieri contra Deum. Nam Moyses in Exodo sic loquitur. *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Et in Numeris. *Vsquequo multitudo pessima murmurat contra me?* 3. declarat murmuratores grauiter à Deo punitos. Nam in lib. Num. legimus Moysis sororem Mariam ob murmur lepra percussam: Dathan & Abiron viuos terræ hiatu absorptos. Chore igni consumptum: ignitos serpentes in Populum immissos, extremam castrorum partem ab igne deuoratam, ac denique maiorem filiorum Israhel partem ingressu terræ promissionis exclusam in deserto periisse. Apostolus quoque Iudas hæreticos, de quibus futuris

Sap. 1. 8.
Ioan. 6. 43.
1. Cor. 10.
Phil. 2. 14.
1. Pet. 4. 9.
Exo. 16. 8.
Num. 14. 27.
Num. 12. 10
Num. 16 31.
Num. 21. 6
Num. 11, 33.
Num. 14. 30.

Iud. ep. vaticinatur, appellat *murmuratores querulosos secundum desideria sua ambulantes*: eorumque pœnam præmittit, dicens. *quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.*

Bas. q. 39. II. REMED. Considera dicta SS. Patrum. S. BASILIVS in regulis breuioribus, posita quæstione, quid agendum sit cum eo, qui dicto audiens

Phil. 2. 14. tamen ob murmurarit antistiti, respondet. *Cum Apostolus dixerit Omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus, abalienandus est qui murmurat à coniunctione fratrum, & similiter opus eius ab vsu eorundem. Planéque qui huiusmodi, horum & diffidentiæ, & circa spem ambiguitatis morbo apparet laborare.* Idem fusius habet

Id. q. 51. 2. in regulis fusius disputatis. Et rursus infra, posita quæstione, quid faciendum, si quis condemnetur, vt ii qui in Euangelio murmurarunt aduersus nouissimos in vineam conductos? Respondet. *Vnusquisque ob proprium*

Matth. 20. 11. Id. q. breu. 63. *suum peccatum damnatur: ita & qui murmurarint ob murmurationem. Verum sæpe alij alia de causa murmurant. Nam hi quidem propterea murmurant, quod vnde ventrem suum distendant, non habent, (vt qui gulæ præter modum dediti sunt, & ventrem faciunt Deum suũ) illi verò, quod in pari honore habeantur cum nouissimis, in quo aperte indicant suam inuidiam, quod vitium multis in locis solet Scriptura coniungere homicidio. Alii præterea alia de causa.* CHRYSOST. homilia 8. in epistolã ad Philippenses, in verba illa. *Omnia facite sine murmurationibus. Vides,* inquit, *quod*

Chrys. in c. 2. *eos erudiat, ne murmurent? Est enim seruorum improborum & insensatorum murmurare. Cogita, aut, quod tibi ipsi, laboras, quod tibi ipsi colligis. Illorum est proprium murmurare, qui alius laborant. Qui verò sibi ipsi colligit cuius gratia murmurat? Melius fuerit nihil operari, quam cum murmuratione. Sæpe malumus ministerio priuari, quam murmurantem sustinere. Grauis enim, grauis, inquam, est murmurator, & vicinus blasphemiæ; alioqui cuius gratia illi tantum supplicii dederunt? Ingratitudo est res ista. Qui murmurat ingratus est Deo. Qui autem Deo ingratus est, blasphemus quoque est,* AMB. in epistola ad Vercellensem Ecclesiam, tractans de

Amb. lib. 10. ep. 82. murmuratione Chore contra Aaronem. *Considerantis igitur quæ offensionis causa extiterint, quod Sacerdotio fungi indigni vellent, & propterea dissiderent, quod*

Num. 16. 31. *im murmurarent improbantes in sacerdotis sui electione iudicium Dei: propter ea populum totum metus ingens corripuit, pœnæ terror inuoluit vniuersos. Obsecrantibus tamen omnibus, ne paucorum insolentia omnes perirent, designantur sceleris rei, & à totius populi corpore ducenti quinquaginta cum auctoribus suis separantur viri, immanis terra in medio plebis scinditur, apperitur in profundum sinus, abripiuntur noxii, & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis, vt nec aërem hauserint nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro. Cessauit pœna, non cessauit malitia. ex hoc ipso immurmuratio exorta populi, quod per Sacerdotes perisset populus. Qua indignatione Dominus perdidisset omnes, nisi Moysi & Aaron primo precibus insteterit, post etiã obiectu sui Sacerdotis Aaron maluisset ingratos maiore veniæ pudore donare iis, quorũ abnuebant gratiam. Ipsa prophetissa Maria, quæ cum fratribus pœnitentiæ*

Num. 12. 10. *miseram*

miserat freta maris, quia Æthiopissæ mysterium adhuc nesciens immurmurauerat aduersus fratrem Moysen, lepræ maculis inhorruit, vt vix tanto absoluta esset contagio, nisi Moysen rogasset. GREGORIVS exponens verba illa septimi Psalmi Pœnitentialis. *Et non intres in iudicium cum seruo tuo. Qui contra conditoris, inquit, flagella murmurat, quasi cum eo in iudicium intrat. Dei namque accusat iudicium, qui se æstimat iniustè percussum. Et quasi cum Deo in iudicio contendit, qui inter flagella innocentem se ostendit, &c. Vel certe ille cum Deo iudicium ingreditur, qui cum oraueris, murmurat si non exauditur. Quibus dicitur. An vultis mecum iudicio contendere? Quasi enim in iudicio contendebant, qui dicebant. Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti? Siquidem stultum est ab oratione deficere, si Deus differat cum rogatur exaudire. Et iniquum arguere conditorem, si effectus non sequitur orationem, præsertim cum quid oremus sicut oportet nesciamus. Nonnullis quippe impatientibus Dominus, quod petebant sæpe concessit iratus, sicut e contra Apostolo negauit propitius. Dedit enim regem petentibus secundum desideria cordis eorum; dedit etiam postulanti diabolo, vt Iob simplicem & rectum & timentem Deum, tentaret.* S. BERN. *Ante omnia sine murmuratione sint fratres. Forte aliqui leue peccatum æstimant murmurare, sed non hic, qui ante omnia monet esse cauendum. Puto autem ne illum quidem leue reputasse, qui murmurantibus aiebat. Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum: nos enim quid sumus? sed ne illum quoque qui dixit. Non murmuraueritis, sicut quidam murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore: illo nimirum exterminatore, qui positus est in hoc ipsum, vt à terminis beatæ illius ciuitatis arceat murmurantes, & longè faciat à finibus eius, cui dicitur. Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, qui posuit fines tuos pacem. Nihil enim commune habent, murmur & pax.*

Greg in 7. Psal. pœnit. Psal. 142. 2.
Ierem. 2. 29. Isa. 58. 3.
2. Cor. 12. 9. 1. Reg. 8. 18. Iob. 2. 6.
Bern. in sententiis.
Phil. 2. 14. Exod. 16. 8.
1. Cor. 10. 10.
Psal. 147. 12.

REMEDIA plura vide in Verbo *Detractio. Ingratitudo. Inobedientia. Ira. Iudicium temerarium. Linguæ abusus Maledictio. Superbia. Tentatio. Vindicatio iniuria. Voluntas propria.*

N

NEGOTIATIO ILLICITA.

Remedia contra Negotiat. illicitam.

PRIMVM Remedium. Considera, quid Spiritus sanctus de iniqua negotiatione, vel mercatura in diuinis litteris prodiderit. Ac primò quidem serio prohibet illam. *Nolite*, inquit in Leuitico, *facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere & mensura. Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius æquusq; sextarius. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti.* Et iterum. *Quando vendes quippiam ciui tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum.* Et in Deuteronomio. *Non habebis in sæculo diuersa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor.* Et Apud Apostolum. *Hæc est*, ait, *voluntas Dei sanctificatio vestra, vt ne quis supergrediatur, neq; circumueniat in negotio fratrem suum.* 2. docet ea grauiter offendi Deum. *Pondus habebis*, inquit in Deuteron. *iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi, vt multo viuas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi: abominatur enim Dominus tuus eum, qui facit hæc & auersatur omnem iniustitiam.* Et rursus. *Maledictus, qui transfert terminos proximi sui, & dicet omnis populus, Amen.* Et in Salomonis Prouerbiis. *Statera dolosa, abominatio est apud Dominum, & pondus æquum voluntas eius.* Et. *Vir fidelis multum laudabitur, qui autem festinat ditari non erit innocens.* Et apud Ecclesiasticum. *Qui quærit locupletari auertit culum suum.* nempe à Deo, eiusque mandatis. *Sicut in medio compagmis lapidum palus figitur: Sic & inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatum.* Et in Michæa. *Ignis in domo impij thesauri iniquitatis, & mensura minoratæ plena. Nunquid iustificabo stateram impiam, & sacelli pondera dolosa? Et ego ergo cepi percutere te perditione super peccatis tuis.* 3. docet lucri iniqui cupidos non ditescere. Vt apud Salomonem. *Alij diuidunt propria, & diciores sunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentis.* Et rursus. *Vir qui festinat ditari, & aliis inuidet, ignorat, quod egestas superueniet ei.* Et apud Ecclesiasticū. *Qui aceruat ex animo suo iniustè, aliis congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur.* Et in Isaia. *Væ qui prædaris nonne & ipse prædaberis? cum consummaueris deprædationem, deprædaberis.*

Leu. 19. 35.

Leu. 25. 14. Deut. 25. 13.

1. Thess. 4. 6.

Deut. 25. 16.

Deut. 27. 17. Prou. 11. 1. Prou. 28. 10.

Eccl. 27. 1.

Mich. 6. 10.

Prou. 11. 24.

Prou. 28. 22. Eccli 14. 4.

Isai. 33. 1.

II. Re

II. REMEDIVM. Considera, quid S. Patres de negotiatione licita vel illicita scripserint. S. GREGORIVS Nazianzenus de laudibus B. Basilii agens. *Nihil*, inquit, *grauius atque acerbius, quam crudelitas, cupiditasque inexplebilis eorum, qui rei frumentariæ copia circumfluunt. Obseruant enim temporum difficultates atque ex annonæ pœnuria lucrum captant, & ex aliorum calamitatibus messem faciunt, nec illud audientes, eum qui pauperes commiseratur, Deo fœnori dare. Nec rursus illud. eum qui frumentum abscondit, plebi execrabilem esse: nec denique quicquam aliud eorum quæ vel humanis & benignis hominibus pollicetur scriptura, vel duris & inhumanis comminatur. Verum immodica quadam cupiditate flagrant, maleque sibi consulunt, vt aliis sua, ita sibiipsis Dei, cuius ope non multo magis se indigere sentiunt, quam alii ipsorum auxilio egeant, viscera præcludentes,* Naz. orat. in laudem Basil. Prou. 19.17. Eccli 29.1. Prou. 11. 26.

S. AMBROSIVS libro de officiis primo. *Nonne vanum est, vt mercator noctibus ac diebus conficiat iter, quo aggerare possit thesauri acerbos, merces congerat, conturbetur ad pretium, ne forte minoris vendat, quàm emerit, aucupetur locorum pretia, & subito aut latrones in se inuidia famosæ negotiationis excitet, aut non expectatis seruentibus flatibus, dum lucrum quærit, naufragium impatiens moræ incidat?* Amb. c. 43.

B. CHRYSOSTOMVS de compunctione cordis. *Quid verò maris vsum & nauigandi vtilitatem loquar? per quam omnem pænè orbem, qui longis à semetipso diuimitur spatiis, non solum sibi inuicem notum, sed socium quodammodo & communicabilem facit, vt vnusquisque paruum apud se possideat terræ cespitem per istud mercandi ministerium, quæsi totius mundi per omnia Dominus efficitur, & vniuersæ terræ fructibus vtitur. Et quid plura dicam? Vniuersus orbis efficitur tanquam mensa vna omnibus, nullo prohibente sumere, quod vbique est, sed parua sunt hæc in muneribus Dei.* Chryſ. l. 2. longe post med.

AVCTOR operis imperfecti in Matthæum exponens verba illa. Et eiiciebat vendentes & ementes de templo. *Homo mercator, inquit, vix aut nunquam potest Deo placere. Et ideo nullus Christianus debet esse mercator, aut si voluerit esse, proiiciatur de Ecclesia Dei, dicente Propheta. Quia non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini. Quemadmodum enim, qui ambulat inter duos inimicos, ambobus placere volens, & se commendare, sine maliloquio non potest esse: necesse est enim, vt & iste malè loquatur de illo, & ille male loquatur de isto. Sic qui emit & vendit sine mendacio & periurio esse non potest: necesse est enim, vt è negotiatoribus hic iuret, quia non tantum valet res, quantum comparat eam, & ille iuret, quia plus valet res quam vendit.* Chryſ. hom. 18. in Matth. 21. Psal. 70. 16.

Quia verò ex hac doctrina sequi videtur, multos non posse placere Deo, vt agricolas qui emunt boues & arant, vt seges vendant & fabros lignarios ementes ligna, vt vendant vtensilia, imò nec Paulum Apostolum potuisse placere, qui fuit sutor tabernaculorum, vt ea venderet: Respondet hos non esse veros mercatores. *Qui enim, inquit, rem comparat, non vt ipsam rem integram & immaculatã vendat, sed vt opus factate ea, ille non est negotiator, quia qui materiam operandi sibi comparat, vnde factas aput, illenõ rem ipsam vendit, sed magis artificium suum. Qui autem comparat rem vt illam*

illam ipſam integram & immutatam dando lucretur, ille eſt mercator, qui de templo
Pſal. 70. 16. *eiicitur.* S. AVG. in verba Pſalmi. Quoniam non cognoui negotiationem. Notate legimus, *litteraturam. Quæ ſunt*, inquit, *iſtæ negotiationes? Audiant negotiatores & mutent vitam, & ſi fuerint, non ſint; non cognoſcant, quod fuerunt, obliuiſcantur: poſtremò non approbent, non laudent, improbent, damnent, mutentur, ſi peccatum eſt negotiatio. Hinc enim auiditate neſcio qua acquirendi ô negotiator, quando damnum paſſus fueris, blaſphemas, & non erit in te quod dictum eſt (à Pſalmiſta) tota die laudabit tuum. Quando autem pro preciis rerum, quas vendis non ſolum mentiris, verumetiam*
Greg. hom. 24. *falſum iuras, quomodo in ore tuo tota die laus Dei?* S. GREG. in Euangelia. *Quæri poteſt, cur Petrus, qui Piſcator ante conuerſionem fuit, poſt conuerſionem ad piſcationem rediit? Sed ſi virtus diſcretionis inſpicitur, cito videtur, quia nimirum negotium, quod ante conuerſionem ſine peccato extitit, hoc etiam poſt conuerſionem repetere culpa non fuit. Nam piſcatorem Petrum, Matthæum verò telonearium ſcimus. Et poſt conuerſionem ſuam ad piſcationem Petrus rediit, Matthæus verò ad telonei negotium non reſedit, quia aliud eſt victum per piſcationem quærere, aliud autem telonei lucris pecunias augere. Sunt enim plæraque negotia, quæ ſine peccatis exhiberi, aut vix aut nullatenus poſſunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt, vt poſt conuerſionem animus non recurrat.*

III. REM. Refuge quoad fieri poteſt, negociandi, mercimoniaq; tractandi artem & officium, tum ob præſentiſſima pericula, mentiendi, peierandi, & fraudes faciendi cum eo coniuncta, vti Patres monuerunt, & diuina ſcriptura non tacuit. *Duæ ſpecies* inquit, *difficiles & periculoſæ mihi apparuerunt, difficile exuitur negotians à negligentia, & non iuſtificabitur caupo à peccatis*
Eccli. 26. 27. *labiorum.* Delinquit autē negligentia mercator, cum vitia mercium ſuarum
Eccli. 5. 27. reticet, feſtos dies non obſeruat, &c. *Qui autem amat periculum*, ait Sapiens, *peribit in illo.* Tum quia omnis propriè dicta negotiatio etiam cum dicta
Ariſt. c. 6. vitia abſunt, ſpeciem quandam turpitudinis habet, auctore Ariſtotele in libro primo Politicorum, eo quod ſeruiat cupiditati lucri, quæ nullum habet terminū. De ea enim negotiatione loquimur, qua vt Auctor oper. imperf. apud Chryſoſt. monuit, aliquid emitur, vt prorſus non mutatum carius vendatur. Vnde & in ſacris canonibus eiuſmodi negotiatio vetita
14. q. 4. c. canonum. & c. nunquam. de conſ. diſt. 5. eſt Clericis. Non autem vetita eſt ea negotiatio, qua aliquid antea emptum, poſtea induſtria vel labore ſuo mutatum diuendunt, nec enim tam rem emptam, quam artificium ſuum & laborem vendunt.

IV. REMED. Quod ſi negotiandi officium refugere non potes, aut quia à parentibus cogeris, vel quia iam multo tempore id exercuiſti. Conſtitue apud animum tuum te enumerata vitia, quæ non negotiationes, ſed negotiantium vitia ſunt, & in quoſuis opifices, qui non ſunt mercatores, dū res labore ſuo confectas vendunt, cadere poſſunt; euiteturū. Deinde non immodico & iniquo lucro, ſed quantum ad familiam honeſtè

neste sustentandam, ad pauperes iuuandos, & Rempub. promouendam satis sit, vacaturum. Hoc antidotum suggessit Augustinus alicubi, dum ita ratiocinatur. *Sed ait mihi negotiator. Ecce ego affero quidem ex longinquo merces ad ea loca, in quibus non sunt ea quæ attulero, vnde viuam, tanquam mercedem laboris mei peto vt carius vendam, quam emerim. Vnde enim viuam cum scriptum sit, dignus est operarius mercede sua? sed agitur de mendacio, de periurio: hoc vitium meum est non negotiationis: neq; enim non si vellem, possem agere sine isto vitio. Non ergo culpam auctor ad negotium transfero, sed si mentior, ego mentior, non negotium. Possem enim dicere: tanto emi, tanto vendam, si placet eme. Non enim istam veritatem audiens emptor repelleretur, & non omnes potius accurrerent? quia plus fidem, quam mercedem diligerent. Hoc ergo, inquit, me mone, ne mentiar, ne periurem, non vt abiiciam negotium, vnde me transfigo.* Et mox addit. *Quo enim vocas, quando hinc reuocas? forte ad artem aliquam? Ero sutor, calciamenta faciam hominibus. mendaces & ipsi non sunt? Periuri & ipsi non sunt? nonne locatis ab alio calciamentis, cum acceperint ab alio pretium dimittunt quod faciebant, & suscipiunt alteri facere, & fallunt cui promiserant cito se facturos? nonne sæpe dicunt, hodie facio, hodie impleo? Deinde id ipsa futura tantas fraudes non faciunt? Faciunt ista, & dicunt ista, sed ipsi mali sunt, non ars quam profitentur. Omnes ergo artifices mali Deum non timentes, vel pro lucro, vel pro timore damni aut egestatis mentiuntur, periurant.* Et infra *Potest mihi hoc dicere negotiator. Quære ergò Episcope, quemadmodum intelligas negotiationes, quas legisti in psalterio, ne forte tu non intelligas, & me à negotiatione prohibeas. Mone ergo, quemadmodum viuam. Si bene, bene mihi erit. Vnum tamen scio, quia si malus fuero, non negotiatio mihi facit, sed iniquitas mea.* Aaug. in Ps. 70 Psal. 70. 36.

V. Rbmed. Considera, earum opum quæ iniqua negotiatione, per mendacia, fraudes, periuria, vsuras congestæ sunt infaustum esse prouentum vti non solum spiritus sanctus supra in scripturis admonuit, sed etiam veteres Patres annotarunt, vt Chrysostomus in opere imperfecto. *Talium, inquit, substantia, aut ipsis viuentibus peritura est, aut à malis hæredibus dissipanda est, aut ad extraneos & inimicos hæreditas ipsorum ventura est. Non potest ad bonum proficere, quod congregatur de malo. Quemadmodum si triticum, aut aliam blandi speciem cernas in cribro, dum huc illucque iactas eum, grana omnia paulatim deorsum cadunt, & in fine in cribro nihil remanet, nisi stercus solum: sic & substantia negotiatorum, dum vadunt & veniunt inter emptionem & venditionem minuitur, & in nouissimo nihil illis remanet, nisi solum peccatum.* Et B. Amb. *An non conturbatur etiam ille vanè, qui summo labore coacernat, quod nesciat cui hæredi relinquat? Sæpe quod auarus summa congesserit solicitudine, præcipiti effusione dilapidat hæres luxuriosus: & diu quæsita turpis helluo, præsentium cæcus, futuri improuidus, quadam absorbet voragine. Sæpe etiam speratus successor inuidiam parte acquirit hæreditatis, & celeri obitu extraneis aditæ successionis transcribit compendia. Quid ergò vanè aranearum texis, quæ manus & sine fructu est, & tanquam cassis suspendis inutiles diuitia-* Chry. in Matt. hom. 38. Amb. 1. offic. c. 49.

Aug serm. 235. *rum copias quæ & sistuant, nihil prosunt, imò exeunt te imaginem Dei & induunt terreni imaginem. Si tyranni aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius est damnationi?* Eodem pertinet & illud B. Avg. in sermon. de tempore. *Nemo habet iustum lucrum sine iusto damno. Vbi lucrum, ibi & damnum. Lucrum in arca, damnum in conscientia.*

VI. Remed. est negotiationem ad maiorem gloriam Dei, qui præstantissimus omnium bonorum operum finis est, instituere, iuxta consilium Apostoli dicentis. *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia*

1. Cor. 10. 31. *in gloriam Dei facite.* Est Ioannis Chrysostomi orationem Kalendis habitam in hæc verba concludentis. *Si animum aduertere voluerimus, siue emendum, siue vendendum sit, per omnem vitam spiritualem hanc mercaturam faciemus: si difficultatem annonæ nequaquam obseruemus, & tum egentibus diuendamus. Maledictus enim, inquit ille, qui rei frumentariæ caritatem auget. Sed quid oportet singula percensere? Vno verbo omnia colligenda fuerant. Quemadmodum enim ædificatores, cum murum extructuri sunt, amussim ab angulo ad angulum ducunt, atque ita murum pertexunt, vt minimæ æqualis eius ora existat, sic & nos pro amussi verbum hoc adhibeamus, quod apud Apostolum est. Siue editis siue bibitis, seu quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Siue ergo precemur, siue ieiunemus, siue accusemus siue condemnemus: siue laudemus siue vituperemus, siue ingrediamur, siue exeamus, siue vendamus siue emamus, siue taceamus, siue disputemus, siue aliud quid faciamus, omnia ad gloriam Dei faciamus. Et si quid ad gloriam Dei non pertineat, illud neque facto, neque dicto à nobis vsurpetur. Sed pro baculo magno, pro armis pro præsidio, pro thesauris inexplicabilibus hoc dictum animo inscribentes nobiscum, quamcunque viam ingressi fuerimus, circumferamus: vt omnia ad gloriam Dei facientes, loquentes, suscipientes, tum hic, tum post huius vitæ peregrinationem gloriam ab eo consequamur. Ait enim, Gloria afficientes me, glorificabo. Non dictis ergò sed factis ipsis illum assiduè gloria afficiamus, quia illum decet gloria ad omnem æternitatem. AMEN.*

2. Reg. 1. 10.

Aug. in Psal. 103. VII. Remed. est B. Augustini, vt quoties in mentem venit de illicito aliquo contractu ineundo, ilicò cogitationem repellas, & abomineris. Exponens enim verba Dei in Genesi. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. *O Ecclesia, inquit, caput serpentis obserua. Quod est caput serpentis? prima peccati suggestio. Venit tibi in mentem nescio quid illicitum: noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire. Hoc quod venit in mentem, caput serpentis est. caput calca, & euades cæteros motus. Quid est caput calca? ipsam suggestionem contemne. Sed lucrum suggessit magnum ibi lucrum est, magnum ibi aurum est. Si hanc fraudem feceris, diues eris. Caput serpentis est, calca. Quid est, calca? contemne, quod suggessit. Sed magnum aurum suggessit. Et quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. Hæc dicens obseruasti caput serpentis & calcasti. Ille autem diabolus*

Gen. 3. 15. *calcaneum*

calcaneum tuum obseruat. Quid est obseruat calcaneum tuum? Quando labaris à via Dei tu obseruas primam suggestionem: ille obseruat lapsum tuum. Si enim lapsus fueris, cades: Si ceciderís, possidebit.

VIDE V. *Auaritia. Mendacium. Simonia. Vsura.*

O

OBSTINATIO.

Remedia contra Obstinationem.

PRIMVM Remedium. Considera Spiritus sancti oracula in scripturis. Primò enim dehortatur ab omni animi obstinatione, obduratione, & impœnitentia. Vt in Psal. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Et Zacharia. *Conuertimini de viis vestris malis.* Et in Ezechiele. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Et in Ieremia. *Laua à malitia cor tuum.* Et in epistola ad Hebræos. *Non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* 2. declarat, quam graue sit crimen obstinationis, & quam graui pœna dignum. *Ducunt in bonis dies suos*, ait B. Iob, *& in puncto ad inferna descendunt: qui dixerunt Deo, recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Et Propheta Dauid. *Quid gloriaris in malitia, qui potentes in iniquitate? propterea Deus destruet te in finē.* Et. *Furor illis secundum similitudinē serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter, Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum.* Et Salomon. *Impius cum venerit in profundum peccatorum contemnit.* Et *Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur.* Et Ecclesiasticus. *Cor durum habebit malē in nouissimo.* Et. *Tunde latera filij tui, dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi.* Apud Isaiā obstinatorum verba sunt. *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Et in Zacharia de iisdem. *Cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem, &c. Et facta est indignatio magna à Domino exercituum.* 3. de obduratione cordis præcipue sugillat Pharaonem, & filios Israhel. Pharaonem quidē in Exodo sæpius. *Ego*, inquit Dominus, *indurabo cor eius, & nō dimittet populū meū.* Et *Ego induraui cor eius, & seruorū illius.* Et. *Et indurabo cor eius, & persequetur vos.* Filios Israel verò in eorū maioribus, primū in l. Gen. *Simeō & Leui, vasa iniqtatis bellātia, &c. maledictus furor*

Psal. 94. 8. Zach. 1. 4. Ezech. 18. 30. Ier. 4. 14. Iob. 21. 13. Psal. 51. 3. Psal. 57. 5. Prou. 18. 3. Prou. 29. 1. Eccli. 3. 27. Eccli. 30. 12. Isa. 28. 15. Zach. 7. 12. Exod. 4. 21. Exod. 10. 1. Exod. 14. 4. Gen. 49. 5.

eorum, quia pertinax & indignatio eorum, quia dura, diuidam eos in Iacob. Deinde in Isaia. *Sciui enim,* inquit Dominus, *quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea,* & Ieremias. *Percussisti eos (Domine) & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Et S. Stephanus ad Iudæos. *Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper spiritui sancto resistitis.*

Isa.48.4.
Ierem.5.3.
Act.7.5.

II. REMED. Considera SS. Patrum testimonia. BASILIVS in regulis breuioribus. *QVÆSTIO. Aduersus eum, qui obstinatè pergat peccare, quomodo erimus animati? RESPONSIO. Eo nempe, quo Dominus iussit, cum dixit: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, & vt Apostolus docuit, cum scripto reliquit. Vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem quam accepistis à nobis.* Et paulo ante, posita quæstione, quod eorum sit iudicium, qui peccantes defendunt, respondet. *Grauius illo opinor de quo dictum est. Expedit ei, vt suspendatur mola asinaria circa collum eius, & proiiciatur in mare, quam vt scandalizet vnum de pusillis istis. Siquidem non iam obiurgationem ad correctionem, sed defensionem ad confirmationem peccati accepit ille q peccauit, & alios ad similia flagitia excitat. Ex quo fit vt nisi fructus pœnitentiæ dignos ediderit, qui alium defendit, in eum conueniat illud, quod à Domino dictum est. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proice abs te.* S. HIERONYMVS ad Sabinianum. *Liber quem Propheta deuorat, omnis series scripturarum est. In quibus & pœnitens plangitur, & iustus canitur, & maledicitur desperans. Nihil ita repugnat Deo, quam cor impœnitens. Solum crimen est, quod veniam consequi non potest. Si enim ei ignoscitur post peccatum, qui peccare desistit, & ille flectit iudicem qui rogat: impœnitens autem omnis ad iracundiam prouocat iudicantem. Solum desperationis crimen est, quod mederi nequeat.* Et libro quinto commentariorum in Isaiam. *Nihil sic offendit Deum, quàm post peccata erecta cervix, & ex desperatione contemptus. Quod & per Amos loquitur. Super tres & quatuor impietates non auersabor eum: quod & cogitauerit & fecerit, & non egerit pœnitentiam: insuper & docuerit malum. Vnde & nunc dicitur. Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus.* AVG. in Exodum. *Vt tale cor haberet Pharao, quod patientia Dei non moueretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, vitii proprii fuit. Quod verò facta sunt ea, quibus cor suo vitio tam malignum resisteret iussionibus Dei, hoc est enim quod dicitur, induratum, quia non flexibiliter resistebat dispensationis fuit diuinæ, qua tali cordi non solum iusta, sed euidenter iusta pœna parabatur, qua timẽtes Deum corrigentur.* Et in Enchiridio ad Laurentium. *Qui in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantã diuini muneris largitatẽ, & in hac obstinatione mentis diẽ claudit extremũ reus est ille irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus peccàta dimittit.* Et in Psalmi verba. Non misereris omnium, qui operantur iniquitatem. *Est quædam iniquitas,* inquit, *quam qui operatur non potest fieri, vt misereatur ei Deus. Quæritis forte, quænam illa sit? Ipsa est defen-*

Basil.q.9.
Matth.18.17.
2.Thess.3.6.
Id.q.7.
Luc.17.1.
Matth.18.9.
Hier.ep.48.
Ezech.3.3.
Isa.22.
Amb.l.3.
Isa.22.14.
Aug.l.2.c.18.
p.c.83.
Psal.58 c.

flo peccatorum. Quando quisque defendit peccata sua magnam iniquitatem operatur. Hoc defendit, quod Deus odit. S. GREG. in Ezechielem. *Non cor peccantis Dominus obdurat, sed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat. Misericors enim Deus tempus nobis ad pœnitentiam relaxat, sed cum eius gratiæ patientiam nos ad augmentum vertimus, culpæ, hoc ipsum tempus, quod ad parcendum piè disposuit, districtius ad ferendum vertit, vt quia reuerti quis etiam spatio temporis accepto noluerit per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si conuerti voluisset. Vnde scriptum est. Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* S. BERN. de consideratione ad Eugenium Papam. *Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Quid me interrogas? Interroga Pharaonem. Ne no duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi quem forte miserans Deus abstulit ab eo iuxta prophetam cor lapideum & dedit cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec mouetur, precibus, minis non cædit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sœuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorũ obliuiscens, præsentiũ, negligens, futura nõ prouidẽs. Ipsum est, cui præteritorum præter solas iniurias, nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla nisi forte ad vltiscendum prospectio, seu præparatio est. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.* Et in sermone de conuersione ad clericos. *An verò grauior vlla phrenesis iudicatur, quam in pœnitentia cordis, & peccandi obstinata voluntas? siquidem manus nefarias iniicit sibi ipsi: nec carnem, sed mentem lacerat & corrodit.*

Greg hom. 11.

Rom. 2. 4.

Bern l. 1. c.

Ezech. 36. 26.

Id. c. 4.

III. REMED. Considera nullum morbum obstinationis, impœnitentiæ vel contemptus diuinæ gratiæ, alterius cuiuscunque criminis licet attrocissimi posse esse tam grauem, quam diu homo viuit, quin curari possit. Nam cum quidam apud Ezechielem de salute desperantes dicerent. *Iniquitates nostræ super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus, quomodo ergo viuere poterimus?* Dominus sic respondit. *Dic ad eos. Viuo ego, dicit Dominus Deus. nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua & viuat. Conuertimini à viis vestris pessimis & quare moriemini domus Israhel?* CHRISTVS quoque sine exceptione omnes inuitat ad se. *Venite omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et Apostolis generatim dicit. *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Et ne quis ob crebriores lapsus peccata aliqua irremissibilia crederet, ibidem monuit non solum septies, sed septuagies septies peccata esse remittenda, numerum certum pro incerto & infinito ponens, vt ibidem Hilarius, Hieronymus, & alii annotarunt. Nec aliud Patres senserunt. AMBROSIVS libro de pœnitentia. *Omnibus conuersis pollicetur veniam, quia scriptum est. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit.* AVG. in

Ezech. 33. 10.

Matth. 11. 28.

Matth. 18. 18.

Amb. l. 2. c. 4. loci. 2. 32.

libris Retractionum. *De quocunque pessime in hac vita constituto nonest vllque desperandum: nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* Et alibi. *Hoc fideliter & firmiter credat dilectio vestra, quia nunquam DEVS deserit hominem nisi prius ab homine deseratur.* GHRYSOSTOMVS in psalmum 50. *Nolo excusationes mihi afferas. Millies peccasti? millies pœnitere; etiamsi animam efflans iam de hoc mundo exire debeas. Non impeditur temporis angustia misericordia Dei.* CYPRIANVS & HIERONYMVS clamant *nunquam seram esse pœnitentiam, modo vera sit.* Quod ergo superius dixit Hier. *Solum crimen cordis impœnitentis esse, quod veniam consequi non potest:* Et quod Bern. *neminem duri cordis salutem vnquam consecutum*, id intelligendum est de iis qui in obduratione cordis vsque ad finem vitæ Perstiterunt.

Aug. l. 1. c. 19. Retract. Idem serm. 88. de temp.

Chry. hom. 2.

Cyp. de cæna Domin.

Hier. ep. 7. & 25.

IV. REMED. Refugium ad DEVM per ardentes preces, qui promisit, si conuertamur ad se, se cor nostrum lapideum mutaturum in carneum. *Auferam*, inquit apud Ezechielem, *cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Hoc remedio vsus est regius propheta cum à lapsu obdurationis periculum metueret, ita exclamans. *In multitudine misericordiæ exaudi me in veritate salutis tuæ. Exaudi me Domine quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Eripe me de luto, vt non infigar, libera me ab iis qui oderunt me & de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* Quæ verba exponens B. Gregorius in libris moralium ita scribit. *Quem mali operis iniquitas à bona stabilitate commouit, quæ si tempestas aquæ rapuit, sed adhuc longa consuetudine non prævaluit, non demersit. Iam in puteum cecidit, qui hoc quod diuina lex prohibuit perpetrauit. Sed si adhuc longa consuetudo non deprimit, nequaquam os suum puteus coangustauit. Tanto ergo facilius egreditur, quanto minus consuetudine coarctatur. Lapis verò puteo superponitur, cum etiam dura consuetudine mens in peccato deuoratur, vt etsi velit exurgere iam vtcunque non possit, quia moles desuper malæ consuetudinis præmit.* Idem in persona magni peccatoris alibi erupit in hæc verba. *De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi orationem meam.* Vbi Augustinus. *Quis est, qui clamat? peccator. Et qua spe clamat? quia qui venit soluere peccata, dedit etiã spem in profundo posito peccatori. Ideo quid sequitur post istas voces? (Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?) Ecce apperuit, de quo profundo clamaret. Clamat enim sub molibus & fluctibus iniquitatum suarũ. Circumspexit se, circumspexit vitam suam, vidit illam vndiq; flagitiis & facinoribus coopertam. Quacunq; respexit, nihil in se bonum inuenit, nihil illi iustitia serenum potuit occurrere. Et cum tanta & tam multa peccata vndiq;, & cæternas scelerum suorum videret tanquam expauescens exclamauit. Si iniquitates obseruaueris Domine, &c.* Eodẽ antidoto vsa est B. MONICA vt carissimum filiũ suum Augustinum ex luto deterrimæ hæresis Manichæorum, in qua per nouem

Ezech. 36. 26.

Psal. 68. 14.

Greg. l. 26. c. 30. & 38.

Psal. 129. 1.

Aug. ib.

annos

annos demersus iacebat, tandem vindicaret. Assiduis enim precibus pro salute filii Deum orauit, donec tandem, vt est in libro tertio Confessionum, iuuenis splendidus somnianti matri apparuit, dicens. *Vbi tu, ibi ille.* Quod miratus Augustinus. *O tu bone Deus omnipotens,* inquit, *qui curas vnumquemq; nostrum, tanquam solum cures, & sic omnes tanquam singulos.* Quare cum rogasset aliquando S. Ambrosium Mediolanensem antistitem, vt eum in viã reuocare dignaretur. Is respondit, nec dũ oportunũ tempus esse eum docendi, propterea quod æquo pertinacius adhuc suo errori, adhæreret, pergeret tantum ipsa orare, ipsumq; legendo suum errorem deprehensurum. Et cum illa porrò instaret, Episcopus ait. *Vade, ita fac, fieri enim non potest, vt filius tantarum lacrymarum pereat.* Aug. c. 11. & 12.

V. Remed. est Pœnitentia vera. Ait enim apud Ezechielem Dominus. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor.* Exemplum illustre habemus in latrone cum Christo crucifixo, qui licet vsq; ad extremã vitæ horam perstitisset in peccatis, beneficio tamen orationis & pœnitẽtiæ indulgentiam eorum consecutus est. *Ipse Dominus noster,* ait Cyp. *derelictorum personam gerens in cruce se queritur derelictum, & ne desperarent etiam in vltimis constituti, festinans in adiutorium ilico adest, & re in arcto posita non differt beneficium sed repente indulgentiæ celeris documentum eiusdem statuit & exemplum, latroni inquiens: Hodie mecum eris in paradiso. Latrocinium damnationem meruerat & supplicium, sed cor contritum pœnam mutauit in martyrium & sanguinem in baptismum.* Hier. Sabinianum diaconum luxuriosum, cum iam pœne obduratus esset in sceleribus, his verbis inuadit. *Facies meretricis facta est tibi, nescis erubescere. Conuertere miser ad Dominũ vt ad te Dominus conuertatur. Age pœnitentiã, vt & ille agat pœnitentiã super omnib. q̃ locutus est malis, vt faceret tibi. Fluant paululũ de oculis lachryma. Nunquam sera est pœnietntia. Quãuis de Hierosolimis descenderis, & sis in itinere vulneratus, inde te Samaritanus impositum iumento curandum q; ad stabulũ referet. Sed & si mortuus iaces in sepulchro, tamẽ & fœtentẽ Dominus suscitabit. Cũ conuersus ingemueris, tunc saluus eris, & tũc scies vbi fueris. Tangat modicè cicatrices tuas. Licet ab vtero sic genitus sis, & in delictis conceperit te mater tua, asperget te hyssopo & mundaberis: lauabit te, & sup niuẽ dealbaberis. Quid incuruus est erre hæres, & totus in cœno iaces? Illa, q̃ decem & octo annis satanas vixerat, post q̃ à saluatore curata est, cœlũ erecta suspexit. Quod ad Cain dictũ est, tibi dictũ puta. Peccasti, quiesce.* At quæres, quo timore, & lacrymis recedere quis debeat à peccatis in quib. obstinate diu vixit, & qua spe, quaue affectione ad Deũ accedere? Respõdet S. Bas. in regulis breuiorib. *Primũ quidẽ is male anteactã vitã suã odisse debet, eiusq; memoriã abhorrere ac detestari. Scriptũ est. n. Iniquitatẽ odio habui, & abominat⁹ sum, legẽ autem tuã dilexi: deinde etiam timoris quidẽ magistrã sibi asciscere* Ezech. 18. 21. Cyp. serm. de cœna. Luc. 23. 42. Hier. ep. 48. Isa. 30. iuxta 70. Luc. 13. 16. Gen. 4. 7. Basil. q. 10. Psal. 118. 163.

asciscere comminationem æterni iudicij, supplicijque: lachrymarum autem locum egressere locum pœnitentiæ oportunum eo modo, quo docuit Dauid in 6. psalmo firmissime credens purgationem peccatorum suorum factam esse per sanguinẽ Christi in magnitudine misericordiæ, & multitudine miserationum Dei, & vt ille, qui dixit. Isa.1.18. *Quod si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt. Tunc enim nacta potestatem placendi Deo illud dicit.* Psal.29.6.12. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Et illud. conuertisti planctum meum in gaudium mihi.* Id.q.5. Addit in regulis fusius disputatis. *Sicut morbi corporis inueterati, non nisi longa & acri curatione sanantur, sic peccata inueterata, diuturna patientia, assidua oratione, & acerrima animi contentione curari oportet. Quæ repetitis vicibus ac multo cum labore intinctum est, tincturam excipit pressim inhærentem, & quæ vix elui queat: obiter autem colore aliquo infectum tinctura libet facile mobilem: sic anima sanie peccatorum supperata, & in habitu constituta malitiæ vix ac multo negotio elui potest.*

VI. REMED. Quo longius à periculo obstinationis, impœnitentiæ & contemptus abstis, da operam vt quoties in crimen aliquod lapsus fueris, resipiscas & pœnitentiam agas iuxta consilium Sapientis. Eccli.21.1. *Fili peccasti, inquit, non adicias iterum: sed & de priscis deprecare vt tibi dimittantur.* Et. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius.* Eccli.5.8. Rationem huius reddit B. GREGORIVS in libris moralium. Greg.l.25.c.12. *Omne quippe peccatum, inquiens, peccatum, quod tamen citius pœnitendo non tergitur, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.* Aug. serm.88. Qua autem via trahat ad obdurationem explanat Augustinus, dicens in sermone quodam de tempore. *Cum enim & semel & secundo & tertio vnusquisque grauia peccata commiserit, expectat tamen illum DEVS, sicut per prophetam dicit, vt conuertatur & viuat.* Ezech.33.11. *Cum verò in peccatis suis cœperit permanere, de multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur. Dum homines negligentes inprimis despiciunt peccata sua, quia parua sunt, & istis minutis peccatis adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt, & demergant.* Prou.18.3. *Quod cum factum fuerit, impletur hoc quod scriptum est. Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit.* Rom.2.4. *De talibus & Apostolus dicit. Ignoras, quod patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam cordis tui, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ.* Bern. serm.42. De eadem via in religiosis correptionum contemptoribus sic ratiocinatur B. Bernardus in cantica Salomonis. *Velut vimirum perimere hostem, & eripere fratrem: & non feci sic, magis autem contrarium accidit, nam læsi animam, & culpam auxi. Siquidem accessit & contemptus. Nolunt audire te, inquit Dominus, quia nolunt audire me.* Ezech 3.7. *Vides quæ maiestas contemnitur?* Et mox. *Plerumq; etiam impatientia contemptui iungitur, ita vt aliquis non solum non curet corrigi obiurgatus, sed insuper obiurganti indignetur more phrenetici manum medici repellentis. Mira peruersitas, medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti. Est enim qui sagittat in obscuro rectos corde.* Et paulo post. *Aliquoties adiu-*

tus

tur & impudentia, vt non modo impatienter ferat, quod corripitur, sed etiam id vnde reprehenditur impudenter defendat. Hoc plane desperatio. Frons, inquit, mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Et ait. Recessit zelus meus à te, vltra non trascar tibi. Solo auditu contremisco. Sentisne quanti periculi quantiq; horroris & tremoris res sit peccati defensio? Dicit iterum. Ego quos amo, arguo & castigo. Si ergo te Zelus deseruit, & amor, nec eris amore dignus qui indignus castigatione censeris. Vides, quia tunc magis irascitur Deus, cum non irascitur? Et infra. *An non ex hac odiosa impudentia pullulabit mox impœnitentia mater desperationis? Quem enim pœniteat super bono quod putat?*

Ier.3.3. Ezech.16.42. Apoc.3.19.

VII. REMED. Considera inter omnia peccata obstinationem esse præcipuum signum æternæ reprobationis, quod intelligere potes ex tribus exemplis in diuina scriptura maximè celebratis. Primum est Luciferi & omnium sociorum eius, qui, à quo tempore lapsi sunt nunquam resipuerunt, de quo S. BERN. exponens verba psalmi 90. *Quoniam angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Videamus*, inquit, *& dæmonum vias: videamus, & fugiamus eas. Si quidem viæ illorum præsumptio & obstinatio. Propter præsumptionem stare non potuerunt; propter obstinationem, qui cecidit non adiiciet vt resurgat. Ex hac namque spiritus vadens, ex illa non rediens est. Et mira quidem præsumptio dæmonum, sed non minus mira obstinatio est, quod superbia eorum semper ascendat, propterea non est illis commutatio. Quia enim conuerti noluerunt à via præsumptionis, inciderunt in viam obstinationis. Quam peruersa & euersa sunt corde filij hominum, quicunque sectantur vestigia dæmonum, ingrediuntur dæmonum vias?* Et infra. *Et viæ quidem hominum ipse sunt de quibus dicitur. Tentatio vos non apprehendat nisi humana, & quia humanum est peccare. Porrò vias diabolicas à natura homines alienas esse quis nesciat, nisi quod in nonnullis ipsa sibi consuetudo induisse naturam videatur? Cæterum, & si quorundam hominum sit, non humanum tamen, sed diabolicum est in malo perseuerare.* Alterum exemplum est Pharaonis, quem Apostolus Paulus, quia tot verbis & signis per Moysen editis moueri non potuit vt populum Dei dimitteret, in typum obduratorum & reproborum in epistola ad Romanos proposuit, allegans verba Domini ex libro Exodi. *Dicit enim scriptura, inquit, Pharaoni. Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra Ergo cuius vult miseretur: & quem vult indurat.* Sensus est cum præuiderim ò Pharao, fore te mihi contrarium, & obstinato animo præceptis meis reluctaturum, ac potuerim impedire, ne nascereris, aut ne regno potireris, vel etiam statim è medio tollere, cum primum peccare cæpisti, ideo tamen & vitam & regnum concessi tibi, idque non ad breue tempus, vt malitia tua vterer ad exercitationem populi mei, simulque ad demonstrandam in tuo supplicio interituque iustitiam atq; potentiam. Ita exponit B. Aug. in quæstionibus super Exodum, & concludit. *Nouit ergo Deus*

Bern.serm.21. Psal.90.11. 1.Cor.10.13. Rom.9.17. Exo.9.16. Aug.q.32.

vti malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creat, sed eos perfert patienter, quousque scit oportere, non inaniter, sed vtendo eis ad admonitionem, vel exercitationem bonorum. TERTIVM exemplum est Iudæorum de quorum pertinaci obstinatione constat ex scripturis supra allegatis, & maximè ex illo dicto S. Stephani. *Dura ceruice & in circumcisis cordibus & auribus, vos semper spiritui sancto resistitis.* De iisdem verò, velut reproborum typo non obscurè agit D. Paulus in Epistola ad Romanos, capitulo nono, decimo & vndecimo. Et B. AVG. in epistola ad Asellicum. *Doctrina*, inquit, *Apostolica atque Catholica satis euidenter indicat nobis secundum mysterium spiritus, ad Esau Iudæos, ad Israhel pertinere Christianos. Ita quippe impletur, quod scriptum est, maior seruiet minori, id est, prior natus populus Iudæorum posteriori nato populo Iudæorum.* Constat autem Israhel vel Iacob typum esse prædestinatorum. Esau verò reproborum, secundum illud quod in manu Malachiæ Dominus dixit. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, idq; ab omni æternitate, *cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali*, vt interpretatur Apostolus.

Act. 7. 51.

Aug. ep. 200.

Mala. 1. 2.

Rom. 9. 11.

VIDE. V. *Consuetudo praua. Desperatio. Immortificatio passionum. Iudicium proprium. Præsumptio. Superbia. Voluntas propria.*

ODIVM.

Remedia contra Odium Proximi.

1 REMED. Considera diuinæ scripturæ sententias, quibus proximi odium prohibetur & damnatur. vt in Leuitico. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Et in Prouerbiis. *Odium suscitat rixas, & vniuersa delicta operit caritas.* Et. *Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio.* Et apud Beatum IOHANNEM *Qui odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Et. Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. Et. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Et. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est.* 2. quibus imperatur dilectio omnis proximi, etiam inimici. vt in Leuitico, & Euangelio Matthæi. *Diliges*, inquit Deus, *amicum tuum sicut teipsum.* Et CHRISTVS. *Ego autem dico vobis. Diligite inimicos vestros, vt sitis filij patris vestri.* Et. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Et Paulus. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitit potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.* Et Beatus IOAN. *Hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, vt diligatis alterutrum; non sicut Cain, qui ex maligno*

Leuit. 19. 17
Prou. 10. 12.
Prou. 26. 26.

1. Ioan. 2. 11.

2. Ioan. 3. 10.
1. Ioan. 3. 15.

1. Ioan. 4. 20.

Leu. 19. 18
Matth. 22. 39.
Matth. 5. 44.
Ioan. 15. 12.
Rom. 12. 20.
1. Ioan. 3. 11.

erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iusta.

II. REMED. ex SS. Patribus. B. EPHRÆM. *Quemadmodum omnium virtutum excellentissima est Caritas, ita vniuersorum vitiorum grauissimum est, odisse proximum. Nam qui fratrem suum odit, homicida est, sicut ait Apostolus. Qui odit fratrem, Deum ipsum odio habet. Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quo vadat, quoniam tenebræ obscurarunt oculos eius. Ecce quantorum malorum sit causa odium.* S. BASILIVS, de institutione monachorum. *Vbi deliquium patitur charitas, eo prorsus eius loco odium succedit. Quod si, vt IOANNES ait, DEVS caritas est, sine dubio necesse est diabolum odium esse. Vt igitur qui caritatem habet, is DEVM habet, sic qui odium habet, diabolum in se nutrit.* S. AMBROSIVS præcatione ad Missam. *De inuidia odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis eius propagatur. O mala progenies quæ si animo intromissa dominari cœperit, omnem sanctitatis sobolem extinguit. Qui itaque inuidet vel odit, non alium prius, quàm seipsum occidit. Qui exultat in aduersis proximi, & affligitur in prosperis eius, alieno proximum se petit gladio. Hoc secundum superbiæ virgultum tunc primo fuit exortum, cum ille de quo scriptum est, Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: Cain persuasit vt liuoris odio fraternum funderet sanguinem* S. HIER. ad Castorinam materteram. *Ioannes idem Apostolus & Euangelista in epistola sua ait. Quicunque odit fratrem suum homicida est, & rectè. Cum enim homicidium ex odio sæpe nascatur: quicunque odit, etiamsi necdum gladio percusserit, animo tamen homicida est. Cur, ais, tale principium? Scilicet vt veteri rancore depositio mundum pectoris Deo paremus habitaculum. Irascimini, inquit, Dauid, & nolite peccare. Hoc quid velit intelligi, Apostolus plenius interpretatur. Sol non occidat super iracundiam vestram. Quid agemus nos in die iudicij, super quorum iram, non vnius diei, sed tantorum annorum sol testis occubuit?* S. AVG. in lib. 50. homiliarum. *Iratus es? noli peccare. Irascimini & nolite peccare. Irascimini quasi homines, si vincimini, & nolite peccare, vt iram in corde teneatis. Quid est ira? libido vindictæ Quid odium? ira inueterata si facta est, iam odium dicitur. Quod videtur confiteri ille, qui cum dixisset, turbatus est præ ira oculus meus, addidit. inueteraui in omnibus inimicis meis? Quod erat ira, cum erat noua, odium factum est, quia in vetustatem conuersum. Ira festuca est, odium trabes est. Aliquando reprehendimus irascentem, & odium tenemus in corde, & dicit nobis Christus. Festucam in oculo fratis tui vides, & trabem in oculo tuo non vides? vnde crenit festuca vt trabem faceret? quia non statim euulsa est.* CHRYSOSTOMVS in psalm. 7. *Nec Christus hoc iussit nos non habere inimicos, sed non odisse: hoc enim est in nostra potestate, illud verò omnino non est. Ne autem sine causa odio habeamus, non est in nostra potestate, sed in eorum qui oderunt. Improbi enim bonos nulla de causa omninò odisse consueuere. Non est enim hoc spectandum vt non habeamus inimicos, sed ne iustè & cum causa, & vt licet illos odio habeamur, non habeamus odio, neque auersemur. Sunt hæc*

Ephr. in interrogat. tom. 1.
1. Ioan. 3. 15.
1. Ioan. 2.
Bas. in serm. 1. Ioan. 4. 9.
Amb. prec. ad
Sap. 2. 24. Gen. 4. Hier. ep. 36.
1. Ioan. 3. 15.
Psal. 4. 5. Eph. 4. 26.
Aug. hom. 42.
Matth. 7. 3.
Chrysost.

enim inimica, odio habere, & auersari. Et paulo post. *Hic odio te habet, & bellum gerit. Tu ama & eum beneficio affice. Probris & maledictis appetit, tu benedic & laude. Sed ne sic quidem soluit inimicitiae. maiorem igitur tibi affert mercedem. Mali enim, quo magis à nobis obseruati bellum nolunt componere, eo nobis splendidiorem remunerationem comparant, & se reddunt imbecilliores.*

III. REMED. Considerate, si odium aliquod in corde foueas, non posse solum non vti sanctissimis sacramentis, sed nec vnicam dominicam orationem sine mendacio recitare. Vtrumq; disertè Christus Dominus docuit apud Matthæum. *Cum enim dixisset. Ego dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* mox subiicit. *Si ergo offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo & tunc veniens offeres munus tuum.* Deinde in oratione Dominica iussit nos diserte dicere. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui autem fouet odium in corde certe non dimittit debitum proximi, & si non dimittit, mentitur. Idem docuere & SS. Patres. HIERONYMVS ad Castorinam. *Quid agemus nos in die iudibij super quorum iram non vnius diei sed tantorum annorum Sol testis occubuit? Dominus loquitur in Euangelio. Si offers munus tuum ad altare, ibiq; recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuũ ante altare, & vade reconciliari prius fratri tuo, & sic offeres munus tuum ad altare. Væ mihi misero, ne dicam & tibi, qui tanto tempore aut non obtuli munus ad altare, aut ira permanente sine causa obtuli. Quomodo in quotidiana prece vnquam diximus. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: animo discrepante cum verbis, oratione dissidente cum factis? Precor itaque, vt pacem quam nobis reliquit Dominus, habeamus. Quod si tu, quod procul absit, nolueris, ego liber ero. Epistola hæc mea cum lecta fuerit, absoluet.* AVG. in Dominica prima Aduent. *Quotiescunque natalem Domini, aut reliquas solennitates celebrare disponitis, odium velut venenum mortiferum de corde vestro repellite, & tanta sit in vobis caritas, quæ non solum vsque ad amicos, sed etiam vsque ad inimicos perueniat, vt securè possitis dicere in oratione Dominica, dimitte nobis debita, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nam qui scit se vel vnum hominem odio habere, nescio si ad altare Domini securus possit accedere, cum præcipuè Iohannes Euangelista terribiliter clamet, & dicat. Qui fratrem suum odit, homicida est. Nam vestrum est iudicare, vtrum homicida antequam pœnitentiam agat, præsumere debet Eucharistiam acciperere.* Et GREG. libro decimo moralium. *Vitam animæ quælibet culpa polluit, seruatus verò contra proximum dolor occidit. Menti namque vt gladius figitur, & mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur. Qui scilicet à transfixo corde si prius non educitur, nihil in precibus diuinæ opis obtinetur: quia & vulneratis membris imponi salutis medicamenta nequeunt, nisi ferrum à vulnere ante subtrahatur. Hinc est enim quod per semetipsam veritas dicit. Nisi remiseritis hominibus peccata eorum: nec pater vester, qui in cœlis est,*

Matth. 5. 22. & 6. 12.

Matth. 6. 12.

Hier. ep. 36.

Matth. 5. 24.

Aug. serm. 1. de temp.

Gen. 3. 15.

Greg. c. 18. Iob. 11.

Matth. 6. 15.

est, remittet vobis peccata vestra. Hinc admonet dicens: Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus alterum. Hinc contra institutionem postulationis, conditionem posuit pietatis, dicens. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, vt profecto bonum, quod à Deo compuncti petimus, hoc primum cum proximo conuersi faciamus. Mar.11.25. Luc.6.37. Matth.6.12.

IV. REMED. Considera, quam crebro, sedulo & serio Spiritus sanctus nobis in verbo suo commendet mandetq; virtutem odio è diametro contrariam, nempe dilectionem proximi. Primò enim Christus Dominus apud Matthæum declarauit mandatum de proximo diligendo simile esse mandato de diligendo Deo, ac proinde omnibus reliquis mandatis anteponendum. 2. indicauit & modum diligendi, vt nempe eum diligamus, *sicut nos ipsos*, non secundum æqualitatem, sed secundum similitudinem, conuenienter illi alteri Christi dicto legi naturæ consentaneo. *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est lex & Prophetæ.* 3. etiamsi Christus vtramque dilectionem Dei & proximi à nobis postulet, præcipuè tamen videtur exigere illam proximi. Nam apud B. Ioannem migraturus ex hac vita discipulis dixit *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Et. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Cur nouum, quod erat vetus, cur suum, quod erat Dei Patris, vocat præceptum, nisi quod velit illis tanquam præcipuum, & tanquam suum & nouum commendatum? Vnde S. Ioannes huius testamenti Christi archigrammateus. auctore B. HIERONYMO in commentariis epistolæ ad Galatas, *cum Ephesi moraretur vsque ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc. Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres qui aderant tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt. Magister, quare hoc semper loqueris? Qui respondit dignam Ioanne sententiam. Quia præceptum Domini est, & si solum fiat sufficit.* Hinc & Apostolus Paulus non semel in vna dilectione proximi plenitudinem legis posuit. Ad Galatas enim sic loquitur. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Ad Romanos verò. *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit.* Et. *Si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur. Diliges proximum tuum sicut teipsum.* B. IOANNES. quoq; ex dilectione proximi vult nos venire in notitiam dilectionis Dei. *Si quis dixerit*, inquit, *quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Hæc considerans B. AVG. in libris de Trinitate ita scribit. *Manifestum est, quod (B. Ioannes) iustitiæ perfectionem in fratris dilectione posuerit. Nam in quo scandalum non est, vtique perfectus est. Et tamen dilectionem Dei videtur tacuisse, quod nunquam faceret, nisi quia in ipsa fraterna dilectione vult intelligi Deum.* Et

Gal.6.2. Rom.13.8. 1.Ioan.4.20. Aug.l.8.de Trin.c.8.

Id. tract. 17. in Euangelium Ioannis. *Dilectio Dei prior est ordine præcipiendi, sed dilectio proximi prior est ordine faciendi. Neq; enim qui præciperet tibi dilectionem illam in duobus præceptis prius tibi commendaret proximum, & postea Deum, sed primò Deum, & postea proximum. Tu autem quia Deum non vides, diligendo proximum promereris quem videas: diligendo proximum purgas oculum ad videndum Deum euidenter Ioannis cente⁀. Qui diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?*

1. Ioan. 4. 20.

V. REMED. Quo perfectius obserues mandatum de diligendo proximo, & longius absis ab odio, da operam vt etiam ex corde diligas inimicos. Antidotum est B. AVGVSTINI in libro 50. homiliarum. Et ratio est, quia diuinum præceptum de diligendo proximo, non ad amicos tantum, sed etiam ad inimicos se extendit. Cuius causam, duplicem Dominus ipse reddidit. *Diligite inimicos*, inquiens, *vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniquos.* Et. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habetis? nonne & publicani hoc faciunt?* Modus autem diligendi consistit in eo. Primum, vt eos diligas, sicut teipsum; quia indefinitè iubemur diligere proximum sicut nosipsos. 2. vt ex corde remittas, si qua in re te offenderint. Nam in Leuitico dicitur. *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo.* Et apud Matthæum. Cum Christus retulisset seruum nequam, qui conseruo suo debitum dimittere nolebat, traditum tortoribus. *Sic*, inquit, *& pater meus cœlestis faciet vobis si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* 3. vt non gaudeas de inimici miseria: vel doleas de prosperitate. Ait enim Sapiens. *Noli de mortuo inimico tuo gaudere.* Et Salomon. *Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuũ.* Vnde B. Iob vt auerteret à se hoc scelus dixit. *Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui, quod inuenisset eum malũ.* 4. vt pro iis oret, eosque dum obuii fiunt, æquè atq; alios, salutes, & beneficiis deuincias. Sic enim Deus iussit in Exodo. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc eum. Si videris Asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.* Et Christus. *Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Et. *Si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis, nonne & Ethnici hoc faciunt?* Et Paulus. *Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere⁀. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Et. *Caritas patiens est, benigna est, non cogitat malum. Patiens est caritas*, inquit. B. GREGORIVS. decimo moralium⁀. *quia illata mala æquanimiter tolerat: benigna verò est, quia pro malis bona largiter ministrat.* Verum dices. Non possum diligere inimicum meum, quem quotidie velut hostem patior crudelissimum. Respondet B. AVGVSTINVS in sermonibus de sanctis. *O quicunque ille es, attendis quid tibi fecerit homo, & non consideras, quid tu feceris Deo. Cum enim tu multa grauiora in Deum peccata commiseris, quare non dimittis homini*

Matth. 5. 45.

Aug. hom. 5.

Matth. 22. 39.

Leu. 19. 17.

Matth. 18. 35.

Eccli. 8. 8.

Prou. 24. 17.

Iob. 31. 29.

Exod. 23. 4.

Matth. 5. 44.

Rom. 12. 14.

1. Cor. 13. 4.

Greg. c. 8.

Aug. serm. 5. de S. Steph.

mini parum, vt tibi Deus dignetur dimittere multum? Recole quid tibi in Euangelio veritas ipsa promiserit, & quam tibi quodammodo conditionem fecerit. Si enim, inquit, dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis, nec pater vester dimittet debita vestra. Videtis fratres, quia cum Dei gratia in potestate nostra positum est qualiter à Domino iudicemur? Nam sæpe dixi, fratres, & frequentius dicere debeo, nemo se circumueniat, nemo se seducat. Qui vel vnum hominem in hoc mundo odio habet, quicquid Deo in operibus bonis obtulerit, totum perdet, qui non mentitur Paulus Apostolus dicens. Si dedero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest, &c. Nemo sine caritate de virginitate præsumat nemo de ieiuniis, nemo de orationibus confidat, quia quamdiu inimicitiam in corde tenuerit, neque in istis quibuslibet operibus bonis placare sibi Dominum poterit. Sed dicet aliquis. Grandis labor est inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare? Nec nos negamus fratres. non paruus quidem labor est in hoc seculo, sed grande erit præmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici, efficeris amicus Dei: imò non solum amicus, sed & eius filius, sicut ipse Dominus dixit. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Deinde, vt habet B. Chrysostomus in quadam homilia ad populum Antiochenum. *Nihil ita Deum reddit propitium sicut inimicos diligere, & calumniantibus benefacere.*

Matth. 6. 14.

1. Cor. 13. 3.

Matth. 5. 45. Chry. hom. 53.

VI. REMED. Considera exempla eorum, qui in dilectione etiam inimicorum excelluerunt, ac proinde longissimè ab odii noxa abfuerunt. Primum sit Patriarchæ Ioseph de quo B. AMB. in lib. de Ioseph Patriarcha ita scribit *Ioseph à parentibus plus quam cæteri filij diligebatur. Sed ea res inuidiæ fuit, quod silentio prætereundum non fuit. Hinc enim argumentum totius historiæ processit: simul vt cognoscamus perfectum virum non moueri vlciscendi doloris inuidia, nec malorum rependere vicem. Vnde & Dauid ait: Si reddidi retribuentibus mihi mala. Quid autem esset, quod præferri Ioseph mereretur cæteris, si aut lædentes læsisset, aut diligentes dilexisset. Hoc enim plerique faciunt. Sed illud mirabile, si diligas inimicum tuum: quod Saluator docet. Iure ergo mirandus, qui hoc fecit ante Euangelium, vt læsus parceret, appetitus ignosceret, vendicatus non referret iniuriam, sed gratiam pro contumelia solueret: quod post Euangelium omnes didicimus, & seruare non possumus. Discamus ergo & sanctorum inuidiam, vt imitemur patientiam, & cognoscamus illos non naturæ præstantioris fuisse, sed obseruationis: nec vitia nescisse, sed emendasse.* ALTERVM sit protomartyris Stephani, de quo AVG. loco citato. *Positis genibus, inquit scriptura, clamauit dicens Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Videte dilectissimi affectum beati viri, videte magnam & admirabilem caritatem. In persecutione positus erat, & pro persecutoribus deprecabatur, atq; in illa lapidũ ruina, quando alius obliuisci poterat etiã carissimos suos, tunc ille Domino commendabat inimicos. Quid n. dicebat cũ lapidaretur? Domine, ne statuas illis hoc peccatũ. Plus itaq; tunc illorũ dolebat peccata, q̃ sua vulnera. Plus illorũ impietatem, quam suam mortem dolebat. In ictum*

Amb. c. 8.

Psal. 7. 5.

Matth. 5. 45.

Aug. serm. 55. Act. 7. 59.

ergo in aliquo dilectissimi fratres tanti magistri fidem, tam præclari martyris cari-
tatem. Diligamus nos hoc animo in Ecclesia fratres nostros, quo ille tunc dilexit inimicos.
Sed quod peius est, aliquoties non solum inimicos non diligimus, sed ne amicis quidem
fidem integram custodimus.

VII. REMED. pro Religiosis, vt etiam in minimis offensiunculis, cauteant simultatem, rancorem, amarulentiam vel auersionem animorum à fratribus ita enim apud CASSIANVM Abbas Ioseph disserit. *In tantum non vult nos Deus noster alterius despectui habere tristitiam, vt si aliquid aduersum nos frater habuerit, nec munera nostra suscipiat, id est, nec orationes sibi à nobis permittat offerri, donec de animo eius tristitiã iustè, iniustèue conceptam celeri satisfactione tollamus. Neque enim ait. Si habet veram querelam aduersum te frater tuus, relinque ibi munus tuum ad altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: sed si recordatus fueris, inquit, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, id est, etiamsi leue aliquid ac vile sit, quo fratris in te fuerit excitata commotio, & hoc memoriam tuam subita recordatione pulsauerit, scias te offerre precum tuarum spiritalia munera non debere, nisi prius qualibet ex causa ortã tristitiã de corde fratris benigna satisfactione depuleris.* Et paulo post. *Illud quoq; quib. lacrymis est deflendum, quod nonnulli dicunt. Si seculoris hoc fecisset, aut dixisset, rectè debuit sustineri. Quis autem ferat fratrem tam insolens de ore conuicium proferentem? Quasi verò patientia non omnibus sit generaliter exhibenda, cum vtique perturbatæ mentis commotio obstinata non dissimile, contra quemuis fuerit excitata, sibi inferat detrimentum.* Deinde *significanter expressit Euangelicus sermo dicens. Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Et rursus. *Illud verò quale est, quod interdum patientes esse nos credimus, quia respondere contemnimus lacessiti, vel motu gestuque irrisorio fratrem subsannamus? Quasi verò apud Deum verba tantummodo, & non præcipuè voluntas vocetur in culpam, & opus solum peccati & non etiam votum ac propositum habeatur in crimine. Quid enim differt, vtrum quis gladio peremerit fratem, an aliqua ad mortem fraude compulerit, cum ipsius eum dolo vel crimine constet extinctum?* Et infra. *Sæpe autem ficta patientia etiam acrius ad iracundiam, quam sermo succendit, & atrociss imas verborum transcendit intentas maligna taciturnitas: leuiusque tolerantur inimicorum vulnera, quàm irridentium subdola blandimenta. De quibus propriè dicitur per Prophetam. Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Et *alibi. Verba callidorum mollia, hæc autem feriunt in penetralia ventris.* Deinde B. BERN. tractans locum illum Canticorum. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* cum fratres suos magno feruore spiritus ita allocutus esset. *Ante mihi contingat mori, quam audire in vobis quempiam iustè clamitantem: Filij matris meæ pugnauerunt contra me. Nonne præsentis congregationis tanquam vnius matris filii omnes vos estis?* Paulo post subiecit. *Proinde dilectissimi, pacem habete ad vos & nolite lædere inuicem, non facto, non verbo, non signo qualicunque. Sic enim peccantes in fratrem, in Christum peccatis, qui ait. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Nec cauendum à grauioribus tantum*

Cass. coll. 16. c. 15. 17. 18.

Matth 5. 23.

c. 27.

c. 28.

Psal. 54. 22. Prou. 18. 8.

Bern. serm. 29. in Cant. Cant. 1. 6.

Matth. 25. 40.

tum offensis, verbi gratia, ab aperto conuitio, seu maledicto, sed à clandestino quoque & venenato susurrio. Non, inquam, sufficit os custodire ab his, & his similibus. cauenda sunt & leuia: si tamen leue debeat dici, quodcunque in fratrem præsumpseris voluntate lædendi, cum hoc solo, si irasceris illi diuini reus iudicij tenearis. Merito quidem; nam quod tu leue putas, & ob hoc leuius præcipitas, plerumque alius aliter accipit, tanquam homo videns in facie, & secundum faciem iudicans paratus festucam trabem suspicari, & scintillam putare fornacem. Non enim est omnium caritas illa, quæ omnia credit, &c. Non potest orare, non potest legere, non sanctum aut spirituale aliquid meditari. Et ita intercepto vitali spiritu, dum suis destituta alimentis vadit ad mortem anima, pro qua Christus mortuus est, quid tu interim quæso animi habes? 1. Cor. 13. 7.

Et infra. *Quod si dixeris illum non tam grauiter pro tam leui causa debuisse turbari. Respondeo, quanto leuior est, tanto à te leuius potuit non committi: quanquam nescio, quomodo leue dicas, vt iam dixi, quicquid amplius est, quam irasci, cum vel hoc ipsum obnoxium esse iudicio ex ore ipsius acceperis iudicis. Quid enim? tunè leue dixeris, in quo offenditur Christus, vnde ad Dei iudicium pertrahi habes, cum horrendum sit incidre in manus Dei viuentis?* Heb. 10. 31.

Tu ergo accepta forte iniuria (quod quidem interdum non accidere in his conuentibus difficile est) non continue more secularis obliquè referire fratrem respõsione festines, sed neque sub specie quasi corripiendi, verbo acuto & vrenti transfigere audeas vllatenus animam, pro qua Christus affigi cruci dignatus est, non grunnire quasi increpando, non labiis mussitare quasi murmurando, non narem contrahere, aut cachinnare quasi subsannando, non frontem rugare quasi inuehendo aut comminando. Sane commotio tua illi moriatur, vbi oritur, nec permittatur exire, quæ mortem portat, ne perimat, vt dicere possis & tu cum Propheta. Turbatus sum & non sum locutus. Psal. 76. 5.

VIII. REMEDIVM est Humilis postulatio veniæ ab eo qui tibi offensus est. Est B. AVGVSTINI in libro 50. homiliarum. *Ipsos imprimis admoneo, quicunque habetis discordiam cum fratribus vestris, & reuocatis ad vos, & consideratis vos, & tustum iudicium fertis in vobis intus in cordibus vestris, & inuenietis vos non debuisse facere, quod fecestis, non debuistis dicere, quod dixistis. Petite veniam fratres à fratribus vestris: facite fratribus, quod ait Apostolus. Donantes vobis ipsis, sicut & Deus in Christo donauit vobis. Nolite erubescere veniam petere. Proinde omnibus dico viris & feminis, minoribus & maioribus, laicis & clericis. Dico & mihi ipsi. Omnes audiamus, omnes timeamus, si peccauimus in fratres nostros. Si adhuc inductas viuendi accepimus, non ideo morimur. adhuc enim viuimus, nondum damnati sumus. Dum viuimus, facimus quod iubet pater, qui erit Deus iudex omnium, vt petamus veniã à fratribus, quos forte peccando in eos aliquid offendimus, aliquid læsimus.* Aug. hom. 40. Eph. 4. 32.

Subiicit deinde de dominis peccantibus in seruos, à quibus ait non petendam veniam, ne superbiant. *Quid ergo? Anté oculos Dei pœniteat eum, ante oculos Dei puniat cor suum: & si non potest dicere seruo suo, quia non oportet, da mihi veniam, blãde illum alloquatur: blanda enim appellatio veniæ est postulatio.* Deniq; & subdit, quid agendum ei qui læsus est, & non læsit. *Quid ergo dicturus sum? Vade ad*

illum & tu pete veniam, absit nolo mentiaris, nolo dicas, da mihi veniam: qui tenetis non peccasse in fratrem tuum. Quid enim prodest tibi, cum tu tuus fueris accusator? quid expetis tibi ignosci ab eo quem non læsisti, aut in quo non peccasti? Debent inter vos alij pacifici, qui illum obiurgent, vt á te prius veniã petat: tu tantum paratus esto ignoscere: prior paratus esto ex toto corpe dimittere. Si paratus es dimittere iam dimissit: habes adhuc quod ores. Ora pro illo, vt petat à te veniam, quam scis ei nocere si non petat. Die Domino in oratione tua. Domine scis me non peccasse in illum fratrem meum, sed illum potius peccasse in me: si veniam non petat à me. Ego bono animo peto, vt ignoscas et.

VIDE. V. *Amor sui. Blasphemia. Consuetudo prava. Discordia. Immortificatio passionum. Impatientia in aduersis. Ingratitudo, Ira Maledictio, Murmuratio. Superbia. Vindicatio iniuriæ.*

OTIVM.

Remedia contra Otium.

Prou.12.11. Prou.28.19. Eccli 31 29. Ezec.16.49. Matth.7.19.

Matth.20.6. Luc.13.7.

Gen.2.15. Iob.5.7. Eccli.7.16. 2.Cor.3.8. 2.Thess.4.11. 2.Thess.3.10.

Eccli.4.23. Eccli.14.14. &.15.21. Eph.5.16.

Aug.in cap. 2.Isa.

I. REMED. Considera quid diuina scriptura asserat de otio. Primo enim reprehendit illud, declaratque multorum malorum esse causam. vt in Prouerbiis Salomonis. *Qui sectatur otium*, inquit, *stultissimus est.* Et. *Qui sectatur otium replebitur egestate.* Et in Ecclesiastico. *Multam malitiam docuit otiositas.* Et apud Ezechielem. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius.* Et apud Matthæum. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur*, Et. *Quid hic statis tota die otiosi?* Et apud Lucam. *Succide illam*, i. arborem sici, in qua fructus nullus inuentus erat, *vt quid etiam terram occupat?* 2. commendat laborem, vt homini congruentem. *Tulit enim Deus*, vt est in Genesi, *Dominus Deus hominem & posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Et Iob ait. *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* Et Ecclesiasticus. *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab altissimo.* Et Paulus. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Et. *Rogamus vos fratres vt operemini manib. vestris sicut præcepimus vobis.* Et *Quoniam si quis non vult operari nec manducet.* 3. monet, vt tempus bene impendamus. vt in Ecclesiastico. *Fili, conserua tempus & deuita à malo.* Et. *non deflauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* Et. *Nemini Deus dedit spacium peccandi.* Et in Apostolo. *Videte fratres quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes redimentes tempus, quoniam dies malt sunt.*

II. REMED. Considera sententias SS. Patrum, BASILIVS in verba Isaiæ. *Ieiunium, otium, & Neomenias vestras odit anima mea. Inter ea quæ odio, inquit, prosequitur Dominus, vnum hoc est, segne & iners otium, nimirum cessatio ab*

bit,

bis, quæ nos ex officio attinet facere. Et mox subdit. *Quomodo enim non odio prosequendum otium, quod formica & api peiorem efficit hominem, qui vtique initio conditionis suæ positus in paradiso est, vt operaretur & custodiret eum. Primum igitur & maximè proprium humanæ conditioni studium est, vt operetur, ita vt iners otium sit propemodum præter hominis naturam id quod asserit se Dominus odisse.* CHRYSOSTOMVS in epistolam ad Ephesios. *Otium malitiæ pars est, imò verò non pars sed causa & mala radix. Omnem quippe malitiam docuit otium; itaque cauendum, ne stultè quæstiones istas indagemus, nempe quem sit habiturus locum, qui nihil boni fecit, Nihil enim boni facere, hoc ipsum est malum facere. Dicas enim velim, si famulum haberes, qui & si nec furaretur, nec conuitiaretur, nec contradiceret, imò nec inebriaretur, nec reliquorũ malorũ quicquam designaret, sederet tamen perpetuo otiosus, nec aliqd eorũ quæ seruus hero suo præstare debet, faceret, non flagellares illũ vt peruersum?* AMBROSIVS de Cain & Abel. *Apud ignauos nulla sunt insignia virtutis: apud Sapientes prima habentur. Studia enim virtutis quædam instrumenta sunt. Itaq, sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus. Vnde & Dominus in Euangelio ait. A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum cogitur & cogentes diripiunt illud. Et alibi. Quæritæ regnum Dei, & ecce omnia præsto sunt vobis, non dormientibus, neque otiantibus, sed vigilantibus & laborantibus pollicentur præmia, & labori merces parata est: qui licet non suauis ad gratiam, tamen fructuosus ad præmium est.* Et infra. *Nulla enim sine labore virtus, quia labor processus virtutis est.* HIERONYMVS. ad Rusticum monachum. *Facito aliquid operis vt te semper diabolus inueniat occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Euangelio viuere, laborabant manibus suis, ne quem grauarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debeant metere carnalia, cur tu in vsus tuos cessura non præparas?* Et paulo post. *Texantur lina capiendis piscibus: scribantur libri, vt & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur. In desideriis est omnis otiosus.* AVGVST. ad Abbatem insulæ Capratiæ. *Si quam operam vestra mater Ecclesia desiderauerit, nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo, cum mansuetudine portantes eum, qui vos regit, qui dirigit mites in iudicio, qui docet mansuetos vias suas. Nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini non inueniretis. Sicut autem inter ignem & aquam tenenda est via, vt nec exuratur homo, nec demergatur: sic inter apicem superbiæ, & voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus, sicut scriptum est. Non declinantes neque ad dexteram, neque ad sinistram, &c. Sic ergo dilectissimi diligite otium vt vos ab omni terrena delectatione refrenetis.* Et in libris de ciuitae Dei. *Quid est, quod cum labore meminimus, sine labore obliuiscimur, cum labore discimus, sine labore nescimus: cum labore strenui, sine labore inertes simus? Nonne hinc apparet, inquit velut pondere suo procliuis & prona sit vitiosa natura, & quanta ope, vt hinc liberetur, indigeat? Desidia, segnities, pigritia, negligentia, vitia sunt vtique, quibus labor fugitur, cum labor ipse etiam*

Chry. hom. 18

Amb. lib. 1. c. 6

Matth. 11. 12. Matth. 6. 33.

Id. l. 2. c. 2.

Hier. ep. 4.

Prou. 4. 27.

Aug. ep. 81.

Aug. l. 22. c. 22.

Cass. lib. 10. c. 6. *qui est vtilis, pœna sit.* CASSIANVS in institutionibus monasticis. *Mens otiosa (monach) nihil aliud cogitare nouit, quam de escis ac ventre, donec inuenta quadam sodalitate cuiusquam vri, vel fœminæ aquali tempore torpentis, rebus eorum ac necessitatibus inuoluatur, & ita paulatim reddatur noxijs occupationibus irretitus, vt tanquam serpentinis spiris obstrictus nunquam deinceps ad perfectionem professionis antiquæ se valeat enodare.* BERN. de Consideratione ad Eugenium Papam. *Si recte Sapiens hortatur sapientiam scribi in otio, cauendum & in otio, otium est. Fugienda proinde otiositas, mater nugarum, nouerca virtutum. Inter seculares nugæ nugæ sunt; in ore sacerdotis blasphemiæ. Interdum tamen si incidant, ferendæ fortasse, referende nunquam.* SENECA ad Lucilium. *Otium sine litteris mors est, & viui hominis sepultura.*

Bern. lib. 2. in fin.

Eccl. 38. 25.

Sen. ep. 82.

Iob. 5. 7. III. REMED. Considera quam turpe sit hominem, alioquin ad laborem natum, teste Iob, aspirare ad otium, cum nihil in mundo otio vigeat, ne Deus quidem totius mundi opifex. *Pater meus vsque modo operatur* inquit apud B. Ioannem Christus, *& ego operor. Angeli omnes*, teste Apostolo in epistola ad Hebræos, *sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Cœlestes orbes nulla quiete interposita continenter agitantur. *Ecce enim sol*, vt est apud Augustinum in sermonib. ad fratres in eremo, *cursum anni perficit, Luna etiam mensibus & vicissitudinibus discurrit & cetera stellæ. Omnia enim sibi deputata officia sine quiete exercet. Nunquid etiam animalia bruta ad suæ naturæ industriam otium fugiũt? nunquid etiam laborant, vt conseruentur inesse? Nunquid in suis necessitatibus deficere & pigrescere videmus? Absit. Omnia enim sub obedientia sunt, omnia agunt, quod agere debent.* Quæ ergo dementia est, vt solus homo de ignauo otio agendo cogitet. *Neque enim eo consilio*, inquit, S. BASILIVS in constitutionibus monasticis *Dominus hominem finxit, vt segnis ac languens desideret, sed contra potius, vt esset, qui se in laboribus honestis exerceret: quandoquidem & primo Adæ in paradiso præcepit vt laboraret, & paradisum ipsum custodiret: & tum deinde post quam ex illo exactus exulauit, sententiam tulit, vt pane suo in sudore vultus sui vesceretur. Quod autem quæ Adæ dicta tum fuerint, ea omnibus etiam dicta sint, qui ab eo sunt oriundi, ex hoc liquidò perspici potest. quod cum illum tantummodo tum nominatim Deus morte mulctasset, quando dixit, Terra es, & in terram reuerteris: nihilominus tamen omnes, quotquot ab eo originem duxere eiusdem similiter vna cum eo calamitatis participes extitere. Quamobrem conuenit vnumquemq; neque naturæ ordinem, neque præscriptos a natura opifice limites transilire, potiusq; in his continere se, & corpus in actione aliqua occupatum tenere: illudq; prouidere, ne ipsum dum grauius, quam par est, premit, opprimat.* Et S. AMB. in Lucam. *Neque enim otiosè dictum est homini, quod nulli aliorum animantium. In sudore vultus tui manducabis panem tuum. His enim animalibus, quæ natura irrationabilia sunt, iussu Dei terra pabulũ ministrare præcepta est. Soli autẽ homini, vt rationabile quod accepit, exerceat, vitæ cursus in labore præscribitur.*

Basil. c. 5.

Gen. 2. 15.

Amb. in præf. Gen. 3. 19.

Qui

Qui enim non est contentus animalium pabulo cæterorum, tui non satis est lignum fructiferum commune omnibus adescam datum, sed delicias sibi variarum exquirit epularum, delicias sibi transmarinis arcessit è terris, delicias verris è fluctibus, recusare non debet, qui labore victum requirit breuem, si laborem pro vita sabeat æterna.

IV. REMED. Considera otio patefieri ianuam diabolo & omnibus vitiis. Otium enim, vt vulgo dicitur, est puluinar diaboli. *Aliquid operis facito,* supra monuit B. HIER. monastices cupidum, *vt semper te diabolus inueniat occupatum.* Et IOAN. CASSIANVS lib. 10. institutionum monasticarum *Hæc,* inquit, *apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancita est sententia, operantem monachum dæmone vno pulsari: otiosum verò innumeris spiritibus deuastari. Otium* autem *maleficij esse principium nemo est qui ignoret,* scribit B. BASILIVS in hexemeron. Imo teste Spiritu sancto magister & doctor est ipsius malitię. *Multam malitiam,* inquit, *docuit otiositas.* Neque enim leuiora tantum delicta, sed etiam grauissima & nefaria crimina in otii ludo discuntur, quæ nomine *multæ malitiæ* hic intelliguntur. Hinc B. GHRYSOST. in Matth. scribens. *Valde,* inquit, *desidero vos bonis operibus esse occupatos: omnium enim vitiorum quasi magistra quædam atque origo est otiositas.* Et AVG. loco supra allegato. *Per hanc accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicatè pasci, per hanc suffocamur præciosè vestiti, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba secularia ducimur. Nunquam quis ciuis cœlorum erit, si otiositatem amauerit.* Atq; hæc causa est, cur B. AMBR. in expositione psalmi 118. non dubitet, tempus belli & persecutionis, tempori pacis, quo etiam viget, anteponere. *Cito enim fides,* inquit, *inexercitata languescit, & crebis otiosa tentatur incommodis. Remissas excubias callidus insidiator irrumpit: assuetum autem bello virum externa fraus instruit, & glorioſæ prouehit palma victoriæ. Pax ergo fideli corruptelæ materia est. Quam pulchrè nobis persecutionis processere tempora? Intentus sicut medicus erat intimæ ad Deum mentis affectus, illi adhærebat, nec vllas cogitationes obstrepentes sibi præcantis animus sentiebat, totis visceribus fundebatur oratio; & quidem miscebatur sermo cum Domino: quotidiana meditatio habebat iam contemptum periculi, & vsum calcandæ mortis receperat, quod amisimus exercitium. Tentant otia, quos bella non fregerant. Periculosa igitur & pacis otia. In pace plures persecutiones esse ceperunt. Nullus erat tempore persecutionis adulator; non vacabat animo, corporis delectatione dissolui, & huiusmodi, quæ secundis rebus excitari solent, admittere passiones.* Eadem de causa HIER. non semel otium appellauit *rubiginem sapientiæ & ingenii;* vt enim tempore pacis videmus arma bellica, splendore suo destitui, & rubigine obduci, sic in otio animus noster exercitatione virtutum destitutus quasi torpescit & rubiginem contrahit, ac situm spiritualem.

Hier. ep. 4. Cass. c. 25.

Bas. hom. 7. Eccli. 33. 29.

Chry. hom. 36.

Aug. serm. 14.

Amb. serm. 11.

Hier. in c. 10. Eccles. & ep. ad Innoc.

V. REMED. Considera exempla eorum qui propter otium in grauissima crimina lapsi sunt. Nam si religionem spectes, quid grauius idolo

latria, adhuc otium filios Israhel pellexit, vt Moyse in monte cum Deo agente aureum vitulum impiè adorarent. *Sedit populus*, inquit scriptura, *manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Si vero temperantiam, quid scelestius eo libidinis genere, ob quam Sodoma & Gomorrha aliæque vrbes cœlesti fulmine absumptæ sunt, cuius causam Ezechiel Propheta saturitati panis & otio ipsarum, & filiarum tribuit. *Quem tædet orare vel psallere,* inquit AVGVSTINVS, ad fratres in eremo, *laborare manibus non differat, cogitantes, quod quamdiu Dauid exercitauit se in militia, non insultauit ei luxuria, sed postquam in domo otiosus remansit laborauit adulterio, & homicidium commisit. Samson, dum cum Philistæis pugnauit, non potuit capi ab hostibus, sed postquam dormiuit in sinu feminæ, & otiosè cum ea remansit, mox capitur, & cæcatur ab hostibus. Salomon dum occupatus esset in ædificatione templi, non sensit luxuriam; sed mox recedente ab opere persensit insultum luxuriæ, & deficiens, femina instigante, ad idola, adorauit in thalamo vitulum aureum. Viglate ergo fratres mei, & nolite deficere: quia nec sanctiores Dauide, nec fortiores Samsone, nec sapientiores Salomone vos esse cognosco.*

Exo. 32. 6.

Ezech. 16. 49.

Aug. serm. 16.

2. Reg. 11. 4. Iud. 16. 21.

3. Reg. 11. 4.

VI. REMED. Considera in verbo diuino non otiosis, sed laborantibus promitti mercedem, vt liquet ex parabola conductorum ad vineam apud Matthæum, vbi Dominus vineæ ait. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Et apud eundem Christus. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.* Et Paulus. *Vnusquisque mercedem recipiet secundum suum laborem.* Et Ioannes *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.* Vnde B. BASILIVS *Opera ostende, & exige retributionem.* Deinde promittitur maior merces secundum maiorem laborem, vt liquet ex parabola seminis apud eundem Matthæum; nam aliud tricesimum, alud sexagesimum, aliud centesimum fructum profert. Et Paulus, ait. *Qui parce seminat parce & metet, & qui seminat in benedictionibus,* hoc est liberaliter, *de benedictionibus & metet.* Vnde B. GREG. *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum: vt quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat.* Deniq; in eodem verbo declaratur exiguos esse labores nostros, si cum excellentia mercedis vitæ æternæ conferantur. *Non sunt condignæ passiones huius temporis,* Ait Apostolus, *ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Imò Christus Dominus. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum.* Vnde B. Aug. scribens in epistolam B. Ioannis. *Quid mihi posteadabit,* decet aliquis, *qui in hoc seculo video me laborare inter tentationes, dicam Deo meo; Propter verba labiorum tuorum custodiui vias duras. Ad quam ergo mercedem? Audi, & noli deficere. Si deficiebas in laboribus promissa mercede fortis esto. Homo promisit, qui te potest fallere. Quanto fortior esse debes in agro Dei, quando promissor veritas,*

Matth. 20. 8. Matth. 16. 27.

1. Cor. 3. 8. Apoc. vlt. 12.

Ba orat. ad diu...es.

Matth. 13. 8. 2. Cor. 9. 6.

Greg. 4. mon. c. 42.

Rom. 8. 18. 2. Cor. 4. 17. Luc. 6. 38.

Aug. tract. 3.

Psal. 16. 4.

veritas, cui nec succedi potest, nec mori nec fallere potest eum cui promissum est. Et quid est promissum? Aurum est, quid hic multum amant homines, an argentum? An possessiones ob quas homines fundunt aurum? An amœna prædia, amplæ domus, multa mancipia, animalia numerosa? Non est hæc merces quædam, ad quam nos hortatur, vt in labore duremus. Quid dicitur merces ista? vita æterna. Audistis & gauisi exclamastis. amate quod audistis, & liberamini à laboribus vestris in requiem vitæ æternæ. Ecce quid promittit Deus? vitam æternam. Ecce quid minatur DEVS? Ignem æternum.

VII. REMEDIVM. Da operam, vt non facile facias iacturam aliquam temporis, quod etiam Ethnici maximi fecerunt. Pittaci enim vnius è septem sapientibus dictum est, γνῶθι καίρον, nosce tempus, hoc est, opportunè age omnia. Theophrastus apud Laertium. *Sumptus præciosissimus? tempus: nam elapsum nullo pretio recuperari potest.* Democritus Milesius. *pretiosissimum impendium tempus.* SENECA ad Lucilium. *Non tam benignum ac liberale natura nobis tempus dedit, vt aliquid ex illo vacet perdere.* Et PLINIVS maior, cum aliquando nepotem suum cerneret ambulationi vacantem, *Poteras, inquit, has horas non perdere.* Recte ergo Apostolus ad Galat. *Bonum, ait, facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* In quæ verba B. HIER. *Tempus seminis tempus est præsens, & vita quam currimus. In hac licet nobis quod volumus seminare. Cum ista vita transierit, operandi tempus auferetur. Vnde & saluator ait. Operamini, dum dies est, veniet nox, quando iam nullus poterit operari.* Et infra. *Breue est vitæ istius curriculũ. Hoc ipsum quod loquor, quod dicto, quod scribo, quod emendo, quod relego, de tempore meo mihi aut crescit, aut deperit. TITVS filius Vespasiani, qui in vltionem Dominici sanguinis subuersis Hierosolymis Romam victor ingressus est. tantæ dicitur fuisse bonitatis, vt cum quadam nocte sero recordaretur in cœna, quod nihil boni die illa fecisset dixerit amicis. Hodie diem perdidi. Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cum otiosum. verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die iudicij? Quod si hoc ille sine lege, sine Euangelio, sine Saluatoris & Apostolorum doctrina naturaliter & dixit & fecit, quid nos oportet facere?* Idem in epistolam ad Ephesios, dum exponit verba illa. *Videte quomodo caute ambuletis, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Qui sapiens est, inquit, & idcireo cautè ambulat, redimit tempus. Tempus autem redimit, quia dies mali sunt. Quando in bono opere tempus consumimus, emimus illud & proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat. Nemo autẽ vitæ huius quærens necessaria, & de diuitiis & solicitudinibus, quam Euangelium spinas nuncupat, potest sibi tempus redimere. Redimentes autem tempus, qud in diebus malis est, quodammodo immutamus illud, & dies malos in bonos vertimus, & facimus illos non præsentis seculi, sed futuri.* Denique in caput primum Aggæi. *Stoici, inquit, dixerunt omne tempus esse correctionis. Omne enim tempus, in quo non virtutibus deseruimus, sed vitiis, perit, & quasi non fuerit reputatur in nihilum.*

Laert. l. 1.

Sen. ep. 118.

Galat. 6. 9. Hier. l. 3. comment. Ioan. 9. 4.

Id. lib. 3. comm. Eph. 5. 15.

Matth. 13. 22.

VIII. RE-

VIII. REMED. Prouide, vt ad cauendum otium, tempusq; redimendum ita te occupes actionibus & laboribus instituto tuo consentaneis ne quod præcipuum est, negligas, nempe animæ salutem: id enim esse vitium vitio pellere & vnum diabolum pro alio admittere. Qua in re hallucinantur, qui vt otium fugiant, dedunt se potationibus, lusibus, ambulationibus, aliisque rebus ipso otio sæpe deterioribus, ista enim oblectamenta grauibus nonnunquam tentationibus fomenta subministrant. Stultissimum verò est, in iis occupationibus vitam agitare, quæ ita tempus omne eripiant, vt cum ad exitum vitæ peruentum sit, minimam temporis partem nostram fuisse dicere possimus. Quid enim stultius, quam vt tum reperiamur serui fuisse hominum, & occupationum, de animæ verò salute, quæ imprimis quærenda erat, nullam curam habuisse? Etsi enim hoc genus occupationum suapte natura vel bonum esse possit, vel adiaphorum, vti sunt omnia studia litterarum, nobis quidem certe hoc ipso bonum non est, quod nos ipsos nobis suffuratur. Hoc certe omnium actionum, vitæq; totius fundamentum esse debet, vt sobriè, piè & iuste secundum Apostolum hanc vitam instituamus in hoc seculo. Atque idcirco sapienter monet AVG. dum locum Paulinum de tempore redimendo ante citatum exponit, vt occupationibus, siue litterarū, siue negotiationum, siue litium, siue aliis quibuscunq; nos dedamus, tempus tamen aliquod eripiamus curandæ saluti nostræ, id enim esse apud Apostolum, redimere tempus. *Expectatis*, inquit, *à me forte scire quid est tempus redimere. Dicturus sum, quod pauci audiunt, pauci ferunt, pauci aggrediuntur, pauci agunt: tamen dicam, quoniam ipsi pauci, qui me audituri sunt inter malos viuunt. Redimere tempus hoc est. Quando aliquis tibi infert litem, perde aliquid, vt Deo vaces non litibus perde. Ergò ex eo, quod perdes, pretium est temporis. Certe quando pro tuis necessitatibus procedis ad publicum, das nummos, & emis tibi panem, aut vinum, aut oleum, aut aliquam suppellectilem, das & accipis, aliquid amittis, & aliquid acquiris: hoc est emere. Nam si nihil amittas, & habeas quod non habebas, aut inuenisti, aut donatum accepisti, aut hæreditate acquisisti. Quando autem aliquid amittis, vt aliquid habeas, tunc emis: quod habes, emptum est: quod amittis pretium est. Quomodo ergo perdis nummos, vt emas tibi aliquid: sic perde nummos, vt emas tibi quietem. Ecce hoc est tempus redimere.*

Tit. 2. 12.

Aug. de verbis Apost. serm. 26. Eph. 5. 15.

IX. REMED. Considera exempla eorum qui otii hostes fuere. Primus sit B. PAVLVS Apostolus, qui tum vt otium caueret, tum ne cuiquam offendiculo vel oneri esset etiam labore manuum victum parauit, & aliis vt idem facerent verbo exemploq; hortatus est, quemadmodum prolixè ex scripturis probat in libro de Spiritu acediæ IOAN. CASSIANVS. Sic enim in priore ad Thessalonicenses epistola loquitur. *Rogamus autem vos fratres, vt quieti sitis, & vt vestra negotia agatis, & operemini manibus vestris*

Cass. l. 10. cap. 7. & 17. 1. Thess. 4. 11.

vestris sicut præcepimus vobis & vt honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & vt nullius aliquid desideretis. 1.Thess.3.6.
In posteriore verò sic. *Denunciamus vobis fratres in nomine Domini nostri IESV Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, ipsi enim scitis, quoniam non inquieti fuimus inter vos neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum essemus apud vos hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet.* Act.20.33.
Et in actis Apostolicis conuocatis Ecclesiæ præsbyteris dixit. *Aurum & argentum nullius concupiui, ipsi scitis, quoniam ad omnia, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministrarunt manus istæ.* Hier.ep.4.
SECVNDVS sit B. HIER. qui qua arte otium & libidinem vicerit ita scribit ad Rusticum monachum. *DVM essem iuuenis, & solitudinis me deserta vallarent, incentiua vitiorum, ardoremq; naturæ ferre non poteram, quem cum crebris ieiuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat. Ad quam edomandam cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, vt post Quintiliani acumina, Ciceronis fluuios, grauitatemque Frontonis, & lenitatem Plinii, alphabetum discerem, & stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperauerim, quotiesq; cessauerim & contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia, tam mea, qui passus sum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam.* De Ægyptiorũ verò monasteriis ibidem sic scribit. *Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus mens* Cass.c.17.
Consentit lib.citato CASSIANVS. *His exemplis,* inquiens *per Ægyptum Patres eruditi, nullo modo otiosos esse monachos, ac præcipuè iuuenes sinunt, actum cordis ac profectum patientiæ & humilitatis sedulitate operis metientes; & non solum à nullo quicquam ad vsum victus sui accipere patiuntur, sed etiã de laboribus suis non tantum superuenientes, & peregrinos reficiunt fratres, verum etiam per loca Lybiæ, quæ sterilitate ac fame laborant, nec non etiam per ciuitates his, qui squalore carcerum contabescunt, immanem conferentes dirigunt alimoniæ victusque substantiam, de fructu manuum suarum rationabile ac verum sacrificium Domino tali oblatione se offerre credentes.* cap.24.
Addit deinde exemplum Abbatis Pauli inter Patres probatissimi, qui singulis annis omne opus manuum suarum (hoc est, folia palmarum in antrum suum collecta) suppositio igne concremabat, *in tantum,* inquiens *probans sine opere manuum, nec in loco posse monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere, vt cum hoc fieri nequaquam necessitas victus exigeret, pro sola purgatione cordis & cogitationum soliditate ac perseuerentia cellæ vel acediæ ipsius victoria & expugnatione perficeret.* IAM VERO de S. MARTINI monasterio in Gallis ad Ligerim constructo, quemadmodum otium fugerit, in hunc modum scribit SEVERVS Sulpicius. *Discipuli octoginta erant qui* Sulp.in vita S. Martin.c.7.

ad exemplum beati magistri instituebantur. Nemo ibi quidquam proprium habebat, omnia in medio conferebantur. Non emere aut vendere, vt plerisq; monachis moris est, quicquam licebat. Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor ætas deputabatur. Maiores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellulam fuit egressus, nisi cum ad locum orationis conuenibant. Cibum vna omnes post horam iustam accipiebant. Vinum nemo nouerat, nisi quem infirmitas coegisset. TERTIVS etiã S. BERN. qui vti Guilielmus Abbas Bonæuallis in eius vita scribit, cum omnes suos fratres corporali labore quotidie exerceri vellet, ne se quidem excipi voluit, & si quando ob virium imbecillitatem, eosdem cum alios labores sustinere non valeret, similes tamen, vt cædendi, vel portandi ligna, vt humilitate onus compensaret, sustinebat: Cumque aliquando fratres foras demetendi fœni frumentiue causa abituri essent, cum lacrymis metendi gratiam à Deo impetrauit. Idem cum de suis quendam ardenter operi instantem vidisset, diuinitus prædixit, eum ob hunc laborem à Purgatoriis pœnis liberum futurum. Secuti sunt hos alii, inter quos S. FRANCISCVS, teste B. Bonauentura, & sua ipse manu persæpe laborabat, & ociosum quendam, fugitantemq; laboris appellauit, *fratrem muscam*, & ab Ordine suo remouit.

In Surio. 20. August.

Th. Cantipr. lib. 2. c. 5.

Bonau. in eius vita.

VIDE V. *Accedia. Choreæ. Colloquia otiosa. Curiositas. Exemplum malum. Immodestia. Linguæ abusus. Pigritia. Tepiditas. Voluntas propria.*

P

PECCATVM.

Remedia contra Peccata.

PRIMVM Remedium. Considera quid Spiritus S. generatim de peccatis in diuinis scripturis patefecerit. Primo declarat omnes homines conceptos in peccato (excipe Christum & eius matrem). Vnde Dauid. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Et Apostolus. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit.* 2. procliues ad peccandum. Vt in Genesi. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Et in Epistola ad Galatas. *Caro concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem.* 3. neminem esse, qui non peccet. Vt in libris Regum. *Non est enim homo, qui non peccet.* Et in prouerbiis.

Psal. 50. 7.

Gen. 8. 21. Gal. 5. 17.

3. Reg. 8. 46. Prou. 24. 16.

Septua-

Septies cadit iustus. 4. prohibet peccatũ. Vt in Ecclesiastico. *Noli facere mala, & non te apprehendent.* Et. *Fili peccasti, non adicias iterum: sed & de pristinis depreare, vt dimittantur tibi.* Et in epistola ad Romanos. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore,* 5. damnat illud, vt Deo exosum. Nam Isaias ait. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Et Dauid. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Et. *longe à peccatoribus salus* Et B. Ioannes. *Qui facit peccatum ex diabolo est.* Et Christus. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Eccli. 7. 2. Eccli. 21. 2. Rom. 6 12. Isa. 5 18. Psal 5. 7. Psal. 118. 155. 1. Ioan 3. 8. Matth. 25. 41

II. REMED. Considera Patrum veterum sententias TERTVLIANVS. *Omne peccatum impatientiæ asscribendum. Malum impatientia est boni. Nemo impudicus non impatiens pudicitiæ, & improbus probitatis, & impius pietatis & inquietus quietis* S. BASILIVS in martyrem Iulittam. *Peccatum animæ est ægritudo: peccatum mors est animæ alioqui immortalis: peccatum luctu est & implacabilibus lamentis dignum. Ob peccatum profluant effusissimæ lachrymæ, neu desinat ex imo pectoris recessu iugiter prosilire suspiriosus gemitus.* Et in psalmum 32. *Quando in corpore peccauimus, membra nostra seruæ peccati ad iniquitatem præbendo, corpore item confitebimur, eodem in peccati dissolutionem vtentes organo. Maledixisti? benedicas. circumuenisti proximum in negotio? redde. Inebrietatem incidisti? ieiuna. arroganter egisti? humiliare inuidisti? obsecra. Occidisti? tu testimonio tuo profitere te reum, aut certe per confessionem tuum ipsius corpus affligito.* S. GREC. NAZ. in plagam grandinis. *Omni quidem vitio carere, eiusmodi procul dubio est, vt humanum modum excedat, solique Deo conueniat: contra perdité ac profligaté peccare impuræ & aduersariæ dæmonum naturæ est, atque eorum qui ipsius afflatu impelluntur: at verò è peccati cœno emergere, atque ad meliorem frugem redire, hominum est, verum proborum.* Et in sententiis tetrastichis. *Quid nos omnibus in rebus miserum hostem (diabolum) accusamus, eique noxas omnes nostras asscribimus, cum ipsi scelerata nostra viuendi ratione potestatem demus? Tibipsi vel soli, vel potissimum succense. Ignis enim noster est. Flamma autem aduersi Spiritus.* S. AMBR. lib. de paradiso. *Ideo dixit Deus. Factus est Adam tanquam vnus ex nobis, quia aperuit oculos. Et hic quidem aperuit oculos vt culpam suam videret, quam vitare non potuit. Magis enim postquam peccauimus, nescio quomodo nostra delicta cognoscimus: & tunc peccatum esse intelligimus, quod antequam peccaremus non putabamus esse peccatum. Certe non quasi peccatum putabamus esse damnandum: nam si damnaremus, non admiteremus. Deus autem omnium videt culpas, & omnium delicta cognoscit: super omnem animam, super omnium oculta oculos habet.* S. HIER. in Epistolam ad Ephesios. *Quærimus, quid significent delicta, quoue distent à peccatis, id est, quid interfit inter παραπτώματα, & ἁμαρτίας. Aiunt enim quod παραπτώματα quasi initia peccatorum sint, cum cogitatio tacita subrepit, & ex aliqua parte conniuentibus nobis necdum tamen nos impulit ad ruinam. Vnde & in XVIII. psalmo scribitur. Delicta, hoc est, παραπτώματα quis intelligit? quia scilicet difficile sit radices & initia intelligere peccatorum. Peccatum vero esse, cum quid opere consummatum peruenit ad finem.* Contraria contrariis curanda. Naz. orat. Tetrast. 32. Amb. Hier. lib. 1. com. c. 2.

Lib.13. com. c.43. Et in verba Ezechielis. Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie, & vitulũ, & arietem. *In hirco*, inquit, *& vitulo & ariete tria generalia delicta monstrantur, quibus omne mortalium subiacet genus. Aut enim cogitationibus, aut sermone aut opere peccamus.* S. Avg. contra Faustum Manichæum. *Peccatum est factum, vel dictum vel concupitum aliquid contra æternam legem. Lex verò æterna, est ratio diuina vel voluntas Dei ordinem naturalem conseruari iubens, perturbari vetans.* Et in Enchiridio. *Neq; quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaq; sanctorum hominum vitam, quamdiu in hac morte viuitur inuentri posse dicimus sine crimine: peccatum autem si dixerimus, quia non habemus, vt ait sanctus Apostolus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* S. Chrys. ad Theodorum lapsum. *Nullum peccatum est, quod medicinam refugiat,*

Aug.l.22.c.27.

Id.cap.64.

1. Ioan. 1.8. Chry. ep.5.

III. Remed. Considera quanto odio Devs peccatum, maximè lethale, prosequatur. *Similiter enim*, auctore Sapiente, *odio sunt Deo impius & impietas eius.* Tanto verò prosequitur, vt eius magnitudo nulla intelligentia humana vel angelica comprehendi queat. Ratio huius liquet. Quisquidem aliquis maiori bonitate præditus est, hoc vehementius exectatur malitiam, & complectitur bonitatem. Cum igitur Devs infinita bonitate sit præditus, consequens est vt infinitè & oderit malitiam, & amet bonitatem: quare & malos spoliat infinito bono in inferno, & bonos boni infiniti participes facit in cœlo. Accedit quod infinita quædam prauitas & peruersitas sit in mortali peccato. Nam qui peccat offendit Deum infinita maiestate præditum. Restat ergo vt Deus quoque infinito odio abhorreat ab illo. Hinc verò efficitur hominem in hac vita nunquam posse condigno odio prosequi peccatum, cum infinito odio dignum sit. Tu ergo tanto odio illud semper prosequare, quanto potes, semperque à Deo postula, vt in te odium illud adaugeat, quandoquidé in illo magna veræ pœnitentiæ & iustitiæ Christianæ portio consistat.

Sap.14.9.

IV. Remed. Considera manifesta tanti odii signa & effectus, hoc est, horrenda supplicia, quibus Devs peccata inde à conditarum creaturarum initiis castigauit. Lvcifer enim angelus nobilissimus ob vnum superbiæ lapsum cum multis angelorum millibus, ex summo Dei amico repente factus est capitalis eiusdem inimicus; ex pulcherrima creatura teterrima & scelestissima inferni bestia. Adam similiter omnium hominum parens ad imaginem & similitudinem Dei conditus, ob diuini mandati de non edendo pomo quodam, præuaricationem, & paradiso exturbatus, & cum tota posteritate in huius mortalis vitæ ærumnas quas indies experimur, præceps actus est. Constat & totum mundum quondam ob peccata inundatione aquarum extinctum. Pentapolin igni & sulphuræ cœlitus demisso deletam. Saulem ob inobedientiam, Dauidem ob adulterium & cædem factam, aliosque innumerabiles grauissimè à Deo

Luc.10.18.

Gen.3.24.

Gen.7.21.
Gen.19.24.
1. Reg. 15. 26.
2. Reg 11. 4.

Deo punitos; & omnes impios, imò quotquot in peccato lethali vitam hanc claudũt, sempiternis ardere flamminis apud inferos sine vlla spe salutis aliquando consequendæ.

V. REMED. Considera atrocitatem passionis Christi Domini, neque enim Christus tam dira perpessus est, nisi ad expianda peccata nostra, atque vt nos grauitatem peccati inde discereremus, & ab eo deinceps maiore studio abstineremus. Vnde Isaias. *Ipse autem*, inquit, *vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra* & B. PETRVS. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne desiit à peccatis, vt iam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis.* Isa.53.5. 1.Pet.4.1. Hoc antidotum vt efficacissimum ad detestanda peccata præscribit B. BERN. in sermonibus de natali Domini his verbis: *Ludebam ego foris in platea, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur iudicium mortis. Audiuit hoc vnigenitus eius, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & eiulans, quod morte damnatus esset seruulus eius. Intueor illum subito procidentem, stupeo nouitatem, causam percunctor & audio. Quid facturus sum? adhuc ne ludam, & deludam lachrymas eius? Plane si insanus sum, & mentis inops non sequar eum, nec cum lugente lugebo. Ecce vnde pudor? timor & dolor vnde? vtiq; quia ex consideratione remedii, periculi mei æstimo quantitatem. Nesciebam sanus mihi videbar, & ecce mittitur Virginis filius, filius Dei altissimi, & iubetur occidi, vt vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce ô homo quam grauia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur.* Bern. serm. 3.

VI. REMED. Considera, quot bonis donisq; Spiritualibus peccatum mortale hominem Christianum spoliet, & contra quot quantisq; malis & calamitatibus eundem afficiat & obruat. Quod ad bona attinet, primo eum exturbat è gratia & amicitia Dei O. M. & familiaritate Spiritus sancti. 2. paterna Dei prouidentia. 3. participatione meritorum Christi, donec pœnitentiam egerit. 4. exuit donis Spiritus sancti, & virtutibus infusis. 5. pace & serenitate conscientiæ, ac consolatione Spiritus sancti. 6. participatione meritorum Christi. 7. communione bonorum Ecclesiæ, piarumq; Sodalitatum, quibus nomen forte dederit. 8. merito & fructu bonorum operum. 9. vita æterna 10. custodia Angeloruum, teste BASILIO in Psal. 33. QVOD verò attinet ad mala ea tam multiplicia & atrocia sunt, vt vel ad auditum tantum peccati lethalis nomen merito ex horrescere debeamus, atque si fulmen de cœlo caderet, vel infernus ad nos absorbendos dehisceret. Primo enim hominem ex summo amico facit capitalem Dei hostem. *Adulteri*, inquit B. Iacobus, *nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei?* Et Chrysostomus de prouidẽtia Dei. *Peccata separant à* Iac. 4. 4. Chry. lib. 3.

nobis Deum, constituuntq; nobis illũ inimicum. II. facit mancipium diaboli. *Qui peccatũ facit* ait B. Ioannes Euangelista, *ex diabolo est, quoniã ab initio diabolus peccat.* Vnde TERTVLL. *Peccator traditur diabolo quasi carnifici in pœnam, vt Saul.* AVG. in expositione propositi. epistolæ ad Romanos. *Vnusquisq; peccando animã suã diabolo vendit, accepto tanq; pretio dulcedine tẽporalis vòluptatis.* CHRY. hom. 30. ad populũ Antioch. ait hominẽ per peccatũ deteriorẽ reddi diabolo. HIER. in epistolã ad Ephesios. *Porta diaboli est peccatũ, sicut homo ipse Spiritus S. Porta est.* Et ad Damasum. *Dæmoniũ cibus est ebrietas, luxuria, fornicatio, & vniuersa vitia.* III. facit seruum peccati. *Qui n. facit peccatũ*, ait apud B. Ioannẽ Christus, *seruus est peccati.* & B. Petrus. *A quo n. quis superatus est, huius & seruus est.* Vnde AMB. de Ioseph Patriarcha. *Seruile est omne peccatum, libera est innocentia. Quomodo enim non seruus omnis auarus, qui pro exiguo pecuniæ lucello seipsum auctionatur? timet enim ne congesta amittat. Quomodo autem non ille seruus, qui subditus est libidini? primum suis ardet incendiis, & peccati sui fœnus exuritur.* Et libro de Iacob. *Qui facit peccatum seruus est peccati, & quod peius est, multorum seruus est: qui subiectus est vitiis, multis se dominis addixit, vt seruitutis ex re vix liceat.* Et CHRYSOSTOMVS in alteram epistolam Pauli ad Corinthios. *Barbarum est peccatum, tyrannidem exercens in animam semel capram, sed in perniciem eorum, qui ipsum suscipiunt.* Quam tyrannidẽ graphicè describit oratione 4. de Lazaro. Eãdem in se expertus AVG. ita scribit in libris Confessionum. *Suspirabam, ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me.* Et post. *Nec plane volebam, nec plenè nolebam, ideo mecum contendebam & dissipabar a meipso.* Idem libro secundo de ciuitate Dei. *Bonus*, inquit, *etiã si seruat, liber est: malus autem, etiam si regnet, seruus est: nec vnius hominis, sed quod est grauius totorum dominorum, quot vitiorum. De quibus vitiis cum ageret scripturæ diuinæ. A quo n. quis, inquit, deuictus est, huic & seruus addictus est.* IV. dignum hominem reddit, vt deleatur è libro vitæ, & in æternum damnetur. *Malorum enim amatores digni sunt morte*, ait Sapiens. Et Apostolus *Stipendia peccati mors.* Et. *Per vnius delictũ mors regnauit in omnes homines in condemnationem.* BASILIVS in martyrem Iulittã. *Peccatũ mors est animæ alioqui immortalis.* Et AMB. in epistola ad Studiũ. *Christus scribebat in terra digito quo legẽ scripserat. Peccatores in terra scribuntur, iusti in cœlo.* V. Facit hominẽ ex sapiente stultũ. *Cogitatio n. stulti*, ait Salomon, *peccatum est.* Vnde BASILIVS in psalmum 37. *Omne peccatũ per stultitiam fit.* Et AMBR. in 38. *Quis est insipiens nisi qui peccatum facit & eligit mala pro bonis?* 2. ex mansueto ferum & crudelem. Vnde CHRY. in psalmum 139 *Nemo nos condemnet si dicamus vitiosum hominem feram esse improbiorem: ea enim & si naturalem non habet mansuetudinem, potest tamen facile decipi. Homo autem qui scelus meditatur, & multis personis se induit, longè difficilius cauetur quam fera.* Et Auctor in imperfecto in Mathæum. *Si bestijs hominem malum comparare vo-*

1. Ioann 3.8.
Tertul. de fuga
Hier. in c. 4.
Ioan. 8.34.
2. Pet. 2.19
Amb. c. 4.
Id. lib. 2. 5.
Chry. hom. 9
Aug. l. 8. c. 5. & to Id. c. 3.
2. Pet. 2.19.
Sap. 15. 6.
Rom. 6.23. & 5. 18.
Basil hom. 5.
Amb. li. ep. 77.
Prou. 24. 9.
Chrys.
A hom. 14.
Matth. 10

ris peiorem inuenies eum, &c. Imò *homo malus peior est, quam ipse diabolus. Diabolus enim hominem iustum non audet accedere, homo autem non solum non timet sanctum hominem sed etiam contemnit.* 3. ex puro & nitido sordidum & fætentem. B. Petrus enim in altera epistola peccatorem comparat *sui lotæ in volutabro luti.* Cuiusmodi fuit apud Lucam filius prodigus, qui vescebatur porcorum siliquis. Vnde AMBR. lib. 1. officiorum. *Interroga conscientiam peccatoris, nonne grauius omnibus fœtet sepulchris?* Et HIER. in Isaiam. *Cadauer diaboli putridum ob magnitudinem peccatorum dubitare non poterit, qui legerit peccatum esse fœtidissimum, ipso peccatore dicente. Computruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. E contrario Virtus boni odoris est.* 4. reddit hominem è sano ægrum, & viuo mortuum. Vnde B. AVG. in libro de decem chordis peccata vocat animæ febres CHRY. ad populum Antioch. grauem paralysim. BASIL. in Isaiam, elephanticum morbum, aut lepram animarum. Greg. 12. moralium. & Ambrosius in epistolam ad Romanos, mortem ipsam. DENIQ peccata hominum sunt causæ omnium calamitatum & malorum. Vnde CHRY. homilia 5. de Pœnitentia. *Malorum omnium causam constat esse peccatum. Ex peccato tristitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atque omnes quot quot nos premunt passiones. Vnde Dominus ostendere volens malorum omnium causam esse peccatum, paralytico dicit, vbi animæ & corpore paralyticum esse vidisset, vade, sanus factus es, noli amplius peccare, ne tibi aliquid deterius fiat.* HIER. epist. ad Heliodorum. *Nostris peccatis barbari fortes sunt, nostris vitiis Romanus superatur exercitus & quasi non hæc sufficerent gladibus, plus pene bella ciuilia, quàm hostilis mucro consumpsit &c. non amputamus causas morbi, vt morbus pariter auferatur statimque cerramus sagittas pilis, tiaras galeis, caballos equis cedere.* Et GREG. NAZ. oratione in plagam grandinis, sic Deum cum populo precatur. *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, quoniam mandatorum tuorum memoriam abiecimus. Miserationes tuas, & clementiam tuam, & vt sera misericordiæ Dei nostri vitiis nostris, & consiliorum nostrorum nequitia nobis præclusimus. Tu bonus, at nos iniquè egimus. Tu lenis, at nos verberibus digni. Lenibus flagris pro peccatorum nostrorum atrocitate affecti sumus, &c.*

VII. REMED. Primis peccati initiis resiste, secundum illud Poetæ consilium. *Principiis obsta, sero medicina paratur, cum mala per longas inualuêre moras.* Ita AMB. in psalmum 1. *Vt in stipulam ignis exiliens inhæret ac permanet, donec omne quod corripuit absumat, ita vel exigua scintilla peccati, si quo vitiorum fomite fuerit excitata incendium grande excitat. Cauenda ergo prima sunt vitia, ne in plura deinde grauiora proserpant. Etenim sicut ii qui se in luto versant, quo magis volutantur, eo amplus inquinantur, ita qui semel se luto improbitatis asperserit, nisi ab eo velocior exiliat, grauius sibi dedecoris sui cœnum per singulos dies lutulentæ conuersationis oblucit.* CHRYSOSTOMVS contra gentiles. *Vt scintilla ignis, si fortè immensam materiam corripuerit, non ante subsistit, quam totam depascatur: sic & peccati.*

1. Pet. 2. 22.
Luc. 15. 16.
Amb. c. 12.
Hier. lib. 6. c. 14.
Psal. 37. 6.
Aug. c. 8.
Chry. hom. 40.
Basil. in c. 1.
Greg. c. 6.
Amb. in c. 12.
Chry.
Hier. ep. 1.
Naz.
Ouid. l. 1. de rem. am.
Amb.
Chry. lib. contra gent.

peccati natura vbi animi cogitationem aliquam adorta est, nec quisquam est qui vi-
lum restinguat, procedens vlterius magis indomita efficitur: qua vtique ratione tu-
Hier. in c. 9. *plures videas in omne genus peccatorum imprudentes prolapsos, quod flammam iram*
exorientem non restinxerint. HIER. in Ecclesiasten. *Diabolus serpens lubricus,*
cuius captti, hoc est, primæ suggestioni si non resistatur, non est dubitandum, quin in-
tetrale cordis furtim illabatur.

Ecc. 7. 40. Aug. c. 28. VIII. REMED. Meditatio nouissimorum, secundum illud Eccle-
siastici. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Vnde AVG. lib. 2. de
Genesi contra Manichæos. *Nihil sic reuocat homines à peccato, quemadmodum*
imminentis mortis cogitatio. Et serm. 3. de Innocentibus. *Si diem mortis suæ ho-*
mines tugiter cogitare vellent, animam suam ab omni cupiditate vel malitia cohibe-
rent. Et mox. *Percutitur etiam hac animaduersione peccator, vt moriens obliuiscatur*
Cass. c. 6. *sui, qui dum viueret, oblitus est Dei.* CASSIANVS in 10. collatione ex senten-
tia Abbatis Ioseph. *Postremum*, inquit, *illud est, quod generaliter omnium mor-*
Clim. gradu. 6. *tum peremptorium esse non dubium est, vt se de hoc mundo credat quotidie mi-*
grarum, IOAN. CLIMACVS tria huius rei exempla commemorat. *Monachus*,
inquit, *Ægyptius mihi aliquando narrauit, quod cum in intimo corde memoriam mor-*
tis pœnitus fixisset, velletq; aliquando necessitate vrgente carnis huius luto solatii quid-
dam indulgere, ab huiusmodi memoria veluti à quodam iudice prohibitus sit. Quidquid
mirabilius est, cum vehementer vellet hanc memoriam expellere à se non poterat.
ALIVS quidam hic iuxta commanens, exhuiusmodi sæpè cogitatione repente obstu-
pescebat, ac animo deficiens velut insensibilis fiebat, repertusque à fratribus, non aliter
quam ab eis, vt qui verè efflasset animam baiulabatur. NON omittam etiam soli-
tarii illius, qui in Choreb habitabat, referre historiam. Hic cum diu negligentissimè vi-
xisset, nullamq; animæ suæ curam penitus haberet, morbo tandem comprehensus alte-
trema deductus est. Cum iam corpore perfectè migrasset, post vnam horam in se suam
rediit, orauitque nos omnes vt inde protinus abscederemus, & cellæ aditu lapidibus ob-
structo permansit intus annos duodecim, nulli omnio quicquam loquens, nec aliud quic-
quam præter panem & aquam degustans. Sedens autem, ea tantum quæ in excessu vi-
derat, attonitus voluebat, atque in his adeo fixo erat cogitatu, vt nunquam vultum im-
mutaret, sed attonitus perdurans vim lacrymarum feruentium tacitus profunderet.
Cum verò iam morti esset proximus, rupto ac patefacto aditu ingressi sumus. cumq; ab
illo doctrinæ verbum supplices inquireremus, hoc ab illo tantum modo audiuimus. Ignu-
scite mihi, nemo, qui reuera mortis memoriam agnouerit, peccare vnquam poterit. Nos
verò nimium mirati sumus intuentes eum, qui pridem ita negligens fuisset, repente mu-
Basil. in psal. 33. *tatum.* SIMILIA scribunt S. Patres de memoria Iudicii & inferni. Vt S. Ba-
SILIVS. *Si quando te senseris ad aliquod prouocari peccatum, ad mentem reuoca for-*
Amb. c. 8. *midabile illud, nec vlli mortalium tolerabile Christi iudicium, & hoc quasi freno ani-*
mam cohibe. AMB. ad Virginem lapsam. *Si mente cernerent homines peccatores*
quale iudicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate seculari,
sua

si non infidelitate grauaretur. CLIMACVS. *Sicut qui esurit recordatur panis, sic qui saluari cupit non potest non recordari extremum iudictum.* Hoc antidoto contra peccata muniuit se S. IOB. dicens. *Quid faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebo illi? semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Hoc à Deo petiuit beatus rex Dauid, cum sic precatur. *Cõfige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* Hoc vsus est B. HIER. cuius hoc dictum celebratur. *Siue comedam, siue bibam siue aliud aliquid agam, semper insonat auribus meis vox illa horrifica. Surgite mortui, venite ad iudicium.* De INFERNI recordatione, vnicam tantum B. PROSPERI in lib. de vita contemplatiua perpende sententiam. *Cogitare, quale malum sit ab illo gaudio diuinæ contemplationis excludi, beatissima sanctorum omnium societate priuari, fieri patriæ cælestis extorrem, mori vitæ beatæ, morti viuere sempiternæ, in æternum ignem cum diabolo & angelis eius expelli vbi sit mors secunda, damnatio exilium, vita supplicium, non sentire in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat, exundantis incendii terribilis crepitus pati, baratri fumantis cæca caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri: hæc & similia multa cogitare, nihil est aliud, quam vitiis omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrænare.*

Clim. grad. 20.
Iob. 31. 14. 23.
Psal. 118. 120.
Hier. reg. mon. c. 30.
Prosp. lib. 3. c. 12.

IX. REMED. Oratio frequens ad Deum & Sanctos, maxime ad B. Virginem. Quod remedium Christus præscripsit suis nocte passionis, dicens. *Vigilate & orate vt non intretis in tentationem.* Imo eo ipso præscripsit, quod docuit in oratione Dominica nos dicere. *Dimitte nobis debita nostra Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Propterea,* inquit B. AVG. propheta Dauid *dixit. Benedictus Deus meus, qui non amouit deprecationem meam, & misericordiam suam à me. Cum enim videris non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est à te misericordia eius.* Et in Epistola ad Hilarium. *Omnibus necessaria est oratio Dominica, quam ettam ipsis artetibus gregis, id est, Apostolis suis dominus dedit, vt vnus quisque Deo dicat. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Cui enim hæc in oratione verba necessaria non fuerint, ipse hic sine peccato viuere pronunciandus est.* De inuocatione autem B. Virginis matris Dei nota illa D. BERN. monita super Missus est. *Si insurgant,* inquit, *venti tentationum, si in curras scopulos tribulationum, respice stellam, voca MARIAM. si iactaris superbiæ vndis si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia aut auaritia, aut carnis illecebræ nauiculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum.*

Matth. 26. 41.
Aug. in Psal. 65. in fine.
Aug. ep. 89.
Bern. hom. 2.

X. REMED. Lectio diuinæ scripturæ aliorumque librorum piorum

Aug.lib. 8. c. 12. Hoc remedium diuinitus suggestum est Augustino, vt è cœno luxuriosæ vitæ tandem emergeret. Nam, vt refert in libris Confessionum, cum le sub quadam fici arbore strauisset, cum lachrymis diuinam implorans gratiam, vocemq; audisset, *Tolle lege, tolle lege*, concitus rediit ad locum vbi

Rom.13.13. codicem Apostoli reposuerat. *Arripui*, inquiens, *aperui, & legi silentio capitulum, quo primum coniecti sunt oculi mei. Non in comessationibus & ebrietatibus non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione. sed induite Dominum IESVM Christum, & curam carnis ne feceritis in concupiscentiis. Nec vltra volui legere nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.* Idem quantum adhuc

Lib.3.confess. c.4. adolescens fructum collegerit ex lectione Hortensii Ciceronis his verbis narrat. *Ille vero liber mutauit affectum meum, & ad te ipsum Domine mutauit preces meas, & vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, & immortalitatem sapientiæ concupiscebam æstu cordis incredibili, & surgere iam cœperam, vt ad te redirem, &c. Quomodo ardebam Deus meus, quomodo ardebam euolare à terrenis ad te, & nesciebam, quid ageres mecum?* Hier. epistola ad Damasum.

Hier ep 141. Amb.serm.35. *Ex sacrorum voluminum lectione vniuersa hominum vitia purgantur.* Ambr. in sermone de ieiunio Dominico inserto. *Sacrarum literarum lectio ipsa est esca, quæ vitam æternam tribuit, & insidias à nobis diabolicæ tentationis excludit* Chry.

Chry.hom.29. in Genesin. *Quod ad augendas corporis vires sensibilis cibus facit, id animæ lectio Bibliorum præstat. Spirituale enim alimentum est, & fortem reddit animam, & constantiorem, & magis philosophicam, non permittens, vt à cogitationibus absurdis capiatur, sed leuem & alatam faciens, in cœlum ipsum, vt dicitur transfert.* Legi concionem tertiam de Lazaro, in qua ostendit lectionem scripturæ magnam esse munitionem contra peccatum.

XI. Remed. Concionum sacrarum, piarumq; exhortationum frequentatio, cum proposito fructum aliquem spiritualem ex iis capiendi.

Iac.1.22. Vnde B. Iacob. *Estote factores verbi, & non auditores tantum fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, & non factor hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: consideravit enim se & abiit, & statim oblitus est*

Ier.26.3. *qualis fuerit.* Hoc remedium ad cauenda peccata Deus ipse præscripsit Ieremiæ prophetæ. *Noli*, inquiens *subtrahere verbum, si forte audiant, & auertatur vnusquisque à via sua, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum.* Ratio huius est, quia Dominus ad eundem dicit. *Nonne*

Ier.23.29. *quid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram?* In quæ verba sic Hieronymus. *Meus enim, inquit, sermo nunti at futura supplicia, vt deterreat homines à peccando, & paleis peccatorum comminatur incendium, vt hæreticorum*

Hier lib 4. comment. *corda dura & instar silicis indomabilia sermonis sui malleo conterantur, auferens cor lapideum, vt pro eo ponat cor carneum, molle videlicet, & quod possit Dei suscipere &*

Chry hom.45. *sentire præcepta.* Eodem spectant illa Chrysostomi in Matthæum. *Omnia verba diuina*

ba diuina, quamuis rustica sint, & incomposita, viua sunt, quia intus in sensibus suis habent positam veritatem Dei, quasi sanguinem in venis inclusum, & ideo viuificant audientem, sicut testatur B. Petrus dicens. Quo ibimus? verba viua habes. Omnia autem verba secularia, quoniam non habent in se virtutem Dei, quamuis composita sint & ingeniosa mortua sunt. Ioann.6.69.

Efficaciam huius antidoti post Christū ostendit B. Apostolus Petrus, qui concione sua ad populum, vt est in Actis Apostolorum, vna die tria, altera quinque hominum millia à peccati tyrannide ad Christi regnum traduxit, & exemplo B. Petri deinceps Apostoli alii, ac imprimis B. Paulus aliique sancti, vt liquet ex eorum Vitis. Act.2&c.

XII. REMEDIVM. Pœnitentia, vel dolor animi de peccatis, quam Theologi vocant Contritionem. Hoc remedium Deus non solum creberrimè per Prophetas contra peccata præscripsit, sed & præcursor CHRISTI Ioannes baptista ipseque Saluator ab eo prædicationem suam sunt auspicati, dicentes. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Et B. Petrus. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Dauid Propheta. *Sacrificium Deo*, inquit *Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non despicies.* Et Isaias. *Quacunque hora ingemuerit peccator saluus erit.* Et, *spiritus Domini ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde.* Et. *Ad quem respictam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* B. EPHR. lib. de iudicio extremo. *Compunctio sanitas animæ est, illuminatio mentis: compunctio remissionem delictorum nobis acquirit: compunctio vnigenitum Iesum facit in nobis habitare.* Et infra. *Grandis est virtus lachrymarum, multumq; prævalent lachrimæ, quæ secundum Deum sunt.* CHRY. de pœnitentia. *Pœnitentia est medicamentum peccatum extinguens, donum cœlitus datum, virtus admirabilis, gratia vim legum superans.* Et de compunctione cordis. *Sola est cordis compunctio, quæ sicut ignis omne animæ vitium perurit, & quantacunq; in ea reperit mala absterget vniuersa & penitus delet.* HIER. in Epitaphio Fabiolæ. *Quæ pectora fletus iste Fabiolæ nō purget? quas inueteratas maculas hæc lamenta nō abluant?* Matth.3 &4. Act.2.38. Psal.50.19. Isai.30.iuxta 70. Isa.61.1. Isa.66.2. Ephr.c 5. Chry.hom.5. Id.lib.2.

XIII. REMED. Confessio peccatorum coram Deo, vel coram Sacerdote, quæ dicitur sacramentalis. Eo vsus est rex Dauid, cum ait. *Dixi, confitebor aduersum iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Nam cum in Regum. 2. dixisset ad Nathan prophetam, *Peccaui Domino*, mox subiecit Nathan. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Et Salomon. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misertcordiam consequetur.* Et B. Ioannes. *Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est, & iustus vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate* Et B. Iacobus. *Confitemini alterutrum peccata vestra* Leuia quidem, inquit ibi B. Beda, æqualibus, grauiora autē sacerdotibus. ORIGENES in Lucam. *Si reuelauerimus peccata nostra nō solū Deo, sed & his qui possunt mederi vulnerib. nostris atq; peccatis delebuntur peccata, nostra ab eo, qui ait. Ecce deleo, vt nubē iniquitates tuas, &* Psal 31.5. 2.Reg 12.13. Prou 28.13. 1.Ioan 1.9. Iac 5 16. Orig.hom.13.

Basreg.229. *sicut caliginem peccata tua.* BASILIVS in regulis breuioribus. *Omnino in confessione peccatorum eadem ratio est, quæ etiam in apertione vitiorum corporis, Vt igitur hæc neq; naq; nam quibuslibet temere homines aperiunt, sed iis tantum modo, qui rationem, qua ea curanda sint, teneant: eodem etiam peccatorum confessio fieri debet apud eos, qui ea possint curare.*

Amb.l 2.c.6. AMB. lib de pœnitentia. *Si vis iustificari, fatere delictum tuum.*

Chry. hom. 20. *soluit enim criminum nexus, verecunda confessio peccatorum.* CHRYS. in Genesin.

Aug.in Psal. 66. *Confessio peccatorum, abolitio est delictorum.* AVG. in psalmos. *Tristis esto, antequam confitearis: confessus exulta, iam sanaberis.*

Naz.orat. GREG. NAZ. in plagam grandinis. *Magna vitii medicina est confessio, & peccati fuga.*

XIV. REMED. Satisfactio per ieiunia, preces, eleemosynas, aliasque corporis castigationes, siue vltro assumptas, siue à Sacerdote iniunctas. Clare enim docet Spiritus sanctus hæc valere ad expianda peccata. Apostolus de se ait, *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne quando reprobus efficiar,* & propheta Ioel. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, planctu & fletu.* Et Tobias. *Elemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Et Ecclesiasticus. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Et Christus apud Lucam. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* AMBR. ad Ecclesiam Vercellensem. *Qua nobis salus esse potest, nisi ieiunio eluerimus peccata nostra?* Et ad Virginem lapsam. *Grandi plaga alta & prolixa opus est medicina: grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.* HIER. in Ioelem. *Qui peccator est, & quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur, & plangat vel propria delicta, vel populi, & ingrediatur Ecclesiam, de qua propter peccata fuerat egressus: & cubet, vel dormiat in sacco, vt præteritas delicias, per quas offenderat Deum vitæ austeritate compenset.* AVG. ad Macedonium. *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi vt id quod mali fecerit, impunitum esse non sinat: eo quippe modo sibi non parcenti ille parcit, cuius altum iustumque iudicium nullus contemptor euadit.* THEODORETVS in epitome diuinorum decretorum *Sunt medicabilia etiam quæ post baptismum fiunt vulnera, non vt olim per solam fidem data remissione, sed per multas lachrymas, & luctus, & ieiunium, & orationem, & laborem facti peccati quantitati contemperatum,* GREG. *in primum Regum Non solum confitenda sunt peccata, sed etiam pœnitentiæ austeritate delenda.*

1.Cor.9.27. Ioel.2.12. Tob 4. Eccli.3.33. Luc.11.41. Amb.ep.82. Hier. in Ioel. 1. Aug.ep.54. Theod.cap.de pœnit. Greg.lib.6. c.15.

AD Hoc remedium vsurpandum id maximè te excitare poterit, quod nullum peccatũ, quantumuis leue, apud Deum impunitum maneat, nisi tu ipse in hac vita punieris. *Si enim nosipsos diiudicaremus,* inquit B. Paulus, *non vtiq; iudicaremur.* Ita docent S. Patres. Vt S. AVGVST. in Psalmum. 50. & 58. Et B. PROSPER in libris Sententiarum. c.2. & B. Greg. lib. 4. moralium. c. 21. & 9 moral. 27. *Procul dubio,* inquit *Dominus delictum sine vltione non deserit: aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.*

1.Cor.11.31.

XVI. REMED. Fuga occasionum peccandi, ac Primo, noxiæ conuersa-

uersationis. *Qui enim tetigerit picem*, inquit Ecclesiasticus, *inquinabitur ab ea. & qui communicat superbo, induet superbiam.* Et Apostolus. *Ne commisceamini fornicariis, & cum huiusmodi nec cibum sumite.* Et paulo ante. *An nescitis, quod modicum fermentum totam massam corrumpit?* Et. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Vuaque conspecta*, ait Poeta, *liuorem ducit ab vua* Hinc Christus apud B. Marcum sanaturus surdum & mutum, eum à turba prius sub mouit indicans hominem in peccato obduratum in vita sancta perseuerare non posse, nisi conuersationem noxiam declinet. Vnde S. Wolstanus, vt est apud Surium in eius vita, Vigornensis in Anglia Episcopus cuidam ineadem peccata identidem relabenti, respondit. *Occasio, vt video, facit latrones; ideo consulo vt monachus fias, & sic vitiorum importunitate carebis.* Deinde fugienda occasio otii, ludorum, spectaculorum, colloquiorum cum fœminis, negotiorum, officiorum, & statuum, vt mercatorum, &c. in quibus crebriora sunt peccandi pericula. *Qui amat periculum*, ait Sapiens, *peribit in illo. Ideo oramus, ne intremus in tentationem*, ait Chysostomus in Matthæum, *quia eas quærere non debemus.* Et SENECA ad Lucilium. *Quantum possumus à lubrico recedamus: in sicco quoque parum firmiter stamus.* Refert CASSIANVS in monasticis institutionibus eremitam quendam missum ad se litterarum fasciculum expatria ne resignare quidem voluisse, sed in ignem coniecisse, ac dixisse. *Ite cogitationes patriæ pariter concremamini, ne me vlterius ad illa quæ fugi reuocare tentetis.* Idem fecit P. Ignatius noster, vt est in eius vita Lege librum P. Ioannis Dauid, qui inscribitur *OCCASIO arrepta, neglecta.*

Eccli.23.1. 1.Cor.5.10. 1.Cor.15.33. Marc.7.35. Sur.tom.1. Eccli.3.27. Chry.hom.13. Sen.ep.117. Cass.lib.5.c.32.

XVII. REMED. Examen conscientiæ quotidianum. *Quod si nosmetipsos iudicaremuus, non vtique iudicaremur*, inquit Apostolus ad Corinthios, id est, fide nobis ipsis iudicium & examen conscientiæ quotidie instituere-mus, non opus haberemus terribili iudicio extremo. Vnde B. ATHANASIVS de S. Antonio eremita ita scribit. *Illius quoque admonebat præcepti, quo dicit Apostolus. Diiudicate vosipsos & probate, & rationem dei noctisque faciētes. si in se delictum deprehendissent, peccare desisterent. Sin autem nullus error decepisset, perseuerantes instarent potius incæpto, quam arrogantia tumidi aut alios contemnerent, aut sibi iustitiam vendicarent, iuxta supradicti Doctoris eloquium, dicentis. Nolite iudicare ante tempus, sæpe nostra non posse recte intelligere peccata, sæpe falli in ratione gestorum, &c. nec non addebat magnam esse ad virtutem viam, si singuli obseruarent quod gererent, vel vniuersas mentium cogitationes fratribus referrent: non enim posse aliquem peccare, cum relaturus esset ad alium, quæcunque peecasset.* Ad hoc examen respexisse videtur & rex Dauid, cum ait. *Irascimini & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* Qua de causa & hic psalmus semper forte dicitur ab Ecclesia ad Completorium. Vnde CHRYSOSTOMVS in Psalmum 50. exponens verba Quoniam iniquitatem meam ego cognosco *Habeto*, inquit, *codicem conscientiam tuam. & scribe*

1.Cor.11.31. Athan. in eius vita. Psal.4.5 Chry.hom.2.

quotidiana peccata. Quando accubueris super stratum tuum, & neminem infestum feceris, antequam veniat tibi somnus. profer in medium conscientiam tuam, velut culpam, & reminiscere peccata tua, & si quid in verbo, seu facto, vel incogitatione peccasti. Hoc enim dicit Propheta. Irascimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Per diem non habuisti tempus, sed seruiisti inimico tuo, & iniunctum negotium, & confabulatio amicorum, & domestica necessitas, & filiorum cura, & vxoris solicitudo; & militiæ timor, & ceterarum millies terum circumdederunt causæ. Quando in lectulum tuum veneris, vt sopori membra concedas, & tranquillum portum, nemo tibi molestus, nemo pulsat, dicito in corde tuo & anima tua. Expendimus diem, ô anima, quid boni fecimus, aut quid mali operati sumus? Et si quid boni feciſti, gratias age: si quid mali, de cætero ne facias: & reminiscens peccatorum tuorum effunde lacrymas, & poteris in lectulo tuo positus ea delere, &c. Sic BASILIVS in sermone commonitorio ad Monachos. Quæ quotidie feceris opera vesperi tecum commemora, & cum iis quæ feceris pridie confer to. Et in sermone de abrenu. Monachus debet quotidianas cogitationes & actiones examinare. Et sermone de institutionibus monachorum. Præclare faciet, qui completo die conscientiam suam examinauerit, & admissum delictum occultum non tenuerit, sed in medium cunctis audientib. enunciarit, vt communi oratione tanto citius morbus sanari possit. B. BERN. ad fratres de monte Dei. Quæris, quid agas, vel in quo te occupes? Primum extra quotidianum orationum sacrificium, vel lectionis studiũ quotidianæ conscientiæ discussioni, emendationi, morum compositioni, pars tua diei neganda non est. Et infra. Disce in cella secundum communis instituti leges tu tibi præesse, & vitam ordinare, & mores componere & temetipsum iudicare, teipsum apud te accusare, sæpe etiam commendare, nec impunitum dimittere. Mane præteritæ noctis fac à temetipso exactionem & venturæ diei tu tibi indicito cautionem. Vespere diei præteritæ rationem exige, & superuenientis noctis fac indictionem. Sic districto nequaquam tibi aliquando lasciuire vacabit. IOAN. CLIMACVS. Optimus ille trapezita est, qui quotidie vesperi lucrũ ac detrimentum omnino computat. Quod scire manifestius non potest, nisi horis singulis in tabulis omnia denotet. Nam cum calculi singulis horis ponuntur, totius diei ratio postmodum clarius agnoscitur. SENECA ad Lucilium. Initium est salutis, notitia peccati. Egregie mihi hoc dixisse videtur Epicurus. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Ideo quantum potes, te ipsum coargue: inquire in te: accusatoris primum partib. fungere, deinde iudicis, noui ſſimè deprecatoris: aliquando te offende. Et in tertio de ira. Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, vt consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum. Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira, & erit moderatior, quæ sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur: quam tranquillus, altus et liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus, & speculator sui censorque secretus cognouit

Psal. 4.5.

Bas. de abdicatione.

Bern. ad Carthusianos.

Clim. grad. 4.

Sen. ep. 28.

Id. lib. 3. c. 36.

tognoscit de moribus suis? Vtor hac præstatione, & quotidie apud me causam dico. Cum sublatum è conspectu lumen est, & conticuit vxor, motus iam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipse absoudo, nihil transeo: quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere Vide, ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco. In illa disputatione pugnacius locutus es? Noli posthac congredi cum imperitis.

XVIII. REMED. Considera semper te versari in conspectu Dei, tanquam operum nostrorum obseruatoris & testis, iudicis vitæ, & infirmitatis nostræ baculi & firmamenti, ab eoque humiliter pete, ne sinat te in aliquod peccatum labi. Hoc antidoto cõtra lapsum in peccatum vtebatur Dauid dicens. *Prouidebam Dominum inconspectu meo semper.* Et. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Et Elias in libris Regum. *Viuit Dominus Deus Israel, incuius conspectu sto.* Et Salomon. *In omnibus viis tuis cogita Dominum, & ipse diriget gressus tuos.* Hac consideratione munita quondam B. SVSANNA grauissimam tentationem vicit. Nam cum scelesti senes illi dicerent *Ecce ostia pomerij clausa sunt, & nemo nos videt: ingemuit Susanna & ait. Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Eadem B. EPHRÆM impudentem meretriculam ipsum ad libidinem solicitantem expugnauit. Nam cum hæc dixisset. Volo tecum dormire, & ille respondisset, se contentum, modo id fiat in medio ciuitatis: hæc verò contra obtendisset id sine pudore coram hominibus fieri non posse. Ephræm respondit, quanto minus fieri debet coram Deo, qui omnia etiam occultissima intuetur. Quo responso meretrix perculsa, veniam supplex petiit facti, & consilio Ephræm monasticæ vitæ se addixit. SENECA ad Lucilium. *Accipe vtilem, & salutarem clausulam, quam te affigere animo volo. Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc mi Lucili, Epicurus præcepit, custodem, nobis & pædagogum dedit; nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat, &c. Opus est aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant. Nisi ad regulam prauа non corriges.* Hæc ille. Quod si tam vtile est ad non peccandum, cogitare hominem grauem nobis præsentem, quando magis cogitare præsentes esse nobis Angelos custodes, Imo ipsum DEVM qui verè semper præsens est. Sicut enim discipulus coram præceptore, filius coram parente, seruus coram Domino, quilibet subditus coram Principe vel regem non audent quicquam agere, quo illi offendantur, sic nec deberemus coram Deo, rege omnium Regum.

Psal. 15. 8
Psal. 24. 15.
3. Reg 17. 1.
Prou. 3. 6.
Dan. 3. 20.

Metaphr. in eius vita.

Sen. ep. 10.

XIX. REMED. Frequens S. Eucharistiæ communio. Nam in ea non solum diuinam gratiam, sed etiam ipsum gratiæ auctorem suscipis. Pro-

priam

prium autem gratiæ est, animum, eiusq; vires aduersum omnes tentationes peccatorum corroborare, vsque eo, vt S. THOMAS doceat, vnicum minimum gratiæ gradum, vt Theologi loquuntur valere, modo suam homo cooperationem nõ subtrahat, ad omnes cuiuscunque generis tentationes expugnandas. Accedit quod S. Patres tradant Christum in communione sacra non modo per gratiã & dona suæ præsentiæ in animam ingredi, sed cum ipso quodamodo corpore re ipsa misceri, ac proinde proprium esse huius sacramenti frangere & debilitare vires concupiscentiæ, quæ est in carne, idque ita, vt non modo rationi non aduersetur, sed etiam sponte ei pareat, Vnde B. CYRILLVS in Ioannem. *Sedet cum in nobis manet Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.* Et S. BERN. in sermone decœna Domini. *Duo illud sacramentum* (Eucharistiæ) *operatur in nobis: vt videlicet & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis nostrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentiat iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus sacramento peratur in eo.* Auctor stimuli virtutum BALDESANVS commemorat in hanc rem sui æui exemplum his verbis. Audiui aliquando ciuem quendam Ferrariensem de se narrare solitum, adolescentem se tam vehementes sensisse carnis incitationes, vt nec vnquam à tentationibus interquieseret, & aliquoties etiam rueret in peccatum. Auidum tamen salutis accessisse virum religiosum, petiisse consilium, illum dixisse hoc tantum: vxorem duceret. Se fecisse post aliquot annos vxorem mortuam: se pertimuisse ne in pristinas miserias recideret. Abhorrentem tamen à seruitute (sic appellabat coniugium) quam aliquot annos seruuerat, dedisse se in preces: confessione purgasse, diuinis epulis animum confirmasse. Hisce reb. ita sibi vires, aduersus furias appetituum creuisse, vt seipsum admirans & dolens superioris ætatis infelicitatem diceret *Hume miserum, & cur non olim adolescens incidi in hominem, qui non diceret, vxorem duc, sed, vtere frequenter sacramentis?* Visa sunt, & videntur in dies huius generis miracula, virtutem diuinæ gratiæ in sacramentis testantia, ac iam olim testata sunt, vt vel ex vna illa B. CHRY. ad populum Antiochenum homilia liquet, in qua sic loquitur. *propterea Dominus in Eucharistia semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperauit, vt vnum quid efficiamur, tanquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc est. Tanquam leones igitur ignem spirantes abilla mensa recedamus, facti diabolo terribiles, & attendamus nobis ipsis dilectissimi: & cum aliquid turpe dicere voluerimus, vel nos ab ira corripi viderimus, vel alio quopiam huiusmodi vitio, cogitemus, quibus factis simus digni, & sit irrationabilium nobis motuum correctio, talis cogitatio.*

Cyril. lib. 4. c. 17.

Baldes. l. 2. c. 28.

Chry. hom. 61.

XX. REMED. Considera exempla eorum, qui mori maluere, quam pecca-

peccatum aliquod scientes prudentes committere. Primum sit Apostoli ita loquentis in epistola ad Romanos. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Rom. 8. 35. Separatur autem à caritate Christi, qui consentit peccato. 2. est Ambrosii. nam cum Ruffinus magister militum, teste Theodoreto in historia Ecclesiastica, hortaretur Theodosium Imperatorem de sua excommunicatione valde tristem ac solicitum, vt bono animo esset, curaturũ se dicens; vt Episcopus Ambrosius etiam sua sponte sua vincula ei laxaret, respondit Theodosius. *Noui ego constantiam Ambrosii, & quod nullo regiæ maiestatis terrore diuinam legem transgredietur.* Theod. lib. 5. c. 18. 3. est Ioannis Chrisostomi Archiepiscopi Constantinopolitani, cui cum Eudoxia imperatrix Arcadii coniunx per suos legatos multas minas intentaret, eo quod iniquis eius conatibus seopposuisset, Legati ei responderunt. *Frustra illum hominem terres. nihil ille nisi peccatum timet.* Metaphr. in eius vita. 4. LVDOVICI noni Regis Gallorũ, qui ab ineunte ætate ex institutione matris Blanchę hoc persuasum habuit, potius *mortem oppetere, quam in peccatum lethale consentire.* Sur. in vita. 5. S. Emundi Cantuariensis Arpiscopi, cuius hæc vox erat. *Malo insilire in rogum ardentissimum, quam peccatum vllum sciens admittere in Deum meum.* Sur. in vita 6. S. Anselmi item Cantuari. Archiep. qui dicere solebat. *Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessario vni eorum immergi deberem, prius infernum, quam peccatum appeterem.* Idem scribit in lib. de beatitudinibus, c. 190. *Mallem* inquiens *purus à peccato & innocens gehennam intrare, quam peccati sorde pollutus cœlorum regna intrare.* Eodem pertinent exempla omnium Martyrum, qui maluere extremos cruciatus, mortemq; perpeti, quàm idolum aliquod, facto, verbo, vel nutu, diuino honore afficere, aut Christum negare, Illud verò maximè admirandum est, non defuisse ex Ethnicis Philosophis, qui docuerint potius moriendum, quam contra rationem naturalem, ipsamque honestatem peccandum. ARISTOTELIS siquidem in Ethicis dictum est. *Melius est mori, quam facere aliquid contra bonum virtutis.* Aristot. lib. 3. Ethic. Et PVBLII Maximus serm. 6. mimi. *Tolerabilior, est, qui mori iubet, quam male viuere.* Papinianus Iureconsultus, teste Ælio Spartiano, mori maluit, quam parricidium Antonini Caracallæ Imperatoris, qui occiderat fratrem Getam, defendere. Spart. in Caracalla. Illustre exemplum apud Plutarchum est in hoc genere de puero. DEMOCLES, inquit, puer formosus lauandi corporis causa ingressus erat solus priuatum balneum. Hoc vbi rex Demetrius deprehendit forma eius captus locum clanculum adiit vt eo abuteretur. Democles autem horrens lapsum, cum nullũ pateret effugium, detracto aheni, q; ibi erat operculo Plut. in vita Demetrii.

in aquam feruentem nudus insiliit facinus dignum patria, dignum fama, dignum pudicitia perpetrans. Quid mirabilius, quam tanti Principis promissis & blanditiis puerum non cedere, vt pudicitiam læderet?

VIDE V. *Amor sui. Conscientiæ scrupulosa. Consuetudo praua Exemplum malum. Immortificatio passionum Indiscretio. Inobedientia. Iudicium proprium. Linguæ abusus. Otium. Tentatio. Voluntas propria.*

PECCATVM VENIALE.

Remedia contra peccata venialia.

I REMED. Considera diuinæ scripturæ sententias de leuioribus peccatis. Sunt enim quædam peccata grauiora, quæ dicuntur mortalia & hominem planè auertunt à Deo, quibus pœna debetur æterna, iuxta illud Apostoli. *Stipendia peccati Mors.* Alia verò sunt leuiora, quæ quidem nonnihil impediunt cursum ad Deum, non tamen ab eo auertunt, & dicuntur venialia, quia facili negotio expiantur. Priora dicuntur crimina, posteriora peccata, vtq. AVGVSTIN. monet in Enchiridio, vbi scribit, *sine ctimine iustos homines viuere, sine peccato non viuere.* iuxta illud B. Ioannis. *Si dixerimus quia peccatum* (saltem veniale) *non habemus ipsi nos seductimus.* Inter venialia numerantur ab omnibus Patribus verba vel colloquia otiosa de quibus apud Matthæum dixit Christus, *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicii,* Deinde ira contra fratrem, sed animo hærens, nullo q̃ conuitio expressa. De qua idem Christus. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui dixerit, raca, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Hinc enim apparet, vltimum tantum propriè esse peccatũ mortale, priora verò censeri leuiora, quia mortale est quod meretur pœnam gehennæ. *Per gradus enim culpæ ait Greg. euenit ordo sententiæ.* Apostolus quoq̃ cum in prima ad Corinta scribit. *Si quis superædificat super fundamentum hoc* (Christum) *aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnũ stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* peccata venialia comparat rebus natura sua leuissimis, ligno, fœno, stipulis vt intellexit Ambrosius in psalm. 118. Hieronymus contra Iouinianum. Augustinus in libris de ciuitate Dei. Et Gregorius in quarto dialogorum quia leuiora peccata detrimentum quidem afferunt & purgatione indigent, non tamen excludunt à salute.

Rom. 6. 23.

Aug. c. 64. 1. Ioan. 1. 8.

Matth. 12. 36.

Matth. 5. 22. Greg. 21. mor. c. 5.

1 Cor. 3.

Amb. serm. 20. Hier. lib. 2. Aug. l. 21. c. 26. Greg. c. 39.

II. REM. Considera SS. Patrũ testimonia ORIGENES in Lucam. *Vnusquisq; pro qualitate & quantitate peccati diuersam multæ sententiæ expendit. Si parum est,*

Orig. hom. 35.

est, quod peccas, ferieris damno minuti, vt Lucas scripsit: vt verò Matthæus, quadrantis. Veruntamen necesse est hoc ipsum, quod extitisti debitor soluere. Non enim inde exies, nisi & minima quæque persolueris. Luc.12.59. Matt.5.26.

LACTANTIVS libro quinto institutionum. *In religione Christiana pro sacrificio exigitur bona mens, purum pectus, innocens vita. Hic communi & leui peccato locus est nullus.* Lact.c.19

BASILIVS in sermone commonitorio, *Nullum*, inquit ad nouitium, *sit omnino erratum, quod parui pendas.* & in proæmio regularũ fusè disputatarum. *Qui vt filius, & non vt seruus obedit Deo, etiam in minimis timet offendere.* Basil.de abdicat rerum.

CHRY. in Matthæum putat parua magis timenda, quam magna. *Magna enim*, ait, *vt auersemur, ipsa peccati natura efficit: parua autem hac ipsa re quia parua sunt, desides reddunt, & dum contemnuntur non potest ad eorum expulsionem animus generosè insurgere.* Chry.hom.87.

HIER. ad Heliodorum. *Mens Christo dedita æquè & in maioribus, & in minoribus intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem.* Hier.ep.5.

AVG. in sermonibus de sanctis. *Quibus peccatis* (minutis & quotidianis) *licet occidi animam non credamus, ita tamen eam veluti quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentes deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius sponsi cœlestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.* Aug.serm.41.

CASSIANVS in collationibus. *Cæterum ab istis minutis peccatis, in quibus septies iustus cadit vt scriptum est, & resurgit, nonquam deerit pœnitudo. Aut enim per ignorantiam, aut per obliuionem, aut per cogitationem, aut per sermonem, aut per obreptionem, aut per necessitatem, aut per fragilitatem carnis singulis diebus vel inuiti vel volentes frequenter incurrimus, pro quibus & Dauid orans Dominum, purificationem atque indulgentiam deprecatur, dicens Delicta quis intelliget? ab occultis meis munda me.* S. BARN. de præcepto & dispensatione. *Si iubente seniore vt fileam, verbum mihi forte per obliuionem elabitur, reum me fateor inobeditia, sed venialiter erro. Si ex contemptu sciens & deliberans sponte in verba prorupero, & rupero silentii legem, prævaricatorem me constituo & criminaliter: & si impœnitens perseuero, vsque ad mortem, peccaui, & damnabiliter.* Cass.coll.10.c. 11. Prou.24.16. Psal.18.13. Bern in tract.

III. REMED. Considera peccato veniali quantumuis leuissimo offendi Deum. Vnde B. Iacobus. *In multo offendimus omnes.* Quis autem velit Deum, hoc est, conditorem suum, benefactorem & tantum vel in minimo offendere? Quod autem offendat Deum, inde liquet, quod repugnet legi, ac proinde voluntati diuinæ. *Peccatum* enim, teste Augustino contra Faustum Manichæum, *est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.* Et Ambrosius in lib. de Paradiso. *Quid est peccatum, nisi prævaricatio legis diuinæ, & cœlestium inobedientia præceptorum?* BEDA in epist. Ioannis. *Cum dicit Ioannes. Quia omnis qui facit peccatum & iniquitatem facit. hoc est, ἀνομίαν, & peccatum est iniquitas, manifestè insinuat, quia omne quicquid peccamus contra legem Dei facimus, iuxta illud Psalmistæ. Prævaricantes reputaui omnes peccatores terræ.* Vnde Bernardus in tractatu de præcepto. *Omne peccatum contra Dei, mandatum præsumitur. Quod autem contra mandatũ præsumitur, inobedientia dicitur. Hinc* Iac.3.2. Aug. lib. 22.c. 27 Amb.c.8. Ioan 3. Psal.118.119. Bern.de præc. & dispens.

colligitur, quod irasci fratri, & inobedientia sit, & crimen non sit. En vnum inuenium est monacho leue ac veniale peccatum, quodque non humani sed diuini mandati statua transgressorem. In hoc genere transgressionis sunt nonnulla stulti loquia, seu vanilo-quia, & quæque otiosè dicta, facta, & cogitata. huiusmodi enim nunquam nisi contra mandatum, & Dei mandatũ vsurpantur. Peccata quippe sunt, & Deus prohibet omne peccatum, & tamen venialia, non criminalia reputantur. Deinde offendit DEVM & oculos diuinos à nobis quadantenus auertit, quia animam nostram verè, licet non lethaliter vulnerat, & sordidam ac fœdam reddit. Vnde AVGVSTINVS scribens in caput XIII. Ioannis Euangelistæ & B. BERN. in sermone de cœna Domini comparant eam sordidis pedibus Apostolorum, de quibus Christus apud Ioannem. *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet.* Licet enim Apostoli iam mundi & iusti facti essent p. baptismum, tamen adhuc lauacro alio pœnitentiæ, propter contracta postillum leuiora peccata indigebant si vellent participes reddi regni cœlestis. *Nihil*
Apoc. 21. 27. *enim coinquinatum, vt est in Apocalypsi, introibit in regnum Dei.* Quo sensu &
Ioan. 13. 8. Christus Petro dixit. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Adhæc idem
Aug. hom. 50. Augustinus ita scribit in libro 50. homiliarum. *Quamuis singula* (peccata venialia) *non lethali vulnere ferire sentiantur, sicut homicidium & adulterium, vel cetera huiusmodi, tamen omnia simul congregata, velut scabies, quo plura sunt, magis necant, & nostrum decus ita exterminant, vt ab illius sponsi speciosi forma præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ discutiantur.*

Basil. otat. 5. IV. REMED. Considera, peccata quædam, quæ nostra opinione sunt leuissima, apud Deum sæpe esse grauia, quod B. BASILIVS prolixè in quadam oratione de peccato multis scripturarum exemplis inde probat, quod acerbissime quædam in speciem leuia castigarit. Vt in Numeris
Num. 15. 36. illius, qui ob collecta Sabbatho ligna à populo lapidatus est. 2. in Iosue
Iosue 7. 25. Achan, qui ob exiguum furtum non solum sibi ipsi, sed etiam coniugi,
Num. 12. 10. liberis, toti domui, & omnibus denique suis exitii causam præbuit. 3. in
Num. 20. 12. Numeris Mariæ sororis Moysis, cuius leui licet noxæ, ipso quoque Moyse manus ad Deum tendente, non condonata est mulcta. 4. Ibidem Moysis, qui cum tantus esset Dei amicus, tamen ob exiguam incredulitatem
2. Reg. 3. 10. aditu terræ promissionis excluſus est. 5. Heli sacerdotis qui ob omissam
Act. 5. 5. asperiorem filiorum obiurgationem, ipse cum filiis infausta morte multatus est. 6. Ananiæ & Sapphiræ, qui ob retentam aliquam pecuniolam
Ioann. 13. 8. repentina morte temporali ab Apostolo Petro sublati sunt. 6. Petri eiusdem, cui Christus apud Ioannem negauit vitam æternam, si non obediret in acceptanda lotione pedum. 7. omnium qui esurientes non pauerunt, sitientes non potarunt, egros non inuiserunt, &c. quibus apud Ma-
Matth. 25. 41. thæum dicitur. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* De eadem re sic B

AVG-

AVG. in Enchiridio. *Sunt quædam, quæ leuissima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione grauiora. Quis enim dicentem fratri suo, fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret? cui tamen vulneri subiecit continuo medicinam, præceptum fraternæ reconciliationis adiungens, &c. Aut quis æstimaret, quam magnum peccatum dies obseruare, & menses, & annos, & tempora, sicut obseruant, qui certis diebus, siue mensibus siue annis volunt, vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora, nisi huius mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait. Timeo, ne forte sine causa laborauerim in vobis.* Deinde mox addit. *Hinc accidit, quod peccata quamuis magna & horrenda cum in consuetudinem venerint, aut parua, aut nulla esse credantur, vsq; adeo, vt non solum non occultanda, verum etiam iam prædicanda ac diffamanda videantur.* Aug. lib. 2. c

Eodem pertinent illa CHRYSOTOMI in libro de compunctione cordis exponentis verba Dauidis. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Ob hoc beatus ille, qui tantorum bonorum sibi conscius erat tali vtitur confessione, quia sciebat, quod nemo iustificabitur in conspectu Dei: sciebat quia iustus vix saluus fiet. Hæc est enim humiliati cordis vera compunctio, magna agere & humilia loqui; iusta operari, & super peccatores timere. Et vis scire, quantus in eo sit timor diuini iudicii? audi quid dicit. Iniquitates si obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Nouerat enim & valde nouerat quia in multis criminibus obnoxij sumus Deo, & quia etiam parua peccata, & ea etiam, de quibus nec superamur, deducentur ad iudicium.* Chry. lib. 2. Psal. 6. 3. Psal. 129. 3.

V. REMED. Considera, quod si non sedulò caueas peccata leuiora, te in periculum coniicies admittendi grauiora & læthalia. *Qui autem amat periculum, peribit in illo,* inquit Sapiens. Periculi autem huius causa potest esse multiplex. Primo consuetudo peccandi. *Qui enim spernit modica,* ait idem, *paulatim decidet.* Quæ verba explanans. B. GREG. in decimo moralium. *Si enim curare parua,* inquit, *negligimus insensibiliter seducti, audenter etiam maiora perpetramus.* Et in tertia parte pastoralis admonitione 34. *Qui enim minima peccata flere ac deuitare negligit à statu iustitiæ non quidem repente sed partibus totus cadit.* 2. Causa est natura peccati. Peccatum enim sua natura est graue, & ideo pondere suo semper ad grauiora trahit. Vnde CHRY. in homilia de Iona propheta. *Nihil graue æquè & onerosum inuenies, quam peccatum, & idcirco Zachariæ plumbo peccatum figurauit, & Dauid naturam eius describens, ait. Iniquitates meæ superauerunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Et B. GREG. lib. 25. Moralium. *Peccatum, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.* 3. Causa, quia quædam peccata natura sua excitare solent maximas lites & bella, vt leue aliquod conuitium, non secus quam parua scintilla magna solet excitare incendia, de quo B. IACOB. *Lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam syluam incendit? Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis.* Hac de causa Christus prohibuit iram etiam corde tantum conceptam Eccli. 3. 27. Greg. c. 14. Chryf. Zach 5. Psal. 37. Greg. c. 12. Iac. 3. 5. Matth. 5. 22.

ne ab ea, vt fit, in contumelias, & homicidia, rueretur. Prohibuit aſpectum mulierum, ne inde lapſus eſſet in mœchiam. Prohibuit iuramentum, ne procederetnr ad periurium. Vnde CHRYSOSTOMVS in caput 7. ad Romanos. *Laſciuus es, luxuiq́ue deditus? Ponito tibi ipſi certum terminum, vt poſthac mulierem non inſpicias, neque in theatrum aſcendas: multò ſiquidem facilius eſt, in principio mulierem elegantis formæ ne videre quidem, quam poſtquam ſpectaueris, irrequietam ex animo quæ inde naſcitur, eiicere tumultuationem. Leuia enim ſunt primo congreſſu certamina, tmò ne opus quidem fuerit certamine, tantummodo non aperiamus hoſti portas, neq; ſemina malitiæ recipiamus. Ideo & Chriſtus cohibuit immodeſto viſu mulieri intendentem, vt maiore nos labore liberaret: antagoniſtam iubens antequam robuſtior fiat domo eiicere, quando eiici facile poterit.* Et in Pſalmum ſextum. *Quando paruam animi perturbationem ſuſceperis ne eam neglexeris, quod parua ſit, ſed conſidera quanta mala pariat. Nam ſi in domo parum aliquid ſtuppæ accenſum viderimus, conturbamur, tumultum mouemus: non enim attendimus initium, ſed ex initio finem conſiderantes mouemur, & concurrimus, vt totum caminum extinguamus. Hoc igne vehementius exedit animam peccatum.* 4. cauſa eſt multitudo peccatorum venialium, de quibus ita loquitur AVG. in Ioan. *Quomodo minuta peccata, ſi negligantur, occidunt? minutæ ſunt guttæ, q̃ flumina implent. minuta ſunt grana arenæ, ſed ſi multa arena imponatur premit atq; opprimit. Hoc facit ſentina neglecta, quod fluctus irruens paulatim per ſentinam intrat: ſed diu intrando, & non exhauriendo mergit nauim.* Et epiſtola ad Seleucianã. *Illa vtiq; peccata, quæ humanæ fragilitati, quamuis parua, tamen crebra ſubrepunt, quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & oppriment, ſicut vnum aliquod graue peccatum. Quid enim intereſt ad naufragium, vtrũ vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim ſubrepens aquam in ſentinam, & per negligentiam derelicta atq; contempta implens nauem atq; ſubmergat?* Hæc ille. Quæ verba nõ ſic ſunt accipienda, quaſi multitudo peccatorũ venialium, dum venialia manent, exequari poſſint vni mortali: id. n. Theologi ſcholaſtici firmis rationib. redarguunt, ſed vtrea exponit S. THOMAS in ſecũda parte ſummę Theologicæ, quaſi multa venialia, ſi negligantur proximam viam parent & diſponant ad mortale, ſicut vulnus curabile, ſi negligatur diſponit ad morbum lethalem. 5. Cauſa eſt. Contemptus leuiũ peccatorũ maximè ſi ſerius ſit, & grauis de quo intelligi poteſt illud AVGVSTINI. in epiſtolam Ioan. *Iſta leuia, quæ diximus, noli contemnere; ſi contemnis, quando appendis, expaueſce, quando numeras. Leuia multa faciunt vnum grande. Multæ guttæ replent flumen: multa grana faciunt maſſam.* Et illud CHRYSOSTOMI in caput 7. ad Romanos. *Fugiamus modica mala: magna ſiquidem ab illis naſcuntur. Quiſquis n. ad quodlibet delictum dicere didicit conſuetum illud. Nihil erit ab hoc damni: paulatim omnia perdet. Iſtud quippe malitiam induxit, iſtud latroni portas aperuit, iſtud ciuitatis muros deiecit. Hoc & in corporibus magni morbi contrahuntur, quando medici contemnuntur.* Clarius S. BERN. tractatu de

Chry. hom. 12.

Aug. tract. 12.

Bp. 108.

S. Thom. 12. q. 88. a. 3.

Aug. tract 1.

Chry. hom. 12.

Bernard.

tu de præcepto & dispensatione. *Stultiloquia, & quoq; otiosè dicta, facta & cogitata peccata sunt, & tamen venialia & non criminalia reputantur, excepto, cum per contemptum vertuntur in vsum & consuetudinem, & tunc non peccati species, sed peccantis intentio pensatur. Elatio quippe contemnentis, atq; impœnitentis obstinatio in minimis quoq; mandatis culpam facit non minimam, & conuertit in crimen grauis rebellionis animum satis leuem simplicis transgressionis. Et de conuersione. S. Pauli. Si* Id. serm. 2. *dicas non est magnum, &c. Ego tibi moneam venialibus, minimisq; peccatis. Hæc dilectissimi impœnitentia, hæc blasphemia in spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis.*

VI. Rem. Considera, etiamsi peccato veniali Deus non eo vsq; offendatur, vt hominem sua gratia & amicitia destituat, tamen pietatis amantibus fugiendum esse ob sequentes eius effectus. Nam primo obligat hominem ad pœnam huius vitæ, vel futuræ in Purgatorio luendæ. nullum siquidem peccatum manet impunitum, vt probauimus supra ex S. Patribus. 2. animam sordidiorem reddit, vt diximus. 3. imminuit caritatis feruorem, vt aqua frigida iniecta in calidam. 4. vires animi debilitat, sicut onus ambulantem. 5. retardat gloriam æternam. 6. minuit meritum & vitæ æternæ gloriam. 7. disponit ad peccatum mortale. 8. obstaculum aliquod ponit augmento gratiæ. 9. impedit deuotionem in orando, & in vita spiritali progressum. 10. displicet Deo & Angelis, & ideo nunquam licet peccatum veniale committere, etiamsi spes affulgeret totum mundum per illud conuertendi. 11. placet dæmoni, & ideo sæpe occasionem captat per illud nos perdendi, vt notauit B. Chrysostomus in epistolam ad Ephesios, dum exponit verba illa. *Nolite locum dare diabolo. Quamdiu*, inquit, *lapides bene compacti sunt, nihilq; vacuum inter se habent, firmi & infracti perstant; si verò vel foramen acus duntaxat, quod vtrinq; penetret, aut scissura, quæ capilli locum habeat, fieri contigerit, omnia dissoluuntur ac pereunt. Ita & diabolus, donec compacti quidem, ac bene cõpositi fuerimus, nihil suorum omninò poterit inferre. Quamprimũ verò vel modicũ nos relaxare poterit, non aliter q; quasi quidã torrẽs toto impetu infunditur. Nũ vbiq; illi solis duntaxat initiis opus est. Si verò nactus fuerit initium nocendi oĩa sibiipsi subinde suopte ingenio vestigat & amplificat.* Et B. Eph. in tractatu de virtutib. & vitiis. *Vos hortor, obtestorq; fratres, vt nõ solũ à grauioribus peccatis tẽperetis, q̃ quidẽ vos facere noui, sed etiã ab illis q̃ parua apparent ac leuia q̃ tanq̃ minimi ac nullius momenti fere ab hominib. negligi sperniq; solent, quasi nulla de similib. reddẽda foret ratio, cũ interim per eiusmodi nos perdere etiã quærat diabolus.*

V. Peccatum. Rom. 14.

Chry. hom. 14. in c. 4. Eph. 4. 27.

Ephr. c. de in temperantia.

VII. Rem. Vsurpa frequenter antidota à S. Patribus, aliisq; Ecclesiæ Doctoribus præscripta. Ea autem sunt. Oratio Dominca omnib. à Christo præscripta, tunsio pectoris à publicano & aliis vsurpata, eleemosyna, & quilibet actus feruens caritatis, ieiuniũ, & aliæ castigationes corporis, pœnitẽtia vel dolor animi, gemitus lacrymę, confessio, examẽ conscientiæ, aqnæ benedictæ asperso, benedictio Episcopi, & id genus similia.

Luc. 18. 15.

Vnde

Aug.ep.108. Vnde B. AVG. epistola ad Seleucianam. *Est etiam pœnitentia bonorum & humiliũ pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Neque. n. ea nobis dimitti volumus q̃ dimissa nõ dubitamus in baptismo, sed illa vtique, q̃ humanæ fragilitati, quamuis prauæ, tamen crebra subrepunt.* Et in sermone de sanctis. *Quib. operib. minuta peccata redimuntur, plenius vobis insinuare desidero. Quoties infirmos visitamus, incarcere clausos, & vinculis positos requirimus, discordes ad concordiam reuocamus, indicto Ecclesiæ ieiunio ieiunamus, pedes hospitibus abluimus, ad vigilias frequenter cõuenimus, eleemosynam ante ostium prætereuntib. pauperib. damus, inimicis nostris quoties petierint veniam indulgemus. Istis. n. operibus, & his similib. minuta peccata remittuntur quotidie.*

Serm. 42.

Et paulo ante. *Ita peccata ipsa in hoc seculo purgantur vt in futuro ille ignis purgatorius, aut non inueniat, aut certe parum inueniat, quod exurat. Si autem bonis operibus peccata non redimimus, ipsi tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu supradicta peccata minuta tanquam ligna, fœnum, stipula consumantur. Sed dicit aliquis. Non pertinet ad me quamdiu moras habeam, si tamen ad vitam æternam perexero, Nemo hoc dicat, fratres charissimi, quia ille purgatorius ignis durior est, quam quicquid potest in hoc seculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri. Et cum de illo iudicii scriptum sit, quod erit dies vnus tanquam mille anni, & mille anni tanquam dies vnus vnde scit vnusquisque, vtrum diebus, an mensibus, an forte etiam & annis per illum ignem sit transiturus? Et qui modo nec vnum digitum suum in ignem vult mittere, timeat necesse est, vel tunc paruo tempore cum anima & toto corpore cruciari.*

2 Cor. 3. 12.

Psal. 89. 4.

Et CHRY. in Genesin. *Neque peccata quæ nobis videntur parua contẽptim prætereamus, sed quotidie à nobis rationes repetamus & verborum & spectationum, & pœnas de nobismetipsis sumamus, vt nos à futuro supplicio liberemus. Nam propter hoc & Paulus inquit, Nam si nosipsos iudicauerimus, non vtique iudicabimur. Ita si nosipsos hic condemnauerimus propter quotidiana peccata, imminuemus supplicium, quod alibi futurum est, quod ignaui fuerimus. Qui iudicamur, inquit, à Domino eruditur. Prius igitur nosmetipsos condemnemus magna cum gratitudine, & nullo scient in tribunali conscientiæ sedeamus, & sic examinemus nostras ipsorum cogitationes, & rectã sententiam proferamus, vt mens timens magnum illum terrorem non patiatur nos amplius decipi, sed impetum refrenet, & præuidens illum indeceptum oculum præcludat diabolo ingressum.*

Chry. hom. 60. in c. 15.

1. Cor. 11. 31. Examen conscientiæ.

VIII. REMED. Considera exempla Sanctorum, qui seduli fuere in cauendis peccatis venialibus, & forte lapsi, grauiter in se ea vindicarunt. Primum sit B. Paulæ Romanæ, quam HIER. Epistola ad Eustochium affirmat *leuia peccata ita planxisse, vt illam grauissimorum criminum crederes ream.* Eam quoque dicere solitam, *quod inter seculi homines vel leue putatur, vel nihil, hoc in monasteriis grauissimum delictum esse.* ALTERVM sit B. Eusebii eremitæ, de quo THEOD. in historia Sanctorum sic scribit. *Sedebat super quandam petram Eusebius & Ammianus admirabilis, & diuinorum Euangeliorum historiam alter*

Hier. ep. 27.

Theodor. sect. 4.

alter quidem legebat, alter vero eorum, quæ erant obscuriora, explacabat sententiam. Cum autem agricolæ in subiecto campo terram colerent ad hanc contemplationem magnus tractus est Eusebius. Cum autem diuinus Ammianus locum legisset Euangelicum, sciscitaretur autem interpretationem, iussit magnus Eusebius, vt repeteret lectionem. Cum is autem dixisset, iis qui arant forte delectatus, minimè exaudiisti, vt est verisimile: suis deinceps oculis legem tulit, vt neque campum illum vnquam intuerentur, neque cœlesti pulchritudine & chori astrorum aspectu fruerentur: sed angustissima vtens semita, cuius mensuram aiunt fuisse vnius palmi ferente ad oratorium, extra eam deinceps egredi non est passus. Dicunt autem eum plusquam quadraginta annis vixisse post hanc legem. Vt autem cum animi sui sententia ad hæc quoque eum traheret aliqua necessitas, cum lumbos zona ferrea alligasset, & grauissimum collare collo imposuisset, aliquo alio ferro coniunxit zonam collari, qui erat collo impositus, vt hoc modo inclinatus conaretur assiduè in terram despicere. Has ipse de se exegit pœnas, quod illos esset contemplatus agricolas. TERTIVM sit eorum, qui in Confessione sacerdoti facta peccata venialia multis cum lacrymis deplorarunt, vt S. ELZEARIVS Comes Ariani in Gallis, S. Maria Oegniacensis in Belgio, & alii apud SVRIVM in eorundem vitis. Vnde B. ISIDORVS in libro de summo bono ita scripsit. *Quid peccatores de magnis sceleribus agere debent, quando perfecti leuia quoque delicta quasi grauissima lugent?* 27. Septem. 23 Iunii. Isid. lib. 2. c. 18.

PERSONARVM ACCEPTIO.

Remedia aduersus eam.

I REMED. Considera, quid Spiritus S. de hoc vitio in diuinis litteris patefecerit. Ac primo quidem declarat, quando acceptione, vel respectu personarum delinquatur, nempe, cum in administranda iustitia, non ad causæ merita, sed ad personam, id est, conditionem externam, vt diuitias, potentiam, nobilitatem generis, sexum, &c. respicitur. Sic enim MOYSES suos alloquitur. *Audite illos (scilicet Principes) & quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum: ita paruum audietis, vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* 2. vel improbat, vel prohibet respectum personarum: Vt in Exodo. *In iudicio non acquiesces plurimorum sententiæ, vt à vero deuies. Pauperis quoque non misereberis in iudicio.* Et in Leuitico, *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iustè iudica proximo tuo.* Et in Deuteron. *Non accipies personam, nec munera.* Et in prouerbiis Salomonis. *Accipere personam impij non est bonum, vt declines à veritate iudicij.* Et. *Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit: iste & pro buccella panis deserit veritatem.* Et apud B. Ioannem ait Christus ipse. *Nolite iu-* Deut. 1. 16. Exo. 23. 3. Leu. 19. 15. Deu. 16. 19. Prou. 18. 5. Prou. 28. 21. Ioan. 7. 24.

dicare secundum faciem sed iustum iudicium iudicate. 3. declarat peccatum esse graue. Nam apud Malachiam tradit Iudæos ob hoc crimen redditos viles

Mal. 2. 9. & contemptibiles in mundo. *Propter quod*, inquit, *& ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege.* LXX. vertunt. Accipiebatis personas in lege. In quæ verba sic HIERONYMVS. *Inter omnia peccata Leui, siue eorum, qui ex Leui sunt sacerdotum Dei, illud & vltimum & maximum ponitur: quare accipiant faciem in lege, vt non causas, sed personas considerent: iustum q; pauperem despicientes, iniquos diuites suscipiant & honorent: Ad quos in 81. psalmo dicitur Vsque quo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* Et mox addit. *Plenius q; Apostolus Iacobus hoc peccatum*

Iac. 2. 1. 6. *arguit atque condemnat.* nempe in cap. 2. suæ epistolæ, dum ita scribit. *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ.* Et rursum post allatum exemplum accipientis personam, qui diuitem præ paupere honorabat. *Si*, inqnit, *personas accipitis, peccatum operamini redarguti à lege quasi transgressores.*

Basil. hom. 23. 11. REMED. Considera SS. Patrum sententias. BASILIVS exponens dictum Salomonis, iuxta LXX. *Qui respexerit plana, misericordiam inueniet. Ne dicas*, inquit, *ille diues est, & honore dignus, hic pauper, contemno autem pauperem. Noli in distribuendis honoribus respectus habere inæquales. Est enim diues sæpe mendax, rapax, libidinosus, pauper verò iustus. Non igitur faciem tantum spectabis, sed occulta penitioraque considera. Eum honora qui preciosa possidet. Virtus verè sunt diuitiæ.* BEL *exterè quidem æs habuit, lutum verò sub ære fulgente abscondit.* Et

Ad hom. 12. iterum *Quemadmodum qui sagittam tendens ad metam dirigit, nec vltra, nec citra, nec vtrobique errando à via proposita excidet: ita rectus iudex factitabit, nec in iudicando personam accipiet. Noscat enim quod minimè ad rem faciet. Neq; item promotione, aut contentione aget, sed rectum ac minime obliquum profert iudicium. Et si duo inciderint iudicanda, alterum quidem plus æquo habens, alterum verò minus diligentis erit iudicis partes adæquare, tantumque ab eo qui plus habet demet, quantum illi, cui iniuria fit, deesse videbit. Qui autem pecunia corruptus, aut propter amicitiam placere studens seu odio compulsus vel etiam potentia perterritus fuerit, nequaquam res*

Hier. ep. 14. *iustè cognoscere poterit.* S HIERONYMVS ad Celantiam, de institutione matrisfamilias *Nulli te vnquam de generis nobilitate proponas, ne que obscuriores quasque & humiliore loco natas, te inferiores putes. Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum sed animos inspicit singulorum: seruum & nobilem de moribus pronunciat. Sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis. Summa apud Deum*

Mal. 1. 7. *est nobilitas, clarum esse virtutibus.* Et exponens verba Malachiæ. *Offertis super altare meum panem pollutum. Doctor*, inquit, *Ecclesiæ, qui spiritualem confert panem & cum populis diuidit, si vel propter humanam gloriam, vel lucra seculi, quæ gloriam consequuntur loquatur in populis, & diuitibus blandiatur, & honoret peccatores, & iuxta Iacobum suscipiat eos qui cum anulis aureis ad se veniunt, & pauperes*

sanctos

sanctos repellat, nomen Dei despicit, & panem polluit doctrinarum, & in ipsum Deum iacit contumelias. S. AMBROSIVS libro de officiis. *Cum in omnibus iniustitia citò offendat, tum maximè in Ecclesia, vbi æquitatem esse oportet, vbi æqualitatem haberi decet, vt nihil tibi potentior plus vendicet, nihil vsurpet ditior. Siue enim pauper siue diues, in Christo vnum sumus: nihil sanctior plus sibi arroget: ipsum enim par est esse humiliorem Sed nec personæ alterius accipiamus in iudicio: gratia absit, causam merita decernant. Nihil sic opinionem, imò fidem grauat, quam si in iudicando potentieri dones causam inferioris, vel panperem innocentem arguas, diuitem excuses reum culpæ. Pronum quippe est genus hominum fauore honoratioribus, ne læsos se putent ne victi doleant.* S. AVGVSTINVS ad Hieronym. *Nec sane, quantum arbitror putandum est leue peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini nostri IESV Christi, si illam distantiam sedendi ac stanti ad honores Ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris Ecclesiæ contempto pauperem structiore atque sanctiore? Si autem de quotidianis confessibus loquitur, quis non hic peccat, si tamen peccat, nisi eum apud seipsum intus ita iudicat, vt ei tanto melior, quanto ditior illo esse videatur? Hoc enim videtur significasse cum dicit. Nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices iniquarum cogitationum?* B. ISIDORVS de summo bono. *Non est personain iudicio cosideranda, sed causa: Sic enim scriptum est. Non accipias personam in iudicio. Et iterum. Non misereberis pauperis in iudicio. Qui enim consanguinitatis, vel amicitiæ fauore, sine inimicitiarum odio iudicium peruertunt, sine dubio in Christum, qui est veritas & iustitia, peccare noscuntur. Iniqui iudices errant in veritate sententiæ, dum intendunt in qualitatem personæ, & exulcerant sæpe iustos, dum improbè defendunt iniquos* S. BERNARDVS de Consideratione agens de idoneis hominibus ad Curiam admittendis ab EVGENIO Papa. *In talibus*, inquit, *respiciet Spiritus tuus, qui non sunt attritæ frontis, sed verecundi, sed timorati, qui præter Dominum timeant nihil, nihil sperent nisi à D.o: qui aduentantium non manus attendant, sed necessitates. Qui stent viriliter pro afflictis, & iudicent in æquitate pro mansuetis terræ, &c qui missi post aurum non eant, sed Christum sequantur; qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum: qui diuites non palbent sed terreant, pauperes non grauent, sed foueãt: minas Principum uon paueant, sed contemnant.*

mAb.c.24. Aug.ep.29. Iac.22. Iac.2.4. Isid.l.3.c.55. Deu.16.19. Exo.23.3. Bern.lib.4.

III. REMED. Considera & explora virium tuarum facultatem, speresnè te posse tueri iustitiam contra potentes, diuites, consanguineos. *Pronum enim est genus hominum*, vt supra notauit Ambrosius, *fauere honoratioribus* Amb.2.offic. Si non speres, refuge Iudicis secularis vel Ecclesiastici munus, secundum cosilium Sapientis, *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandulum æquitate tua.* & B. Ambrosii. *Sed primum*, inquiens, *si offensam vereris, non recipias iudicium: si sarcidos, aut si quispiam alius, non lacessas. Licet tibi sedere in negotio dutaxat pecuniario, quanquam sit constantiæ, adesse æquitati. In causa autem DEI, vbi communionis*

Eccli 7.6. Aug.l.cis.

nionis periculum est, etiam dissimulare peccatum est non leue. Hoc consilium se-
Basi.in.c 6.Isa. cutus Moyses, qui cum à Deo mitteretur ad iudicandum populum Israheliticum, imbecillitatis suæ conscius, se excusauit. *Moyses ille*, inquit S. Basilius, *vir Dei magnus, qui cum omnibus in rebus obedientem sese præberet Domino tamen quando ad populum Israheliticum mitteretur, inquit. Obsecro Domine, alium quem mittas pares. At ex eo ipso, quod excusatione & confessione imbecillitatis suæ,*
Eccli.7. *quasi cum quadam contentione Deo resisteret, Deus eum dignum esse iudicauit, qui populo præesset suo. Quamobrem præclare se habet præceptum illud. Ne quæras esse iudex ne aliquo modo non valeas tollere iniustitiam.* Idem consilium secuti sunt sancti omnes, quotquot ad Episcopatum, aliasue Prælaturas vocati, vt S. Chrysostomus, S. Ambrosius, S Augustinus, S. Gregorius & alii, sese in latebras abdiderunt, aut omnino eas respuerunt.

IV. REMED. Considera, si dignitatem vel magistratum huiusmodi,
Deut.1.16. in quo sit periculum crebrius in acceptione personarum delinquendi, iam susceperis, vices te tenere Domini Dei; Vox siquidem Moysis est. *Non accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* Et regis Iosaphat ad
2.Par.19.6. iudices in Vrbibus constitutos. *Videte, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quoscunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor*
Aug.p.86.in Exod. *Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* Quamobrem Iudices in iisdem diuinis scripturis non semel Dii appellantur vt obseruarunt SS. Patres. vt in Exodo, cum dicitur. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* quo sensu inquit Augustinus, ibidem Moyses constitutus dicitur
Exo.22.28. Exo.71. Psal.81.1. *DEVS Pharaonis.* Et in Psalmo. *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem Deos diiudicat.* Nammox sequitur. *Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* Iam autem constat Deo in vtroque testamento crebro
Dent.10.17. Sap.6.8. Eccli.35.16. Rom.2.11. Gal.2.6. Eph.6.9. Col.3.25. Act.10.34. 1.Pet.1.17. attribui, quod non sit acceptor personarum, vt in Deuteronomio, Sapientia, Ecclesiastico, Beato Paulo & Petro Apostolo, Quam causam rex Iosaphat in suo ad Iudices sermone expressit, nam cum dixisset ideo eos abhorrere debere ab acceptione personarum, quod Dei iudicium exercerent, illico subiunxit. *Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Sed nec subticuit Spiritus sanctus cur in Deum non cadat acceptio personarum. *Qui non accipit personas Principum*, ait Iob, *nec cognouit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem: Opus enim*
Iob.34.19. Sap.6.8. *manuum eius sunt vniuersi.* & Sapiens. *Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.*

V. REMED. Considera omnibus iudicibus, Principibus, & superioribus supremum constitutum esse Iudicem DEVM qui exactam seueram & omnium rerum in iudiciis ferendis gestarum rationem sit inituros. Nam vt ante dixit Psaltes regius, *DEVS, qui stetit in synagoge Deorum, in*

medio

medio DEOS diiudicat. hoc est, maior iudex minores *qui de hominibus iudicandi potestatem habent.* vt exponit lib. 13. in Ezechielem B. Hieronymus. vt sensus sit. Quamuis huius mundi iudices, sint quasi Dii quidam; supremus tamen eorum Iudex Deus sedulo attendit, quemadmodum munere sibi commisso perfungantur. H. in c. 44. Ezec.

Hoc monitum vel Remedium ipsa Sapientia diuina tradidit, cum agit de cauenda in iudiciis personarum acceptione his verbis, sane pertimescendis. *AVDITE reges & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum esset is minister regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem DEI ambulastis. Horrende & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Sap. 6. 2.

Quis non horreat ad hoc iudicium, in quo non solum opera sed etiam cogitationes ad seueriſſimum examen vocabuntur? Certè sic horruit rex Dauid, vt alicubi dixerit. *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Psal. 142. 2.

VI. REMED. est S. BASILII, in principium Prouerbiorum, dum Iudicem deterret à respectu personarum, ita scribentis. *Huic iudici psalmus ait. Itaq; si verè iusticiam loquimini, rectè iudicate fili hominum. Argumentum namque iusti, affectus est in iudicando rectitudo. Quod idem in orationis processu innuere videtur, dicens. Pondus magnum & parvum, abominatio apud Deum sunt vtraque, non æquum circa iudicium ponderum id appellatione prouerbii modo figurans.* Et infra. *Quomodo igitur ex Salomonis sententia, cogitationes iustorum iudicta sunt viro sapienti, omnino fatagendum erit intra cordis arcana tribunal constituere, rectaque facere iudicia mentemque velut in trutina suspendere ad ea quæ conueniunt. Et quando singula Dei mandata contra aduersantem sibi malitiam coram te iudicium experiuntur, da legi diuinæ contra vitium victoriam. Iniquum & æquum apud te iudicantur. Respondeto contra concupiscentiam alienorum bonorum. Da vt vincat virtus. Contumelia & patientia inuicem pugnant? vitupera contumeliam, laude patientiam. Odium item & caritas? alterum procul reiice, alterum verò, id est, caritatem, propriam, familiaremque tibi redde. Simulatio & simplicitas, fortitudo & timiditas, iustitia & iniustitia, temperantia & intemperantia iudicantur. Tunc denique in tuæ mentis recessu iudicatorum rectitudinem ostende, & veluti in tribunali tibi ipsi assidere mandatum Dei faciens, monstrate vitium abhorrere ac omninò ab eo esse auersum, virtuti verò fauentem. Si enim in rebus omnibus quas agis, apud te meliora vincere permittas, beatus in die illa fueris, quando DEVS occulta hominum iudicabit, vt testatur Euangelium cogitationibus corda simul hominum accusantibus & defendentibus.* Prou. 20. 10. Prou. 12. 5. Rom 2. 15. Hucusque Basilius.

VII. REMED. Considera exempla vtriusque testamenti. E veteri ha-

bes Prophetas, qui nulla habita ratione personarum, quamtumuis potentium peccata redarguerunt, veritatem defenderunt, disciplinam conseruarunt. Impius rex Achab, cum diceret ad prophetam Eliam. *Tune es ille, qui conturbas Israel?* respondit Elias. *Non ego turbaui Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandatum Domini.* Eliseus, cum staret coram Ioram rege Israel idololatra, & coram Iosaphat rege Iuda Deū colente, vt pro illis Dominum cosuleret, illum constanter redarguit, hunc autem reuerebatur est. Ad Ioram enim dixit. *Quid mihi, & tibi est? Vade ad Prophetas patris tui* (Achab) *& matris tuæ* (Iezabel). Et rursum *Viuit Dominus Deus Israhel, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat regis Iuda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* Haud secus cæteri Prophetæ, Isaias, Ieremias, Nathan, alii non respexerunt Regum suorum, legē Dei præuaricantium, vt Manassis, Sedechiæ, Dauid, personas, quo minus & peccata eorum arguerent, & Dei patefacerent comminationes. Ex nouo testamento verò primum habemus exemplum præcursoris Christi IOANNIS Baptistæ, qui Herodis personam non respexit, quo minus ei liberè diceret. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Deinde Christi Saluatoris, de quo iam olim vaticinatus erat Propheta Isaias, dicens. *Non secundum visionem oculorum iudicabit, neq; secundum auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet æquitate pro mansuetis terræ.* Nullius siquidem personam accepit in iudicio, (inquiunt B. Hieronymus & Cyrillus eundem locum exponentes), sed scribis etiam ac Pharisæis & Iudæorum Principibus, dixit. *Væ vobis Hypocritæ.* Et. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus.* Necsecundum auditum aurium, vel sermonem corripuit. Illis enim, dicentibus. *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non adte pertinet de aliquo: neq; enim vides in faciem hominum:* sciens malitiam eorum respondebat. *Quid? me tentatis hypocritæ?* Hæcilli. Præterea B. Apostolus Paulus sic de Christo loquitur. *Omnes filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo IESV. Non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos vnum estis, in Christo IESV.* Et rursum. *Vbi non est Gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus, & Scytha, seruus & liber: Sed omnia & in omnibus Christus.* DENIQ. in historia Ecclesiastica innumera habemus exempla, tum Martyrum, tum Sanctissimorum Episcoporum Confessorum Anastasii, Hilarii, Ambrosiii, Basilii, Chrysostomi, Thomæ Cantuariensis, Stanislai, qui etiam potentissimorum Regum vel Imperatorum vultus vel personas non respexerunt, quo minus honorem diuinum, fidei veritatem, & immunitatem Ecclesiasticam constanter vsque ad mortem defenderent.

3. Reg 18.17.

4. Reg 3.13.

Mar. 6.17. Luc. 3.19.

Isa. 11.3.

Hier l. 4. com. Matth. 23.

Matth. 22.

Gal. 3.27.

Col. 3 11.

VIII. REMED. Considera exempla Ethnicorum, qui etiam à politicæ iustitiæ recta administratione πρεσοπολυψίαν taquam pestem remouerunt.

uerunt. Nam Dione Cassio teste, Traianus Imperator, cum Tribunũ militum renunciasset strictum ensem in manus eius porrigens dixit. *Cape ferrum hoc, & siquidem rectè imperium gessero, pro me; sin aliter contra me hoc vtere.* Et cum mulier quçdam aliquando eum rogasset vt se audiret, & ille respondisset. Otium sibi non esse. illa clamans ait. Noli ergò imperare. Quo audito, continuò causæ eius aures dedit. THEMISTOCLES, auctore Plutarcho. cum ab eo Simonides Poeta propter æquum quiddã postulasset, *Neq; tu*, inquit, *bonus poeta esses, si modos & numeros in canendo contemneres: neq; ipse bonus prætor si gratiam cuiusq; legibus præferrem.* PAPINIANVS, teste Spartiano, iussu à Caracalla Imp. occisi fratris Getæ facinus in Senatu, & apud populum diluere, recusauit, dicens. *Non tam facilè parricidiũ excusari posse, quàm fieri.* In his exemplis, nec Traianus, ilicet mperator, æquitati personam suam præponderare voluit, nec Themistocles etsi Athenis potẽtissimus: nec Papinianus etsi Iureconsultus disertissimus, personam aut magni Poetæ aut Imperatoris contra iustitiam respexerunt. VERVM neque defuerunt, qui in hoc genere & consanguineorum, fratrum atque filiorum salutem æquitati posthabuerunt. Nam vt habet Plutarchus, PHOTION Athenienſium Princeps ne genere quidem Charillo repetundarum dicto causam adesse sustinuit, inquiens. Equidem mihi generum te hominem iustum & probum optaui. Quo dicto deserto genero inde se proripuit. Eodem autore EPAMINONDAS Thebanorum Dux filium corona primum imposita securi feriri iussit, quod Præceptorum paternorum immemor cum hoste conflixisset, eumque vicisset. Idem habes in Valerio Maximo de Bruto & Torquato, qui ad sartam tectam tenendam iustitiam liberis quoque non pepercerunt. Et de Seleuco Locrensium Rege, qui cum legem tulisset de adultero vtroque oculo orbando, filiusque in adulterio deprehensus esset, se vno, filium altero oculo priuauit, ne ob acceptionem personæ lex ab ipso lata violaretur.

Dion in Traiano.

Pl. in Themist.

Sp. in Caracalla.

Plut. in polit.

Id. in Paral.

Val. lib. 5. c. 8. & lib. 6. c. 5.

IX. REMED. est S. AVGVSTINI in Tractatu 30. in Ioannem. Exponens enim verba Christi. *Nolite iudicare personaliter, sed rectum iudicium iudicate. Hoc vitium*, inquit, *fratres, q̃ Dominus notauit hoc loco, euadere in hoc seculo magni laboris est, non personaliter iudicare, sed rectũ retinere. Admonuit quidem Dominus Iudæos, sed monuit & nos: illos corripuit, & nos instruxit; redarguit, nos exacuit.* Et infra. *Quis est qui non iudicat personaliter? Qui diligit æqualiter. Dilectio æqualis facit non acceptari personas: nam cum homines diuerso modo pro suis gradibus honoramus tunc timendum est, ne personas accipiamus.* Quod remedium æqualis dilectionis omnium Et hoc obseruatu facilius est quo magis est consentaneum præcepto Dei mandantis, vt diligamus proximum sicut nosipsos & nouo mandato Christi relicto discipulis, vt diligerent inuicem, sicut cos

Aug. in c. 7. Ioan.

Matth. 22. 39. Ioan. 13. 34.

eos ipse dilexisset. Ex hac doctrina non obscurè efficitur, non posse iudicem, dum causa diuitis iustior est, quam pauperis, etiam ex misericordia potius patrocinari pauperi, quàm diuiti, quia peccaret non modo contra iustitiam secundum merita causæ iudicantem, sed etiam contra caritatem æqualiter omnes diligentem, vt eruditè idem annotauit Augustinus scribens in Psalmum 32. *Aliquando*, inquit, *audis causam inter duos, quorum duorum vnus est diues, & alius pauper, & contingit, vt pauper habeat causam malam, diues autem, bonam. Iam si tu non es eruditus in regno Dei, videris tibi benefacere, si quasi pauperem miseratus abscondas, & contegas iniquitatem illius, & voles eum iustificare vt quasi bonam causam habere videatur. Et si reprehensus fueris, quod male iudicasti, respondes. Noui, & ego scio, sed pauper erat, misericordia ei debebatur. Audi ibi Deus. Ne accipias personam pauperis in iudicio. Illud est, vbi fallitur (homo) volenti qui vult placere Deo, si personam pauperis in iudicio accipiat, & dicat, faui pauperi. Imò si teneres vtrunq; & misericordiam & iudicium, placeres Deo. Primo, qualem misericordiam fecisti in eum, cuius iniquitati fauisti? Ecce saccello pepercisti, & torcussisti: pauper iste iniquus remansit, & tanto iniquior, quanto te quasi hominem iustum fauere vidit iniquitati suæ. Qualem misericordiam præbuisti ei, quem iniustum fecisti? Ecce crudelior inueniris, quàm misericordior. Quid ergo, inquis, facerem? Iudicares primò secundum causam, argueres pauperem, flecteres diuitem. Alius est iudicandi, alius petendi locus. Quando te ille diues videret tenuisse iustitiam, non erexisse iniquo pauperis ceruicem, nonne flecteretur ille potens ad misericordiam petenti, qui latus reditus erat te iudicante?*

Aug. con. 1.

Exo. 23.3.

X. Remed. Quando causa, quæ inter diuitem & pauperem agitatur anceps & dubia est, laudabilius est in pauperis partes potius, quam diuitis inclinare, quod Spiritus sanctus in diuinis scripturis non subticuit, nam cum in Deuteromio dixisset. *Deus magnus & potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera*; mox subiungit. *Facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atque vestitum: & vos ergo amate peregrinos, quia ipsi fuistis aduenæ in terra Ægypti.* Et cum in psalmis dixisset. *Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* addit. *Iudicate egeno & pupillo: humilem & pauperem iustificate. Eripite pauperem & egenum de manu peccatoris liberate.* Vnde & Ecclesiasticus. *In iudicando esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius altissimi obediens, & miserebitur tui magis quam mater.* Rationi quoque id valde consentaneum est. Primo quia pauper diuite miserior est, ac proinde & misericordia atque subsidio dignior. 2. quia ex parte Iudicis laudabilius est potius in animi moderationem, quam in seueritatem, ad commiserationem magis quam in summi iuris acerbitatem propendere. 3. quia natura procliuior est homo in diuitem & potentem, à quo aliquid commodi expectat, quàm in egentem qui beneficii compensandi facultatem non habet, vt sapienter animad-

Deut. 10.

Psal. 81. 3.

Eccli. 4.10.3.

uertit

uertit B. Ambrosius, dum ita ratiocinatur. *Quid autem tibi prodest fauere diuiti*, nempe in iudicando? *An quia citius amantem remuneret? His enim fauemus frequentius, à quibus referendæ vicem speramus gratiæ. Sed eo magis infirmo & inopi nos studere conuenit, quia pro eo qui non habet, remunerationem speramus à Domino IESV: qui sub specie conuiuij generalem virtutis edidit formam, vt his potius nostra conferamus beneficia, qui nobis ea non possunt repræsentare.* Amb. 2. offic. 25. Luc. 14.

Atq. hac de causa Deus toties expostulat cum Iudæis, quod tam exiguam curam gerant pauperum, aduenarum, & pupillorum, quia communiter à diuitibus opprimebantur, vt apud Ieremiam, dum ita quæritur. *Causam viduæ non iudicauerunt, causam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt.* Ier. 5. 28.

Ob eandem & Ethnici Principes sanxerunt quando subdito lis est cum Principe, subdito potius fauendum quàm Principi. Vnde Iulius Capitolinus scribit. M. Antoninum, Philosophum dictum, in causis compendii & quæstus nunquam fauisse fisco, vt bene annotauit doctissimus Couarruuias Sebogiensis Episcopus. Plinius verò laudauit Imp. Traianũ, quod eo imperante fas esset contra fiscum iudicare. *Quæ*, inquit, *præcipua gloria tua est, sæpius vincitur fiscus: cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono Principe.* Con. lib. 1. var. resol. c. 16. Plin. in Panegy. L. non puto ff. de iure fisci.

Hinc Modestinus Iureconsultus ait. *Non puto delinquere eum, q in dubiis quæstionibus contra fiscum facile iudicauerit.* Qua autem de causa laudabilius est in ancipiti controuersia egenti potius fauere, quàm potenti, subdito quàm Principi, eâdem laudabilius est in iudicio ferendo fauere potius iis qui infirmitate naturę ex impetu potius & inuoluntariè, quàm ex malitia deliquerunt. Deinde iis qui occasiones labendi graues habuerunt, quam qui maleficiis ansas quæsiuerunt: ac etiam iis qui cæteroquin pacis & quietis amantes sunt, quàm factiosis, qui Respub. facile conturbant.

XI. Remed. est detestatio Auaritiæ, & corruptelæ munerum. Vnde Dominus Deus Moysen his verbis monuit. *Proutde de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue exeis tribunos, &c. qui iudicent populum omni tempore.* Exod. 18. 21.

Deinde acceptionem personarum sæpè cum acceptione munerum coniunxit, eo quod acceptio personarum fere fiat ob auaritiam & munera. Vt in Deuteronomio. *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* Et apud Salomonem. *Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit: iste & pro buccella panis deserit veritatem.* Et in Isaia, cum Deus dixisset. *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* mox addit. *Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Imò vtraque acceptio coniuncta est, cum mentio fit de Deo. Vt cum in Deuteronomio Moyses ait. *Deus magnus, & potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera.* Et rex Iosaphat. *Non est apud Dominum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Hoc antidotum insinuauit B. Am- Deut. 16. 19. Prou. 28. 21. Isa. 1. 23. Deut. 10. 17. 2. Par. 19. 6.

Amb.2.offic. c.26. BROSIVS, nam cum multa in libris officiorum contra acceptionem pecuniæ & munerum disputasset, tandem subiicit. *Cæterum ita incubuerunt mores hominum ad admirationem diuitiarum, vt nemo nisi diues honore dignus putetur. Neque hic recens vsus, sed iam dudum, quod peius est inoleuit hoc vitium humanis mentibus, &c. Vetus & antiqua auaritia, quæ cum ipsis diuinæ legis cæpit oraculis, imò propter ipsam reprimendam lex Dei lata est. Propter auaritiam Balac putauit Balaam præmiis posse tentari, vt malediceret populum Patrum: & vicisset auaritia, nisi Dominus à maledicto eum abstinere coegisset.* Et infra. *Feralis auaritia illecebrosa pecunia, quæ habentes contaminat, non habentes non iuuat. Esto tamen vt aliquando adiuuet pecunia inferiorem tamen, & ipsum desiderantem. Quid ad eum, qui non desiderat? qui non requirit, qui auxilio eius non indiget, studio non flectitur? Ad summam, nouimus quid pecuniæ contemptus iustitiæ forma sit, & ideo auaritiam declinare debemus, & omni studio intendere, ne quid faciamus vnquam aduersus iustitiam.*

Num.22.7.

Ib.c.25.

VIDE V. *Auaritia. Munerum corruptela.*

PIGRITIA.

Remedia contra Pigritiam corporalem & spiritualem.

Prou.6.9. Prou.15.4. Prou.26.15. Prou.19.24. I. REMED. Considera quid Spiritus sanctus in pigros & ignauos dixerit. Primò enim describit eorum mores in prouerbiis Salomonis. *Vsquequo*, inquiens, *piger dormies, quando surges è somno tuo?* Et. *Vult & non vult piger, anima autem operantium impinguabitur.* Et. *sicut ostium vertitur incardine suo, sic piger in lectulo suo.* Et. *Abscondit piger manum sub ascella, nec ad os suum applicat eam.* 2. docet hominibus eos esse exosos. *Sicut acetum dentibus, sic* Salomon, *& fumus oculis, sic pigerbis qui miserunt eũ in via.* Deinde haberi viles & ignominia dignos. nam Ecclesiasticus ait. *De stercore bouum lapidatus est piger & omnis qui tetigerit eum manũ excutiet.* Et Salomon. *Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem stertit æstate, filius confusionis.* Et *Vade ad formicã ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principẽ parat in æstate cibũ sibi & congregat in messe quod comedat.* Ad

Eccli.22.2. Prou.10.5. Prou.6.6. Prou.20.4. Prou.24.30. Iac.4.17. Pru.21.25. Ier.48.10. hæc esse egenos & mẽdicos. *Propter frigus*, ait idẽ, *piger arare noluit, mendicabit ergo æstate & non dabitur ei.* Et. *Omnis piger semper in egestate est.* Præterea esse plurib. vitiis obnoxios. *per agrum hominis pigri transiui, & ecce totum repleuerant vrticæ. Scienti bonum facere*, ait B. Iacobus, *& non facienti, peccatum est illi.* Denique esse maledictos, & morte temporali & æterna dignos. *Desideria* inquit Sapiens, *occidunt pigrum. Maledictus* ait Ieremias, *qui opus Dei facit negligenter.*

Omnis

Omnis arbor, inquit Christus, *quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Et *Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.* Et *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum.* Matth. 3.10. Matth.22.13. Ioan.15.2.

II. REMED. Considera quid SS. Patres. B. EPHRÆM in secundum Domini aduentum. *Nesimus hic negligentes carissimi mei, vt non per infinita secula postmodum pœnitentiam agere cogamur, vbi nihil proderunt lachrymæ ac gemitus, vbi non erit amplius vlla pœnitentia. In studiis atque laboribus vestris, gaudent & exultant angeli atq; archangeli: sicut contra in torpore ac negligentia vestra gaudet inimicus.* GREG. Nazianz. oratione de pace. *Hanc à nobis in hac virtute adhibendam esse rationem censeo, vt nec segniores simus, quam modus postulet, nec rursus acriores & ardentiores, vt nec ob lenitatem temerè nos quibuslibet aggregemus, nec ob petulantiam ab omnibus desciscamus. Vt enim iners est supina segnities, ita leuitas agrestis & à societate abhorrens.* AMBROSIVS in epistola ad Irenæum, agens de Lia & Rachel à Laban dimissis cum Iacob. *Ecce*, inquit, *primum, quia ignauus & inuidus laboriosam & disciplinæ tenacem alienat à se ac defugit, seseq; cupit separare, quoniam eas oneri esse cernit sibi & putat se lucrum fecisse, quod alienauit eas, &c. Nunc audiamus, quomodo quæ habet virtus, non habeat ignauia. Aiunt enim. Omnes diuitiæ & gloria, quam tulit DEVS patri nostro nobis erit, & filiis nostris. Merito Dei arbitrio dicunt esse sublata quia ipse est auctor bonorum, cuius gratia ignauia exuuntur.* Ioan. CHRY. sermone de virtutibus & vitiis. *Satis est mali, hoc ipsum nihil feciisse boni. Sit nobis agricola quidam, nihil porrò peculii nostri distipet, neq; dolis furto surripiat, tantum ille manus compressas tenens domi sedeat, semina non spargat, rura non scindat, vites non colat, & quod præterea ad agriculturam pertineat, nihil prorsus efficiat, nonne ab eo supplicium sumemus? & tamen nihil intulit iniuriæ, nec habemus omnino, quod illum accusare possimus.* Et tractans dictum Apostoli, oportet hæreses esse, ita scribit. *Quid est, dic sodes, diabolo peius? & tamen licet omnes machinas in Iob conuerteret omnemque pharetram in corpus iusti exinaniret, ipsum non solum non subuertit, sed & clariorem fecit. Iudæ autem, quia negligens erat ac desses, neque Christi consuetudo profuit. Nam post tot consilia, post que plurimas illas admonitiones mansit, qualis erat, proditor. Causa autem est, quia Deus non adigit vi neque cogit inuitos. Ita nec nobis, si modo prudentes simus, nocere poterit diabolus, at si non fuerimus prudentes, sed ignaui, etiam illa quæ prodesse possent, non proderunt, summanque interim faciemus iacturam. Tantum malum est ignauia. Quo circa & iudæis præsentia Christi non solum non profuit, sed & nocuit, non ob Christum, sed ob suam ipsorum malitiam & stuporem.* Sanctus BERNARDVS in Cantica. *Viro sapienti sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia: nil quippe inculcum desertumue in se sapiens delinquet. Stultus non ita, cuncta apud eum neglecta inuenies, cuncta iacentia, cuncta inculta & sordida. Vbi vitis virtutis? vbi botrus boni operis? vbi vinum lætitiæ spiritualis? Per agrum hominis pigri transiui, inquit, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerunt.* Eph.tom.1. Nilus lib.1.ep.4. Amb.lib.1.ep.4. Gen.31. Chry. Bern.serm.85. Prou.24.30.

superficiem eius spinæ, & materia lapidum destructa erat. Audis sapientem irridentem stultum quod bona naturæ, & dona gratiæ, quæ forte per lauacrum regenerationis acceperat, tanquam illam quam plantauit Deus & non homo primam suam vineam in
Bern. serm. 22. *non vineam negligendo redegit.*

III. REMED. Oratio; quod remedium præscribit B. BERN. hominibus spiritualibus, quando sentiunt se obtorpuisse in diuino seruitio. *Cum te torpore, inquit in Cantica, aut somni vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere, aut*
Psal. 118. 32. *desistere à studio spirituali, sed iuuantem require manum, trahi te obsecrans sponsæ exemplo, donec denuo suscitante gratia factus promptior, alacriorq; curras, & dicas. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Causam verò, cur nonnunquam eiusmodi torpor etiam perfectis obrepat commemorat hanc *Quoniam quantæuis perfectionis anima, quàmdiu quidem gemit sub corpore mortis huius, & huius seculi nequam retinetur inclusa carcere, vincta necessitatibus, tortuosis curis, lentius, segniusq; assurgat necesse est ad contemplanda sublimia, nec omnino liberum habet se qui sponsum quocunque ierit. Hinc lachrymosa vox illa gementis tristis*
Rom. 7. 24. Psal. 141. 8. Cant. 1. 3. Sap. 9. 15. *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hinc supplex illa precatio. Educ de carcere animam meam. Dicat proinde, dicat cum gemitu etiam sponsa. Trahe me post te, quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem.*

Ephr. paræn. 23. tom. 2. IV. REMED. Obrepenti torpori vel somnolentiæ, post imploratum diuinum auxilium ilico resiste. Est. B. EPHRÆM, quod in paræneſi quadam dedit Nouitiis laborem fugientibus. *Mane, inquiens, surgit frater orationem facturus in cella sua. Deinde arrepto opere dæmon honestatis inimicus infert ei*
Id. tom. 2. *cogitationem acediæ. & si obueniente acedia resisteret frater, operando & se exercendo, tunc acedia spiritum diuinæ gratiæ auxilio repelleret.* Exemplum autem victoriæ contra dæmonem in hoc genere narrat *in Doctrina vatra* de humilitate comparanda. *Frater, inquit, cuidam suggerebat cogitationes tempore vigiliæ dicentes Requiesce hodie, & noli ad vigilias surgere. At ille. Cogita te heri non surrexisse, & hodie tibi surgendum esse, Et de opere aggrediendo rursus, ei suggerebant. Quiesce hodie, & cras operaberis. Ille q; iterum respondit. Nequaquam. sed hodie operare, & de cras*
Cass. lib. 10. c. 25. *sino Domino curæ erit.* Simile exemplum de se refert Cassianus in institutionibus monasticis his verbis. *Cum inciptens in eremo commorari Abbati Moysi omnium Sanctorum summo dixissem, me ægritudine acediæ hesterno die grauissimè fuisse confectum, nec ab ea potuisse aliàs liberari, nisi ad abbatẽ Paulum protinus cucurrissem. Ille, non te, ait ab ea liberasti, sed magis ei te deditum & subditum præbuisti. Grauius enim te, vt desertorem ac fugitiuum deinceps aduersarius impugnabit, quem de conflictu superatum protinus aufugisse conspexit, nisi de cetero commissa congressione non defertione cellæ vel somni torpore ingruentes æstus eius ad horam euaporare malueris, sed tolerantia potius & conflictu dilexeris triumphare. Vnde experimento probatum est, acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam.*

V. RE-

V. REMED. Considera quanta remuneratio parata sit in cœlo strenuè laborantibus in vinea Domini. Est S. BASILII in Regulis breuioribus. Posita enim interrogatione. Quomodo piger ad mandatũ excitari possit, vt nauus sit? respondet his verbis. *NEMPE si ei persuasum sit, vbique Dominum Deum adesse, & omnia cernere, & communionem illam veram esse, quæ fidelibus est apud Christum pignus & similiter contra spem magnæ mercedis futuræ abillo, qui se Dominum pollicitus est accepturum vnumquemq; propriam mercedem secundum laborem suum, & quæcunque in hanc sententiam scripta sunt ad studium vniuscuiusque siue patientiam excitandam ad gloriam Dei.* Hoc antidotum non dubium est, quin sit valde efficax. Si enim huius seculi homines, pro exigua mercede æquestria gentes sæpè labores subeunt, eoq; maiores, quo maior quæstus vel remunerationis spes affulget, quanto magis nos parati esse debemus ad laborem aliquem sustinendum pro regno Dei, & felicitate æterna. Quæ remuneratio tanta est, vt nihil sint omnes nostri labores, si cum illa conferantur. Vnde Apostolus. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et apud B. ATHANASIVM sanctus Antonius. *Nec vniuerso orbi renunciantes dignum aliquid habitaculis possumus compensare cœlestibus.* EVSEBIVS Emisenus ad monachos. *Totis licet animi & corporis laboribus desudemus, totis licet obedientiæ viribus exerceamur, nihil tamen condignum merito pro cœlestibus bonis compensare & offerre valebimus.* AVG. *Quanto labore digna est requies quæ non habet finem? Si verum vis comparare, & verũ iudicare, æterna requies æterno labore rectè emitur.* FVLGENTIVS ad Monimum *Tantum ibi (in cœlo) gratiæ diuinæ retributionis exuberat, vt incomparabiliter atq; ineffabiliter omne meritum, quantumuis bonæ & ex Deo datæ humanæ voluntatis atque operationis excedat.*

Basil. reg. 37.

Matth. 25. 30. 1. Cor. 3. 8.

Rom. 8. 18.

Athan. in eius vita.

Emis. hom. 3.

Aug. in Psal. 63.

Fulg. lib. 1. c. 16.

VI. REMED. Considera torporem & ignauiam vniuersæ naturæ, ac imprimis humanæ esse contrariam. *Homo*, inquit B. Iob. *nascitur ad laborem, & auis ad volatum. Nihil sine magno* inquit HIER. ad Paulinum, *labore, vita dedit mortalibus.* Iupiter apud Ethnicos omnia labore habuit venialia. B. PAVLVS apud Christianos denuntiat Thessalonicensibus. *Si quis non vult operari, nec manducet.* B. BERN. epistola ad Henricum Senonensem Archiepiscopum. *Labor*, inquit, *& laborare, & voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia. Ægyptiorum monasteria*, ait HIER. in epistola ad Rusticum monachum, *hunc morem tenent, vt nullum absque operis labore suscipiant.* Ad operarios & opifices si respicimus, nullus bonus agricola est, nisi gnauus & industrius, & rusticarum rerum studio incensus. Opifices, qui non de multa nocte vigilant, mercator ignauus, miles segnis, nec rem facere, nec aliquid laude dignum exequi possunt. Artium maximarum studia sine vigilantia & labore frustra tractantur. Solon, apud græcos, præcipit, parentem à filio nullum vitæ subsidium accipere, qui nullam artem filium

Iob. 5. 7.

Hier. ep. 13.

2. Thess. 3. 10.

Bern. ep. 40.

Hier. ep. 4.

Laer. lib. 1.

Diod. Sicul. docuisset. Lex Ægyptiis fuit, qua singuli cogebantur nomina apud præsidem profiteri, & qua arte sustentarentur, ostendere. Quod si quis mentiretur, aut iniusto quæstu viueret capite plectebatur. Catonis sententia erat. *Homines nihil agendo male agere discere.* Tota laus Ducis belli & Imperatoris erat in vigilantia & celeritate. Hinc Vespasiani dictum. *Imperatorem stantem debere mori.* Adhæc labor ipse omnes artes adinuenit, domos ædificat, agros colit & vineas, terram peragrat, mare nauigat, naturam ipsam excolit, litteras tractat, religionem conseruat, fera & syluestria animalia mansueta reddit, ingenium acuit, memoriam perficit, & vt nobilis Poeta ait, *labor improbus omnia vincit.* Demum terra nullo labore culta, nihil nisi spinas & tribulos profert. Aer non commotus corrumpitur. Domus non habitatæ corruunt. Viæ non tritæ syluescunt. Instrumenta Musica, quæ non pulsantur, destruuntur. Ferrum sine exercitio rubiginem contrahit. Aqua stagnans non nisi ranas, bufones & serpentes gignit. Equus generosus in stabulo quiescens marcessit. *Nulla virtus sine labore perficitur,* ait Abbas Serenus apud Cassianum.

Sueton.

Virg. 1. Georg.

Cass. coll. 7. c. 6.

VII. REMED. Considera ignauos & segnes dæmonum dolis & tentationibus maximè esse obnoxios. Quod liquet ex parabola à Christo apud Matthæum allata de bono semine, in ea enim dicitur. *Cum autem dormirent homines venit inimicus & superseminauit Zizania in medio tritici:* inimicum autem illum esse diabolum Christus ipse interpretatur. Dormientes autem, qui alii sunt, quam qui segnes sunt in operibus bonis! Et ex alio dicto Christi apud Lucam de more dæmonis. *Cum immundus Spiritus exierit de homine,* nempe iam conuerso, *perambulat per loca inaquosa, quærens requiem,* hoc est executionem impiarum suarum fraudum. *et non inueniens dicit, reuertar in domum meam vnde exiui,* nam ob peccati consuetudinem sperat fore posse redire ad eum, ex quo electus est, *Et cum venerit, inuenit eam vacantem,* id est, otiosam, & segnem, *scopis mundatam,* leuiter tantum purgatam, quia non serio conuersus fuit. *Tunc assumit septem Spiritus nequiores se & ingressi habitant ibi.* & noua zizania bono semini superseminat, quæ vix deinceps extrahi possint. *Nam vt ait,* inquit B. CHRYSOSTOMVS de verbis Isaiæ, *his potissimum nauibus in fidantur, quas auro & pretiosis mercibus onustas esse intelligunt: ita dæmon his potissimum laqueos obtendit, quos bono accepto semine spiritualibus diuitiis abundare cognoscit.* Exemplo potest esse DAVID rex & Propheta, qui cum esset vir Dei, & multo bono semine excultus, tamen ei diabolus suum libidinis zizanium otio domi vacanti inseuit, sic prorsus, vt adulterium & homicidium, simul vno fere vt ita loquar, habitu perpetrarit. Quare B. HIER. monasticæ & perfectæ vitæ studiosum Rusticum cum his verbis monuit, *aliquid operis facito, vt semper te diabolus inueniat occupatum.*

Matth. 13. 25.

Luc. 11. 24.

Chry. hom. 4.

2. Reg. 11. 4.

Hier. ep. 4.

VIII. R.

VIII. REMED. Considera, obrepente torpore & somnolentia; quantum omnes bestiæ quotidie laborent pro vili aliquo pabulo consequendo: quamdiu araneus pro musca, felis pro musculo capiendo ad foramen adhæreat: quantum supra vires formica æstate sudet pro esca hyberna: quod exemplum Salomon ad pudefaciendos ignauos portulit. Prou. 6. 6. Aut si illa exempla non arridēt, quantum huius seculi homines noctu diuq; se fatigent, vt mundo placeant. Idcirco enim Christus Saluator noster apud Lucam villicum iniquitatis laudauit, dixitq; *filios huius seculi prudentiores esse filiis lucis in generatione sua*, vt ab iis vigilantiam & solertiam non in malo sed in bono disceremus. Luc. 16. 8. Illustre huius antidoti exemplum habes in vita S. PELAGIÆ Antiochenæ, quam Iacobus diaconus Heliopoleos conscripsit. Pelagia Antiochena meretrix, inquit, adeo compta per vias ibat, vt nihil in eius vestibus præter aurum, & gemmas ingenti splendore micantes cerneretur. Ipsi quoque pedes auro & margaritis fulgebant. Stipabant verò eam ingens comptulorum puerorum puellarumque turba. Tanta autem formæ eius erat venustas, vt spectatores nullo eius aspectu satiari possent. Episcopi aliquot ei obuiam facti, cum gemittu vultum auerterunt, velut à re execrabili, solus Nonnus Edessenus Episcopus oculos in eā diu defixit, aliosque Episcopos ea re obstupefactos rogauit, quid de ea venustate illis videretur? Illis vero silentibus vultum in genua demisit sudario tectum, multasque cum longo suspirio lacrymas profudit: erectus vero dixit se mirifice ea venustate delectatum. Quot enim horas, inquit, hæc mulier expendere putanda est, dum se comit & ornat, tota mentis cogitatione in id intenta, vt sua pulchritudine mundi amatoribus placeat? Et nos habentes Patrem omnipotentem in cœlis, Dominum immensæ maiestatis, amplissima promittentem præmia bene operantibus, nihil studemus ornandis miseris animabus nostris, nec sordibus earum expiandis: sed patimur eas spinas iacere, desidiaque marcescere. His dictis apprehensa manu diaconi sui abiit in cubiculum, ibique humi prostratus, nullum plorandi finem faciens cœpit coram DEO suam socordiam detestari dicens. Ecce vnius diei ornatus, quam hæc femina corpori suo excolendo adhibet vincit omnem animæ meæ ornatum. Hanc Pelagiam S. Nonnus paulo post, cum forte eius concioni interesset, ad CHRISTVM conuertit, sacris aquis abluit, suaque institutione effecit, vt post durissimam actam pœnitentiam in monte Oliueti, vbi ignota in habitu virili vsque ad mortem delituit, in sanctarum numerum ab Ecclesia fit relata. Apud Surium 8. Octob.

IX. REMEDIVM. Considera exempla Sanctorum, qui & ipsi manibus strenuè laborarunt, & alios ad idem faciendum sunt cohortati.

PRIMVM

Act.20.32. PRIMVM sit Apostoli Pauli, qui vt est in Actis Apostolicis, Ephes maiores natu ita allocutus est. *Vigilate memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessaui, cum lachrymis monens vnumquemq; vestrum. Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui. Ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Et in priore epistola 1.Cor.9.15. ad Corinthios, multis rationibus probat se ex ordinatione etiam Domini potuisse Euangelii sumptibus viuere, & labore manuum abstinere, 2.Thess.3.8. sed ob maiorem ædificationem noluisse. Et in posteriore ad Thessalonicenses cohortans alios ad se imitandum. *Ipsi scitis*, ait, *quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* II. est Abbatis PAMBONIS apud Palladium in Laus. 10. Lausiaca historia, *Pambo*, inquit, *cum esset moriturus in ipsa hora excessus, cum circumstantibus Beato præsbytero & Ammonio viris inclytis & reliquis fratribus, dicitur hoc dixisse. Ex quo veni in hunc locum solitudinis, & meam ædificaui cellam, & hic habitaui, nulla fuit dies, quo non aliquid operis fecerim meis manibus: nec memini me ab aliquo panem gratis datum comedisse: nec me in hanc horam pœnitet alicuius sermonis quem dixerim & sic ad Deum recedo, vt qui nec prius quidem ac religiosus esse cœperim.* III. Abbatis PAVLI apud Cassianum de instit. monast. Cass.l.10.c.24. *Abbas Paulus probatissimus Patruus, cum in eremo vastiore consistens, quæ Porphyris nuncupatur, palmarum fructibus, & horto modico securus, haberet sufficientem alimoniam suæ victusque substantiam, nec posset aliquid aliud vnde sustentaretur operis exercere, eo quod ab opidis, & habitabili terra septem mansionibus, vel eo amplius deserti illius separaretur habitatio, plusq; expeteretur pro mercede vecturæ, quàm valere posset pretium operis desudati collectis palmarum foliis quotidianum pensum velut extrahe sustentandus à semetipso iugiter exigebat. Cumque opere totius anni antrum eius finisset impletum id quod solicita cura laborauerat singulis annis suppositio igne concremabat: in tantum probans sine opere manuum nec in loco posse monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere.* IV. est RICHARDI cuiusdam apud Cæsar.l.12.c.47. Cæsarium. *In Arnsberga monasterio ordinis Præmonstratensis, sicut audiui à quodam sacerdote eiusdem congregationis, Scriptor quidam erat, Richardus nomine, Anglicus natione: hic plurimos libros in eodem cœnobio manu propria conscripserat, meritoque sui laboris præsolans in cœlis. Hic cum fuisset defunctus, & in loco notabili sepultus, post viginti annos tumba eius aperta manus eius dextera tam integra & tam vitalitèr reperta, ac si recenter de corpore animato fuisset præcisa reliqua caro in pulverem redacta fuit. In testimonium tanti miraculi manus eadem vsque hodie in monasterio reseruatur.* V. B. BERN. apud Thomam, Cantipratensem *Narratur*, inquiens, Cantrip.l.2. Apum.c.5. *de beatissimo BERNARDO Clarevallensi Abbate, quod aliquando in messione segetum fratrem conuersum vidisset, deuote quidem & vltra vires in agro cum mona-*

chis

chis laborantem. Tactus ergo Spiritus sancto intrinsecus B. Bernardus, dixit coram omnibus laborantitibus. Eia frater, age quod agis, nullum aliud post hanc vitam purgatorium sustinebis.

VIDE. V. *Acedia. Colloquia otiosa. Curiositas. Immorificatio passionum. Inconstantia. Otium. Procrastinatio. Tepiditas.*

PRÆSVMTIO.

Remedia contra præsumtionem.

I. REMED. Considera oracula diuini verbi sacris litteris consignata Verbum enim diuinum reprehendit præsumptionem de misericordia diuina & propriis donis, & ab ea dehortatur. *Ne dixeris,* ait apud Ecclesiasticum, *peccaui, & quid mihi accidit triste? altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adicias peccatum super peccatum. Et ne dicas. Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo cito proximant.* Et apud Ecclesiasten. *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filii hominum perpetrant mala.* Et apud Ieremiam. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Et apud Apostolum. *An diuitias bonitatis Dei & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* 2. docet Deum esse misericordem & iustum, ac præsumentes de se derelinquere. Vt in Psalmis. *Misericordiam & iudicium,* ait, Dauid, *cantabo tibi Domine.* Et, *Honor regis iudicium diligit. Tu parasti directiones, iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti.* Et in historia Iudith totus populus fidelis sic orat. *Ostende Domine, quoniam non derelinquis præsumentes de te, & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias.* 3. vbi que commendat nobis timorem, humilitatem, & diffidentiam nostri. *Beatus homo,* ait Salomon, *qui semper est pauidus.* Et Paulus *Noli altum sapere sed time.* Et Ecclesiasticus. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Et Salomon. *Qui confidit in corde suo stultus est.*

Eccli. 5. 4.
Eccli. 8. 11.
Ier. 17. 5.
Rom. 2. 4.
Psal. 100. 1.
Psal. 98. 4.
Iud. 6. 15.
Prou. 28. 14
Rom. 11. 20.
Eccli. 3. 21.
Prou. 28. 26.

II. REMED. Considera sententias priscorum Patrum. TERTVLLIANVS *Audientes optare intinctionem, non præsumere oportet. Qui enim optat, honorat: qui præsumit, superbit. in illo verecundia, in isto petulantia apparet. ille satagit, hic negligit. ille mereri cupit, at hic vt debitum sibi repromittit: ille sumit, hic inuadit.* Et paulo post. *Præsumptio inuerecundiæ portio est: inflat petitorem, deiicit datorem. Itaque decipit nonnunquam. Ante enim quam debeatur, repromittit, quo semper is qui est præstaturus, offenditur.* CYPR. *Ita nobis spiritualis fortitudo collata est, vt prouidos, non nos præcipites tueatur: vt illos muniat, qui renunciant importunitatibus delictorum, non eos qui se magis importunis delictis immergunt, &c. Sicut Spiritus san-*

Tert lib. de pœnit.
Cypr. ge singulat. clericorum

 ctus

Eccli.5.27. *ctus iam tunc per Salomonem locutus est, dicens. Amans periculum, in ipso peribit. Nusquam nisi præcipitatus exercitus cecidit, qui auidus facere, Ducis vel Imperatoris dispositiones irrupit. Multo magis per peritiam erogat fortitudinem, qui suis armis doctrinæ magistri spiritus præsumpserit triumphare, cum dicat. Ve, qui per*

Hier.ep.8. *præsumptionem suam aliquid faciunt.* HIERONIMVS ad Demetriadem, de virginitate seruanda. *Bonum est obedire maioribus, parere perfectis, & post regulas Scripturarum vitæ suæ tramitem ab aliis discere, nec præceptore vti pessimo, scilicet*

Id in c.4. *præsumptione sua.* Et in Danielem ad verba. forsan ignoscet Deus deifico

Aug.in lib.2.c.1. tuis, &c. *Cum beatus Daniel præscius futurorum de sententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt, qui audacter peccatoribus indulgentiam pollicentur.* AVGVSTINVS de Trinitate. *Duo sunt quæ in errore hominum difficillimè tolerantur: præsumptio priusquam veritas pateat: & cum iam patuerit, præsumptæ defensio falsitatis. A quibus duobus vitiis nimis inimicis inuentioni veritatis & tractationi diuinarum*

Id in Psal.58. *sanctorum q; librorum, si me Deus defenderit, &c.* Et in psalmos *Videte, virum de vllare præsumendum sit homini, quando nec de iustitia præsumēdum est. Iam videte,*

Id tract.33. *vbi iaceant præsumentes de diuitiis, de viribus corporis, de nobilitate generis, de dignitate seculi. si quis de ipsa iustitia tanquam sua præsumpserit, cadit.* Et in Ioannem *Ex vtroque homines periclitantur, & sperando, & desperando, contrariis rebus, contrariis affectionibus. Sperando qui decipitur? Qui dicit. bonus est Deus, misericors est Deus, factam quod mihi placet, quod libet, laxem habenas cupiditatibus meis, implean desideria animæ meæ. Quare hoc? quia misericors est Deus, bonus est Deus, mansuetus est Deus. Spe isti periclitantur. Desperatione autem, qui cum incidernt in grauia peccata, putantes sibi non posse iam ignosci pœnitentibus, & statuentes se ad damnationem sine dubio destinatos, dicunt apud semetipsos. Iam damnandi sumus, &c. Metuendum est, ne te occidat spes, & cum multum speras de misericordia incidas in iudicium, &c.*

Greg.lib.33.c.15. GREGORIVS in Moralibus *Neque ita iustitiam timeat peccator, vt nulla spei consolatione conualescat: neque ita confidat de misericordia, vt adhibere vulneribus suis*

Id in c.3.lib.1. *dignæ pœnitentiæ negligat medicinam, sed quem præsumit sibi pie parcere, semper etiam cogitet & districtè iudicare.* Et in libros Regum. *O quanti sunt adhuc imitatores Heli, qui cum minantem sibi omnipotentem Deum quotidie de sacro eloquio sentiunt, & tamen hominibus displicere trepidant, & diuinæ indignationis minas incurrere non formidant, & dum inimicitias hominum velut implacabiles metuunt, de Dei misericordia etiam peccando confidunt. Sed inordinata fiducia apud omnipotentem Deum vindictæ locum habere potest, indulgentiæ verò obtinere non potest.* BERNARDVS in sermone de ligno, fæno & stipula. *Nusquam est securitas, nec in cælo, nec in paradiso, nec in mundo. nam de cælo angelus, de paradiso Adam, de schola Christi Iudas excidit. Non locus sed homines locum sanctificant.*

III. REMED. est Timor Domini. Deus enim misericordiam suam, non peccantibus aut præsumentibus. sed timentibus eum promisit,

Psal.102.11. iuxta illud. *Corroborauit misericordiam suam super omnes timentes se. Quomodo*

misereatur

miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, Et iterum *Non est* Psal.33.10.
inopia timentibus eum. Vnde TERTVLLIANVS in libro de cultu feminarum. *Quò præsumit, minus veretur, minus præcauet, plus periclitatur. Timor fundamentum salutis est: præsumptio impedimentum timoris. Vtilius ergo, si speremus nos posse delinquere, sperando enim timebimus, timendo cauebimus, cauendo salui erimus. contra, si præsumamus, neque timendo, neque cauendo, difficile salui erimus. Qui securus agit, non est solicitus, non possidet tutam & firmam securitatem. At qui solicitus est, is verè poterit esse securus.* Hoc antidotum præscripsit B. GREGORIVS Gregoriæ cubiculariæ Augustæ, quæ optabat suorum peccatorum remissionem ipsi reuelari, dum ita respondet. *Rem & difficilem, etiam & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui reuelatio fieri debeat: inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minimè valebis. Quæ dies, quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare. Certe Paulus Apostolus iam ad tertium cœlum ascenderat:* 2.Cor.12.4.
in paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non 1.Cor.9.27.
liceret, & tamen adhuc trepidans dicebat. Castigo corpus meum, & seruituti subiicio, ne forte alijs prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui iam ad cœlum ducitur: & iam timere non vult, qui adhuc in terra conuersatur? Perpende dulcissima filia, quia mater negligentiæ solet esse securitas. Habere ergo in hac vita non debes securitatem, per quam negligens reddaris. Scriptum est enim. Beatus vir, qui semper est pauidus. Et rursus scriptum est. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Prou.28.14. Psal.2.11.

IV. REMEDIVM. Humilitas. Vnde CYPRIANVS de singularitate Clericorum. *Vtilius est infirmum se homo cognoscat, vt fortis existat, quam fortis videri velit, & infirmus emergat. De qua re præsumptores obiurgat Apostolus dicens. Si quis putat se aliquid esse, cum nihil sit, seipsum implanat. Pro certo implanator proprius suam animam decipit, qui non cauendo contraria noxijs rebus semetipse commiserit.* Et AVGVSTINVS de sermone Domini in monte. *Quid ergo dicit Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Legimus scriptum de appetitione rerum temporalium. Omnia vanitas, & præsumptio Spiritus. Præsumptio autem Spiritus audaciam & superbiam significat. Vulgo etiam magnos Spiritus superbi habere dicuntur, & rectè, quando quidem Spiritus etiam ventus vocatur. Vnde scriptum est. Ignis grando, nix, glacies, Spiritus procellarum. Quis verò nescit superbos inflatos dici, tanquam vento distentos? Vnde est etiam illud Apostoli. Scientia inflat, caritas verò ædificat. Quapropter rectè hic intelliguntur pauperes Spiritu, humiles & timentes DEVM, id est, non habentes inflantem Spiritum. Nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem, siquidem peruentura est ad summam sapientiam. Initium autem sapientiæ timor Domini. Quoniã & econtrario, initium oĩs peccati* Cypr. Gal.6.3. Aug.lib.1.c.1. Eccli.6.9. Psal.148.8. 1.Cor.8.1. Eccli.1.16. Psal.110.10. Eccli.10.15.

Bern.serm.11. *superbia scribitur.* Vnde B. BERN. exponens psalmum. Qui habitat in adiutorio, docet proximum lapsum in voraginem præsumptionis prouenire ex defectu humilitatis, *Nolo,* inquiens, *ignorare vos fratres, quonam modo descendatur, imo cadatur in illas. Primus enim gradus descensionis huius, dissimulatio*

Gal.6.3. *propriæ infirmitatis, iniquitatis, inutilitatis, dum sibi parcens, sibi blandiens, sibi persuadens homo se aliquid esse, cum nihil sit, iam ipse se seducit. Secundus gradus, ignorantia sui. Vbi enim in primo gradu inutilia sibi consuerit perizomata foliorum, quid speret, nisi vt vulnera tecta non videat, præsertim cum ad hoc solum texerit, ne videat. Ex hoc tandem fit, vt etiam alio reuelante, vulnera non esse contendat conuersus in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Atque hic quidem tertius gradus est admodum vicinus, imò contiguus præsumptioni. Quid enim mali iam abstinere ventur, qui præsumit & defensare?* Huc pertinet diffidentia sui, quæ est, primus quasi humilitatis actus, de qua integrum libellum scripsit FRANCISCVS Arias Societatis nostræ Theologus, lectu dignissimum.

Aug.in Psal. 85. V. REMED. Præsumptio, vel confidentia in solo Deo, Est S. AVGVSTINI, dum exponit verba illa Psalmi. Inclina Domine aurem tuam & exaudi me quoniam egenus & inops ego sum. *Videte,* inquit, *quia meritum exauditionis suæ, id est, quo exaudiretur in eo posuit, vt diceret. Quoniam egenus & inops ego sum. Obserua, ne non sis egenus & inops: si non fueris, non exaudiris. Quicquid est circa te, vel in te, vnde possis præsumere, abiice à te, & tota præsumptio tua DEVS sit: illius indigens esto, vt in ipso implearis. Quicquid enim aliud habueris sine ipso la-*

Id hom.31. *tius, inanis eris.* Exemplum huius præsumtionis illustre commemorat S. Augustinus in libro 50. homiliarum de Dauid, qui cum Goliath prouocasset populum Israeliticum ad monomachiam, *ausus est non præsumens,* inquit, *de viribus suis, sed in nomine Dei sui procedere aduersus eum. Nec rex Saul abnuit. Intellexit cum videret audentem puerum, aliquid in eo diuinitatis esse, nec illum tenera ætate sine diuino instinctu talia posse præsumere. Libenter accepit, processit aduersus Goliam. In omnibus ergo, qui erant in ea parte, vnde procedebat Dauid, non erat præsumptio nisi de Deo: in illis autem tota spes in vnius hominis viribus. Sed quid est*

Psal.143.4. *homo, nisi quod in isto psalmo cecinit. Homo vanitati assimulatus est, dies eius velut vmbra prætereunt.* B. GREGORIVS quoque hanc præsumptionem de solo Deo laudauit, cum exposuit verba illa IOB. *Et osculatus sum manum*

Greg.22.mor. c.10. *meam, ore meo. Sancti,* inquit, *viri sciunt post primi parentis lapsum de corruptibili stirpe se editos, & non virtute propria, sed præueniente superna gratia ad meliora se vota vel opera commutatos, & quicquid sibi mali inesse cognoscunt, de mortali propagine sentiunt meritum: quicquid verò in se boni inspiciunt, immortalis gratiæ cognoscunt donum, &c. Beatus ergo Iob, quia sic bona, quæ operatus est, narrat, vt tamen hæc sua operationi non tribuat, sed ad auctoris laudem recurrat, manum suam ore suo osculatum fuisse se denegat: ac si patenter dicat. Ego mea opera tanquam mea non profero, quia auctoris sui gratiam negare contingeret, qui quis sibi tribuit quod operatus. Inde & pe-*

timus

tinus subdit. Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. Liquet etenim, qui illum negat, cuius despecta gratia sibi vires boni operis arrogat. Quod recte quoque & iniquitas maxima vocatur: quoniam omne peccatum, quod ex infirmitate est, spem nequaquam perdit, quia à superno iudice veniam requirit. Præsumptio autem virtutis propriæ tanto grauius in desperatione est, quanto longius ab humilitate.

VI. REMED. Pœnitentia non dilata. Est contra præsumptionem de misericordia diuina, quæ est peccatum in spiritum sanctum. Ecclesiasticus ait. *Ne dicas. Miseratio Domini magna est, &c. non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius & in tempore vindictæ disperdet te.* AVG. in libro 50. homiliarum. *Si quis positus in vltima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam & accipit, & mox reconciliabitur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus, quia bene hinc exit. Agens pœnitentiam & reconciliatus cum sanus est, & postea bene viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus.* Et infra. *Vis te dubio liberare, vis quod incertum est euadere? age pœnitentiam dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, curre vt reconcilieris: si sic agis, securus es.* FVLGENTIVS de fide ad Petrum diaconum. *Nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutius remanere peccatis, cum etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt & sibi De Deo indulgentiã repromittunt, nonnunquam ita præuentiuntur repentino Dei furore, vt nec conuersionis tempus nec beneficium remissionis inueniant. Ideo vnumquemque nostrum sacra scriptura benignè præmonet. Ne tardaueris conuerti ad Deum, &c. Dicit etiam B. Dauid. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* GREG. in primum Regum. *De omnipotentis Dei misericordia ordinatè confidit, qui hoc quod peccando deliquit, pœnitendo corrigit.* B. ISIDORVS de summo bono. *Qui vult de remissione peccatorum securus esse in hora mortis, faciat pœnitentiam cum sanus est, & tunc iniquitatem suam plangat. Sed qui male vixit, & pœnitentiam in hora mortis agit, certum est, quod in summo versetur periculo. Quemadmodum enim eius damnatio est in certa, sic salus illius est dubia.*

Eccli.5.4. Aug.hom.41. Fug c.3. Eccli.5.4. Pfal.94.8. Greg. in c.3. libri 1. Isid.l.2.c.13.

VII. REMED. Considera scopum & finem omnium tentationum diaboli esse, vt sub spe protectionis diuinæ peccatorum periculis se obiiciat peccator, & ideo Christum quoque hac præsumptione tentauit dicens. *Si filius Dei es, mitte te deorsum. Angelis enim suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Proponens nempe exemplum diuinæ misericordiæ & patrocinii, cum ait. *Angelis suis mandauit de te,* vt ex eo præsumeret se præcipitare deorsum. *Verè diabolica vox est. Mitte te deorsum*, inquit Ambrosius in Lucam, *quæ mentem hominis de gradu altiori meritorum præcipitare contendit. Simul etiam infirmitatem suam diabolus cum malitia*

Matth.4.6. Pfal.90.11. Amb.lib.4 c.4.

Chry.hom.5. *designat, quia nemini potest nocere, nisi ipse se miserit.* Similiter Chrys. opere imperfecto in Matthæum. *Dicit, mitte te: quia diabolus hortari potest, cogere non potest.* Et B. BERNARDVS in psalmum. *Qui habitat.* dum exponit verba illa Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. *Non dixit in præcipitijs,* inquit, *sed in viis tuis. Qualis via hæc, de pinnaculo templi mittere se deorsum? Hæc est via Luciferi cadentis de cœlo.* Et ibidem. *Viæ dæmonum præsumptio & obstinatio. Scire vultis vnde id sciam? Considerate illorum principem, qualis ille est, tales & domestici eius. Considerate viarũ ipsius principia, si non manifestè in immanissimam statim præsumptionem prosilierit, dicens. Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: similis ero altissimo Quam temeraria, quamq; horrenda præsumptio? Propter præsumptionem stare non potuerunt.* Et infra. *Fuge homo præsumptionem, ne gaudeat de te inimicus tuus. Nempe in his vitijs maximè gaudet, qui ipso expertus, quam difficile possis ab hac tanta voragine respirare.*

Bern.serm.11.

Isa.14.13.

VIDE V. *Amor sui. Gloria vana. Illusiones spirituales. Immodestia. Indiscretio. Iudicium proprium. Iudicium temerarium. Superbia.*

PROCRASTINATIO.

Remedia contra procrastinationem.

I. REMED. Considera monita diuina in sacris scripturis. Vt in Ecclesiastico. *Ne dixeris peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius.* Et. *Non demoreris in errore impiorum. ante mortem confitere, à mortuo quasi nihil perit confessio.* Et. *Fili peccasti? non adiicias iterum: sed & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur.* Et apud Apostolum. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et. *Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Sic enim loquitur psaltes regius. *Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra.* Et in Apocalypsi Deus ipse. *Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.*

Eccli.5.4.

Eccli.17.26.

Eccli.21.1.

2.Cor.6.2. Heb.3.13.

Psal.94.8. Apoc.3.20.

II. REMED. Considera monita SS. Patrum BASILIVS oratione de Pœnitentia. *Suscipiamus tandem aliquando curam animarum nostrarum & fratres, mœreamus ob stultitiam vitæ antegressæ, decertemus pro futuris, nec amplius in hac socordia perstemus, nec præsens semper per negligentiam amittendo, ut cras, imo verò & consequens initium actionis differendo, renocet ab eo, qui reposcit animas nostras, nec bonis operibus præparati à gaudio Sponsi excludamur, frustra tum possimus etiam vitam lugebimus, cum nihil amplius hoc pœnitentibus prodesit.* GREGORIVS NAZIANZ. in sanctum baptisma. *Quod si hodiernum diem semper præterire*

Basil.orat.

Naz.

lutem in posterum reiicias, taciris nimirum dilationibus à pestifero Spiritu deceptus, vt illius consuetudo fert dicetis. Da mihi id, quod nunc fluit temporis, futurum Deo: mihi ætatis florem, Deo senectutem, mihi voluptates, Deo corpus effœtum, nullusq; vsibus aptum, quando miser in periculo versaberis, quot, quamq; inopinati rerum casus te abripient? AMBROSIVS libro de pœnitentia. *Eos qui pœnitentiam differunt satis ipse Dominus admonuit dicens. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Nescimus, qua hora fur veniat, nescimus an proxima nocte à nobis reposcitur anima. Adam post culpam statim de paradiso Deus eiecit, non distulit, sed statim separauit à deliciis, vt ageret pœnitentiam; statim tunicam vestiuit pelliceã, non sericam. Quid enim, quod differas? An vt plura peccata committas? Ergo quia Deus bonus est, ideo tu malus, & diuitias bonitatis eius & patientiæ contemnis? sed bonitas Domini magis ad pœnitentiam te debet adducere.* CHRYS. de Pœnitentia ad populum Antioch. *Deus rursum præuaricatos venia dignos efficit, & pœnas statim non infert, vt per omnia nos trahat ad pœnitentiam. Multum peccasti, iam desiste, & in contrarium reuertere. Deo age gratias, quod te non in mediis rapuit peccatis. Noli & alium quærere terminum, vt malè operaris. Ne dicas. Erit tempus, cum sit opus conuerti. Multi dum aliena vsurpant, interea rapti sunt & migrauere impræparati.* AVGVSTINVS de salutaribus documentis *Ne de misericordia Domini tantum securi existamus, vt peccatis peccata augeamus, neq; dicamus, donec viget ætas nostræ carnis concupiscentias nostras exerceamus, & postremo in senectute malorum nostrorum pœnitentiam agamus: pius est enim Dominus & misercors, nec vltra facinorum nostrorum recordabitur. Ne quæso taliter cogitemus, quia summa stultitia est hæc cogitare, cum & impium sit talem licentiam à Deo postulare quempiam velle, cuius initium est, nos separare à Deo. Ideo, inquam, talia ne cogitemus, cum nesciamus, qua die morituri simus.* GREG. in Euangelia. *Tunc*, id est in extremo die iudicii, *regni ianua lugentib. claudetur, quo modo quotidie pœnitentibus aperitur. Erit namq; & tunc pœnitentia, sed fructuosa iam non erit, quia nequaquam tunc veniam inuenit, qui modo aptum veniæ tempus perdit. Hinc etenim Paulus dicit. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Hinc Propheta ait. Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum, dum prope est, &c. Hinc est, quod per Salomonem Dominus dicit. Vocauit & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, cum vobis id quod timebatis aduenerit, cum irruerit repentina calamitas.* ALCIMVS Auitus libro quinto de transitu maris rubri.

Amb. lib. 2. c. 11.
Matth. 4. 17.
Gen. 3. 24.
Rom. 2. 4.
Chry hom. 10.
Greg hom. 12.
2. Cor. 6. 2.
Isa. 55. 6.
Prou. 1. 24.
Auitus. c. 30.

O si compunctas humana superbia mentes
Ante obitum mutare, nec expectare suprema
Fata velit, quando infelix infelicior esset?
Pœnitet ambiguè quem sero pœnitet. ergo
Præsentis spacium nobis dum creditur æui
Dum patulam cunctis Christi clementia sese

Præbet,

Præbet, præteritæ plangamus crimina vitæ
Pœniteatque olim negligenter temporis acti
Dum licet, & sano ingenioque animoque valemus.
Nam qui peccatum moriens dimittere, & ipsa
In serum tempus differt admissa fateri,
Non tam dimittit, quam dimittatur ab illis.

Matth. 24. 43. III. REMED. Considera, quam incertum sit tempus mortis. Christus enim Dominus, primo illud confert furi, apud Matthæum. *Si sciret*, inquit, *Paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati, quia qua nescitis hora filius hominis venturus est.* Et Paulus. *Sicut fur in nocte ita veniet.* Item Petrus. *Aduentus dies Domini vt fur.* 2. Dominus confert laqueo. *Attendite*, ait apud Lucam, *ne superueniat in vos repentina dies illa. tanquam laqueus enim superueniet in omnes.* Vnde Ecclesiastes. *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis tempus superuenerit.* 3. declarat illud exemplo diluuii. *Sicut*, inquit, *in diebus Noe, ita erit & aduentus filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes vsque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes, ita erit & aduentus filii hominis.* Hinc B. AVG. *Verum quidem dicis, quod Deus promissionis tuæ indulgentiam promisit: sed huic dilationi tuæ diem crastinum non promisit.* Et Ioannem. *Rectè dicis in corde tuo, quando me correxero, Deus mihi omnia peccata mea dimittet. Negare non possumus, quod correctis atque conuersis indulgentiam Deus promisit: nam in quo propheta mihi legis, quia promisit correctio indulgentiam non mihi legis, quia promisit tibi Deus longam vitam.* Et infra. *Propter illos, qui desperatione periclitantur, Dominus proposuit indulgentiæ portum. propter illum qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Quando veniat vltimus dies, nescis. Ingratus es, quia hodiernum habes, in quo corrigaris.* Idem habet S. GREG. in Euangelia. *Si sciret*, inquit, *quisque de præsenti seculo quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare procuraret: sed qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam possumus præuidere. Ecce hunc ipsum diem, de quo loquimur, ad inducias conuersionis accepimus.* Vnde SENECA ad Lucillium. *Incertum est, quo te loco mors expectet. itaque tu illam omni loco expecta.*

Aug. in Ps. 114. Id. tract. 3. Ioan. 8.

Greg. hom. 11.

Sen. ep. 26.

Aug. hom. 41. IV. REMED. Cosidera dicta Patrum parum fidentium pœnitentiæ dilatæ in vitæ finem, quoniam coacta non voluntaria videtur. AVG. in lib. 50. homiliarum. *Agens pœnitentiam, & reconciliatus, cum sanus est, & postea bene viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Vnde securus sum dico & do securitatem.*

tem: vnde non sum securus pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Et infra. *Debeo illud planius exponere, ne me aliquis male intellexisse intelligat. Nunquid dico, damnabitur? non dico. Sed dico etiam liberabitur? non. Et quid dicis mihi? nescio. Non præsumo, non promitto, nescio. Vis te dubio liberare? vis quod incertum est euadere? Age pœnitentiam dum sanus es, quando peccare potuisti, &c. Si autem vis agere pœnitentiam ipsam tunc, quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed vnde scis, inquis, ne forte Deus dimittat mihi? Verum dicis. Vnde? nescio. illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do pœnitentiam, quia nescio. Nam si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem. Item si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt. Aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit, nescio: ergo tene certum, dimitte incertum.* Et in sermonibus de Tempore. Id serm. 17. *Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari, sed auctores tamen esse non possumus, quod qui sic petierit, mereatur absolui. Quomodo enim pœnitentiam agere possit, qui nulla tum pro se opera satisfactionis operari potest? Et ideo pœnitentia, quæ ab infirmo petitur infirma est. Pœnitentia, quæ à moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur.* SALVIANVS ad Ecclesiam Catholicam. *Propheta dicens ad regem, Peccata tua in misericordiis redime, & forsan propitiabitur Deus delictis tuis, hoc ipsum, quod dicit, forsitan spem indicat, non fiduciam pollicetur Ex quo intelligi potest, quam difficile iam in supremis positi peccatores qualibet munificentia ad perfectam intelligentiam peruenire possint, quando Propheta ipse, qui suadet propitiationem Dei inquirendam, promittere tamen non ausus est, promerendam: dat consilium de actu, & tamen dubitat de effectu. Hortatorem se agendi, non impetrandi auctorem facit. Quare ita? Quia omnes scilicet peccatores debent pro se vel in supremis cuncta tentare, etsi non possunt vlla præsumere. Si enim Regi Propheta ille per solam bonorum operum largitatem absolutam indulgentiam non promittit, intelligere peccator non actu errorum pœnitentia potest, quanta ei & quàm larga munificentia opus est, qui vult à Domino obtinere per seram deuotionem, quod nō potest vsurpare per legem.* B. BERN. in sermonibus paruis. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraue-runt. Quid dissimulant homines in vita sua agere pœnitentiam & extrema de confessione præsumunt? Quomodo sub vnius horæ articulo reuocari posse æstimant omnia animæ membra, cuius concupiscentiæ & desideria per totum mundum sparsa sunt? &c. Si bene memini, in toto canone scripturarum vnum latronem inuenies sic saluatum. Noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temetipsum. Et quidem Spiritus non modo vbi vult, sed quando vult spirat: nec ei difficile est de subito perfectam dare contritionem cordis, quam vix multo tempore alij consequuntur: sed vnde scis, quod tunc tibi ita subuenire velit, quem tu interim sic repellis? Benignus est quidem Spiritus sapientiæ, sed non liberabit maledictum à labiis suis. Audi quis ille sit maledictus, qui peccat in spe.*

Saluian. lib. 1. in fin. Dan. 4. 24.

Bern. serm. 38. Psal. 15. 4.

Ioan. 3. 8.

V. REMED. Considera causas, cur procrastinatio emendationis vitæ non solum vana, sed etiam valde periculosa sit. Prima est quia, qui toto

vitæ cursu immemor fuit Dei, eiusq; monita & præcepta contempsit, meretur videtur, vt & ipse obliuioni vicissim à Deo tradatur, atq; cõtemnatur. Isa.31.1. Ezech.16.42. *Væ quis spernis* ait apud Isaiam, *nonne & ipse sperneris?* Et apud Ezech. *Auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius, eo q; non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ.* Nõ irascar, id est, non te castigabo vt emẽderis. Et in Psalmo Psal.80.13. de quibusdã dicitur. *Dimisit eos secundũ desideria cordis ipsorũ in adinuentionibus suis.* Vnde Aug.serm.10. Avg. in sermonibus de sactis. *Veniet illis (peccatoribus) dies nouissima, veniet dies iudicii, quando eis nec pœnitentiam licebit agere, nec bonis operib. se ab æterna morte poterunt redimere: quia percutitur etiam hac animadversione peccator, vt moriẽs obliuiscatur, sui qui dum viueret, oblitus est Dei.* Et Greg. Iob.14.20. Greg 16. mor. c.32. Greg. dũ exponit verba Iob *Obliuiscatur eius misericordia. Omnipotẽs*, inquit, *Dei misericordia obliuiscitur eius dicitur, qui omnipotentis Dei iustitiæ fuerit oblitus, quia quis quia eũ nũc iustũ timet, postea inuenire non valet misericordẽ.* II. causa est, quia quo quis diutius in peccato perseuerat, hoc grauius delinquit, diuina mq; in se iram magis accendit, ac proinde & minus se indulgentia dignum ostendit, quo diutius vixerit. Hinc Apostolus ad Rõanos. Rom.2.4. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te ad ducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Et in eadem verba Greg. libro 25. Moralium. Greg.c.2. *Peccatorem tanto sequitur districtior sententia, quanto peccanti ei magna est patientia prorogata: quia diuina seueritas eo intquum acrius punit, quo diutius pertulit. Sæpè vero euenit, vt dum peccatores superna clementia expectat, in maiorem cordis cæcitatem prosiliant. Vnde scriptum est. An ignoras, quia benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem, &c.* III. Causa est, quia ex procrastinatione tandem in peccandi consuetudinem venitur, quæ difficillimè expugnatur. Vnde Ieremias. Ier.13.23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* Et B. Iob. Iob.20.11. *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient* Et Salomon. Prouerb.22.6. *Prouerbium est: adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Difficultatem hanc prolixè Aug.l.8. confess. Avgvstinvs declarauit in narratione suæ conuersionis. Nam in libro octauo Confessionum, cum primis capitibus docuisset se exemplo Victorini recens conuersi vehementer commotum ad mutandam turpem vitam tandem cap. 5. ait, *Sed voluntas vetus pugnabat contra nouam. Ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Differens dicebam, modo, ecce modo, sine paululum, sed modo & modo, non habebat modum.* Deinde cap. 8 exponit, quantam pugnam habuerit in se vincendo. *Fremebam mecum*, inquiens, *quod non pareremus tibi DEVS.* Et cap. 9. *Imperat animus, & non obsequitur corpus.* Et cap. 10. *Nolebam, & volebam, & dissidebam à meipso.* Et cap. 12. *Sub fico strauit me flens. quamdiu*

quamdiu

quam diu? cras & eras. quare non modo, quare non hac horà finis turpitudinis meæ? Audio vocem. Tolle lege, tolle lege. Legit codicem B. Pauli, & tandem conuertitur. IV. Causa est, quia neque senectus, neque tempus mortis idoneum est ad veram pœnitentiam agendam. Non senectus, quia Ecclesiastes. *Memento,* inquit, *creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent.* Et S. BASILIVS oratione de pœnitentia: *Quid facis ò homo cum multum valeas in agendo, iuuentutem tuam in peccatis traducis, vbi verò labore fracta fuerint instrumenta, tunc ipsa ad Deum adducis, cum iam illorum nullus sit vsus, sed necessario labant ac torpent ob longi temporis tabem. Temperantia in senecta non est temperantia, sed potius incontinentiæ quædam impotentia. Dum vires ac robur suppetit, ratione dominare peccato: nam virtus est, declinare à malo & facere bonum. Si vitio ætatis cessas à peccatis, imbecillitati hoc est acceptum ferendum.* AMBROSIVS in psalmum 118. *Quid potest valere laudis, si effœtum corpus voluptatibus, & iam senectutis gelu frigidum ad sera deuotionis officia deposito iam segnior vigore conuertatè? Non est corona, nisi vbi fuerit difficilioris luctæ certaminis, ad quam rari contingere possunt, nec omnes qui ingressi fuerint stadium, peruenire.* Et paulo post. *Hieremias dicit. Et bonum est viro, qui graue portauit iugum à iuuentute, sedebit singulariter, & silebit, quia tulit iugum verbi. Qui enim à iuuentute iugum portauerit, & habenis maturi moderaminis teneriora volens colla subdiderit, sedebit singulariter remotus à strepitu interpellantium passionum.* Addo SENECAM in libro de breuitate vitæ ita differentem de studio virtutis non prorogando in senectam. *Non pudet te reliquias vitæ tibi reseruare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est, tunc viuere incipere, cum desinendum est?* NEQ. tempus mortis idoneum est. *Quid enim expectas,* inquit, loco citato Basilius, *vt tum febris ad pœnitentiam vocet, cum neque salutaria verba amplius proloqui, neque quidquam auribus accipere poteris cum in ipso capite morbus inhabitet, non manus ad cœlum amplius tollere, non in pedes erigi, non genu flectere, cum precatio erit habenda, non commodè doceri, non certo confiteri, non redire in gratiam cum DEO, non renunciare inimicitiis, & fortassis nec intelligentia & animo comprehendere mysteria diuina poteris, si quidem præsentes ambigant, an acceperis beneficium, an aliquem sensum eorum, quæ fiunt, habeas. Quod si certo & aperte gratiam susceperis, tunc talentum quidem habes, quæstum verò non affers.* Et infra. *Quis tum te pœnitentiæ, experturbatione mente capium ac stupidum commonefaciet? tui mœrore conficiuntur, alieni spernunt atque nihil pendunt, amicus etiam ad monendum tardus est, timens ne te magis perturbet. Quod si medicus sanitatem promittendo te decipiat, tu de sanitate non desperas, eo quod natura vitæ sis cupidus. Mors impendet, & qui abduxit vrget. Quis te amabo, eximet, ac ex tantis malis eripiet? Deus nè ille, quem contempsisti? at hic minime preces tuas audiet, cum & tu ipsum non exaudieris. Nemo te manibus verbis circumueniat: imminebit enim tibi subita pernicies, & mors procella instar aderit. Angelus mœ-*

Eccli. 11.a

Basil. orat. 4.

Amb. serm. 19.

Thren. 3. 27.

Seneca.

stus & horridus violenter abducens ac trahens animam tuam peccatorum vinculis strictam, &c.

VI. REMED. Considera exempla eorum, qui cum salutis dispendio vitæ emendationem procrastinarunt. PRIMVM sit, quod commemorauit pro concione B. GREG. de procrastinatione agens. *Quidam, inquiens, vir nobilis in Valeria prouincia nomine Chrisaurius fuit, vir valde locuples sed tantum plenus vitiis, quantum rebus, superbia tumidus, carnis suæ voluptatibus subditus, in acquirendis rebus auaritiæ facibus accensus. Sed cum tot malis Dominus finem ponere decreuisset, sicut à religioso quodam viro, qui nunc superest, proximus illius didici, corporis languore percussus est. Qui ad extremum veniens, eadem hora qua iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros & nigerrimos spiritus circum se assistere, & vehementer imminere, vt ad inferni claustra se raperent. Cœpit tremere, pallescere, suadere, & magnis vocibus inducias petere, filiumq; suũ nomine Maximum, quem ipse iam monachum monachum vidi, nimiis & turbatis clamoribus vocare dicens. Maxime curre, Maxime curre, nunquam aliquid tibi malt feci in tuam fidem me suscipe. Turbatus mox Maximus affuit, lugens & perstrepens familia conuenit. Ipse malignos spiritus videre non poterant sed eorum præsentiam in confusione, in pallore ac tremore illius qui trahebatur, videbant. Iacebat in sinistro latere, aspectum eorum ferre non poterat, vertebatur ad parietem, ibi aderant. Cumq; constrictus nimis relaxari se iam posse desperaret, cœpit magnis vocibus clamare, dicens, Inducias vel vsque mane, inducias vel vsque mane. Sed cum hæc clamaret, in ipsis suis vocibus de habitaculo suæ carnis euulsus est. Nos ergo fratres carissimi nunc solicitè ista cogitemus, ne nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad bene agendum viuere, cum iam compellimur de corpore exire.* Greg. hom. 12. in Euang.

Hucusque GREG. SECVNDVM sit BEDÆ in historia Ecclesiastica de gente Angelorum *NOVI fratrem quẽdam positum in monasterio nobili sed ignobiliter viuentem. Corripiebatur quidem sedulò à fratribus ac maioribus loci: & quamuis eos audire noluisset, tolerabatur tamen longanimiter ob necessitatem operum ipsius exteriorum, (Erat enim fabrili arte singularis) seruiebat autem multum ebrietati, & ceteris vitæ remissioris illecebris, magisq; in officina die noctuque residere quàm ad psallendum atque ornandum in Ecclesia, audiendumque cum fratribus verbum vitæ concurrere consueuerat. Vnde percussus languore, atque ad extrema perductus vocauit fratres, & multum mœrens, ac damnato similis capit narrare, quia videret inferos apertos, & Sathan demersum in profundis tartari. Caypham quoq; cum cæteris, qui occiderunt Dominum, iuxta eum flammis vltricibus traditum. In quorum vicinio, inquit, heu misero mihi locum conspicio æternæ perditionis esse præparatum. Audientes hæc fratres diligenter cœperunt exhortari, vt pœnitentiam ageret. Respondit ille desperans. Non est mihi tempus mutandi vitam, cum ipse viderim iudicium meum iam esse completum. Talia dicens sine viatico obiit salutis, & corpus eius in vltimis est monasterij locis humatum: neque aliqui pro eo missas facere, vel psalmos canere, vel saltem orare præsumebant.* Bed. lib. 5. c. 13.

Et infra. *Factum est hoc nuper in prouincia*

Bernic-

P. Damian. in 3. tom. Bibl. Si

Berniciorum, ac longè late que diffamatum multos ad agendam, & non differendam, scelerum suorum pœnitudinem prouocauit. TERTIVM sit ex epistolis PETRI Patr. Damiani Cardinalis. *In Perusino monasterio*, inquit, *sancti videlicet Saluatoris, cui nuper & ipse præfui, monachus paulò ante fuerat, nomine Gunizo, astutus nimis, secularibus contentionibus vehementer intentus. Hic dum & in immutandis Abbatibus & fratribus perturbandis æstuans non quiesceret, ad hoc vsque peruenit, vt diaboli ad superandos æmulos patrocinium quæreret, eius ditioni se etiam corporaliter manciparet: cui tamen seductor Spiritus exigenti ante promisit, quod tertio die priusquam moreretur, suum exitum sibi nunciaret. Credit infelix, & diu postmodum viuens ita sub hac deceptoria securitate permansit. Tandem in ægritudinem lapso adest fideiussor iniquus, & post futurum, sicut sponderat, obitum innotescit. Protinus aduocatis ille fratribus cuncta hæc, quæ cũ nequissimo pepigerat Spiritu, per ordiẽm narrat, cũ q; illi instarent, dicentes. Esto confessus, age pœnitentiam, repente ille obdormiuit: & siue pulsantibus, siue clamantibus, euigilare non poterat. Si verò vel illi conticescerent, vel aliud quid præter pœnitentiam loqui vellent, mox ille expergefactus, inuicem loquebatur. Sed rursus audito nomine pœnitentiæ protinus obrigescebat insensibili sopore correptus, donec horrendæ morti traditus ad eum, cui deuotionem fecerat, sit deuolutus. Postmodum verò perplures noctes nigra canum turba non cessauit sepulturæ eius assistere, & quasi depositum custodire, ita vt non minimo videntes horrore concuterentur.*

VIDE. V. *Acedia. Consuetudo prauа Desperatio. Immortificatio passionum. Inconstantia. Præsumptio. Tepiditas. Voluntas propria.*

PROPRIETAS RELIGIOSORVM

Remedia contra Propriet. Religios.

IREM. Considera sacrarum litterarum sententias. Primo enim laudant & consulunt voluntariam paupertatem religiosorum, quæ consistit in abdicatione proprietatis. *Beati*, inquit Christus ad Apostolos, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Pauperes enim spiritu hoc loco vocari voluntariè pauperes docent S. Patres. Et ad adolescentẽ prædiuitem ait. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Quæ verba etiam de consilio voluntariæ paupertatis, qualem religiosi profitentur S. patres intellexere, nominatim B. Augustinus & S. Bernardus in declamatione super verba. *Ecce nos reliquimus omnia. Hæc sunt verba*, inquit Bern. *quæ contemptum mundi in vniuerso mundo & voluntariam persuasere paupertatem: sunt quæ Monachis claustra replent, deserta Anachoretis.* 2. docent, qui voluntariam illam paupertatem, vel abdicationem proprietatis sint secuti, & primò quidem secuti sunt omnes Apo-

Matth. 5. 3. Hier. & Bedaibi Amb. in c. 6 Luc. S. Leo. serm. in hæc verba. Et alii.

Matth. 19. 21. Aug. ep. 87. q. 4. & in Psal. 109. conc. 3. Bern.

Matth. 19. 27.

stoli, qui in persona Petri omnes exclamant. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Quorum factum probans Christus, illico respondit. *Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim trib. Israhel, &c.* Deinde primitiuæ Ecclesiæ Christiani, Nam apud
Act. 4. 32. B. Lucam in Actis sic legimus: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Ex quib. verbis Religionum fundatores omnes occasionem acceperunt condendi regulam de non vsurpando proprio. Vnde
Possid. in vita c. 5. Possidivs de Augustino ita scribit. *Factus presbyter Monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit secundum modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam; maximè, vt nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia.*

Basil. initio. II. Remed. Considera SS. Patrum testimonia. S. Basilius in sermone de institutione monachorum. *Conuenit, vt quemadmodum qui balneum ingrediuntur vestimentis se omnibus denudant: ita & qui colendæ pietatis causa ad solitariam vitam accedunt, omni rerum vitæ huius materia exuti, ipsam vitæ, quod est secundum Philosophiam ingrediantur. In hoc autem illud cauendum est, varias animi affectiones vitiosas, quibus anima infici solet, á se segregare. Deinde oportet, vt pecunia sua omni se spoliet. Quoties igitur plures inuenti fuerint qui eodem sibi proposito sine vitam vna inter se agere decreuerint, hoc cum primis firmiter tenere debent, vt cunctorum vna omnino mens sit & voluntas vna, & vt iuxta legem quam*
1. Cor. 12. 13. *sancit Apostolus, omnis quæ in vnum conuenerit multitudo, corpus vnum efficiatur ex dissimilibus inter se membris coagmentatum. Hoc autem nullo modo aliter legitimè confici potest, nisi apud eos illud probè stabilitum teneatur, vt nihil quisquam suum cuiusquam esse precisè & peculiariter dicatur, non vestimentum, non vas, non aliud quippiam eorum, quæ ad societatem vitæ conducunt, ea re, vt singula hæc vsibilitati communi, non autem priuato sibi vendicantis commodo seruiant.* S. Hieronymvs in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum *Philonem*
Hier. in Philone. inquit, *librum de prima Marci Euangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesiæ, in nostrorum laude versatus est: non solum eos sibi, sed in multis quoque prouinciis esse memorans, & habitacula eorum dicens esse monasteria. Ex quo apparet talem primum*
Act. 4. 32. *CHRISTO credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur & cupiunt, vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuiduntur, orationi vacatur & psalmis, doctrinæ quoque & continentiæ, quales & Lvcas refert primum Hierosolymæ fuisse credentes.* Et ad
Hier. ep. 1. Heliodorum, de laude vitæ solitariæ. *Non faciatur fraudem idololatriam esse, sed similis eorum, qui in Actibus Apostolorum ex patrimonio suo partem pretii reseruantes, præsenti perire vindicta.* Animaduerte frater, non tibi licet de tuis quidquam
Act. 5. 1. habere rebus. *Omnis, inquit, Dominus, qui non renunciauerit cunctis quæ possidet, non*
Luc. 14. 33. Matt. 4. 20. *potest*

potest metus esse discipulus. Cur timido animo Christianus es? respice Petro relictum re- Luc. 5. 28.
te: respice surgentem de telonio publicanum statim Apostolum. Filius hominis non habet vbi caput reclinet, &c. cum derelicta militiate castra sti propter regnum cœlorum, quid aliud quam perfectam secutus es vitam? Perfectus autem seruus Christi, nihil præter Christum habet, aut si quid præter Christum habet perfectus non est. B. CHRYSOSTOMVS contra vitæ monasticæ vituperatores. Chry. lib 3.
Qui in monasteriis degunt conuersationem planè cœlestem elegerunt, nihilque deterius Angelis assecti sunt: nullus ibi paupertatem exprobrat, nullus diuitiis honestior est. Inde id quod omnia peruertit, & perturbat MEVM & TVVM penitus eliminatum est. Cuncta quippe illis communia sunt, mensa, domus, indumentum, & quod sanè mirabilius est, vnus etiam idemque animus omnibus est. Omnes eadem nobilitate sunt nobiles, omnes eadem seruitute serui, eadem libertate liber, vnæ illic omnibus diuitiæ, quæ veræ diuitiæ sunt: vna gloria, quæ verè gloria est. Ibi velut quadam ex regula & libra cuncta diligentissimè sunt ordinata. Nulla ibi inæqualitas, cæterum ordo summus & moderatio, & ineffabilis concordiæ seruandæ diligentia, iugisque ac perpetua latitiæ materia. Quocirca omnes omnia patiuntur & faciunt, vt vna lætentur & gaudeant. Idem habet homilia 33. in Genesin, & hom. 7. in Acta Apostolorum. IOAN. CASSIANVS de institutis renunciantium, vel nouitiorum. Cassl. l. 4. c. 9.
Ambiens, inquit, *quis intra cœnobij recipi disciplinam, diligentia summæ perquiritur, ne de pristinis facultatibus suis inhæserit ei vel vnius nummi contagio. Sciunt enim eum sub monasterii disciplina diuturnum esse non posse, sed nè humilitatis quidem, aut obedientiæ apprehensurum esse virtutem, nec illa cœnobii paupertate, ac districtione contentum fore, si in conscientia eius pecuniæ quantulumcunque latuerit.* Et infra. *Illam sane virtutem inter cæteras monachorum institutiones vel comme* Id. c. 10.
morare superfluum puto, quod scilicet nulli cistellam, nulli peculiarem sportellam liceat possidere, nec tale aliquid, quod velut proprium retinens suo debeat communire signaculo. Quos ita nouimus omni exparte nudos existere, vt præter collobium, mafortem, caligas melotem ac psiathium, nihil amplius habeant: cum in aliis quoque monasteriis in quibus aliqua remissius indulgentur, hanc regulam videamus strictissimè nunc vsque seruari, vt ne verbo quidem audeat quis dicere aliquid suum, magnumq; sit crimen ex ore monachi processisse codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas, proque hoc digna pœnitentia satis facturus sit, si casu aliquo persubreptionem Greg. l. 10. ep. 12.
vel ignorantiam huiusmodi verbum de ore eius effugerit. S. GREG. in epistola ad Ioannem subdiaconum Rauennæ. *Hoc prædicto fratri & coepiscopo Mariniano omnino dicere stude, vt peculiaritatem à quatuor aut quinq; monasterij monachis, in quibus corrigi hactenus minimè potuit, studiosissimè compescat, & hoc ipsum monasterium à tali peste mundare festinet: quia si illic peculiaritas à monachis habetur, nec concordia, nec caritas in congregatione eadem poterit permanere. Quid est autem habitus monachi, nisi contemptus mundi? Quomodo igitur mundum despiciunt, qui in monasterio positi aurum quærunt?*

III. REMED. Considera omnes religiosorum ordinum Fundatores in regulis suis in primis cauisse, ne quis proprium aliquid possideret. Primus sit S. BASILIVS, qui in Libro de monachorum institutis à RVFINO in latinum conuerso, ita scribit. *Interrogatio. Si debet habere aliquid proprium qui inter fratres est?* RESPONSIO. *Hic contrarius est illi testimonio, quod in Actibus Apostolorum de illis, qui credebant primitus scriptum est. Ibi enim ait quia nemo ex eis quicquam suum proprium dicebat esse, sed erant illis omnia communia. Si quis ergo proprium sibi esse dicat aliquid, sine dubio alienum se facit ab electis & à caritate Christi qui docuit verbo & operè compleuit, & qui animam suam posuit pro amicis suis. Si ergo ipse animam suam posuit pro amicis suis, quomodo nos etiam ea, quæ extra animam sunt propriam vendicabimus?* Et in sermone de Ascesi hoc est initium. *Monachum oportet cum primis nihil in vita, quod iuris sui proprium sit possidere.* Et in quæstionibus breuioribus. *In societate fratrum nihil priuatim haberi debet. Qui enim dicit suum aliquid esse, is se ipsum alienum reddit ab Ecclesia Dei & caritate Domini.* Et infra. *Dare aut accipere non est cuiuslibet, sed eius, cui de communi sententia delatum est munus dispensandi.* II. est B. AVG. in cuius regula hoc est initium. *Primum propter quod in vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & sit vobis anima vna & cor vnum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Quæ extrema verba sic exponit HVGO de S. Victore ordinis S. Augustini canonicus regularis. *Non debemus aliquid habere proprium, aut quidquam dicere meum, sed nostrum, vt dicatur nostra cappa, nostra tunica, nostra domus, & in ceteris similiter. Omnia enim in communi debemus habere, & omnia communi nomine appellare.* Cum hac regula conuenit, quod postea prohibet, vt non liceat cuiquam vestem etiam à parentibus oblatam occulè accipere, vel sibi retinere, & addit. *Quod si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.* In quæ verba HVGO, *Frater*, inquit, *qui rem sibi oblatam cælauerit Iudæ traditoris locum tenet in Ecclesia sancta, qui fur erat, & latro, & loculos habens, & ea quæ mittebantur Domino asportabat & abscondebat.* III. est S. BENEDICTVS in cuius Regula hæc sunt verba. *Præcipuè hoc vitium radicitus amputandum est monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omninò rem, neque codicem, nec tabulas, neque graphium, sed nihil omninò: quippe quibus nec corpora sua, nec voluntatem licet habere in propria potestate. Omnia aq; sint omnibus communia, vt scriptum est, nec quisquam suum aliquid esse dicat, vel præsumat. Quid si quisquam huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel & iterum: si non emendauerit, correptioni subiaceat.* IV. est S. FRANCISCVS qui regulam suam exorditur. *REGVLA & vita Minorum fratrum hæc est: scilicet Domini nostri IESV Christi sanctum Euangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.* Et infra. *Præcipio firmiter fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam.* Et iterum. *Fratres nihil sibi approp-*

Basil. c. 35.

Act. 4. 32.

Id. quæst. q. 85. & 87.

Aug. reg. c. 1. & epist. 109.

Id. c. 29.

Reg. Ben. c. 33.

Act 4. 32.

Reg. Fran. c. 1.

Ibid. c. 4. c. 6.

appropriant, nec domum, nec locum nec aliquam rem. Sed tanquam peregrini & aduenæ in hoc seculo, in paupertate & humilitate Domino seruientes, vadant pro eleemosynis confidenter. Deinde Formula faciendi professionem hæc est. *EGO frater, N. voueo & promitto Deo omnipotenti, &c. toto tempore vitæ meæ seruare Regulam fratrum Minorum per Dominum Papam Honorium confirmatam viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.* V sit B. PIGNATIVS Societatis IESV Fundator, qui in Constitutionibus Societatis ita scripsit. *Vt experiri incipiant sanctæ Paupertatis virtutem deceantur omnes, quod nullare tanquam propria vti debeant.* Et paulo post. *Intelligant etiam, quod mutuo dare vel accipere, vel dispensare quidquam de iis, quæ domi sunt, minimè possint, nisi superior consilium eorsi vsum præstiterit.* Idem habent Regulæ aliorum religiosorum, quos magno numero allatis eorum verbis citat Ioan. Trithemius in libello de Proprietate monachorum. 3. parte. c. 3. sect. 7. & 8. Trith. c. 4.

IV. REMED. Considera quam grauiter ipsi summi Pontifices Romani animaduerti voluerint in Proprietarios, nam Innocentius III. vt est in Decretalibus ita loquitur. *Prohibemus districtè in virtute sanctæ obedientiæ sub obtestatione diuini iudicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquid habet proprium totum in continenti resignet. Si verò post hoc proprietatem aliquam habere deprehensus quis fuerit, regulari monitione præmissa de monasterio expellatur; nec recipiatur vlterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quenquam reperta fuerit, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod B. Gregorius Papa in libro dialogorum fecisse legitur. Vnde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum non præsumat illud accipere sed Abbati, vel Priori, aut Cellario assignetur.* Ibidem & ALEXANDER III ita imperat. *Monachus, qui peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, à communione remoueatur altaris. Et qui in extremis cũ peculio inuentus fuerit, & dignè non pœnituerit nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat sepulturam. Abbas autem qui diligenter ista non curauerit, efficiet sui iacturam se nouerit incursurum.* Si verò Monachus dicat, se quid proprium habet, habere cum Abbatis sui facultate audiat, quid Vicarius Christi de hac re decreuerit in iisdem decretalibus. *Nec æstimet, inquit, Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo annexa est regulæ monachali vt contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* CONCILIVM quoq; Tridentinum sessione vigesima quinta decreuit. *Quod si quis siue inferior, siue superior religionis de proprietate vsurpata vel permissa conuictus fuerit, is biennio activa & passiua voce priuatus sit, atque etiam iuxta suæ Regulæ & Ordinis constitutiones puniatur.* C. cum ad monasterium de statu mon. 1. C. monachi. de statu mon. C. cum ad monasterium. C. Trid c. 18

V. REMED. Considera exempla eorum qui ob vsurpatam proprietatem post voluntariæ paupertatis promissionem grauissimè puniti sunt

Cass. lib. 7. inst. c. 24. Tria commemorat IOAN. CASSIANVS secundum tria genera proprietariorum. *Nam Giezi,* inquit, *quæ ne antea quidem possederat volens acquirere non modo gratiam prophetiæ non meruit possidere, quam per successionem velut hereditariam à suo habuit magistro suscipere, verum etiam è contrario æterna lepra sancti Eliſæi maledictione perfunditur. IVDAS autem volens resumere pecunias, quas antea Christum secutus, abiecerat, non solum ad proditionem Domini lapsus, Apostolatus perdidit gradum, sed etiam vitam ipsam communi exitu finire non meruit, eumque biothanati morte concluſit, ANANIAS verò & Saphira reseruantes partem quandam ex his quæ possederant Apostolico ore morte mulctantur.* Quod autem id factum sit ab vtroque post factam de voluntaria paupertate sponsionem docet his verbis S. BASILIVS in sermone de institutionibus monachorum *Licebat initio Ananiæ possessiunculam suam Deo non polliceri ac vouere, sed postquam humanæ gloriæ cupiditate inductus, quicquid in bonis habebat per professionem Deo consecrauit, quo videlicet egregio istiusmodi facto hominum de se admirationem excitaret, de pretio autem callidè nescio qui postea interuertit, eiusmodi aduersum se indignationem Dei prouocauit, cuius Petrus minister fuit, vt nec ad pœnitentiam aditum inuenire potuerit.* QVARTVM exemplum profert B. HIERONIMVS ex Nitriæ partibus *quidam,* ait, *ex fratribus parcior magis, quam anarior, & nescius triginta argenteis Dominum venditum, centum solidos, quos lina texendo acquisierat, moriens dereliquit. Initum est inter monachos consilium, (nam in eodem loco circiter quinque millia diuisis cellulis habitabant) quid facto opus esset. alij pauperibus distribuendos esse dicebant, alii dandos Ecclesiæ, nonulli parentibus remittendos. Macarius verò & Pambo, & Isidorus, & ceteri, quos Patres vocant, sancto in eis loquente spiritu, decreuerunt infodiendos esse cum eodem, dicentes. Pecunia tua tecum sit in perditionem. Nec hoc crudeliter quisquam putet factum: tantus cunctos per totam Ægyptum terror innasit, vt vnum solidum dimisisse sit criminis.* QVINTVM est in sermonibus ad fratres in eremo B. AVGVSTINO adscriptis. *Annis,* inquit, *duodecim & amplius Ianuarius noster, qui columna obedientiæ & paupertatis inter nos esse videbatur, vt vidistis & audistis, malè vixit, & malè moritur. Quare, vel quomodo malè vixit, nisi quia, quod suum non erat secretè tenuit? Quomodo etiam male moritur, nisi quia in fine se non cognouit, & obstinatus in suo sensu nobis ignorantibus testamentum fecit, & filium, quem habeat in seculo, ditauit? O vtinam saltem in fine hoc nobis dixisset, vt orantibus nobis veniam impetrasset: sed nec confessus fuit, nec eum feciſſe pœnituit: propterea de meis non est, nec dum viueret erat, Ligate igitur manus cadaueris eius, prouentes in panno ligatos centum & vndecim siclos, quos in pariete cellulæ reliquerat, flentes & dicentes. Pecunia tua tecum sit in perditionem. Non enim licet nobis seruum DEI eam collocare, vel ponere in victu, vel in vestitu, vel in opere monasterii, quia pretium damnationis est.* SEXTVM exemplum est B. GREGORII in dialogis, *Quidam,* inquit, *monachus, Iustus nomine medicinali arte fuerat*

4. Reg. 5. 27.

Matth. 26. 15.

Act. 5. 1.

Basil.

Hier. ep. 22.

Act. 8. 20.

Aug. serm. 5.

Greg. l. 4. c. 55.

tum l. 4. c.

imbutus, qui mihi in eodem monasterio constituto sedulè obsequi, atque in assiduis aegritudinibus meis excubare consueuerat. Hic itaque languore corporis praeuentus ad extremum deductus est. Cui in ipsa sua molestia frater germanus nomine Copiosus seruiebat, qui ipse quoque nunc in hac vrbe per eandem medicinae artem temporalis vitae stipendia sectatur. Sed praedictus Iustus, cum iam se ad extremum peruenisse cognouisset, eidem Copioso fratri suo, quia occultatos tres aureos haberet, innotuit. Quod nimirum fratribus non potuit celari, sed subtiliter indagantes, atque illius omnia medicamenta perscrutantes, eosdem tres aureos inuenerunt absconsos in medicamine. Quod mox vt mihi nunciatum est, tantum malum de fratre, qui nobiscum communiter vixerat, aequanimiter ferre non valui: quippe quia eiusdem mei monasterii semper regula fuerat, vt cuncti fratres ita communiter viuerent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc nimio moerore percussus cogitare coepi, vel quid ad purgationem morientis facerem, vel quid ad exemplum viuentibus fratribus prouiderem. Pretioso igitur eiusdem monasterij Praeposito ad me accersito dixi. Vide, vt nullus ex fratribus se ad eum morientem iungat, nec sermonem consolationis ex cuiuslibet eorum ore percipiat, sed cum in morte constitutus fratres exquisierit, ei frater suus carnalis dicat, quia propter aureos, quos occultatos habuit, à cunctis fratribus abominatus sit, vt saltem in morte de culpa sua mentem ipsius amaritudo transuerberet, atque à peccato, quod perpetrauit, purget. Cum verò mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur, sed quolibet in sterquilinio fossam facite, & in ea corpus eius proiicite, ibique super eum tres aureos, quos reliquit, tactae, omnes simul clamantes, Pecunia tua tecum sit in perditionem & secum terra operite. In quibus vtrisque rebus, vnam volui morienti, alteram verò volui prodesse fratribus viuentibus, vt & illum amaritudo mortis à culpa solubilem faceret & istos auaritiae tanta damnatis terreret, & à culpa prohiberet: quod ita factum est. Nam cum idem monachus peruenisset ad mortem, atque anxiè se quaereret commendari fratribus & nullus è fratribus ei applicari & loqui dignaretur, ei carnalis frater, cur abominatus fratribus esset abominatus, indicauit. Qui protinus de reatu suo vehementer ingemuit, atque in ipsa sua tristitia è corpore exuit, quia ita sepultus est, vt dixeram. Sed fratres omnes ex eadem eius sententia conturbati, coeperunt singuli extrema quaeque & vilia, quae iis habere regulariter semper licuerat, ad medium proferre, vehementerque formidare, ne quid apud eos esset, vnde reprehendi potuissent. Deinde subiicit quomodo eidem Pretioso mandarit, vt 30. continuis diebus sacrificium Missae pro Iusto fieret, quibus peractis per visionem ipse defunctus patefecit se ex Purgatorii poenis liberatum. Act. 8. 20.

VI. REMED. Considera, quibus de causis S. Patres vitium Proprietatis in Religiosis, non solum verbis sint abominati. (nam Basilius, Cassianus, & Hugo Victorinus conferunt cum furto IVDAE proditoris, B. Bene-

nedictus vocat nequissimum vitium, S. Gregorius monasteriorum pestem) verum etiam pœna tam infami castigarint. S. BASILIVS aliquot citat causas in Constitutionibus monasticis. *Pietatis cultor,* inquit, *nisi omni priuata rerum possessione liber sit primum quidem societatis exactam disciplinam* II. *priuata possessione corrumpit: tum etiam ipse magnopere de se indicio est, vt qui Deum perpetuo iis alimenta suppeditaturum diffidat, qui in nomine ipsius congregati sint neque illud audiuerit, quod dicitur à Propheta. Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum* Psal. 36. 25. *derelictum, nec semen eius quærens panes, vel eos nimirum, qui intelligentia perfruuntur, prudentiæ scilicet, vel qui sensu, quibus corpus alitur. Nam si vbi duo vel tres congregati sunt in nomine Christi ibi ipse in medio illorum est,* Matth. 18. 20 *multo certe verosimilius ibi idem esse credendus est, vbi multo frequentior hominum multitudo sit. Porrò in-* III. *commodum, quod ex istiusmodi possessione nascitur, neque quam hic tantum sibi, sed vlterius etiam progreditur. Etenim qui proprium aliquid habere studet, is sine dubio nihil aliud, quam disiunctionem ac defectionem à ceteris meditatur. Nam cui hoc in animo non est, quid est tandem, quod ipse possidere seorsim velit? cum id certum sit Christi beneficio seruos ipsius in necessariarum rerum copia assiduè versari. Proinde despicuum est, qui talis sit, eum de præcidenda, ac morte afficienda anima sua meditari, qui exiguis obolis salutem suam prodere paratus sit, & alter Iudas efficiatur, nempe qui furto exordiatur, (Furtum enim est priuata possessio) & in proditionem desinat: quando vt ille Dominum, sic iste etiam veritatis verbum prodit.* Alibi & aliam ratio- IV. nem assignat *quia,* inquit, *qui dicit suum aliquid esse, is seipsum alienum reddit* In reg. breu. q. 65. *ab Ecclesia Dei, & charitate Domini, qui quidem & verbo & re docuit ponendam esse animam pro amicis, nedum res externas.* S. BENEDICTVS, cum in regula iubet, Reg. c. 33. vt monachus nihil omninò tanquam proprium sibi vendicet, aut pro- V. bito aliquid det vel accipiat, illam causam reddit, *quia nec corpus suum, nec voluntatem ei licet habere in sua potestate.* VERVM acutius grauitatis huius Cassi. inst. c. 6. 7. vitii causam perspexisse videtur IOAN. CASSIANVS in institutionibus monasticis, quam & fusius persecutus est. *Nulli vilis,* inquiens, *despectusque videatur hic morbus, qui sicut potest perfacilè declinari, ita si quenquam possederit, ad* VI. *sanitatis remedia vix peruenire concedit. Receptaculum namque est vitiorum, malorum* 1. Tim. 6. 10. *que omnium radix & inextricabilis nequitiæ fomes efficitur, dicente Apostolo, radix omnium malorum est philargyria, id est, amor pecuniæ. Hæc igitur cum remissam, tepidamq; possederit monachi mentem, primitus eum in exigua summa solicitans, inducit quosdam, & velut rationabiles ei colores, ob quos vel reseruare sibi aliquid pecuniæ debeat, vel parare describit. Nam & ea quæ præbentur in monasterio, queritur non esse sufficientia, & sano, robustoq; corpore vix posse tolerari &c. Si proprium aliquid non fuerit, quo cura corpori ægro valeat adhiberi, misere esse moriendum. Postremo nec diu posse in eodem monasterio commorari, & nisi parauerit sibi viatici sumptus, non posse, cum voluerit, transmigrare. Ita que cum huiusce modi cogitationibus laqueauerit eum, qualiter vnum saltem denarium acquirere possit excogitat: Tunc peculiare opus*

quod

quod exerceat Abbate insidiosa solicita mente perquirit. Quod vendens clam, & optato tandem potitus nummo, qualiter eum duplicet, acrius, vehementiusque torquetur: vbi reponat, cuique illum credat ambiguus. Cum pecuniæ incremento deinde rabies cupiditatis augetur. Tum vita longæua promittitur, senectus incurua, infirmitates diuersæ atque prolixæ, quæ nisi maior summa in iuuentute fuerit præparata, tolerari in senecta non possint. Et infra. *Talibus igitur decessionum profectibus in deterius crescens, nullam de* Id.c.8. *inceps humilitatis, nullam caritatis, nullam obedientiæ, non dicam virtutem sed ne vmbram quidē virtutis retinere contentus indignatur ad omnia, & ad singula opera murmurat, atque suspirat, &c. Deinde occasiones, quibus offendi vel irasci debeat studiose* c.9. *perquirit, ne leuiter motus de cœnobij disciplina videatur exire. Nec solus tamen transmigrare contentus, ne tanquam suo vitio deserutisse credatur, quantos potuerit susurrationibus clandestinis depravare non desinit.* Et post. *Agitur itaque facibus pecunia-* c.10. *rum suarum magis ac magis accensus: quæ possessæ nunquam monachum, vel in monasterio residere, vel viuere sub regulæ institutione permittunt.*

VII. REMED. Da operam in posterum, vt non solum non proprium aliquod vsurpes, vel rem exigui licet pretii citra superioris consensum aliis des, vel accipias, verum etiam vt radicitus ex animo tuo cupiditatem omnium rerum temporalium, etiam vilissimarum exstirpes. Est an- Cass.lib.7.c. 21. tidotum eiusdem CASSIANI libro paulo ante citato De Philargyriæ vel proprietatis vitio, *hæc erit*, inquit, *summa victoria, triumphusque perpetuus, vt quemadmodum dicitur, nec minuto quidem nummo conscientia monachi polluatur. Impossibile namque est eum, qui victus in exigua stipe, concupiscentiæ semel in corde suo radicem susceperit, non maioris desiderij protinus incendio conflagrari. Tamdiu namque miles Christi victor ac securus, cunctaque cupiditatis impugnatione erit externus, donec initia concupiscentiæ huius hic nequissimus Spiritus in eius corde non seuerit. Quapropter cum in cunctis generibus vitiorum, generaliter se pectis caput oporteat seruari, in hoc præcipuè diligentius conuenit præcaueri. Quod si fuerit intromissum, sua materia conualescens, ipsum sibimet vehementiora suscitabit incendia. Ideoque non solum pecuniarum est cauenda possessio, verumetiam voluntas ipsa ab animo penitus extrudenda. Non enim tam effectus Philargyriæ vitandus est, quam affectus ipsius radicitus amputandus. Nihil enim proderit pecunias non habere, si voluntas in nobis fuerit possidendi.* Et mox subdit *Possibile namque est etiam non habentem pecunias ne-* c.22. *quaquam Philargyriæ morbo carere, nihilque ei prodesse beneficium nuditatis, quia cupiditatis vitium reiectare non valuit, paupertatis bono, non virtutis merito delectatus, & necessitatis onere, non fine cordis languore contentus.* Et inferius. *Respice Iu-* c.23. *dam Apostolorum nunc ero deputatum, qui anoluit serpentis huius caput lethale conterere, qualiter eum suo veneno peremerit & concupiscentiæ laqueis irretitum, ad quantum abrupti præcipitij crimen impegerit, vt redemptorem mundi, & humanæ salutis auctorem triginta argenteis persuaserit vendere. Vniuersas enim diuitiarum moles cupiditatis huius rabies expuerat.* Et rursus. *Denique Princeps Apostolorum his*

Act.5. *eruditus exemplis, sciens habentem quippiam cupiditatis frena non posse moderari, nec finem eius in parua summa magnaue consistere, sed in sola virtute nuditatis, Ananiam & Saphiram, quia sibi quippiam de sua facultate seruauerant morte mulctauit, vt interitum, quem ille vltro sibi pro reatu Dominicæ proditionis intulerat, his pro mendacio cupiditatis exciperent.* Et paulo post. *Hæc est igitur de philargyria perfecta victoria, vt paruissimæ cuiuslibet stipis in corde nostro residere non sinamus scrupulum, certi quod restinguendi eum non habebimus vlterius facultatem, si quantulacunque scintillæ huius in nobis materiam fouerimus. Quam virtutem non aliàs retinere*

c.28.

c.29. 1.Timoth.6. *valebimus illibatam, nisi in monasterio consistentes secundum Apostolum habentes victum & vestitum, his contenti fuerimus.*

VIDE. V. *Auaritia. Consuetudo praua. Impatientia in paupertate. Inobedientia. Tentatio.*

PVDOR NOXIVS.

Remedia contra Pudorem Noxium.

I. REMED. Considera Spiritus sancti monita in vtroque testamento. In veteri monet, vt pudorem vel confusionem noxiam, hoc est, quæ secum affert peccatum, (quo scilicet à dicendo vel faciendo quod æquitas postulat retrahimur) fugias: vtilem verò & honestum, qui homini gratiam & gloriam apud Deum conciliat, vt quo aliquem pudet male

Eccl.4.24.25. agere, amplectaris. Sic enim loquitur sapiens. *Pro anima tua, ne confundaris dicere verum.* id est, non pudeat te veritatem confiteri etiam cum periculo vitæ *Est enim confusio*, addit, *adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.* Deinde prioris confusionis noxiæ 4. subiicit exempla. vt si quis,

V.26.27.28.30.33. reueritus alicuius potentiam, mentiatur: si prætermittat, quos debet corripere: si negligat indoctum, cum spes est promouendæ salutis, erudire: si nolit peccata confiteri. *Non confundaris*, inquiens, *confiteri peccatum.*

Cap.21.41. Cap.42.v.1.2.3.4.5. Et alibi. *Amicum salutare non confundar, à facie illius non me abscondam.* Et iterum *Et ne pro his omnibus confundaris, & ne accipias personam, vt delinquas. De lege altissimi, & testamento, & de iudicio iustificare impium, de verbo sociorum & viatorum & de datione hæreditatis amicorum, & de æqualitate stateræ & ponderum, & de corruptione emptionis & negotiatorum.* Quibus verbis monet sapiens, ne quis pudore sinat se auocari ab obseruatione præcepti diuini, vel à iusta sententia in iudicio ferēda, vel ab hæreditate secundū æquitatem distribuenda,

vel

vel ab emptione venditioneque iusta. IN NOVO vero testamento per os Christi saluatoris non leuem comminatur pœnam pudori noxio. *Qui me confusus fuerit*, ait apud Marcum, *& verba mea in generatione ista adultera & peccatrice, & filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis.* Et apud Lucam. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & patris, & Sanctorum angelorum.* Deinde per os B. Pauli hortatur Timotheum Episcopum, vt hunc pudorem horreat, dicens. *Noli erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius.* Et iterum. *Solicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem.* Idque suo exemplo. *Promptum est*, inquiens, *ad Romanos, & vobis, qui Romæ estis, Euangelizare. Non enim erubesco Euangelium.* Atque familiæ Onesiphori, de qua ita scribit. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit.* Denique & B. PETRVS nos ab hoc inutili pudore deterret. *Nemo*, inquiens, *vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.*

Marci 8. 38. Luc. 9. 26. 2. Timot. 1. 8. 2. Tim. 2. 15. 2. Timot. 1. 16. 1. Pet. 3. 14.

II. REMED. Considera sententias priscorum Patrum. TERTVLLIANVS in Scorpiaco. *Plus est autem, quod Christus & confusioni confusionem comminatur. Qui me confusus fuerit coram hominibus, & ego confundar eum coram patre meo, qui in cœlis est. Sciebat enim à confusione vel maximè formari negationem, mentis statum in fronte consistere, priorem esse pudoris, quam corporis plagam.* Et in libro de pœnitentia agens de iis quos pudet patefacere peccata in confessione sacramentali. *Plærosque*, inquit *hoc opus, vt publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre, præsumo, pudoris magis memores, quam salutis: velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conscientiam mordentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt. Intolerandum scilicet pudori, Domino offenso satisfacere saluti prodactæ reformari.* B. CYPRIANVS de lapsis. *Christus in præceptis suis dicit. Qui confusus me fuerit, confundet eum filius hominis. Et Christianum se putat, qui Christianus esse, aut confunditur aut veretur? Quomodo potest esse cum Christo, qui ad Christum pertinere, aut erubescit, aut metuit?* S. AMBROSIVS ad Valentinianum Imperatorem. *Non erubesco cum toto orbe longæua conuerti. Verum certè est, quia nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quæ emendare se non potest. Non annorum canities est laudanda, sed morum. Nullus pudor est, ad meliora transire.* S. HIERONYMVS in Ecclesiasten, agens de confessione sacerdoti facienda. *Si enim*, inquit, *ægrotus erubescat vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat.* D. AVGVSTINVS ad Vincentium, quem pudebat corrigere errorem. *Quid adhuc dubitas tenere quod sentis, nisi quia id quod non sentis, vel aliquando sensisse vel aliud defendisse confunderis & dum erubescis corrigere errorem, non erubescis permanere in errore, quod vtique potius erubescendum fuit? Hoc est illud, quod scriptura*

Tert. in Gnesticos. Marc. 8. 38. Cypr. serm. 5. Amb. l. 5. ep. 31. Hier. ad. c. 10. Aug. ep. 48.

ptura non tacuit. Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam. Confusio adducit peccatum, cum erubescit quisque prauam mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, aut diu errasse seipso iudice teneatur. Confusio autem adducit gratiam & gloriam, cum erubescit quisque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur: quod te facere piget illa permitiosa confusione superatum, ne tibi ab hominibus nescientibus quid loquantur obiiciatur illa Apostolica sententia. Si enim, quæ destruxi, hæc eadem iterum ædifico, prævaricatorem meipsum constituo. B. GREG in Ezechielem, Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum sapientiæ est: bonum verò erubescere, fatuitatis. Vnde scriptum est. Est confusio adducens peccatum: & est confusio adducens gloriam. Qui enim erubescit pœnitendo mala quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit. Qui verò erubescit bona facere, á statu rectitudinis cadit atque ad damnationem tendit, sicut per redemptorem dicitur. Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua. S. BERN. ad milites templi exponens eundem locum Sapientis. Bonus pudor est, inquit, quo peccasse, aut certè peccare confunderis. Huiusmodi procul dubio pudor fugat opprobrium, parat gloriam, &c. Quod si quispiam confiteri confunditur, id quoque vnde compungitur talis pudor peccatum adducit, & gloriam de conscientia perdit, quando malum, quod exprofundo cordis compunctio conatur expellere pudor ineptus obtruso labiorum ostio, non permittit exire.

Eccli. 4. 24.

Gal. 2. 18.

Greg. hom. 10.

Eccli. 4. 24.

Luc. 9. 26. Bern. c. 12.

III. REMED. Considera exempla sanctorum, qui noxio pudori locum nullum dederunt. *Primum sit Moysis.* de quo Apostolus. *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Vnde AMBR. scribens in psalmum 118. *Moyses* ait, *noluit rex esse cum posset, sed opprobrium Christi thesauris Ægypti substratus est præferendum, sed fugiendo potentiam, potentior factus est. Factus est enim in Deum regi Pharaoni, hoc est, regi terribilis, quem rex timeret. Et tu si vis, tanquam DEVS, peccatoribus esse terrori, regibus reuerentia, &c. contemne quæ seculi sunt & Dominicæ passionis opprobrium contende omnibus præferre diuitiis. opprobrium dixi, quod illis videatur opprobrium, hoc est, Iudæis scandalum, gentibus stultitia, nobis autem virtus Dei atque sapientia. Sed hoc Pharao opprobrium putans, hoc est, inopiam, ignobilitatem, contumelias, maluit diaboli esse quam Dei portio.* II. est DAVIDIS regis, qui omni pudore contempto non dubitauit ante arcam Domini ephod lineo accinctus, vt est in Sacra Regum historia totis viribus saltare, quod cum coniux eius Michol filia regis Saul tanquam scurrile factum ei exprobrasset, respondit. *Ante Dominum, qui elegit me potius quàm patrem tuum, & quam omnem domum eius, vilior fiam plus quam factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus locuta es, & gloriosior apparebo.* Et mox iudicitur. *Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ.* Vnde concludit AMB. loco ante citato. *Euidens itaq; exemplum, quo & Propheta*

Heb. 11. 24.

Amb. serm. 8. Et ep. 36. ad Sabinum.

2. Reg. 6. 14.

Id serm 7. & ep. 36. ad Sabin.

qui pertutiebat in organis, & saltauit ante arcam Domini iustificatus est, & illa quæ reprehendit eum sterilitate damnata est. Et B. GREG. in libro 27. Moralium. *Ecce,* inquit, *quem Dominus cunctis singulariter prætulit, sese sub Domino, & exaquando minimis & abiecta exhibendo contemnit. Non potestas regni ad memoriam reducitur, non subiectorum oculis saltando vilescere metuit, non se honore prælatum cæteris, ante eius arcam, qui honorem dederat, recognoscit. Coram Deo egit vilia vel extrema, vt illa exhumilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia. Quid de eius factis ab aliis sentiatur ignoro, ego Dauid plus saltantem stupeo, quam pugnantem.* Pugnando *quippe hostes subdidit: saltando autem coram Domino semetipsum vicit.* Greg. c. 37.

III. exemplum est Prophetarum, qui non veriti sunt Domino obedire in materia summæ confusionis. Nam ISAIAS iussus est nudus incedere. Ita enim scribit ipse. *In tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filij Amos dicens, Vade, & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic vadens nudus & discalceatus.* Ac Origenes quidem contra Celsum testatur eum per triennium integrum nudipedem ambulasse. 2. IEREMIAS iussus est primo se præcingere lumbari lineo, inecq; ad Euphratem & ibi illud abscondere in foramine petræ, donec computrescerет: putr factum verò rursus effodere & populo ostentare. Deinde iussus est à femoribus accipere lagunculam testeam, eamq; frangere in oculis virorum ipsum comitantium. Tum gestare collo catenam ligneam & alia vincula, quod & fecit, licet à populo irrideretur. 3. EZECHIEL iussus est fartaginem ferream inter se & ciuitatem ponere, & dormire in latere sinistro 390 dies, in dextro verò 40. Deinde iussus est comedere panem subcineritium opertum stercore humano, & cum illud deprecaretur, saltem bouino. Tertio gladio acuto radere pilos capitis & barbæ, vnamq; eorum partem igni comburere in medio ciuitatis: alteram gladio concidere in eius circuitu, tertiam verò dispergere in ventum, & paruum numerum ex eadem ligare in summitate sui pallii, & rursum eos in ignem proiicere. Quæ omnia licet ridicula videri possent, hominemq; pudefacere, tamen fecit. Eodem pertinent, quæ Apostolus de veteris testamenti sanctis scribit. *Alij,* inquiens, *ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* IV. exemplum sit Christi Domini, cuius vita secundum mundi iudicium videri potest plena cófusionis, non noxiæ, sed salutaris. Natus enim est in loco vilissimo, nempe stabulo inter bestias & depositus in præsepio. adoratus ab infimo genere hominum, nempe pastoribus nocte supergregem vigilantibus. educatus ab egenis parentibus in summa rerum inopia, sic vt iam adultus vixerit ex aliena liberalitate, testatusq; sit se nec habere, vbi caput suum reclinare posset. Non erubuit publicè detractis Isai. 20. 2. Reg. 6. 20. Ier. 19. 1. Ier. 19. 1. Ier. 27. 1. Ezech. c. 4. Ezech. 5. 1. Heb. 11. 36. Luc. 2. 12. Matth. 8. 20. Matt. 3. 16.

Matth. 4 5. vestibus in Iordane baptismum à B. Ioanne recipere. Permisit vt ab ipso Satana in pinnaculum templi, & in montem excelsum deferretur. Ioan. 11 15. Asino quasi triumphans Hierosolymam acclamantibus pueris inuectus est. Matth. 4. 18. cum infamibus hominibus publicanis & meretricibus conuersari non detrectauit: rudes & pauperes piscatores in discipulos adsciuit: contumeliis multis à Scribis & Pharisæis affectus, ac tandem captus, conspu- Matth. 26 67. tus, velatus, flagellatus, spinis coronatus, per ludibrium veste purpurea & alba indutus & velut rex flexo poplite salutatus, ac demum in medio latronum, velut mortalium deterrimus, cruci suffixus. Vt merito B. Paulus præceteris iam dictis exemplis hoc admirandum de contempta confusione exemplum CHRISTI nobis proponat, dicens, Heb. 12. 2. *aspicientes in Auctorem fidei & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera DEI sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem.* V. exemplum sit Apostolorum, qui insistentes magistri sui vestigiis libenter omnis generis contumelias & ludibria post acceptam Spiritus Act. 5. 41. sancti gratiam sustinuere. Nam cum ob prædicationem Euangelii cæsi fuissent, *ibant*, inquit B. Lucas in historia Apostolica, *gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Idem Heb. 10 32. scribit B. Paulus de eorum imitatoribus primis Christianis, dum ait ad Hæbreos. *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum, & in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socii taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis* 2. Cor. 1. 23. *compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Scribit & de se. *Nos*, inquiens, *prædicamus CHRISTVM crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem* Ib. c. 4. 5. *stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam, quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Et rursus. *Puto quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus. Nos stulti propter Christum, &c. purgamenta huius mundi facti sumus,* 2. Cor 11. 9. *omnium peripsema vsque adhuc.* Quin nec gloriari ac exultare dubitat in his irrisionibus & probris. *Libenter*, inquit in posteriore ad Corinthios, *gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi: Propter quod placeo mihi* Gal. 6. 14. *in infirmitatibus meis, in contumeliis, &c.* Et ad Galatas. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV CHRISTI, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Eodem pertinent exempla innumerabilium Martyrum & Confessorum similes confusiones pro Christo & veritate passorum.

IV. REMEDIVM. Considera causam, cur Sancti nullo pudore, vel

vel confusione absterriti sint à prædicatione Euangelii, vel confessione veræ fidei, vel veritatis defensione, vel obseruatione diuinorum mandatorum, aliorumue bonorum operum, nempe quia ob oculos positam habebant copiosam remunerationem in cœlis paratam, & in scripturis sacris promissam. Vt apud Matthæum, dum Christus ait. *Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Matth.5.11. Et apud Paulum ita scribentem. *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.* 2.Cor.4.16. Signanter hoc antidotum notauit idem Apostolus cum in aliis, tum in exemplo supra allato de Moyse. nã cum dixisset, Moysen maiores diuitias æstimasse thesauro Ægyptiorum improperium Christi, mox addit. *Aspiciebat enim in remunerationem.* Heb.11.26. Deinde cum causam reddere vellet, cur Primi Christiani, cum gaudio opprobriis & tribulationibus spectaculum facti essent, & rapinam bonorum suorum sustinuissent, subiunxit: *cognoscentes vos habere melliorem & manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Heb.10.34. Imò docet & IESVM Christum. *proposito sibi gaudio sustinuisse crucem confusione contempta, atque in dextra sedis Dei sedere.* Heb.12.2. Quod enim illud fuit gaudium, nisi felicitatis æternæ, quod per confusionem ignominiosæ mortis secundum humanitatem promeruit, testeeodem Apostolo in epistola ad Philippenses? nam cum ibi dixisset. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Phil.2.8. statim addit. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Quem locum tractans B. Avg. in Ioannem. *Humilitas*, inquit, *claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium, sed hoc factum est in forma serui.* Aug. tract.104. Et commentarius Ambrosii. *Quid*, inquit, *& quantum humilitas mereatur, hic ostenditur.* AmB. in ep. ad Philip.

V. REMED. Considera et aliam causam, cur sancti dictam confusionem contempserint, priori contrariam, nempe qui reformidarunt confusionem æternam in die iudicii extremi futuram, quam item diserte Christus comminatus est apud Lucam & Marcum supra citatos. *Qui me confusus fuerit*, inquiens, *& verba mea, & filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis.* Marc.8.38. Ad quam confusionem respexit SALOMON, cum in Prouerbiorum initio sic loquentẽ induxit Dei filium. *Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne cõsiliũ meũ, & increpationes meas neglexistis, ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, q̃ timebatis, aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas,* Prou.1.24.

& interitus quasi tempestas ingruerit; quando venerit super vos tribulatio & angustia. Et IEREMIAS. *Idcirco, qui persequuntur me, cadent & infirmi erunt: quoniam non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur.* Et iterum, *Dabo vos in opprobrium sempiternum, & in ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.* Tanta vreò tunc confusio est futura eorum, qui exiguam confusionem pro defensione veritatis, & diuinorum mandatorum obseruatione in hac vita sustinere noluerunt, vt, teste ISAIA Propheta, ingressuri sint *scissuras petrarum & in cauernas saxorum à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius.* dicturi q; perhibente Iohele Propheta, B. Luca, & B. Ioanne in Apocalypsi, *montibus. Operite nos, & collibus. Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni. Quanta,* inquit B. EPHR. in sermone de patientia & consummatione seculi, *eos confusio coram iudice tunc apprehendet, nullam habentes excusationis suæ viam? quanta eos, cum ad dextram Regis segregabuntur, verecundia corripiet? quantæ in eos tenebræ irruent, quando in ira sua loquetur ad eos, & in furore suo conturbabit ipsos, dicens. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius?* Hoc antidoto impulsus quondam est celeberrimus apud Romanos Rhetor M. VICTORINVS, (qui & statuam in foro meruit), vt post conuersionem suam ad Christi fidem omni post habito pudore publicè in Ecclesia Catechumenum se professus sit. quod commemorat AVGVSTINVS in libris Confessionum his verbis. *Legebat sanctam scripturam, omnesq; Christianas litteras inuestigabat studiosissimè & perscrutabatur, & dicebat Simpliciano, non palam, secretius & familiarius. Nouerit me iam esse Christianum. Et respondebatur illi. Non credam, nec deputabo te inter Christianos, nisi in Ecclesia Christi te videro. Ille autem irridebat eum, dicens, Ergone parietes faciunt Christianos? Et hoc sæpe dicebat, iam se esse Christianum, & Simplicianus illud sæpe respondebat, & sæpe ab illo parietum irrisio repetebatur. Amicos enim suos verebatur offendere superbos dæmonicolas. Sed postquam legendo & inhiando auxit firmitatem, timuitq; negari à Christo coram angelis sanctis, si eum timeret coram hominibus confiteri, reus q; sibi magni criminis apparuit, erubescendo de sacramentis humilitatis verbi tui, & non erubescendo de sacris sacrilegis superborum dæmoniorum, quæ imitator superbus acceperat, depuduit vanitati, & erubuit veritati. Subitoque & inopinatus ait Simpliciano, vt ipse narrabat. Eamus in Ecclesiam, Christianus volo fieri. At ille non capiens se lætitia perrexit cum eo. Vbi autem imbutus est primis institutionum sacramentis, non multo post etiam nomen dedit, vt per baptismum regeneraretur, mirante Roma, gaudente Ecclesia.*

Ier. 20. v. c. 23. 40.

Isa. 2. 11.

Iohel. 10. 8. Luc. 23. 31. Apoc. 6. 16.

Ephr. tom. 1.

Matth. 25. 41.

Aug. lib. 8. c. 2.

VI. REMED. Considera, pudorem salutarem, vel confusiones pro Christo, vel veritate perpessas, vti & certas afflictiones, habendas loco gemmarum, aliorumque pretiosorum lapillorum, quia illis imprimis promeremur gratiam & gloriam, hoc est, conteximus coronam vitæ æternæ. Qua de causa Ecclesiasticus supra allegatus dixit. *Est confusio adducens*

Eccli. 4. 25.

gloriam

gloriam & gratiam. 2. Christus Saluator vocauit beatos, adiuncta promissione copiosæ mercedis, qui contumelias & maledicta hominum patienter sustinuerint. Similiter & B. Petrus. *Si quid patimini propter iustitiam,* inquit, *beati.* & B. Iacobus. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* 3. B. Paulus testatur etiam leuem & momentaneam tribulationem, cuiusmodi est irrisio verbis facta, æternum gloriæ pondus in sublimitate operari in nobis. 4. Ecclesia in summa veneratione habuit hucusq; etiam instrumenta passionis Christi vel aliorum Martyrum, quibus illis aliqua illata est contumelia, atque imprimis crucem Christi, clauos & spinas, quibus nihil in tota Christi passione contemptius, ignominiosius, & quod iudicio mundi maiorem afferret confusionem. Quare B. CHRYSOSTOMVM non puduit de D. PAVLI catenis ferreis, quibus vinctus fuit ita scribere & ad populum Antiochenum loqui. *PAVLVS vinctus IESV Christi inquit,* (Apostolus initio epistolæ ad Philæmonem) *& Timotheus frater, Magnum Pauli oraculum, non principatus & honoris nomen, sed vincula & catenæ. Vere magnum ipsum & splendida alia multa faciunt, in cœlum rapi tertium, in paradisum deferri, verba audire ineffabilia, sed horum nihil posuit, sed pro omnibus catenam: hæc enim magis, quam illa, illustrem reddebat & splendidum. Non ita rex diademate gloriatur, vt ille vinculis delectabatur: & valdè congruè. Diadema nempe solum coronato capiti ornatum affert. catena verò & ornatum multò maiorem & tutelam. Corona sæpe regia innumeros allexit insidiatores, & in tyrannidis concupiscentiam incitauit. Catena verò, cum sit pugna contra dæmones, illorum repellit insidias.* Et paulo post. *Qualia verò erant vincula, quæ tantum vinctis gloriæ tulerunt? Nonne è ferro fabricata erant? E ferro quidem fabricata, sed multam habebant spiritus gratiam efflorentem, quoniam propter Christum illis Paulus circumdatus erat. O miraculum. serui vincti sunt, Dominus crucifixus, & prædicatio quotidie crescit, & per quæ opera putabatur prohiberi, per hæc accensa est. Et Crux & vincula, quæ esse videbantur abominatio, nunc salutis signa sunt facta. Et quolibet auro ferrum illud nobis pretiosius erat, non propter naturam propriam, sed propter causam dictam* Et multo post. *Iudici,* in Actis Apostolorum, *dixit. Optarem te vti- Act. 26.29. Rex Agrippa.*
que fieri Christianum absque vinculis his. Dixit, absque vinculis his non ipse vincula recusans, absit. sed illius condescendens infirmitati. quoniam ipse sic illa diligebat, vt ambitiosa mulier monilia sua. Vnde hoc manifestum? Gaudeo in passionibus meis, inquit. Et. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, in contumeliis, &c. Sic vbiq; gloriatur in tribulationibus Paulus, & ea re nimium delectatur. Et merito. Nam hoc est, quod maximè Christi virtutem demonstrat, & per illa Apostoli omnia mala vicerunt, DENIQ ipsi impii in extremo Iudicii die fatebuntur omnibus piis irrisiones & sannas ab ipsis perpessas cessisse in summam gloriam. Nam ita loquuntur apud Sapientem, *præ angustia spiritus gementes. Hi sunt, quos ali- Sap. 5.1.*
quando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam il-

Matth. 5.11. 1. Pet. 3.14. Iac. 1.12. 2. Cor. 4.17. Chry. hom. 16.

lorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorũ est. Ergo erravimus à via veritatis, &c.

VII. REMED. est oratio, vel diuini auxilii inuocatio, maximè quando periculum est, ne pudori noxio succumbas. Hoc reliquit nobis propheta regius Dauid. Nam cum in persona Christi in psalmo 68. dixisset. *Quoniam propter te sustinui opprobrium; operuit confusio faciem meam. Et proposui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam. Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta: & in me psallebant, qui bibebant vinum*: mox subiecit. *Ego verò orationem meam ad te Domine.* In quæ verba B. AVG. *Quando enim malediceris, & quid agas non habes, quando tibi iactantur opprobria, & quomodo corrigas eum, à quo iactantur, non inuenis, nihil tibi restat, nisi orare. Sed memento pro ipso orare.* Hoc antidotum & Christus Dominus, impendente suæ passione quæ plena fuit opprobriorum, contumeliarum, & illusionum. vsurpauit cum in horto tertiò cum lacrymis Patrem cœlestem orauit, & Apostolis idipsum tradidit, dicens. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Imò & quotidianæ Dominicæ orationi includi voluit, cum dicimus *Et ne nos inducas in tentationem.*

Aug. con. 1. in Psal. 68.

Matth. 26. 41.

Matth. 6. 13.

VIDE V. *Amor sui. Gloria vana. Immortificatio passionum. Pusillanimitas. Timor humanus. Tristitia.*

PVSILLANIMITAS.

Remedia contra Pusillanimitatem.

I REMEDIVM. Considera sententias diuinæ scripturæ de Pusillanimitate, & virtute ei contraria, fortitudine & longanimitate. Primo enim dehortatur nos S. scriptura à pusillanimitate. *Noli esse pusillanimis*, inquit Ecclesiasticus, *in animo tuo.* Et Isaias. *Dicite pusillanimis; confortamini, & nolite timere*, & Apostolus ad Thessalonicenses. *Consolamini pusillanimes.* Deinde hortatur ad animi fortitudinem. *Viriliter agite*, ait rex Dauid, *& confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Dominum.* Et B. Paulus. *Fratres confortamini in Domino, & in potẽtia virtutis eius.* Et S. Ioannes. *Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes facti estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.*

Eccli. 7. 9.
Isa. 35. 3.
1. Thess. 5. 14.
Psal. 30. 25.
Eph. 6. 10.
1. Ioan. 2. 14.

II. REMED. Considera dicta sanctorum Patrum. HIER. *Post patem sequitur longanimitas, siue patientia, quia vtroque modo μακροθυμίαν possumus interpretari. Huic contraria est pusillanimitas, de qua scribitur. Pusillanimus vehementer insipiens: qui verò patiens est, & vniuersa sustentat vir patiens.* AMBROSIVS *Reuera iure ea fortitudo vocatur, quando vnusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione. Quid autem excelsius & magnificentius, quàm exercere mentem, afficere carnem & in seruitu-*

Hier. in ep. ad Galat. 5.

Amb. 1. offic. c. 36.

tem

tem redigere, vt obediat imperio, consiliis obtemperet, vt in adeundis laboribus impigrè exequatur propositum animi ac voluntatem? AVG. ad Paulinum. *Omnis quæstio, quæ agentes quærentesq; conturbat homines, qualis ego sum, illa est, quonam modo viuendum sit, vel inter eos, vel propter eos, qui nondum viuere moriendo nouerunt. Plerunque enim videtur nobis, quod nisi eis aliquantulum congruamus ad ea ipsa, vnde illos extrahi cupimus, nihil cum eis salubriter agere poterimus: quod cum facimus, talium delectatio subrepit & nobis, vt sæpe etiam loqui vana delectet, auremq; præbere loquentibus, nec arridere tantum, sed etiam risu vinci ac solui.* Et infra. *Qui in his omnibus timor, mi Pauline sancte homo Dei? quis tremor? quæ tenebræ? nonne putamus de his esse dictum. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Ecce elongaui fugiens & mansi in deserto. Veruntamen in deserto ipso fortassis expertus est, quod adiungit, Expectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate & tempestate. Quid? ipsa diuina eloquia, nonne palpantur potius à nobis, quam tractantur? nonne in multis & dicere quid sentias, periculosissimum, & non dicere, laboriosissimum, & aliud quam sentis, dicere perniciosissimum est.* Et post alia concludit. *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? siue quia pericula, in quibus quisque versatur grauiora sunt quàm inexperta, siue quia reuera ita est, quælibet pusillanimitas, tempestasque deserti mihi videtur minus esse molesta, quam ea, qua vel patimur, vel timemus in turbis.* GREG. in moralibus. *Sunt nonnulli, qui cum cœlestia appetunt, atque huius mundi noxia facta derelinquunt, ab inchoatione sua quotidie inconstantiæ pusillanimitate deficiunt. Quibus hos nisi arbustis reliquis similes dixerim, qui nequaquam tales superius surgunt, quales inferius oriuntur? Hi quippe ad conuersionem venientes, non tales, quales cæperunt, perseuerant, & quasi more arborum inchoatione vasti sunt, sed tenues crescunt: quia paulisper per augmenta temporum patiuntur detrimenta virtutum. Sensim quippe in eis desideria superna langueſcunt.* Et in pastorali. *Aliter admonendi sunt proterui, atque aliter pusillanimes. Illi enim dum valde de se præsumunt exprobrando ceteros dedignantur: isti autem dum nimis infirmitatis suæ sunt conscii plerunque in desperationem cadunt. Illi singulariter summa æstimant cuncta quæ agunt; isti vehementer despecta putant esse quæ faciunt, & ideirco in desperatione franguntur.* S. BERNARDVS ad Abbatem S. Nicasii. *Nec immerito his, quos in anxietate positos videmus amicis nostris compatimur, quibus vtique dum exitum ignoramus, defectum metuimus, quoniam quidem sicut sanctis & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit, sic damnandis & reprobis tribulatio parit è contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, & illa interimit.* B. ISAAC de mundi contemptu. *Pusillanimitas mater est cruciatus: patientia verò mater est consolationis. Quando vult Deus aliquem amplius tribulari permittit etiam venire ad manus pusillanimitatis. Hæc autem in eo parat potentiam acediæ, in qua gestat suffocationem animæ, quæ est gustatio gehennæ, & ex hac superinducitur spiritus excessus: ex quo nascuntur plurimæ*

Aug. ep. 250.

Psal. 54. 6.

Greg. l. 19. c. 28

3. p. admon. 8

Bern. ep. 32.

Isaac. presbyt. c. 42.

accidiæ

tentationes, scilicet, confusio, furor, blasphemia, fatua culpatio, peruersæ cogitationes, & de terra in terram transmigratio, & his similia.

III. REMED. est Humilitas, vel agnitio propriæ imbecillitatis. Est S. GREGORII, ad Cyriacum Episcopum Constantinopolitanum, qui cum imparem se sentiret tanto oneri sustinendo, ita respondet. *Quia vobis animarum nunc cura commissa est, valde gaudeo. Quia verò ad hoc opus, ad quod perducti estis, infirmos vos esse dicitis, scimus, quia prima virtus est cognitio infirmitatis, atque ex eo colligimus posse vos bene susceptum ministerium implere, quia vos vidimus infirmitatē propriam ex humilitate cognoscere. Omnes enim infirmi sumus, sed ille est infirmior, qui suam non valet considerare infirmitatem. Vos verò beatissimi fratres ideo fortes estis, quia de fortitudine propria diffidentes, in omnipotentis Dei virtute confiditis.* Idem remedium præscribit loco iam citato. B. ISAAC. *Vna, inquit, est omnium eorum, quæ ex pusillanimitate seruntur medicina, per quam eis statim in anima inuenit consolationes, nempe, humilitas cordis, &c. Nam secundum mensuram humilitatis tuæ, datur tibi & patientia in aduersitatibus tuis, & secundum patientiam tuam alleuiatur grauitas tribulationis tuæ, & consolationem obtinebis.*

Greg. lib 6 ep. 4.

1. Cor. 10. 13. Isa. 51. 12. Psal. 90. 14. Psal. 31. 8. Matth. 11. 28. Bern. l. cit.

IV. REMED. Firma spes & fiducia in auxilio diuino. *Fidelis enim est Deus*, inquit Apostolus, *qui neminem patitur tentari super id quod potest.* Ille dixit apud Isaiam. *Ego, ego ipse consolabor vos.* Et in psalmis. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum protegam eum, quoniam cognouit nomen meum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum.* Et ibidem. *Intellectum tibi dabo & instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Et Christus apud Matthæum. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Hoc antidotum præscripsit B. BERN. Abbati S. Nicasii mœrenti discessu Drogonis è cœnobio. *Ne ergo, inquit, hæc te tam horrenda tempestas, quæ Deus auertat, demergat tempestas aquæ: ne huius tam tremendæ abyssi absorbeat profundum, neue vrgeat super te tam inexplebilis puteus os suum, solicitè studeat humilis prudentia tua non vinci à malo, sed vincere in bono malum. Vinces autem: Spem tuam in Deo fortiter figendo, & rei finem longanimiter expectando.* Et IOAN. CASSIANVS cum ex sententia Abbatis Serapionis agit de certamine contra omnia vitia. *Impossibile*, inquit, *est de qualibet passione triumphum quempiam promereri prius quam intellexerit industria vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse.* Et multo post. *Quamobrem certos nos esse conuenit, tam ipsis rerum experimentis, quam innumeris scripturæ testimoniis eruditos nostris nos viribus nisi Dei solius auxilio fulciamur tantos hostes (vitiorum) superare non posse, & ad ipsum quotidie summam victoriæ nostræ referre debere.*

Casi. coll. 5. c. 14. & 15.

V. REMED. Exclusio omnium anxiarum cogitationum & phantasmatum, quæ creare & fouere solent animi pusillanimitatem. Est B. GREGORII in moralibus. *In tentationibus*, ait, *deprehensus tenebras mœroris incidere qui in tranquillitate de te alta senseras, in perturbatione quoque deterius cogitatio-*

Greg. lib. 27. c. 17

ma

rum caligine te confundas. Eodem spectat oratio CHRY. in lib. de prouidentia. *Est maximæ pusillanimitatis, eorum gratia, quæ nec dum contigerunt, incertumq; est, an euentura sint mœrore iam nos ac dolore consedere.* Pro sananda autem aliena pusillanimitate hoc antidotum suggerit idem GRE. *Pusillanimes,* inquiens, *aptius ad iter bene agendi reducimus si quædam bona illorum ex latere requiramus, vt dum in eis alia reprehendendo corripimus, alia amplectendo laudemus, quatenus eorum veneritudinem laus audita nutriat, quam culpa increpata castigat. Plerunq; autem vtilius apud illos proficimus, si & eorum bene gesta memoramus. Et si qua ab eis inordinatè gesta sunt, non iam tanquam perpetrata corripimus, sed quasi adhuc ne perpetrari debeant prohibemus: vt & illa quæ approbamus illatus fauor augeat, & contra ea quæ reprehendimus magis apud pusillanimes exhortatio verecunda conualescat. Vnde Paulus cum Thessalonicenses in accepta prædicatione perdurantes, quasi de vicino mundi termino quadam cognosceret pusillanimitate turbatos, prius in eis, quæ fortia prospicit, laudat, & cautè monendo postmodum, quæ infirma sunt roborat. Ait enim. Gratias agere debemus Deo semper pro vobis fratres, ita vt dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat caritas vniuscuiusque vestrum inuicem, &c.* Atque hoc antidotum ipse Gregorius in consolando Cyriaco Constantinopolitano antistite, de quo supra, seruauit. Chry. lib. 2. Greg. 3. p. pastor. admon. 2. 2. Thes. 1. 3.

VI. REMED. Præuisio omnium periculorum, quæ incidere possent, & animi contra ea obfirmatio. Est S. AMBROSII in libris officiorum. *Hoc diligentiæ est, vt quis ita se comparet, illud ingenij si quis potest vigore mentis præuidere, quæ futura sunt, & tanquam ante oculos locare, quid possit accidere: & quid agere debeat, si ita acciderit, definire.* Et paulo post. *Vt in bello improuisus hostis vix sustinetur, & si imparatos inueniat, facilè opprimit: ita animum mala inexplorata plus frangunt. In his ergo duobus illa est animi excellentia, vt primum animus tuus bonis exercitatus cogitationibus, mundo corde quod verum & honestum est videat. Beati enim mundo corde, quia ipsi etiam Deum videbunt, atque id quod honestum est solum bonum iudicet. Deinde nullis occupetur occupationibus, nullis cupiditatibus fluctuet, &c. Deinde vt si quid acciderit aduersi, idq; graue & acerbum putetur, ita feras vt nihil præter naturam accidisse putes, cum legeris. Nudus sum natus, nudus exibo. Quæ Dominus dedit, Dominus abstulit, sic Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Hoc remedium aduersus pusillanimitatem præscripsit inter Ethnicos & SENECA in libro de animi tranquillitate. *Nisi,* inquit, *quicquid fieri potest, pro futuro, habeas, das in te vires rebus aduersis: quas infiegit, quisquis prior vidit.* Et. *Quicquid fieri potest, quasi futurum prospiciendo malorum omnium impetus mollies, qui ad præparatos expectantesq; nihil afferunt noui.* Et. *Sero animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur. Non putaui hoc futurum: vnquam hoc euenturum credidissem. Quare autem non? Quod regnum est, cui non sit parata ruina? &c.* Amb. l. 1. c. 36. Matth. 5. 8. Iob. 1. 21. Sen. c. 12.

VII. REMED. Perfugium ad Patrem spiritualem, si aduertas te alieno

Galat.6.1. indigere auxilio ad superandam pusillanimitatem. Apostolus enim in epistola ad Galatas omnes, qui spirituales sunt hortatur, vt in hoc genere officium caritatis præstent. *Fratres*, inquit, *si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Quo loco S. Avg. *Nihil sic probat spiritualem virum, ac peccati alieni tractatio cum liberationem eius potius, quam insultationē, potiusq; auxilia, quam conuitia meditatur, & quantum facultas tribuitur suscipit.* B. Paulo monito consentit B. Greg. in Pastorali. *Tales sese*, inquit, *qui præsunt exhibeant, quibus subiecti occulta quoque sua pandere non erubescant, vt cum tentationum fluctus paruuli tolerant, ad pastoris mentem quasi ad sinum matris recurrant: & hoc quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus præuident, exhortationis eius solatio, & lachrymis orationis lauent.* Remedium hoc præscribit B. Avg. in epistola ad Paulinum, & S. Basilivs in oratione de renunciatione & abdicatione.

Greg.1.p.c.3.

Aug ep.250.

VIII. Remed. Consideratio illustrium exemplorum, hoc est, sanctorum fortitudinis & constantiæ laude illustrium, qui omnium pusillanimitatem ab animo suo excluserunt, vt fuit S. Iob, pueri Machabęi, Paulus, Stephanus, S. Agnes, Laurentius, quorum robur eleganter describit S. Amb. libro primo officiorum à capite 35. vsque ad 41. & alii innumerabiles Confessores & Martyres, quorum res gestæ exstant,

Vide V. *Conscientia scrupulosa. Desolatio spiritalis. Illusiones spirituales. Immortificatio passionum. Impatientia in aduersis. Inconstantia. Timor humanus. Tristitia.*

R

RECIDIVA PECCATORVM.

Remedia aduersus Recidiuam.

Prou.26.11. 2.Pet.2.22

Primvm Remedium. Considera sacrorum Bibliorum sententias à Spiritu sancto dictatas: è quibus primo illa occurrit Salomonis. *Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum: sic imprudens qui iterat stultitiam suam.* Quam B. Petrvs in altera epistola detorsit in eos, qui ab agnita semel veritate in pristinos errores relapsi erant, dicens. *Contigit enim eis illud veri prouerbii. Canis reuersus ad suum*

vomitum

vomitum & sus lota in volutabro luti. IEREMIAS in Dei persona his verbis alloquitur populum Iudaicum. *Ecce ego iudicio contendam tecum eo quod dixeris. Non peccaui. Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas?* Et Christus apud B. Matthæum. *Cum immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam & ornatam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Et apud Ioannem dixit paralitico, *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Et mulieri in adulterio deprehensæ. *Vade, & iam amplius noli peccare.* Deinde apostolus ad Hebræos ita scribit. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, &c. prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* Et paulo post. *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo, proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima.*

Ier. 2. 35.
Matth. 12. 34. Luc. 11. 24.
Ioan. 5. 14. Ioan. 8. 11.
Heb. 6. 4.

II. REMED. Considera Sanctorum Patrum pronunciata. B. CYP. lib. de disciplina & habitu Virginum. *Sospitantis Domini verba sunt, & docentis, curantis pariter & monentis. Ecce, inquit, sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat; Dat viuendi morem dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem, nec habenis liberis & solutis vagari postmodum patitur, sed ipsis potius, quibus sanatus fuerat, mancipato, grauius comminatur; quod sit scilicet minor culpa deliquisse ante, cum necdum noseces disciplinam Dei, nulla sit venia vltra delinquere post quam Deum nosse cœpisti.* Nullam autem veniam, vt bene monet Pamelius in scholiis, peccantibus relinquit, quia satisfactionem longam requirit. S. HIER. ad Furiam. *Egestisti acescentes & morbidos cibos, releuasti æstuantem stomachum: quid vis rursum ingerrere, quod tibi noxium fuit? Canis reuertens ad vomitum & sus lota ad volutabrum luti. Bruta quoque animalia, & vagæ aues ineas semper pedicas, retiaque non incidunt.* D. CHRY. in Matthæum. exponens verba illa. Tunc assumit septem alios spiritus. *Hæc, inquit, non ad ipsos solum, verumetiam ad nos dicta credamus. Nam si diuina luce illuminati, & à prima delictorum miseria erepti, rursus ad eandem malignitatem reuertimur, grauior puntio nos profecto expectabit: ideo Christus paralyticum quoque admonebat, dicens. Sanus iam factus es, noli ergo amplius peccare. ne quid peius tibi eueniat. Sed quid peius, inquies, illi accidere poterat, qui 38. annos ægrotus iacuit? Multa profecto peiora & grauiora diuturno illo morbo possent excogitari. Vtinamque tot tantaque nobis accidant, quot quantaque pati possumus. Magna enim punitionum apud Deum copia est, licet per ineffabilem eius misericordiam iusta eius ira clementer mitigetur, quod ad Hierusalem per Ezechielem dicit.* AVG. libro 50. Hom. *Qui iam mortuus est carne, desinat peccare, vt iam non hominum desideriis, sed voluntate Dei reliquum in carne viuat. Sufficit enim præteritum tempus voluntates gentium consummasse in libidinibus, & voluptatibus & commessationibus,*

Ioan. 5. 14.
Hier. ep. 18.
Chry. hom. 46. Matth. 12. Ioan. 5.
Ezech. 16
Aug. hom. 20.

potatione, & nefandis idolorum seruitutibus. Sufficit enim præteritum tempus his operibus peccatum, tanquam Ægyptiorum dominatione seruisse. Et infra. Detestamini, auersamini canes conuersos ad vomitum suum: detestamini & auersamini mundatam & vacantem domum quo nequiores alij spiritus septem adluntur, vt sint nouissima hominis peiora, quam erant prima: vos vestrum mundatorem tenete habitatores.

Greg. admon 31,

S. GREG. tertia parte curæ Pastoralis. Admonendi sunt, qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, vt considerare solicitè sciant, quia flendo inaniter mundant, qui reuertendo se nequiter inquinant, cum idcirco se lacrymis lauant, vt mundi ad sordes redeant.

Prou. 26. 11. 2. Pet. 2. 22.

Hinc enim scriptum est. Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Canis quippe cum vomit, profecto cibum, qui pectus deprimebat, proiicit: sed cum ad vomitum reuertitur, vnde leuigatus fuerat, rursus oneratur. Et qui admissa plangunt, profecto nequitiam de qua malè satiati fuerant, & quæ mentis intima deprimebat, confitendo proiiciunt, quam post confessionem dum repetunt resumunt. Sus verò in volutabro luti cum lauatur sordidior redditur. Et qui admissum plangit, nec tamen desinit pœnè grauiori culpæ se subiicit: qui & ipsam, quam flendo potuit impetrare veniam contemnit, & quasi in lutosa aqua semetipsum voluit, quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipse etiam lachrymas facit. Hinc rursus

Eccli. 7. 15.

scriptum est. Ne iteres verbum in oratione tua. Verbum namque in oratione iterare,

Eccli. 34. 30.

est, post fletum committere, quod rursum necesse sit flere. Hinc quoque per quendam Sapientem dicitur. Quid prodest, si baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius? Baptizatur quippe à mortuo qui mundatur fletibus à peccato: sed

Bern. serm. 3.

post baptisma mortuum tangit, qui culpam post lacrymas repetit. S. BERN. in Cantica. Si dixerit mihi IESVS, dimittuntur tibi peccata tua, nisi ego peccare desisto, quid proderit? Exui tunicam meam; si reinduero eam, quantum profeci? Si rursus pedes meos, quos laueram, inquinauero, nunquid aliquid lauisse valebit? Seruens omni genere vitiorum iacui diu in luto fœcis: sederit sine dubio recidenti quam iacuisse deterius. Denique qui me sanum fecit, ipsum mihi dixisse recordor. Ecce sanus factus es. Vade, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Qui autem deest voluntatem pœnitendi, opus est vt addat & continendi virtutem ne iterem pœnitenda, faciamq; nouissima peiora prioribus PETRVS BLESENSIS de Confessione Sacramentali. Propositum pœnitentiæ, ait, perseuerantia comitetur. Quidenim omnia

Ioan. 5

Eccli. 34. 28. &

prædicta proderunt pœnitenti, si ad vomitum reuertatur? Verbum Sapientis est. Vnus ædificans, & vnus destruens, quid est nisi labor? Ita & qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid profuit ei lauatio? Verbum Augustini est. Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum sanatur tardius, sic lugens & peccans veniam non meretur: nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata: nec valet de malis veniam poscere, & mala denuo iterare. Gregorius. Qui admissa plangunt nec tamen deserunt, sed inaniter mundant, & nequiter inquinant, idcirco lacrymis se lauant, vt mundi ad sordes redeant.

c. inanis dist. 3. de Pœnit.

Greg. l. cit.

III. REMED. Considera, quam periculosa sit recidiua peccati, maximè le-

lethalis, idq; ex triplici capite. Et primo ex parte DEI. Nam vt probat B. Cyp. ad Quirinum. *In βασιλείων primo dicitur. Si delinquendo peccet vir aduersus virum orabunt pro eo Dominum: si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo? Et Paralipomenon. Deus vobiscum est, dum estis vos cum ipso: si dereliqueritis eum, derelinquet vos. Et paulus in epistola ad Corinthios prima. Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Hæc ille. His testimoniis consentit illud Ecclesiastici, *Iterum eadem peccans, quid proficit humiliando se? Orationem eius quis exaudiet? Et* illud Dei apud Ieremiam. *Quis miserebitur tui Ierusalem, aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? tu enim me dereliquisti, dicit Dominus, retrorsum abiisti.* Causa autem huius periculi ex parte Dei est Ingratitudo, quæ aggrauat peccata eorum qui eodem sæpius relabuntur. Cum enim iuxta Christi dictum, *Cui plus dimittitur, plus diligit*: profecto, cui plus dimittitur, si offendere pergat, plus per ingratitudinem peccat. Quod & illa parabola apud Matthæum docuit, qua conseruus, cui Dominus roganti decemmilia talenta remiserat, statim conseruum propter centum denarios in carcerē cōiecit. Vbi Dominus eidem ob summam ingratitudinem hoc facto demonstratam dicit. *Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.* SECVNDO, periculosa est Recidiua ex parte Dæmonis. Sicut enim Magistratus captiuum incuria custodem è carcere forte elapsum, summo studio connititur in vincula retrahere, retractumq; arctius vigilantiusq; custodit: sic dæmon peccatorem semel è seruitute sua per sacram exomologesin elapsum & acrius persequitur, & captum vigilantius custodit, grauiusque infestat. Vnde apud B. Matthæum semel ex homine egressus, non inuenta requie dicit. *Reuertar in domum meam vnde exiui. Deinde assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi*, hoc est, maiori vigilantia in eo custodiendo vtitur, ne resipiscat, & ideo *nouissima hominis illius*, vt ibi subiungit Christus *sunt peiora prioribus*. Eodem pertinet, quod de relapsis scribit B. PETRVS apostolus *A quo*, inquiens, *quis superatus est, huius & seruus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & saluatoris IESV Christi his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* TERTIO demum periculosa est ex parte Peccatoris. Primo, quia ex crebriore lapsu praui gignuntur habitus, ipsaque consuetudo. Quod expertus in adolescentia AVG in lib. Confessionum ita scripsit *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini*

Cyp. lib. 3. c. 24. & 28.
1. Reg. 2. 25.
2. Par. 15. 2.
1. Cor. 3. 17.
Eccli. 34. 31.
Ier. 15. 5.
Luc. 7. 47.
Matth. 18. 30.
Matth. 12. 45.
2. Pet. 2. 20.
Aug. 8. confess. c. 5.

tudini non resistitur facta est necessitas. Vnde fit, vt cum cæteris peccatoribus tantum incumbat onus expugnandi tres hostes, carnem, mundum & dæmonem, huic quartus quoque expugnandus veniat, nempe inueterata consuetudo. Quæ hoc expugnatur ægrius, quo mentem peccatoris quasi sopore grauius opprimit, vt minus antidotum admittat. Quemadmodum enim qui iuxta fabros ferrarios habitant, longo tempore istibus malleorum assuefacti nihil molestiæ percipiunt sic peccator post diuturnam consuetudinem, nullo sensu malorum, quæ in peccato sunt, commouetur. *Sicut in pestilentibus locis,* inquit B. BASILIVS *sensim attractu aer latentem corporibus morbum inficit: sic in praua consuetudine maxima nobis mala hauriuntur, etiamsi statim incommodum non sentiatur.* II. periculosa est, quia *peccatum,* teste B. GREG. in Moralibus, *quod pœnitentia non diluit ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Iusto enim iudicio omnipotens DEVS cor peccantis obmutilo, vt præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat.* Vnde auctore B. HIER. in Ezechielem, *In Zacharia* scribitur, *Iniquitas sedere super talentum plumbi.* Et in *Exodi cantico dicitur. Demersi sunt quasi plumbum in aqua violentissima.* Grauis enim pondere peccatorum premebantur, *& loqui poterant. quasi onus graue grauata sunt super me.* Quo oneris vel ponderis lapsu, si sæpius iteretur, tandem anima dilabitur in contemptum, & ex contemptu in desperationem, hoc est, ipsam inferorum portam. *Impius enim,* inquit Salomon, *cum in profundum venerit peccatorum contemnit.*

Baſ. hom. 9.
G. lib. 25, c. 12.
H. lib. 7. c. 22.
Zach. 5.
Exo. 15.
Pſal. 57.
Prou. 18. 3.

IV. REMED. Considera exempla eorum, qui diuinitus ob crebriores lapsus puniti fuere. Primum est PHARAONIS regis Ægipti, qui pactis promissa & fœdera de populo Dei dimittendo frequentius violata tandem cum vniuerso suo exercitu maris rubri fluctibus obrutus miserrime periit. Vnde B. CHRY. in Mathæum. *Pharao si confestim prima percussione fuisset admonitus, neque posteriores plagas habuisset, neque tandem cum eo tantus exercitus demersus periisset. Hæc ideo dico, quia non ignoro multos etiam nunc in Pharaonis impietate viuere, & luto ac lateribus sibi obnoxios affligere. Qui non in rubro mari demergentur, sed in ignis pelagus in quo ignet fluctus montium instar erigentur.* Secundum fit DAVIDIS regis Israhel, quem cum Dominus primum in vxore Vriæ peccantem solo pueri ex ea nati interitu castigauisset, postea repetito in numeratione populi grauiore lapsu multorum millium nece percussit. Tertium est regis ACHABI, qui cum prius ob sublatam vineã Naboth ab Elia Propheta grauiter increpatus fuisset, & pœnitentia acta veniam à Domino obtinuisset, postea tamen in pristinam impietatem relapsus, eo quod Prophetam Michæam in carcerem compegisset, flagrante belli tempore nutu diuino vita sublatus est. ADDAM exemplum recentius à S. BONAVENTVRA in vita S. FRANCISCI Seraphici descriptum. Canonicus quidã post hanc vitam diuturno tẽpore turpiter & libidinosè

Exo. 15. 28.
Chry. hom. 44.
2. Reg. 12. 8.
2. Reg. 24. 9.
3. Reg. 21. 29.
3. Reg. 22. 34.
Pona. c. 11.

aëtam

actam in grauem ægritudinem prolapsus fuerat. Eum S. Franciscus lecto affixum adiit, & postquam salutari Crucis signo consignasset, pristinæ valetudini restituit, hominemq; sedulo commonuit, vt deinceps à fœda illa viuendi consuetudine abstineret, nec ad vomitũ aliquando rediret. At ille piæ admonitionis oblitus, ad veteres impudicitiæ sordes rediit, & cum in ædibus cuiusdam canonici forte cœnasset, tota ædium structura subito ruente, solus repentina morte, cæteris conuiuis illæsis, extinctus est.

V. REMED. est Pœnitentia. Pro qua hæc tria tene documenta. PRIMVM est, vt quoties cadis, resurgas. *Septies enim*, ait Sapiens, *cadet iustus, & resurget*. Et Dominus apud Ieremiam. *Numquid qui cadit, non resurget?* Et apud Ezechielem. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, &c. vita viuet, & non morietur.* Et Christus apud Matthæum. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* S. CHRI in Psal. 50. *Noli excusationes mihi afferas, noli ignauiam prætendas. Peccasti? pœnitere. millies peccasti? millies pœnitere, hæc assidue infundo medicamenta.* B. AVG. in serm. de Tempore. *Nemo post centum peccata, nec post mille crimina de misericordia diuina desperet.* B. Leo ad Theodorum. *Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullus patitur veniæ moras vera conuersio, dicente Spiritu Dei per Prophetam. Cum conuersus ingemueris; tunc saluus eris.* II. Documentum est, vt quoties cadis, cito resurgas. Primò, quia nescis quamdiu sis victurus. Vnde Ecclesiasticus. *Non tardes*, inquit, *conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem. Subito enim veniet ira eius, & in tẽpore vindictæ disperdet te.* Vnde B. AVG. *Verum quidem dicis, quod Deus pœnitentiæ tuæ indulgentiam promisit, sed huic dilationi tuæ crastinum non promisit.* Secundo, quia, etsi viuas diutius, tamen procrastinatione ipsa in dies magis magisque iram Dei prouocas iuxta illud Apostoli. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuã & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* III. Documentum est, vt nunquam desperes, etiamsi in atrocissima crimina lapsus fueris, & sæpissimè relapsus. Nam Spiritus sancti apud Ezechielem vox est. *Impietas impij nõ nocebit ei, in quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua.* Et Isaiam. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum quasi nix dealbabuntur.* Et in Psalmis. *Miserator & misericors Dominus patiens, & multũ misericors. Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* B. Io. CHRY. ad Theodorum lapsum. *Cane dicas, iis tantum veniæ locum concedi, qui modicè deliquerunt. Nam fuge, si lubet, aliquem vniuersa malitia redundantem, & patrarit oĩa, quæ à regno excludunt, is vt demus non sit extra fidem, sed fidelis aliquando fuerit acceptusq; Deo, postea verò factus seortator, adulter, mollis, pœdico, fur, ebrius, calumniator, aliaq; id genus flagitia sedulo cõmittat, equidẽ illi non ero desperãdi autor, etiamsi perseuerasse*

Prou. 24. 16.
Ier. 8. 4.
Ezech. 18. 21.
Matt. 4. 17.
Chry. hom. 2.
A. serm. 58.
Leo. ep. 91.
Isa. 30. iuxta 7.
Eccli. 5. 11.
A. in Psal. 114.
Rom. 2. 4.
Ezech. 33. 12.
Isai. 1. 18.
Psal. 144. 8.
Chry. ep. 5.

uerasset in his flagitiis ad extremam vsque senectam. Et infra. *Tanta est Dei humanitas, & erga nos amor, vt nunquam auersetur pœnitentiam syncerè factam, imò si quis ad malitiæ fines olim penetrarit, illinc eum ad virtutis viam reducere conatur, & suspirit redeuntem, & suauiter amplectitur, nihilque non facit, quo in pristinam dignitatem reformet. Quodque est maioris facilitatis argumentum, etiamsi non omnem præferat pœnitentiam, breuem illam & exiguo tempore factam non abnuit, sed magna mercede compensat.* Et rursus. *Quamdiu enim hic sumus, etiamsi peccamus decies millies, semper erit spei locus, omnia dabitur abluere scelera dignam exhibentibus pœnitentiam. Etenim non est cur alibi speremus pœnitentiam in inferno constituit, quia loco pharmacum hoc infirmum est. Vnde diabolus omnem, quod aiunt, lapidem mouet, quo in nobis altè radicem agat cogitatio desperationis, quoniam nouit, quamlibet exiguum pœnituerimus, nullo id pacto facturos irremuneratos à DEO.* Cum Chrysostomo conspirat B. AVGVSTIN. in hæc verba scribens. *Sed forte cogitat aliquis tam grauia se admisisse peccata, vt iam Dei misericordiam promereri non possit. Absit hoc à sensibus omnium peccatorum. O homo, quicunque illam peccatorum multitudinem attendis, cur & omnipotentiam cœlestis medici non attendis? Cum enim DEVS velit misereri, quia bonus est, & possit, quia omnipotens est, ipse contra se diuinæ pietatis ianuam claudit, qui Deum sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit, eumque aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit.* Et rursus. *Donec sumus in hac vita, quantacunque nobis acciderint peccata possibile est omnia ablui per pœnitentiam.* Et S. BASILIVS in regulis breuioribus. *Si fieri potest,* inquit, *vt multitudo miserationum Dei numeretur, & magnitudo misericordiæ vlla mensura comprehendatur, collata cum magnitudine peccatorum, adhibeatur sane si libet, desperatio. Si autem hæc & magnitudine possunt, & numero definiri. (misericordia autem Dei & miserationes, neque magnitudine vlla possunt, neque numero circumscribi) sine dubio non est, cur desperatio adhibenda sit: sed agnoscenda misericordia Dei, & commissa peccata detestanda, quorum condonatio proposita est in sanguine Christi, sicut scriptum est.*

Aug. serm. 58. de Temp.

Id. serm. 181.

Bas. quæst. 13.

VIDE V. Consuetudo prava. Contemptus. Desperatio. Ingratitudo. Pecuniæ. Procrastinatio.

SIMO-

S
SIMONIA.

Remedia aduersus Simoniam.

PRIMVM Remedium. Considera, si quid in diuinis scripturis de Simoniaca labe patefactum sit: qua infecti sunt, qui exemplo SIMONIS Magi rem spiritualem, vt gratiam, Sacramentum, Ordinis, vel Ecclesiasticum beneficium pecunia emunt vel vendunt. Patefecit verò Christus Saluator tum verbis, tum factis, id non esse faciendum. Verbis quidem, cum apud B. Matthæum Apostolis mandauit, vt prædicandi, miraculaque patrandi munus nullo accepto pretio obirent. *Gratis*, inquiens, *accepistis gratis, date*. Factis verò cum apud eundem, & B. Ioannem secundo omnes vendentes & ementes templo eiecit, mensasq; numulariorum & Cathedras vendentium columbas euertit, Vtrumque enim locum S. Patres de Simoniaca emptione & venditione exposuerunt. Deinde in Actis Apostolorum de Simone, primo huius vitii autore & parente, ita scribit B. LVCAS. *Vir quidã nomine Simon, qui ante fuerat in ciuitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum, cui auscultabant omnes à minimo vsque ad maximum, dicentes. Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna.* Et paulo post. *Quum vidisset autẽ Simõ quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens. Date & mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri, Non est tibi pars, neque sors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. Respondens autem Simon dixit. Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat super me horum, quæ dixistis.*

Matt. 10. 8.

Matt. 21. 12. Ioann. 2. 14.

Hilar. Hieron. & Theop. in c. 21 Matth. Amb. in c. 19. Luc. Aug. tract. 10. in Ioan. Greg. lib. 4 ep. 51.

Act 8. 9.

II. REMED. Considera S. Patrum sententias. B. CYP. his verbis conqueritur. *Etiam in sinu sacerdotum ambitio dormit, ibi sub vmbra recubat, in secreto talami, se fraudulenter occultat. Simon Apostolorum temporibus venalem putans Spiritum sanctum, Petrum donis aggreditur, & tentat emere potestatem, per quam plura lucretur. Hæc sacrilegii forma per omnia officia, gradusq; discurrit, & nihil intentatum*

Cyp. de lapsis & rent.

Act. 8. 18.

[a] ambitio prætermittit. Nec dubitet quisquam diaboli hæc esse negotia, & nundinatores [e] ius, quicunq; hæc exercent commercia, nec quicquam huiusmodi, nisi præmissa epis-

Bas. ep. 78. sia, donari. S. BASILIVS ad Episcopos suæ curæ commissos. Feruntur quidam ex vobis ab illis qui ordinantur accipere pecuniam, idque quod peius est pietatis nomine palliare. Duplo namq; puniendus venit, qui prætextu boni & malum est facit, cum quod operatur quod bonum non est, tum quod ad perficiendum peccatum, bono vt dicitur vi-

Act. 8. 20. Simon. tur cooperario. Hæc si ita habent, posthac non fiant, sed emendentur. alioqui necessario cetur ad accipientem pecunias, quo ab Apostolis ad eum dictum est, qui pecuniam hac volebat, vt communicationem emeret Spiritus sancti videlicet. Argentum tuum tecum sit ad perditionem. Leuius enim deliquit, qui propter inexperientiã emere volebat, quam qui iam donum Dei vendit. Auctio namq; est. Et si, quod gratis accepisti, vendideris, tanquam Satanæ venundatus Dei gratia priuaberis. Cauponis enim ritu quæstum rei, spi-

Am. c. 19. lib. 9. tualib. infers & Ecclesiæ, vbi corpus nobis & sanguinem Christi conereditum habemus, S. AMB. in Lucam. Admonet dominici forma baptismatis, quando descendit Spiritus

Matth. 10. 8. sanctus in columbæ typo, electorum de templo huiusmodi mercatorum in Ecclesia Dei consortium eos habere non posse, qui sancti Spiritus gratiam nundinentur. Gratis, inquit, accepistis, gratis date. Denique Simoni, qui sanctificandi munus pretio in se putauit posse conferri, respondit Petrus. Pecunia, inquit, tua tecum sit in interitum, quoniam

Chry. hom. 38. in Matth. 21. gratiam Dei putas te pecunia consequi posse: non est tibi pars, neque sors in hac fide. CHRY. in opere imperfecto. Quotidie ingreditur Iesus: in templum suum, id est in sanctam Ecclesiam, & eiicit omnes vendentes gratiã Dei de Ecclesia Episcopus presbyteros, diaconos, omnesq; Ecclesiasticos, nec non laicos, quia vnius criminis habentur pariter Dei dona vendentes & ementes, quia scriptum est. Gratis accepistis, gratis date. Columbas quoque vendentium cathedras euertit, vt quod honor sacerdotalis debet alteri auferri doceret, qui pro terrena mercede opus Dei faciendum existimant. Eadem ha-

Hier. in c. 21. Matth. bet B. Hier. libro 3. in Matthæum. & addit. Obserua propter auaritiam sacerdotum altaria Dei nummulariorum mẽsas appellari. Cathedrasque vendentiũ columbas euertere, qui vendunt gratiam Spiritus sancti, & omnia faciunt, vt subiectos populos

Aug. in c. 2. Ioan. deuorent. S. AVG. tractatu. 10. in Ioannem. Qui vendunt columbas, fratres? Quid dicunt, nos damus Spiritum sanctum. Quare enim hoc dicunt, & quo pretio vendunt? pretium honoris sui accipiunt. Accipiunt pretiũ cathedras temporales, vt videantur ipsi vendere columbas. Caueant à flagello de resticulis. Columba non est venalis, gratis datur, quia gratia vocatur. D. Greg. Castorio Notario. Nulla sit in hac electione

G. lib. 4. ep. 25. (Episcopi) venalitas: ne dum præmia appetunt, discretionem electionis amittant: et illum dignum ad hoc esse arbitrentur officium, qui nõ emerit, sed datione placuerit. Specialiter enim & absolute cognoscant, quia non solum indignus est sacerdotio, sed & alijs profecto culpis erit obnoxius, quisquis Dei donum pretij præsumpserit venalitate mercari. Non itaque largus præmijs, sed dignus meritis eligatur: nam & electum & eligentes par pœna respiciet, si sacerdotij sinceritatem mente sacrilega violare tentauerint.

III. Re-

III. REMED. Considera, quam graue & abominabile sit crimen Simoniæ: siquidem S. Patres in Simonis Magi facto supra cõmemorato quatuor notarunt flagitia. I. Auaritiæ, quæ, teste Apostolo, est *idolorum seruitus* Act.8.18. Eph.5.5. *Quum enim Simon*, inquit Epiphanius in Panario, *non haberet rectum cor, neq; cogitatione in recta, sed turpi lucro, & studio pecuniarum intentus esset & à puero proposito suo nusquam decederet, offerebat pecunias Petro Apostolo, vt daret ipsi potestatem exhibendi Spiritum sanctum per manuum impositionem, ita ratione secum inita, quod vellet dare multis pro modica pecunia, atque sic per exhibitonem Spiritis multas pecunias cumulare ac lucrari.* Et B. Aug. in Ioannẽ. *Simon ille ideo volebat emere Spiritum sanctum, quia vendere volebat Spiritum sanctum: & putabat Apostolos mercatores tales esse, quales Dominus de templo flagello eiecit: talis enim ipse erat, & quod venderet emere volebat: de illis erant, qui columbas vendebant: etenim in columba apparuit Spiritus sanctus.* II. est Ambitionis, quod præter S. Cyprianum loco supra citato notauit B. Greg. *Talis*, inquit, *erat Simon Magus ab Apostolis baptizatus, sed postea ab Apostolorum principe propter nefandæ venalitatis ambitionem reprobatus. Vnde & dictum est ei. Non est tibi pars in sermone isto. Dum enim Spiritus sancti gratiam pretio comparare voluit, à doctrina Christi miser se alienauit.* Et rursus. Aug. in psalmos. *Quoniam Simon ille magnus in mirabilibus ingredi volebat super se, propterea plus illum delectauit potentia Apostolorum, quam iustitia Christianorum, vbi vidit permanus impositionem Apostolorum & per orationes eorum Deum dare Spiritum sanctum.* III. flagitium est sacrilegii, quia vt D. Petrus ei obiecit, donum Dei existimauit pecunia possideri posse, hoc est, re profana sacratissimam, imò rem omninò cum pecuniæ mercede pugnantem, nempe diuinam gratiam. Vnde B. Amb. quendam Episcopum, qui pecunia Episcopatum emerat, sic alloquitur. *Die mihi paulisper frater Episcope, cum dares pecuniam, quid accepisti? Gratiam episcopalem accepi. Ergo interrogo te: hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur? respondet. cur inquis? Vt reor, pro eo, quod gratis datur, ideo gratia vocitatur. Ergo si gratia gratis datur, & auro non æstimatur, à te cur gratia pecuniis comparatur?* IV. est Hæreseos, quia diserte dicit B. Petrus eum existimasse donum Dei pecunia posse possideri, quæ opinatio, si pertinax sit, hæretica est. Deinde subiecit. *Non est tibi pars, neque sors in fide ista*, vt legit B. Amb. & Augustinus, nec dissentit textus Syriacus. Tum causam addidit. *Cor enim tuum non est rectum corã Deo puram* enim *conscientiã fidei* non habuit, vt in libro altero de Pœnitentia exposuit Ambrosius. Ac B. quidem Greg. cum Tertulliano indicat hanc hæresin Simoniacam omnium fuisse primam in Ecclesia. *Hæc est*, inquit, *hæresis, quæ ipsa nascentis Ecclesiæ rudimenta tentauit, & ante alias hæreses prima apparuit. Cuius erroris vesania, licet extunc damnata fuerit, postea tamen in Ecclesia germine pestifero pullulauit.* Et in epistola ad Clotharũ regem Francorum. *Peruenit ad nos, q; sacri illic ordines cum datione pecuniæ conferantur. Et vehementer affligimur. si ad Dei dona non meritis*

A tract.10.in 1.cap.

Cyp.de ieiun. G. in 4.Psal. pœnit.

A. in Psal.130.

A de dignit.Sacerd.c.5.

Amb.c.19. Luc. Aug.tract.6.in Ioan.

A.c.5. Tertull.de.præscrip. G.in.4 Psal. pœnit. Id.lib.9.ep.5.5.

acceditur, sed præmiis prosilitur. Et quia hæc Simoniaca hæresis prima in Ecclesia surgens Apostolorum est auctoritate damnata, primus vt congregari Synodum faciam,

c.patet.1.q.7. *&c.* Has ob causas PASCHALIS Papa apud Gratianum Simoniacos hac censura perculit. *Patet*, inquiens, *Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus respuendos, & si commoniti non resipuerint, ab exteris iam potestatibus opprimendos, omnia etiam crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur.*

IV. REMED. Considera deterrimos Simoniacæ labis effectus vel fructus. Primò enim extrema fœditate animam hominis conspurcat, qui

Amb.c.5. descripsit in libro de dignitate sacerdotali B. AMB. his verbis, dum agit de Episcopo Simoniacè ordinato. *Oculis quidem carnalibus videtur quasi Episcopus magnus, & diuinis obtutibus videtur leprosus magnus. Per pecuniam acquisiuit in debitum ordinem, & Deum perdidit in interiore homine. Caro suscepit dignitatem, & anima perdidit honestatem. Caro ancilla domina facta est animæ, & anima, quæ erat Domina, facta est famula carni. Caro dominatur populis, & anima seruit damnis. Carni sacerdotium comparauit, & animæ detrimentum parauit. Quod dedit vt ordinaretur Episcopus, aurum fuit, & quod perdidit, anima fuit. Cum alium ordinauit, quod accepit, pecunia fuit, & quod dedit, lepra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorum in perniciem eorum. Et quid prodest homini huiusmodi, si totum mundum lucretur, & animæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?*

Matth 16 26. Matth 5.14. Et infra. *Ecce ad quæ mala voluitur deificus ordo. ecce ad quæ probra sunt prolapsi sacerdotes, qui audire meruerunt à iudice mundi. Vos estis lux huius mundi.* SECVNDO hæc labes sua contagione plures solet inficere, ac minimum duos. Vnde

G lib.7.ep 110. B. GREG. quibusdam Episcopis ita scribit. *Tamen exerit ad hue nequitiæ (Simoniacæ) prauitas vires suas. Nam cogit vendere, quos decipit vt emerent. Et dum*

Matt.10.8. *non attenditur, quod diuina voce præcipitur, Gratis accepistis, gratis date: agitur vt crescat, & geminata fiat in vno eodemq; delicti contagio, ementis scilicet & vendentis.*

Ep.23.lib.4. Et albi Castorio. *Non largus præmiis, sed dignus meritis, (in Episcopum) eligatur. Nam & electum & eligentes par pœna respicit, si sacerdotij sinceritatem mente sacrilega violare tentauerint.* TERTIO vniuersum Ordinem Ecclesiasticum in summum adducit contemptum, & à fundamentis euertit. Vnde idem

Id.ep.113.lib.7. GREG. mœrens ita scribit ad Brunichildem Francorum Reginam. *Illud omninò execrabile. & esse grauissimum detestamur, quod sacri illic Ordines per Simoniacam hæresin, quæ prima contra Ecclesiam orta, & districta maledictione damnata est, conferantur. Hinc igitur agitur, vt sacerdotii dignitas in despectu, & sanctus sit honor in crimine. Perit vtique reuerentia, admittur disciplina: qua qui culpas debuit emendare committit, & nefaria ambitione honorabilis sacerdotij ducitur in depranatione censura. Nam quis denuò veneretur, quod venditur? aut quis non vile putet esse, quod emitur? Vnde valde contristor, & terræ illi condoleo, quia dum sanctũ Spiritum, quem per manus impositionem omnipotens DEVS hominibus largiri dignatur, diuino nu-*

nere

nere habere despiciunt, sed præmiis assequuntur, sacerdotium illic subsistere diu non arbitror. Nam vbi dona supernæ gratiæ venalia iudicantur, ad Dei seruitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur. Et ad Ioannem Episcopum Corinthiorum. *Peruenit*, inquit, *ad nos, quod in illis partibus nullus ad sacrum Ordinem sine commodi datione perueniat. Quod si ita est, flens dico, demens denuncio, quia cum sacerdotalis Ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus qui per ex Euangelio, quid redemptor noster per semetipsum fecerit: quia ingressus templum cathedras vendentium columbas euertit. Columbas enim vendere, est de sancto spiritu, quē Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo vt prædixi, malo, tam innuitur quid sequatur: quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, horum Deo iudice cathedræ ceciderunt.*

Id.ep.55. l.4.

Matth.21.12. Ioan.2.14.

V. REMED. Considera quam graues pœnæ in simoniacos primum ab Apostolis, deinde à summis Pontificibus, Episcoporumque plurimis conciliis partim Oecumenicis, partim prouincialibus sint decretæ. Ac Apostolorum quidem coriphæus B. PETRVS primum Simoniæ parentem damnatione æterna dignum pronunciauit, cum dixit. *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, vt interpretatus est post B. Gregorium, Venerabilis BEDA. *Imprecatio*, inquit Beda, *& maledictio est præuidentis diuinam de Simone sententiam, & huius reprobationē, atque æternam perditionem.* Deinde & fulmine excommunicationis à fidelium cœtu, cui per baptismum iam insertus erat, eum separauit, cum ait. *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto*, vel in fide ista. Nam Apostoli omnes postea canonem condiderunt his verbis. *Si quis Episcopus, aut Præsbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deiiciatur & ipse & ordinator, & à communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon magus à Petro.* Apostolorum exemplum vniuersa deinceps secuta est Ecclesia. *Hanc nefandissimam prauitatem*, inquit Magnus GREG. *sancta vniuersalis omnino damnat Ecclesia.* Ita damnauit Synodus Oecumenica Chalcedonensis, & Synodus quæ dicitur sexta. Ita aliæ generales quæ Ecclesiam vniuersalem representarunt. Ita variis sanctionibus Romani antistites. Omnes autem pœnæ quas in Simoniacos fulminarunt, numerantur ferè sex. Prima est de qua dixi, Excommunicationis latæ sententiæ. 2. suspensio ab ordine per Simoniam suscepto. 3. Restitutio pretii dati, & spiritualis rei resignatio cum potest resignari. 4. infamia. 5. inhabilitas ad beneficium Simoniacè acceptum. 6. priuatio omnium beneficiorum etiam iustè acquisitorum & ad omnia inhabilitas. De quibus multa inuenies apud Gratianum in decreto, Decretalibus, & Extrauagantibus.

Act.8.20.

Gl.4.mor. c.6 Beda in Acta.

Can.81.

G.ep.55. lib.4.

VI. REMED. Considera exempla eorum, qui ob res sacras emptas venditasue diuintus olim in veteris vel noui testamenti scriptura puniti

Hier.ep.126.& Trad.c.27.& 49 leguntur. PRIMVM producit B. HIER. ad Euagrium, & in Traditionibus Hebraicis de ESAV, qui ius primogenituræ, id est, Sacerdotii, vili cibolenticulæ vendidit. Hebræi enim *tradunt*, inquit, *quod vsque ad Sacerdotium Aaron omnes primogeniti ex stirpe Noe, cuius series & ordo describitur, fuerint sacerdotes & Deo victimas immolarint, & hæc esse primogenita, quæ Esau fratri suo vendidit Iacob.* Qua de causa Apostolus forte in epistola ad Hebræos ESAV *prophanum*, id est sacrilegum appellauit, dicens. *Ne quis fornicator, aut prophanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Scitote enim, quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locum quanquam cum lachrymis inquisisset eam*, id est, benedictionem. Vnde non solum propheta Malachias, verum etiam B. Paulus ad Romanos ESAV proponit velut typum spiritualem omnium reproborum, sicut IACOB electorum, iuxta Dei oraculum. *Iacob dilexi Esau autem odio habui. DVO fratres erant*, scribit B. AVG. in enarratione psalmi 46. *Esau & Iacob, in vtero matris amboconfligebant, & de conflictu viscera materna quatiebãtur, & ibi cum duo essent, electus est minor, & præpositus est maiori, & dictum est. Duo populi sunt in vtero tuo, & maior seruiet minori. Per omnes gentes maior, per omnes gentes minor. Sed minor in bonis Christianis, electis, piis, fidelibus: maior in superbis, indignis, peccatoribus, contumacibus, sua peccata defendentibus magis, quàm confitentibus: qualis erat ipse populus Iudæorum fuit, ignorans Dei iustitiam, & suam volens constituere.* Alterum exemplum producit B. AMB. in lib. nuper citato de dignitate Sacerdotali de GIEZI Elisæi prohetæ famulo lepra diuinitus percussi, quod à Naaman Syro, quem magister eius miraculosè à morbo leprã sanare, munera accepisset, de quo in quarti Regum libri historia. *Licet*, inquit, *tam coarctet nos libelli huius prolixitas, solicitudo tamen fraterni nos retardat amoris illorum præcipue sacerdotum, qui mẽtis tepore hebetati sacerdotalem diffamant honorem & Giezi sectantes & Simonis sententiam sancti Episcopatus gratiam pecuniis coemerunt, nequaquam timentes se lepram cum Giezi à sancto suscepisse Elisæo. Quibus cum ista dixerimus, sufficere debuit suam comparando lepram possidere.* Et alibi in Lucam ita loquitur. *Cito turpem sequitur lepra mercedem, & pecunia corpori animumque malè quæsita commaculat. Accepisti, (inquit Elisæus) pecuniam, & possidebis ex ea agrum, & vineas, & oliueta, & greges, & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo vsque in sempiternum. Vides quia facto auctoris successio damnatur hæredis. Inexpiabilis est enim venditi culpa ministerii, & gratiæ vindicta cœlestis transit ad posteros.* TERTIVM sit Iudæ proditoris, quod in medium afferunt B. Cyprianus, S. BASILIVS. & B. Cyrillus Hyerosolimitanus, Is enim non reformidauit ipsum sanctum sanctorum triginta argenteis vendere. *Iudas ille proditor*, inquit Cyprianus, *venditurus magistrum prætaxatum pretium à Principibus exegit sacerdotum. Quid mihi, inquit vultis dare & ego eum vobis tradam? vsque ad mortem Domini amor lucri se ingerit, nec vitæ Saluatoris quæstus deterit-*

Cyp.de ieiun. Basil.sup.76. Cyp.catec.ſt6. Matth.26.14.

derium parcit. Etiam in sinu sacerdotum ambitio dormit, &c. Et Basilius. *Propter auaritiam ista fiunt,* id est, post manum impositionem pecunia accipitur. *Auaritia verò malorum omnium radix est, & idololatria vocatur. Ne velitis igitur modicæ pecuniæ gratia idola Christo præferre, neque IVDAM sectantes quæstus gratia secundo illum prodere, qui semel pro nobis cruci est affixus. Alioqui & ipsi agri & manus eorum qui hosce fructus metunt, Acheldama vocabuntur.* Cuiusmodi autem interitus fuerit IVDÆ exponit B. LVCAS in Actis Apostolicis. *Et hic quidem,* inquiens, *possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.* PAPIAS S. Ioannis discipulus, apud Oecumenium, asserit rupto laqueo superuixisse, ac postea crepuisse curru compressum, cum corpore inflatus progredi non posset, capite oculisque tumuisse, vermes è corpore cum sanie scaturisse, & demum ex mortui cadauere tàm tetrum odorem exhalasse, vt locus in quo decessit, non nisi obturatis naribus præteriri posset. POSTREMVM sit Simonis Magi, cuius miserrimum exitum B. PETRVS sua imprecatione non obscurè præsagiisse videtur; descripserunt autem ex Patribus quamplurimi. Adscribam tantum verba B. Maximi Taurinensis Episcopi. *Cum* inquit, *SIMON se Christum diceret, & tanquam filium ad Patrem assereret volando se posse conscendere, atque elatus subito Magicis artibus volare cœpisset, tunc Petrus, fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam leuitatem. Prior enim ascendit in cœlum ad Dominum oratio, quam volatus, & ante peruenit iusta petitio, quam iniqua præsumptio. Ante Petrus in terris obtinuit quod petebat, quam Simon peruenire ad cœlestia, quo tendebat. Tunc igitur Petrus velut victum illum de sublimi aëre deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens eius crura confregit. Et hoc in opprobrium facti illius: vt qui paulo ante volare tentauerat, subito ambulare non posset: & qui pennas assumpserat, plantas amitteret.*

Act. 1.18

Oecum. in c.1. Act.

Act.8.10.

Tom.3. Amb. hom.66.

VII. REMED. Considera exempla Simoniacorum, qui ob Episcopatus, aliasue dignitates Ecclesiasticis pretio cóparatas vel distractas puniti leguntur in historia Ecclesiastica. Describam hic terna tantũ exempla ex vndecimo tomo Annalium Cæsaris Baronii. Primũ sumptum est ex Wilhelmo Malmesburiensi de gestis Regum Angliæ *Tempore,* inquit. *Conradi Patris* (Henricus II. Imperator) *à quodã clerico fistulam tulerat argenteã, qua pueri ludo aquam iaculantur, pactus Episcopatũ, cũ foret Imperator, adulius repetenti pollicitum impigrè dederat. Nec multo post aspera valetudine correptus decubuit, morbo crescente, triduo exsensus & mutus iacuit, cũ in solo pectore vitalis halitus palpitaret. Nec aliud vitæ inditiũ erat, quã & manu admotæ appositæ quãtulascunq; sentiebatur anhelitus. Episcopi præsentes triduano indicto iciunio, lacrymis & votis pro vita regis superos pulsabant. Quibus, vt credi fas est, remediis conualescens, accitum Episcopum, quem iniustè fecerat, sententia Concilij deposuit, professus se toto triduo dæmones infestos vidisse flammam in se per fistulam iaculantes adeo pertinacẽ, vt noster ignis in comparatione illius iocus putetur, & nihil calere. Iuuenẽ inter hæc semiustulatũ lætũ aduentasse.*

Baron. ad ann. 1047.

VVilh. l.2. c. 2.

ferentem immensæ magnitudinis calicem aureum aqua plenum, cuius visione, & lo-
cis aspergine delinitum extinctis ardoribus insanitatem euasisse. Ephæbũ illum beatum
5. c. 19. *fuisse Laurentium, cuius Ecclesiæ tectum longa carie dissolutum compaginauit, & præ-*
ter alia xenia calice aureo honorificauit. Idem refert VINCENTIVS Bellouacen-
sis in speculo historiali. ALTERVM sumptum est ex Nicolao Aragonio
Cardinale, qui colligens res gestas Romanorum Pontificum ita scribit.
Bar. ann 1055. *Residentibus in synodo Lugdunensi Archiepiscopis, Episcopis, & aliarum Eccle-*
siarum Prælatis Archiepiscopus quidam, vir litteratus & eloquens accusatus est de crimine
Simoniæ. Qui sequenti nocte omnes suos accusatores pecunia corrupit, & sibi amicos fe-
cit. Mane autem facto rediens ad Synodum audacter dixit. Vbi sunt qui me accu-
sent exeat in publicum quicunque me voluerit damnare. Tunc obmutescentibus cunctis
(Archidiaconus Hildebrandus, quem à latere suo Pontifex in Franciam
miserat) *tanquam vir discretus & sapiens conuertens se ad illum, dixit. Credis fili*
Archiepiscope Spiritum sanctum cum Patre & Filio vnam esse substantiam Deita-
tis? quo respondente, Credo: addidit Archidiaconus. Dic Gloria Patri & filio, & Spi-
ritui sancto. Tunc ille, Gloria Patri & filio, expeditè dicebat sed spiritum sanctum
nullatenus proferre poterat. Quem cum frequenter inchoaret, & nihil proficeret, vltra
se per diuinum iudicium omninò confusum, procidit ad pedes Archidiaconi, & confes-
sus est proprio ore se Simoniacum esse. Postquam verò à sacerdotali & Episcopali officio
est depositus, Gloria Patri & filio & spiritui sancto libera & clara voce decantauit.
Quod factum simoniacos in tantum perterruit, quod præter alios Prælatos Ecclesiarum
viginti septem, Episcopi quadraginta quinque Simoniacos se esse confessi sunt, & sua
Dam. lib. 1. ep. 9. ad Nicol. II. Pap. *honoribus absque vlla alia accusatione renunciauerunt.* Hæc ibi. PETRVS Damia-
ni eandem historiam breuiter recitans, addit, tam hunc, quam quinque
alios Episcopos ab eodem Hildebrando tunc fuisse Apostolica autori-
B. anno Christi 1047. tate depositos. TERTIVM ab eodem Cardinale Baronio sumptum ex
GLABRO Historico de Henrico II. Imperatore, quomodo crimen Si-
moniæ occultè & ignoranter admissum in se vindicarit. *Contigit*, inquit,
tunc temporis, vt Abbas cuiusdam monasterii honestæ possessionis æquum valde pri-
mum præsentaret, quatenus in loco sibi commisso ipsius (Imperatoris) *amicitiã con-*
ciliaret. Fuerat autẽ idem equus, ignorante Abbate, cuidam militi clam sublatus sibique
pretio vænundatus. At Imperator gratanter illum suscipiens, suimet electionis mancipauit. Quodã igitur die eidem equo insidens iter agebat: obuiã sit ei miles, cui præfatus
equus furtim sublatus fuerat: qui imprudenter aggrediens Imperatorẽ, in huiusmodi
prorupit verba. Tu, inquiens, ô Rex, qui censuram debes tenere totius iustitiæ, equum
modo frandulenter abstractũ cernens possidere. Cui illico Rex tale protulit responsum.
Si tuus, inquit, est equus vt ais, accipe illũ cum sessore, & educ tecũ, quo melius optes
& habeas vtrumq; quousq; persolutionem furti accipias. Miles existimans sibi illusi
hærebat stupens. At rex cõpulit eum, vt manu iniecta duceret vtrumq; in suum domi-
nium. Aspicientes verò, qui circumstabant ingenti admiratione stupuerunt. Ita nẽpe
volue-

voluit suo exemplo admonere sibi subditos Imperator, magno sui periculo possideri alienum, crimenq; Simoniæ, in ipso quoque Principe vindicandum: obidque sic questus est. *Quæ grates referendæ sunt illi viro, qui me tam subdolè in hanc impulit captionem? Qui dum ab vniuersis horribiliter detestaretur, ait Rex, adducite illum, vt secundum illusionem, quam in me gessit, in eo vindicetur.* Ita quidem fremens Imperator, tamen in seipsum, qui munus accepisset in Abbatiæ inuestitura, maluit pœnam illam conuertere, priuans seipsum Abbatiæ collatione. pergit enim Glaber. *Dumq; præfatus Abbas accersitus fuisset, ait ei. Depone baculum regiminis pastoralis, quem credis largitione mortalis hominis debere gestari. Quem cum á se proiecisset, suscipiens illum Rex, imposuit dextræ imaginis Saluatoris. Vade, inquiens Abbati, & suscipe illum de manu omnipotentis Regis, nec vltra pro eo debitor sis alicuius mortalis, sed liberè vtere eo, vt decet culmen tanti nominis.* Hucusque ille.

VIII. REMED. Cum propter auaritiam, vt B. BASILIVS aliiq; Patres monuerunt hoc crimen Simoniæ præcipuè incurratur, firmiter apud animum tuum decerne, te nullam in vlla re remunerationem quæsiturum. Hoc remedium præscripsit B. GREG. in Euangelicis homiliis. *Sunt,* G.hom.4.
inquiens, *nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur, atq; de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt: quia de impenso officio sanctitatis nummum expetunt fauoris. Vnde bene cum iustum virum describeret Propheta, ait. Qui excutit manus suas ab omni munere. Neq; enim dicit: qui excutit manus suas à munere, sed adiunxit, ab omni: quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio, est subiectio indebitè impensa. munus à manu, pecunia est. munus à lingua, fauor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus, non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit.* Isa 33.15.

IX. REMED. Cum verò & superbia, honorumq; cupiditas cum Simone Mago multos stimulet ad aucupandos pecunia Episcopatus, aliasque Prælaturas Ecclesiasticas, alio antidoto opus habes nempe Humilitatis & gloriæ humanæ contemptus. Id tradit B. AVG. in Psalmum 130. Aug.
Nam cum dixisset Simonem Magum ideo deliquisse, quod voluerit ingredi in mirabilibus super se, plusq; delectatum fuisse potentia Apostolorum quam iustitia, quod visibiliter darent Spiritum S. subiicit hæc verba. *Si, fratres, vnusquisque, quod potest iustè egerit, & in eo quod alius plus potest (nempe miraculum faciendo) non inuiderit, sed congratulatus fuerit, tanquam in vno* Psal.130.
corpore cum eo constitutus, pertinet ad eum vox ista Psalmi. Domine non est exaltatum cor meum, neq; in altum elati sunt oculi mei, neq; ingressus sum in magnis, neq; in mirabilibus super me. Quod enim excessit vires meas, ait, non quæsiui, non ibi me extendi, nolui ibi magnificari. Nã ista exaltatio de abundantia gratiarum quàm sit timenda, ne

Eccli.3.20. Luc.10.7. qs de dono Dei superbiat, sed magis seruet humilitatẽ & faciat, quod scriptũ est. Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Probatẽ inde hoc antidotum suum exemplo Apostolorum. *Apostoli*, ait, *dixerunt Domino, cum missi essent á Domino. Ecce Domine in nomine tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt. Vidit Dominus, quod tentaret eos superbia ex potentia miraculorum, et ille qui medicus venerat sanare tumores nostros, & ferre infirmitates nostras contrà ait. Nolite in hoc gaudere, quia dæmonia vobis subiecta sunt, sed gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo. Non omnes Christiani boni dæmones eiiciunt, omnium tamen nomine scripta sunt in cælo. Non eos voluit gaudere ex eo, quod proprium habebant sed ex eo, quod cum cæteris salutem tenebant. Inde voluit gaudere Apostolos, vndegaudes & tu. Intendat caritas vestra. Nullus fidelis habet spem, si nomen eius non est scriptum in cælo. Omnium fidelium, qui diligunt Christum, qui ambulant viam eius humiliter, quam ipse docuit humilis nomina scripta sunt in cælo. Cuiusuis contemptibile in Ecclesia, qui credit in Christum, & diligit Christum, & amat pacem Christi, nomen scriptum est in cælo, cuiuslibet quem contemnis.* Sic Augustinus.

VIDE V. *Ambitio. Auaritia. Munerum corruptela. Superbia. Vsura.*

SOCIETAS PRAVA

Remedia contra Prauam Societatem.

Prou.1.10. I. REMED. Considera testimonia diuinæ scripturæ, Primo enim dissuadet consortium malorum. *Fili mi*, inquit Salomon, *si te lactauerint peccatores ne acquiescas eis, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum* Et Ecclesiasticus *Diuerte ab iniquo, & deficient mala abs te.* Et. *Omnis homo simili sui sociabitur. Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator iusto. Quæ communicatio sancto homini ad canem?* Et. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo induet superbiam.* Et B. Paulus. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Et. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial?* Et. *Denunciamus vobis fratres in nomine Domini nostri IESV Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre inordinate ambulante.* Deinde hortatur ad consortium bonorum. *Cum sancto* ait Rex Dauid, *sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Et Salomon. *Qui cum sapientibus graditur sapiens erit: amicus stultorum similis efficitur.* Et Syracides. *Cum viro sancto assiduus esto, quemcunque cognoueris obseruantem timorem Dei.*

Eccli.7.1. Eccli.13.1.20. 2.Cor.5.6. 2.Cor.6.14. 2.Thess.3.6. Psal.17.26. Prou.13.20. Eccli.37.15.

Basil.quæst.6. II. REMED. Considera SS. Patrum dicta. BASILIVS in regulis fusius disputatis. *Promiscue vitam agere cum iis, qui secuti perfectum illam Domini præceptorum*

ceptorum obseruationem contemnunt perniciosum esse etiam ipse Salomon docet. Sic enim est apud ipsum. Noli amicus esse homini iracundo, neque habitaueris cum viro furioso, ne forte discas vias eius, & sumas laqueos animæ tuæ. Et item illud. Exite de medio eorum, & separamini, nimirum eodem pertinet. Et in homilia, Quod Deus nō sit autor malorum. *Reuera noxiæ sunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur. Nam ea est amicitiæ huius lex & vis, & per similitudinem malitiam coniunctis indat. Quamobrem rectè prouerbium dicit. Corrumpunt bonos mores colloquia prava. Vt enim in pestilentibus locis sensim attractus aer lauentem corporibus morbum iniicit: sic in praua consuetudine ac conuersatione maxima nobis mala hauriuntur, etiamsi statim incommodū non sentiatur.* Greg Thavmaturgvs in Ecclesiasten. *Qui contubernii necessitudine iuncti sunt, & prosperi successus voluptatem sibi inuicem conduplicant, & rerum præter voluntatem fluentium tempestatem leniunt: adeo vt & diu mutua libertate splendescant, & noctu honestate & grauitate fulgeant. Contra, qui vitam ab omni hominum societate semotam ducit, horrendam quandam vitam traducit, non intelligens eum temerè, ac periculosè sibi consulere, qui multos homines mutuo præsidio circumseptos adortus fuerit, ac preterea funem triplici nexu contextum haud quaquam facile perfringi solere.* Amb. ad Irenæum. *Noxiæ sunt conuersationes cum insipientibus, & inficiunt sobriam mentem, ac decolorant: quia sicut adhærens sancto sanctus eris, ita cum peruerso peruersus eris. Frequenter enim accidit, vt quis contra propositum suum intemperantem audiens, cum velit ipse continentiæ disciplinam tenere, fuco insipientiæ coloretur, meritoque contrariæ sibi sunt, & repugnantes, disciplina atque insolentia.* Hier. ad Furiam, de viduitate seruanda. *Iuuenum fuge consortia. comatulos, conptos, atque lascivos, domus tuæ tecta non videant. Cantor pellatur vt noxius. Fidicinas & psaltrias, & istiusmodi chorum diaboli, quasi mortifera Sirenarum carmina, proturba ex ædibus tuis, &c. Sanctarum viduarum societatem appete.* Et in epistola ad Damasum Papam, tractans verba illa Isaiæ. *In medio quoque populi immunda labia habentis habito. Isaias, inquit, qui compunctus est, & se miserum contestatur, purgatione dignus efficitur. Populus verò non solum non agens pœnitentiam sed nesciens quidem, quia labia habebat immunda, purgationis remedium non meretur. Prouidendum igitur sub hoc exemplo, non solum vt ipsi simus iusti, sed ne cum peccatoribus moremur, quia hoc impeccati ac miseriæ parte ducit propheta.* Bern. de conuersione S. Pauli. *Agnoscite dilectissimi, & expauescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum. Horrendum pœnitus sacrilegium, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino maiestatis manus sacrilegas iniecerunt.*

Prou.22.24.
Isa.52.11.
Id.hom.3.
Greg. Neocæs. in c. 4.
Amb.lib.1.ep.4
Hier.ep.10.
Hier.ep.142.
Isa.6.
Bern.serm.1.

III. Remed. Da operam vt si inter malos viuas, quam primum, si fieri potest, te ab illis separes: si vero degas inter bonos nequaquam te malis adiungas, tum quia Spiritus Sanctus consulit & mandat locis scripturæ iam citatis, tum quia in luculentum salutis discrimen te coniicies. *Qui autem amat periculum, ait Sapiens, peribit in illo.* Hieron in hanc

Eccli.3.27.
Hier.in c.3. Ezech.

rem affert exempla duorum maximorum Prophetarum, Ezechielis & Moysis, qui separata à populo Israel peccatore domicilia habuerunt. *Scriptum est* inquit de Ezechiele. *Ego eram in medio trasmigrationis iuxta fluvium Chobar. Separata enim erat Prophetæ conuersatio, & iniquorum offendebatur aspectu. Hoc idem faciebat & Moyses, procul à castris multitudinis figens tabernaculum.* Eadem de causa in veteri testamento Deus noluit filios Israel coniugia vel fœdera inire cum vicinis gentibus, ne ab eis peruerterentur. *Non accipies*, mandat in Exodo, *vxorem de filiabus eorum filiis tuis ne fornicari faciant filios tuos in Deos suos.* Et. *Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.* in nouo verò idem vetuit Apostolus Christianis. *Nolite*, inquiens, *iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate?* Et Ecclesia Christi eadem de causa inhibuit matrimonia cũ hæreticis. Imo Christus voluit etiam filios à parentibus, & amicos ab amicis separari, cum ex commoratione periculũ est salutis. *Si quis venit ad me*, ait, *& non odit patrẽ suum & matrẽ & vxorem; & filios, & fratres & sorores, adhuc autẽ & animam suã non potest meus esse discipulus* Hier. ad Gerontiam, de monogamia. *Si scandalizat, inquit Apostolus, esca fratrem, in æternum carnem non manducabo. Dicamus & nos si scandalizat soror, vel frater, non vnum & alterũ, sed totã Ecclesiã nec sororem videbo, nec fratrẽ. Melius est rem familiarem minui, quàm salutem animæ perire. Melius est amittere, q̃ velimus, nolimus, aliquando periturũ est. Melius sponte dimittere, q̃ id amittere, pro quo omnia dimittẽda sunt.* Eodẽ spectãt illa eiusdem ad Heliodorũ, de laude vitæ solitariæ. *Recordare tyrocinii tui diem, quo Christo in baptismate consepultus in sacramenti verba iurasti, pro nomine eius non te patri parciturum esse, non matri. Ecce aduersarius in pectore tuo Christum conatur occidere licet paruulus ex collo pendeat nepos: licet sparso crine & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat, mater ostendat: licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est in hac re esse crudelem.*

Exod. 34. 16. 12.

2. Cor. 6. 14.

Luc 14. 26.

Hier. ep. 11.

Id. ep. 1.

IV. Rem. Si non potes facile defugere Societatem malorum, vt si habites in ditione hæretica, (sicut tempore Apostolorum pauci Christiani non poterant defugere cohabitationem gentilium, de quibus. B. Paulus dicit. *Caliquin debueratis de hoc mundo exisse*) fac ex necessitate virtutẽ, hoc est, ita vitã instituas tuam, vt non solũ nemini sis offendiculo, verum etiã præclaro virtutis exẽplo: multis sis *Christi bonus odor Deo*, vt loquitur Apostolus, *vitæ in vitã, & sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ degat, inter quos lucetis*, ait ad Phil. *sicut luminaria in mundo verbũ vitæ continentes. Habentes* inquit B. Petrus, *conuersationẽ inter gentes bonã, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operib. vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* Vnde triplex potes capere solatium. Primũ, quod inter malos inculpate viuendo coniicere potes te numerandũ inter perfecte bonos. *Neque enim perfecte bonus*, inquit B. Greg. in Ezechiel. *nisi qui fuerit & cum mali*

1. Cor. 5. 10.

2. Cor. 2. 15. Phil. 2. 15.

1. Pet. 2. 12.

Greg. in Ezech. hom. 9.

malis bonus. Hinc beatus Iob. addit, *de semetipso asserit dicens. Frater fui draconum, & socius struthionum. Hinc Paulus Apostolus discipulis dicit. In medio nationis praue, inter quos lucetis, &c. Tolerandi ergo vbique sunt proximi, quia Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exercet.* Et ad Theoctistam patritiam. *Pensate quæso,* inquit: *vbi erit patientia, si deest, quod toleretur? Ego Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit. Boni enim si sine malis fuerint, perfecti esse boni non possunt, quia minimè purgantur. Ipsa autem malorum societas purgatio bonorum est.* Alterum solatium est, quod à condito orbe semper mali mixti bonis ad eos exercēdos fuerint. *Tres in arca,* ait ibidem Gregorius, *filii Noe fuerunt. Vnus irrisor patris extitit. Duos Abraham filios habuit, sed tamen carnalis eius filius est repromissionis filium persecutus. Duos Isaac filios habuit, sed vnus qui Spiritualis extitit ante minas carnalis fratris fugit. Duodecim filios Iacob habuit, sed vnum, qui rectius viuebat vndecim in Ægypto vendiderunt.* Addit exemplum Dauidis, Iob, Ezechielis, Loth, 12. Apostolorum, &c. Tertium est, quod inter malos viuendo piè, plus possis apud Deum mereri. *Neque enim valde laudabile est,* ait idem Greg. *bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est inter bonos bonum non esse: ita immensi præconii est, bonum etiam inter malos extitisse. Hinc Petrus magni laudibus Loth extulit, quia bonum inter reprobos inuenit dicens: Et iustum Loth oppressum à nefandorum iniusta conuersatione eripuit.*

Iob. 30 29. Phili. 2. 15. Greg. l. 9. ep. 39. Ibid. Greg. lib. 1. mor. c. 1. 2. Pet. 2. 7.

V. Remed. Delectum habe in bonis sociis eligendis, ac primo eiusmodi elige, quorum contubernio non infameris, vt monet Nepotianum Hier. & iterum Gerontiam his verbis. *Fuge personas, in quibus potest malæ conuersationis esse suspicio, nec paratum habeas illud è triuio. Sufficit mihi conscientia mea, non curo quid de me loquātur homines. Et certe Apostolus prouidebat bona non tantum coram Deo, sed etiā corā hominibus, ne per illum nomen Dei blasphemaretur in gentibus.* 2. dilige potius seniores & sapientiores, quam iuniores. Ita suadet Ambr. in officiorum libris. *Sequatur,* inquit, *conuersationis electio vtadiungamur probatissimis quibusque senioribus. Namque vt æqualium vsus dulcior, ita senum tutior est: qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentium, & velut murice probitatis inficit. Namque sibi qui sunt ignari locorum cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt, quanto magis adolescentes cum senibus debent nouū sibi iter vitæ aggredi, quo minus errare possint, & à verò tramite virtutis deflectere? nihil enim pulchrius, quam eosdem & magistros vitæ & testes habere.* Et rursum. *Adolescentibus quoque vtile vt claros & sapientes viros sequantur: quoniam qui congreditur sapientibus, sapiens est: qui autem cohæret imprudentibus imprudens agnoscitur. Et ad institutionem itaque bonis iungi plurimum proficit, & ad probitatis testimonium. Ostendunt enim adolescentes se imitatores esse quibus adhæserint, & ea conualescit opinio, quod ab his viuendi acceperint similitudinem, cum quibus conuersandi hauserint cupiditatem.* Hunc delectum probauit quondam sapientissimus Orientis Imperator Basilivs, cum ad Leonem filium cognō-

Hier. ep. 11. Rom. 12. 17. Amb. lib. 1. 43. Bas. capita monitoria.

gnomento Philosophum ita scripsit. *Vtere medicis animorum assiduè, vt sic animo valeas: ab eis enim discere poteris, quas res expetere, & à quibus abstinere debeas: quibuscum hominibus assuescere, & à quorum consuetudine abhorrere, & quando vitam totam dispensare oporteat. vt ne in frequentes morbos incidas. Si hanc instituris viam, ad solidæ germanæque virtutis veros limites breui peuenire poteris.* Si iuniorum consuetudinem effugere non possis, vt si in ludo litterario versaris, adiunge te iis, quos cognoueris esse probatissimos, vt fere solent esse, qui nomen Sodalitati Partheniæ Annunciatæ, vel alii congregationi piæ dederunt. Vtut sit, quoniam in nullo hominum cœtu desunt quilibet pum sub ouina pelle tegant, generatim vnum illud documentum tenendum est, quod alicubi PLVTARCHVS auctor licet Ethnicus præscribit. *Vna*, inquit, *cauendi insidias occulte malorum ratio est, quod in promptu semper habendum memoria. Cum animi nostri pars vna veritati atque honestati: altera bruta, sit falsi appetens, incertisque obnoxia motibus, amicè semper meliori parti se accomodare consiliarium atq; monitorem, instar medici sanitatem augentis atq; conseruantis: adulatorem, (is est pernitiosus sodalis) bruta & cupiditatibus addictæ parti se applicare, eamq; prauis voluptatibus submittendis scabere ac titillare, & à rectæ rationis obsequio auertere.* Particulatim autem loquendo, cor gruenter huic monito, eos tantum adsciscein tuum contubernium qui à flagitiis retrahant, & ad virtutis studium accendant verbo & exemplo; idcirco velut pestes fuge, qui à litterariis exercitationibus, à concionibus, à piorum librorum lectione, ab incunda piorum sodalitate, à frequentatione Sacramentorum, à visitatione templorum absterrent, qui tabernas, conuiuia, nocturnas emansiones è domo, mulierum amicitias saltationes, aucupia, & eiusmodi alia cum iactura studiorum suorum, imò & salutis, amant & complectuntur.

P. de discrim. adulat. & amici.

VI. REMED. Considera, quot quantaq; mala pariat praua societas. Filii Seth, vt constat ex Genesi, boni erant, sed postquam coniugia inierunt cum filiis Cain, tantis se inquinarunt sceleribus, vt totum orbem Deus illuuione deleuerit. LOTH à pia Abraham societate diuulsus quanta pertulit incommoda? A barbaris raptus est, facultates eius Sodomis accensæ sunt, inebriatus stuprum duabus filiabus intulit. Propheta quidam sanctus à Deo in Samariam missus, vt est in tertio Regum, cum altare, in quo impius Hieroboam thus adolerat, per medium secuisset, & arefactam eiusdem manum restituisset, tamen quia in reditu Societate Pseudoprophetæ in sumendo cibo vsus est, à leone occisus est. Iosaphat quoque rex, quia cum rege impio Achab fœdera amicitiæ iniit, diuinam reprehensionem incurrit. S. Petrus item Apostolus simulatque Societatem reliquorum Apostolorum deseruit, & in domo Cayphæ impiis militibus aggregauit Dominum tertio negauit. Adolescens ille quem S

Gen. 4. 6. 7.

Gen. 19.

3. Reg. 13.

2. Par. 19.

Matth. 26. 70.

Ioannes

Ioannes Euangelista Episcopo cuidam commendarat tanquam suum depositum, teste Eusebio Cæsariensi, consuetudine peruersorum sodalium non latro modo, sed princeps latronum factus est. GORDIANA Gregorii Magni amita, vti ipse deplorat in libro dialogorum, licet sanctissimo sororum suarum Tharsillæ & Æmilianæ exemplo frueretur, tamen quia plus æquo gaudebat puellarum laicarum, & huic mundo addictarum consuetudine, à morte sororum miserè seducta est. AVGVSTINVS denique in libris Confessionum fatetur ad furtum pomorum, se non pellectum, nisi vt placeret sociis malis. *Quem fructum*, inquit, *habui miser aliquando in iis quæ nunc recolens erubesco, maximè in illo furto: in quo ipsum furtum amaui, nihil aliud, cum & ipsum esset nihil, & eo ipso ego miserior? Et tamen solus id non feciſſem, sic recordor animum tunc meum. solus omnino id non feciſſem. Ergo amaui ibi etiam consortium eorum cum quibus id feci.* Et infra. *Ecce est coram te Deus meus viua recordatio animæ meæ. Solus non facerem furtum illud, in quo libebat id quod furabar, sed quia furabar, quod me solum facere prorsus non liberet, nec facerem. O nimis iniqua amicitia, seductio mentis inueſtigabilis ex ludo & ioco nocendi auiditas, & alieni damni appetitus, nulla lucri mei, nulla vlciſcendi libidine, sed cum dicitur. Eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem. Quis aperit tortuoſiſſimam istam & implicatiſſimam nodoſitatem? Fœda est, nolo in eam intendere, nolo eam videre.*

Euſlib 3. c.33.

Gre. 4 dial. c. 16. & hom. 38. in Euang.

Aug. l. 3. c. 8. & 9.

VII. REMED. Considera quot, quantaque bona pariat bonorum societas. Quæ agnoscens regius Propheta in Psalmis exclamauit. *Ecce quam bonum, & quã iucundum est habitare fratres in vnum, Quemadmodũ*, inquit B. Basilius in Gordianum Martyrium, *suauia aromatum odoramenta proprium quiddam per aerem continentem ſpirant, quib. præsentes recreantur, ita vir bonus toti sibi commemorantium contubernio salutaris & iucundus est.* Luculentam certe Christi Domini promissionẽ apud D. Matthæum habes. *Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* De quo dicto disserens B. Basilius in Cõstitutionibus monasticis. *Si hoc*, inquit, *Dominus promiſit vbi duo vel tres fuerint cõgregati, multo veriſimilius est idem facturum, vbi frequentior hominum piorum multitudo congregata fuerit.* Quod autem bonum nõ habeãt, qui in medio sui habent, in quo sunt omnia bona? Completa est ad oculum re ipsa hæc promissio mox post Christi resurrectionem. nam cum duo discipuli in Emaus proficiscerentur interuenit eorum colloquio Christus. cumque omnes Apostoli semel atque iterum licet ianuis clausis vna essent, continuo in medio eorum constitit Christus dicens *Pax vobis.* In Pentecoste verò cum 120. in vno loco consedissent omnes repleti sunt Spiritu sancto. Quare non dubium est, quod tunc visibiliter actum est, in piis hominum cœtibus in nomine CHRISTI coactis nunc spiritualiter agi. Multas alias vtilitates societatis bonorum persequitur

Pſal. 132. 1.

Baſ. hom.

Matth. 18. 20. Baſ. c. 35.

Luc. 24. 15.

Ib. 36.

Act. 2. 41.

Basil q 7. quitur B. BASILIVS in regulis fusius disputatis, cũ demonstrat vitam cœnobiticam solitaria multo esse tutiorem, & salubriorem. Et post eum Hier. ep. 4. Cass. coll. 19. c. 6. Hier. ad Rusticum monachum. & CASSIANVS in collationibus. Quantum verò conuersatio cum senioribus fructum iuuenibus conciliat, aliquot exemplis declarat AMB. Amb. 2. offic. c. 20. *Inde*, inquiens, *tantus IESVS Naue, quod eum non solum erudiuit ad legis scientiam Moysi copula, verum etiam sanctificauit ad gratiam, Moyses cum Deo loquebatur: Iesus pariter nube sacra tegebatur, &c. Vnde factum est, vt qui fuerat socius conuersationis, fieret successor potestatis.* Et post. *Omitto, quod Abrahæ adhæsit Loth adolescentulus etiam proficiscenti, ne forte hoc propter quitatis magis fuisse existimetur, & necessariæ potius, quàm voluntariæ adiunctionis. Quid de Elia atque Elisæo loquamur? Licet enim non expresse Elisæum iuuenem scriptura significarit, aduertimus tamen, & colligimus iuniorem fuisse. In Actibus Apostolorum Barnabas Marcum assumit sit. Paulus Silam, Paulus Timotheum, Paulus Titum. Sed illis superioribus videmus diuisa officia, vt seniores consilio præualerẽt, iuueniores ministerio,* Demum proborum contubernium aliquando & malis profuit. Nam vt est in Genesi. *Benedixit Dominus domui Ægyptii propter Ioseph, & multiplicauit tàm in ædibus, quam in agris cunctam eius substantiam.* Saul quoque cum malus esset, & Dauidem persequeretur, tamen vbi ad cuneum prophetarum venit, *factus est etiam super eum spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat cum ceteris coram Samuele, & cecinit nudus tota die & nocte. Vnde & exiuit prouerbium. Num & Saul inter prophetas?* Eliseus item propheta, rogatus ab impio rege Ioram, vt Deum pro se deprecaretur contra Moab, respondit. *Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Ioſaphat regis Iuda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* Ita ob societatem pii regis Iosaphat rex impius Ioram seruatus est. Seruata esset & Sodoma ab excidio precibus patriarchæ Abraham, si vel decem iusti in ea reperti fuissent vt liquet ex capite 18. Geneseos. AVG. adhuc Manichæus, vt primum societatem cum Episcopo Mediolanensi Ambrosio *orbi terræ tum in optimis*, vt ipse loquitur, *maxi, pioq; Dei cultore inire* cæpit, initium quoque fecit emergendi ab erroribus, fædisque moribus. Sacris vero baptismi aquis ab Ambrosio tandem ablutum, socieratis antè initæ beneficio secuti sunt mox Alipius & Euodius.

Hier. ep. 4. Cass. coll. 19. c. 6.

Amb. 2. offic. c. 20.

Deut 31. 7.

Gen. 13. 1.

3. Reg 19. 19. Act. 12. 25. Act. 15. 37. Act. 16 3. Gal. 2. 1.

Gen. 39. 5.

1 Reg. 19. 23.

4. Reg 3. 14. Gen. 18 32.

Aug. lib. 5. confes. c. 13. Ec. l. 9. c. 6. & 8.

VIDE. V. *Choreæ. Colloquia otiosa. Consuetudo praua. Exemplum malum. Familiaritas nimia. Immodestia. Immortificatio passionum.*

SPE-

SPECTACVLA ILLICITA.

Remedia contra Spectacula illicita.

I REMED. Considera, quamuis expressè in diuinis litteris nihil sit de spectaculis, ea tamen Spiritus sancti oracula pugnare cum spectaculis illicitis, quibus impii hominum cætus, vanitates huius mundi, scurrilitates & fœdæ voluptates passim improbantur & damnantur, quibusq; felices prædicantur, qui ab iis abstinuerint. Tertullianus producit illud Regii Psaltis. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum nõ stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* B. Ambrosius verò illud eiusdem. *Beatus vir, qui non respexit in vanitates, & insanias falsas.* Et *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Chrysostomus illud Apostoli. *Formcatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem nos pertinet.* Et. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete,* non in diabolo.

Tertul. de spectac. c. 3. Psal. 1. Amb. in Psal. 118 Psal. 39. 5. Psal. 118. 37. Chry. hom 6. & 38. in Matt. Eph. 5. 3. Phil. 4. 4.

II. REMED. Considera, quam acri censura spectacula vetita perstringantur ab antiquis Patribus. B. Theophilus Antiochenus ad Autolycum. *Nec monomachias, nec cetera spectacula spectare audemus, ne oculi nostri inquinentur, & aures nostræ audiant profana, quæ ibi decantantur, carmina, nempe dum Thyestis tragica facinora, commemorat. & Teræi liberos deuoratos recitãt. Nec fas nobis est audire adulteria Deorum, hominũq́ue, quæ suaui verborum modulantur mercede, & præmiis inducti celebrant. Verum absit, inquam, à Christianis, penes quos modestia & temperantia florent, continentia viget, &c.* Clemens Alexandrinus in pædagogo. *Prohibeantur spectacula & acroamata, quæ nequitia verbisque obscænis temere profusis vana sunt. Quod enim turpe factum non ostenditur in Theatris? Quod aut impudens verbum non proferunt, qui risum mouent scurræ & histriones?* Tertullianus de Corona militis. *Circa voluptates spectaculorum infamata conditio est ab iis qui natura quidem Dei omnia sentiunt, ex quibus spectacula instruantur, scientia autem deficiunt. Illud quoque intellige, omnia à diabolo esse mutuata.* CYPRIANVS de spectaculis. *Scriptura omnia spectaculorum genera damnauit, quando idololatriam sustulit, ludorum omnium matrem: vnde hæc vanitatis & leuitatis monstra venerunt. Quod enim spectaculum sine idolo? quis ludus sine sacrificio? quod certamen non consecratum mortuo? Quid inter hæc Christianus fidelis facit, si idolatriam fugit, quid loquitur? qui iam sanctus sit de rebus criminosis voluptatem capit? Quis contra DEVM superstitiones probat, quas amat, dum spectat? Cæterum sciat hæc omnia inuenta dæmoniorum esse non DEI.* B. AMBROSIVS exponens illud Psalmi. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. *Vanitas,* inquit, *est illa quam cernis in theatralibus ludis Pantomimum*

Theoph. lib. 3. Clem. 3. c. 11. Tertul. c. 6. Cypr. A. in Psal 118.

aſpicis, vanitas eſt. luctatores aſpicis, vanitas eſt, quia cernis eos de viridi luctantes corona. Illi enim veri ſunt luctatores, qui aduerſum huius ſeculi luctantur tenebras. Non capiat oculos tuos paleſtra membrorum. Equos currentes aſpicis, vanitas eſt, quia vane currunt, qui aſcendentem ſalutare non poſſunt. S. CHRY-

Chry.hom.6. SOSTOMVS in Mathæum. Non eſt noſtrum aſſidue ridere, reſolui cachinnis, molliri deliciis, ſed eorum potius & earum, quæ ſpectantur in theatris, quæ in lupanaribus inquinantur, eorum qui ad hoc ſunt facti, paraſitorum, & adulterum. Non eſt, inquam, hoc eorum, qui ad æternum regnum vocati ſunt, quique in cæleſti illa ciuitate conſcripti: non eſt ſpiritalia arma geſtantium, quòd certe proprium eſt diabolo militantium. Ille enim eſt, qui etiam in artem iocos, lucroſque ſi-

Hil.in vita. geſſit, vt per hæc ad ſe traheret milites CHRISTI. virtutis quæ eorum neruos faceret molliores: propterea in vrbibus etiam theatra conſtruxit. B. HIERONYMVS agens de B. Hilarione. Credens, ait, in Dominum IESVM non Circi furoribus, non arenæ ſanguine, non theatri luxuria delectabatur, ſed tota illi voluntas erat in congregatione

Act.c.2.&3. Eccleſiæ. S. AVGVSTINVS libro tertio Confeſſionum. Rapiebant me ſpectacula theatrica, plena imaginibus miſeriarum mearum, & fomitibus ignis mei. Quid eſt, quod homo ibi vult dolere, cum ſpectat luctuoſa atque tragica, quæ tamen pati ipſe nollet? Et tamen pati vult ex eis dolorem ſpectator, & dolor ipſe eſt voluptas eius. Quid enim eſt, niſi miſerabilis inſania? Nam eo magis eis mouetur quiſque, quo minus à talibus affectibus ſarus eſt, quæquem cum ipſe patitur, miſeria:

Bern.c.12. cum aliis compatitur, miſericordia dici ſolet. B. BERNARDVS de conuerſione ad Clericos. Cæterum, inquit, ſpectacula vanarogo, quid corpus præſtant, quidue animæ conferre videntur? At certe nihil in homine, cui curioſitas proſit, inuenies. Friuola prorſus, & inanis ac nugatoria conſolatio, & neſcio quid ſibi durius imprecer, quam vt ſemper habeat, quod requirat, qui iucundæ quietis pacem fugitans, curioſa inquietudine delectatur

III. REMED. Conſidera, quam indigna homine Chriſtiano agantur

Cyp lib.2. ep.2. in theatris. Ea deſcribit B. CYP. ad Donatum. Paratur, inquit, gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum ſanguinis oblectet. Homo occiditur in hominis voluptatem, & vt quis poſſit occidere, peritia eſt, viſus eſt, ars eſt: ſcelus nutatum geritur, ſed & docetur. Quid poteſt inhumanius, quid acerbius dici? diſciplina eſt, vt perimere quis poſſit, & gloria, quod perimit: Et infra. Deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum hiſtrionicis geſtibus inuenari? videre contra fœdus iuſq; naſcendi patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam. Euirantur mares, honor omnis & vigor ſexus enruat i corporis dedecore molliatur, pluſque illi placet, quiſquis virum in feminam magis fregerit in laudem creſcit exvrimine, & peritior quo turpior iudicatur, &c. Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Iouem illum ſuum, non magis regno, quam vitiis principem. Et beatus

Chry.hom.38. CHRISOSTOMVS in Mathæum. Cuncta ſimpliciter, quæ tibi fiunt, turpiſſima ſunt verba, veſtitus, tonſura, inceſſus, voces cantus, modulationes, oculorum

lorum euersiones ac motus, tibiæ, fistulæ, & ipsa fabularum argumenta, omnia inquam, turpi lasciuia plena sunt. Non enim ignoramus, quot ibi fornicationes peragantur, quot adulteriis matrimonia maculentur, quot viri muliebria patiantur, quot iuuenes effeminentur, cuncta iniquitatis summæ, cuncta prodigiorum, cuncta impudentiæ plena sunt. Quæs ob res non cachinnis diffluere ridentes, sed lachrymis gemere ac dolore oportet. Et SALVIANVS de prouidentia. *Quicquid immundiciarum est, hoc exercetur in theatris, quicquid luxuriarum, in palestris. Quicquid immoderationis in Circis. Quicquid furoris, in caueis. Alibi est impudicitia, alibi lasciuia, alibi intemperantia, alibi insania. Vbique dæmon, imò per singula ludorum loca vniuersa dæmonum monstra.* Hæc Saluianus. Qua de causa B. Chrysostomus in homilia quadam populo Antiocheno persuadere conatus est, satius esse in carcere versari, quam in theatro. *Vis*, inquit, *carceres & theatra perquiramus? Ille quidem tribulationis, hic autem voluptatis locus est. Illic Philosophiæ multum: postquam enim timor & tristitia quasi quidam ignis in hominis animum inciderit, & duritiam emollierit, tunc humilis fit & exorabilior, ac ad omnia patiens. In theatro autem omnia contraria, risus, ineptitudo, diabolicus fastus, temporis impendium, adulterii meditatio, fornicationis gymnasium, intemperantiæ schola, risus materia, inhonestatis exempla. At in carcere non ita, sed humilitas supplicatio, secularium contemptus, & tanquam infanti pedagogus adest timor ad omnia congruaeum dirigens.* Saul.lib.6. Chry.hom.61.

IV. REMED. Considera non solum spectacula ista à Patribus iam descripta, & ab Ethnicis primum excogitata, sed etiam quæuis alia histrionica, turpia, magica, derisoria, satyrica, quæ hodieque in vsu sunt apud quosdam, esse legibus æque politicis atque Ecclesiasticis iam olim prohibita. Synodi Constantinopolitanæ sextæ in Trullo verba sunt. *Prohibet omnino hæc sancta Synodus vniuersalis eos, qui dicuntur, mimos & eorum spectacula. Deinde venationum quoque spectationes, easque quæ fiunt in scæna saltationes persici. Qui secus fecerit, si sit clericus, deponatur: si laicus segregetur.* Et Concilium Laodicænum, de clericis. *Non oportet*, inquit, *ministros altaris, vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus quæ aut in nuptiis, aut in scenis exhibentur interesse, sed antequam thymelici ingrediantur, surgere eos debere de conuiuio, & abire.* Alibi Histriones, qui artem illam exercent, vtpote impœnitentes, à sacrosancta corporis Dominici communione pelluntur. Qui canon sumptus est ex Cypriano, qui histrionem quendam Christianum, licet ipse histrioniam non exerceret, sed alios tantum doceret, à communione excludi voluit *Puto*, inquiens, *nec maiestati diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.* Consti. Magnus, primus Christianus Imperator sustulit ludum Venatorium, quo cum bestiis depugnabatur á seruis ad bestias damnatis. S.Const.c.51. c.non. oportet. conf.d.5. c.pro dilectione.de Conf.2. Cyp.lib.1.ep.10. l.ad bestias.31. Cod.

Thl.10.hist.c.2. Nic.l.7.c.46. Honorius verò & Arcadius gladiatorium, teste B. Theodoreto & Nicephoro, cum monachum quendam Thelemachum contra hos ludos declamantem populus Romanus temerè lapidasset. Iustinianus quoque Imperator in Authentica, *Interdicimus*, vitio & crimini adscribit, interesse spectaculorum ludis. Idem mulieres scenicas, quæ in spectaculis publicis se exhibent, pronunciat infames.

Iust.de.Episc. & cleric L Imperialis 23. de nupt.lib.5.C. tit 4.

V. REMED. Considera eadem spectacula ne Ethnicis quidem, seu Principibus, siue Philosophis, semper fuisse probata. Nam, teste Suetonio Octauianus Augustinus muliebrem sexum ab spectaculis athletarum mouit. P. Sempronius Sophus. vt est libro 5. Codicis, tit. 17. coniugem repudii nota affecit, quod se ignorante ausa fuisset ludos theatricos spectare. Tiberius Cæsar, auctore Dione Cassio, histriones Roma exturbauit, arteq; ea interdixit, quia & mulieres ignominia afficerētur, & turbarent. *SCIPIO Nasica*, vt refert B. Augustinus, *sine vlla sententiarum discrepantia vir optimus, caueam Theatri Senatum construere molientem ab hac dissipatione & cupiditate compescuit, persuasitque oratione grauissima, ne Græcam luxuriam virilibus patriæ moribus paterentur obrepere, & ad virtutem labefactandam, enervandamque Romanam peregrinæ consentire nequitiæ: tantumque auctoritate valuit, vt eius verbis commota Senatoria prouidentia, ettam subsellia, quibus ad horam congestis in ludorum spectaculo iam vti cuitas cœperat, deinceps prohiberet apponi.* M. T. Cicero quoque, eodem teste, Roscium Amerinum *cum laudaret, histrionem ita peritum dixit, vt solus esset dignus, qui in scenam deberet intrare: ita virum bonum, vt solus esset dignus, qui eo non deberet accedere, apertissimè ostendens illam scenam esse tam turpem, vt tanto minus ibi esse homo debeat, quanto fuerit magis vir bonus.* Valerius Maximus item, Plutarchus & alii, agentes de Floralibus ludis, id est, turpissimis scribunt tales fuisse, vt præsente CATONE Minore Actores agere noluerint. Laudatur & ALCIBIADES, qui propter versus quosdam Eupolin Comædum in mare iussit demergi cum hoc dicto. *Tu me in scena sæpe mersisti Eupoli, ego te semel in mari.* Seneca ad Lucilium. *Nihil est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt.* Barbari, ait B. Chrysostomus. *ipsi, cum de theatralibus his ludis, & importuna delectatione fabularum audissent, dixisse feruntur verba omnibus Philosophiæ institutis dignissima. Prudenter enim Romanos dixerunt, quasi liberis atque vxoribus careant, tales sibi excogitasse voluptates. Quibus verbis ostendebant nihil vxore modesta, nihil liberis esse posse suauius.*

S.in.octau.c.44 L.consensus. § vir quoque. Dio.l.57.hist.

A.l.1.de ciu.c.13 Liu.lib.48.

A.l.1.de cons. Euang.c.33.

Sen.ep.7.

Chry.hom 38. in Matth.

VI. REMED. Considera omnes ludos fœdos & vanos è diametro pugnare cum prima nominis Christiani professione in baptismo facta, dum renunciauimus diabolo & pompis eius. *CVM aquam ingressi*, inquit Tertullianus, *Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renunciasse nos diabolo*

Tert.de spectac c.4.

bola, & pompæ, & angelis eius ore nostro contestamur. Quid erit summum ac præcipuum, in quo diabolus, & pompæ & angeli eius censeantur, quam idololatria? Igitur si ex idololatria vniuersam spectaculorum paraturam constare constiterit, indubitatè prætudicatum erit etiam ad spectacula pertinere renunciationis nostræ testimonium in lauacro, &c. Pergit deinde singulorũ origenes ostendere. Et B. CYP. *Impudenter in Ecclesia dæmonia exorciZat, quorum voluptates in spectaculis laudat, & cum semel illi renuncians recisa sit res omnis in baptismate, dum post Christum ad diaboli spectaculum vadit, Christo tanquam diabolo renunciat. Idololatria, vt iam dixi, ludorum omnium mater est: quæ vt ad se Christi fideles veniant blanditur illis per oculorum, & aurium voluptatem. Diabolus artifex, quia idololatriam per se nudam sciebat horreri, spectaculis miscuit, vt per voluptatem posset amari.* Clarius SALVIANVS. *In spectaculis quædam apostatio fidei est à symbolis ipsius, & cælestibus Sacramentis lethalis præuaricatio. Quæ est enim in Baptismo salutari Christianorum prima confessio? Quæ scilicet, nisi vt renunciare se diabolo, ac pompis eius atque spectaculis & operibus protestentur? Nam spectacula & pompæ etiam iuxta nostram professionem opera sunt diaboli. Quomodo igitur, ô Christiane, spectacula post baptismum sequeris, quæ opus esse diaboli confiteris? Renuntiasti semel diabolo & spectaculis eius ac per hoc necesse est, prudens & sciens, dum ad spectacula remeas, ad diabolum redire te cognoscas. Vtrique enim rei simul renunciasti, & vnum vtrunque esse dixisti. Si ad vnum reuerteris, ad vtrumque remeasti. Abrenuncio enim, inquis, diabolo, pompis, spectaculis & operibus eius. Et quid postea? Credo, inquis, in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius. Ergo primum renunciatur diabolo, vt credatur Deo: quia qui non renunciat diabolo, non credit Deo, & ideo qui reuertitur ad diabolum, relinquit Deum. Diabolus autem est in spectaculis, pompis suis, ac per hoc, cum redimus ad spectaculum, relinquimus fidem Christi. Hoc itaque modo omnia Symboli sacramenta soluuntur, & totum quod in Symbolo sequitur, labefactatur & inquinatur. Nil enim sequens stat, si principale non steterit. Dic mihi tu Christiane, quomodo tenere te sequentia Symboli putas, cuius principia perdidisti.*

Cyp. de spectac.

Salu. lib. 6. de Prouid.

VII. REMED. Considera, eadem spectacula prorsus aduersari Christianæ religionis perfectioni, quæ in hoc consistit, vt nihil fædum ad animum & mentem, ne dum oculorum, auriumue sensum admittamus. Vnde TERTVL. libro citato. *Similiter impudicitiam omnem a moliri iubemur. Hoc igitur modo etiam à theatro separamur, quod est priuatum consistorium impudicitiæ, vbi nihil probatur, quàm quod alibi non probatur.* Et paulo post. *Quod si nobis omnis impudicitia execranda est, cur liceat audire, quæ loqui non licet? Cum etiam scurrilitatem & omne vanum verbum iudicatum à Deo sciamus, cur æquè liceat videre, quæ facere flagitium est? cur quæ ore prolata communicant hominem, ea per oculos & aures admissa non videantur hominem communicare? cum spiritui appareant aures & oculi, nec possit mundus præstari, cuius apparitores inquinantur?* Et B. CYP. *Ab omnibus ad spectaculum conuenitur, commune dedecus delectat videlicet, vel recognoscere*

Tert. de spect. c. 17.

Cyp. de spectac.

gnoscere otia vel distere, &c. *Quid inter hæc Christianus fidelis facit, cui vitia non licet nec cogitare? Qui oblectatur simulacris libidinis, vt in ipsis deposita verecundia audacior fit ad crimina? Discit facere dum consuescit videre.* Quam autem in theatris

Salu l. cit. multæ & variæ se offerant occasiones grauiter & mente, & lingua & oculis & auribus delinquendi fuse describit SALVIANVS. *Talia sunt, quæ istic fiunt*, inquit, *vt ea non solum dicere, sed etiam recordari aliquis sine pollutione non possit. Alia quippe crimina singulas sibi fermè in nobis vendicant portiones, vt cogitationes sordidæ animos; vt impudici aspectus oculos: vt auditus improbi auctoritas vt cum ex his vnum aliquid errauerit, reliqua possint carere peccatis. In theatris verò nihil horum reatu vacat, quia & concupiscentiis animus, & auditu aures, & aspectu oculi polluuntur. Quæ quidem omnia tam flagitiosa sunt, vt etiam explicari ea quisquam atque eloqui saluo pudore non valeat, &c. Nonnulla quippe etiam maxima scelera incolumi honestate referuntur, & nominari, & argui possunt, vt homicidium, latrocinium, adulterium, sacrilegium, cæteraque in hunc modum. Sola theatrorum sunt impuritates, quæ honestè non non possunt vel accusari: ita nouæ in arguenda harum turpitudinum probrositate res euenit arguenti: vt cum absque dubio bonus sit, qui accusare ea velit, honestate tamè integra ea loqui & accusare non possit. Alia quoque mala omnia agentes polluunt, non videntes, vel audientes. Siquidem es blasphemum quendam audias sacrilegio non pollueris, quia mente dissentis. Et si interuenias latrocinio, non inquinaris actu, quia abhorres animo. Solæ spectaculorum impuritates sunt, quæ vnum admodum faciunt & agentium & aspicientium crimen. Namdum spectantes hæc comprobant, ac libenter vident, omnes ea visu, auditu que agunt, vt*

Rom 1. 32. *vere in eos Apostolicum illud peculiariter cadat: quia digni sunt morte, non solum, qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Cyp. despectac. VIII. REMEDIVM. Considera in quantum salutis discrimen, homo alioquin ad vitia procliuis, & *cito ad scelus auditum*, vt loquitur Cyprianus, *assuescens*, se coniiciat, si ludos eiusmodi spectauerit. Coniicit

Chry. hom. 5. de Dauid. & Saul. enim se in periculum committendi adulterii: quod vt B. Chrysostomus probaret populo, quem ob spectacula à Sacra mensa arcebat, ita locutus

Matth. 5. 28. est. *Quod si auetis adulterij modum cognoscere, non mea verba vobis referam, sed illius, qui de tota hominis vita iudicaturus est. Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendam illam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quod si mulier sponte, ac forte in foro obuia, & negligentius culta sæpenumero curiosius, intuentem cœpit ipso aspectu vultus isti qui non simpliciter, neque fortuito, sed studio & tanto studio, vt Ecclesiam quoque contemnant, & hac gratia pergunt illuc, ac totum ibi desidentes diem in facies fœminarum nobilium defixos habent oculos: qua fronte poterint dicere, quod eas non viderint ad concupiscendum? vbi verba quoque accedunt fracta, lasciuaque, vbi cantiones meretriciæ, vbi voces vehementer ad voluptatem incitantes, vbi stibio picti oculi, vbi coloribus tinctæ genæ, vbi totius corporis habitus fucorum impostura plenus est, aliaque insuper multa lenocinia ad fallendos ineuntes instructa. Accedunt*

dunt huc irritamenta perfistulas, ac tibias, aliaque huius generis modulatio in fraudem illiciens, mentis q; robur emolliens. Et rursus alibi respondens exceptioni quorundam. *Sed ego* inquit, *turpia hæc & incentiua voluptatum, nec dixi, nec cecini vnquam, dicis. Et quæram vtilitas est, si cum non dicas, libenter audis? imò verò vnde idipsum planum facies, quod non dicas? cum libenter hæc cum risu audias, & ad percipiendum magno cursu contendas? Dic mihi oro, cum blasphemantes audis, gaudes aut exultas, aut potius perhorrescis, & aures obstruis? non dubito quin perhorrescas. Quamobrem? quia videlicet nunquam tu blasphemare soleas: pariter ergo in turpiloquio etiam facito, si persuadere nobis omninò vis non libenter turpissima te verba proferre: tunc tibi credimus, cum nec audire quidem perspeximus. Nam si vix quæ longe ab huiusmodi cantibus remota est anima, castimoniæ honestatem amplectitur, quomodo continenter viuere poterit, qui in his viuit? An ignoratis procliuiores nos esse ad vitia? Cum igitur etiam arte & studio ad ea curramus, quomodo fornacem æterni ignis effugiemus?* VERVM, quia non desunt, qui respondeant, se ad oculum quidem & aures, non tamen ad animum admittere huiusmodi spectacula, iis quoque alibi ita occurrit idem Chrysostomus. *Audiant*, inquit, *curiosi, qui pulcritudines considerant alienas, audiant, qui spectaculis insaniunt in theatris, qui ad excusandas excusationes in peccatis dicunt. Spectemus quidem sed nihil nocemur. DAVID talis ac tantus læsus est, & tu te putas non posse lædi? ille nocumentum passus est, qui tantam habebat spiritus gratiam, & te quomodo credere potero sine vulnere euasisse? & ille quidem in solario domus suæ, tu autem in theatro vbi & locus condemnat animam sapientis, in quo cum tanta sint præcipitia, tantæ corruptelæ, quomodo possum tibi credere quod à talibus bestiis vulneratus non sis? Nunquid lapideus es, aut ferreus? igni coniungeris, & non ardebis?* Exemplum huius rei illustre habes apud B. AVGVSTINVM in Confessionum libris de ALIPIO eius contubernali, qui licet abhorreret à spectaculis, ac inuitus à familiaribus semel ad ludum gladiatorium pertractus esset, tamen vna spectatione sic fascinatus est, vt sine theatris postea vitam sibi acerbam duceret. *Spectauit*, inquit, *clamauit, exarsit, abstulit inde secum insaniam, qua stimularetur videre non tantum cum illis, sed etiam præ illis à quibus erat adductus.*

Chry. hom. 1. in Psal. 50.

A lib. 1. c. 8.

IX. REMEDIVM. Considera, esto omne periculum lapsus absit, multa tamen alia absterrere te merito ab illis Ludis debent. Primò, quod non absit publicum scandalum, ac proinde nec peccandi periculum. *Qui enim scandalizauerit*, inquit Christus, *vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum, maris. Væ mundo à scandalis.* TERTVLLIANVS quidem inde probat manifestum esse scandalum, quod suo æuo ex repudio spectaculorum agnoscerentur Christiani. *Illi*, inquit, *iam nobis renuncient an liceat Christianis spectaculo vti? At quin hinc vel maximè intelligunt factum Christianum, de repudio spectac-*

Matth. 18. 6.

Tert. de spect. c. 24.

spectaculorum. Itaque negat manifestè qui per quod agnoscitur, tollit. Quid autem si
Chry. hom. 38. *superest in huiusmodi homine? nemo in castra hostium transit, nisi protectis armis: sic*
nisi destitutus signis & sacramentis principis sui, nisi pactus simul perire. S. Chrys. de hoc scandalo ita scribit in Matthæum. *Etsi tu quodam excelsi animi robore,*
Id. hom. 7. *nihil inde tibi mali contraxisti, attamen quoniam alios imbecilliores exemplo tui spectaculorum studiosos fecisti, quomodo non ipse commisisti, qui causam committendi aliis præbuisti?* Et alibi. *Si hæc aspiciendo nil pateris, culpæ nihilominus teneris obnoxius, factus scilicet scandalum cæterorum, & talium adhortatio voluptatum, tuamque facies ipse confundis, animamque cum facie.* SECVNDO absterrere te debet, quod spectatores potius quam actores germana sint causa spectaculorum, quia si ulli spectandi cupiditate tenerentur, nulla etiam spectacula exhiberentur; si nihil mercedis histrionibus solueretur, tota periret histrionia. *Qui enim,* inquit aureum os, *laudant ista spectacula, ipsi histrionibus persuadent, vt ea exhibeant, & ideo ipsi potius propter hæc merentur subitò supplicium: Si enim nullus esset talium spectator ac fautor, nec essent quidem, qui aut discere illa, aut agere curarent. Quando verò nos cernunt & artes proprias, & ipsa exercendi quotidiani operis loca, & illum, quem ex his paratis quæstum, & prorsus omnia simul vnissimi illius spectaculi amore deserere, auidiore & illi ad hæc intentione reputuntur, studiumque his maius impendunt. Et hæc dico, non vt illos à crimine videar vindicare, sed vt vos discatis initium & caput iniquitatis huius vos esse potissimum, qui totam prorsus diem in tam ridicula, tamque pernitiosa voluptate consumitis.* Quod autem non leue delictum sit histrionibus dare mercedem, audi Augustinum in Ioannem ita scribentem. *Donare res suas histrionibus, vitium est immane, non virtus. Qui enim venatori,* (histrioni) *donat, non homini donat,* inquit in psalmum 102. *sed arti nequissimæ. Nam si homo tantum esset, & venator non esset, non donares honoras in eo vitium, non naturam.* TERTIVM quod absterrere te debet est, iactura temporis, quam facis, vacando spectaculis. Nullus enim inter
1. Cor. 7. 29. Gal. 6. 10. Chry. hom. 38. in Matth. Christianos est, cui non dictum sit. *Tempus breue est.* Et. *Dum tempus habemus operemur bonum.* Vnde Chrysostomus loco sæpe citato. *Sedego, inquit, ostendam multis nihil huiusmodi ludos obfuisse, imo verò,* inquit. *id maximè nocet, quod frustra & incassum tempus consumis, & scandalum aliis offers:* Hæc de mala culpæ, quæ oriuntur ex spectaculis, nunc de malis pœnæ.

T. lib. de spect. c. 26. X, REMEDIVM. Considera mala pœnæ tam spiritualia, quam temporalia, quæ consecuta sunt ex spectaculis. Spiritualia recenset duo TERTVLLIANVS his verbis, dum agit de Christianis eorum Ludorũ spectatoribus. *Cur ergo,* inquiens, *non eiusmodi etiam dæmoniis penetrabiles fiant? Nam & exemplum accidit, Domino teste, eius mulieris quæ theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorcismo cum oneraretur immundus Spiritus, quod ansus esset fidelem aggredi, constanter & iustissimè quidem inquit feci, in meo eam inueni, Constat & alii linteum in somnis ostensum eius dici nocte, qua tragœdum audierat, cum exprobra-*

probratione nominato tragœdo, nec vltra quin tum diem eam mulierem in seculo fuisse. Quo vtique & alia documenta cesserunt de his, qui cum diabolo apud spectacula communicando, à Domino exciderunt. Nemo potest duobus Dominis seruire. Subiicit deinde. *Quid facies in illo suffragiorum impiorum æstuario deprehensus, non quasi aliquid illic pati possis ab hominibus, nemo te cognoscit Christianum, sed recogita, quid de te fiat in cœlo, Dubitas enim illo momento, quo in diaboli Ecclesia fueris, omnes Angelos prospicere de cœlo, & singulos denotare quis blasphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures diabolo aduersus Deum administrauerit?* TEMPORALIA verò mala describit B. CHRY. *Vnde credis,* inquit, *nuptiarum insidiatores proficisci? nonne ab huiusmodi scenis? Vnde illos, qui domos, ac thalamos aliorum effodiunt? nonne ab orchestra illa? An non hinc vxoribus viri molestissimi, & viris mulieres contemnendæ fiunt? &c. Imò, quis non adulter modo factus est? Nam si possem nomine omnes appellare, cito tibi ostenderem. Quot quasi captiuos scorta inde abduxerunt, quot aut ab vxoribus abstraxerunt, aut ad legitimum omnino thorum peruenire non dimiserunt? Quid igitur, inquis an leges omnes euertemus, quib. hæc constituta sunt? imò verò his theatralibus ludis euersis, non leges sed iniquitatem euertetis, ac omnem ciuitatis pestem extinguetis. Hinc enim seditiones excitantur, sine tumultus oriuntur. Qui enim his ludis aluntur, omnes vocem ventris causa collocant, qui dicere, facere, omnia promptissimi sunt, hi maxime solent rumoribus populos inflammare, & tumultum in ciuitates immittere. Otiosa. n. iuuentus impudenter educata omni ferocissima bestia immanior est. Malefici autem nonne à theatralibus ludis multi constituuntur? Nam vt vniuersum populum ad hæc possint inflammare, vt tripudiantes suas consequantur voluptates vt modestas mulieres meretricibus commixtas corrumpant, ad tantum maleficii genus perueniunt, vt nec ab ossibus quidem mortuorum abstineant. Quid dicam, quod ad diabolicas has sodalitates innumeras multi consummant pecunias? Quid de lasciuia, quid de aliis malis? Ani naduertis te illum esse, qui vniuersam vitam hominum euertis, cum ad hæc ceteros horteris, non me, qui huiusceemodi omnes ludos omittendos censeo.* Multo plura sui æui mala enumerat SALVIANVS, putatq; vniuersam Galliam, Sardiniam, Siciliam ob hanc spectaculorum turpitudinem & insaniam Barbarorum irruptione castigatam, nobilissimas Germaniæ vrbes Coloniam, Moguntiam, Treuerim crudelissimè deletas, Vandalosq; communem orbis perniciē in ipsam vsq; Africam penetrasse *Circumsonabant, ait, armis muros Carthaginis populi barbarorum, & Ecclesia Carthaginiensis insanichat in Circis, luxuriabatur in theatris. Alii foris iugulabantur, alii intus fornicabantur: pars plebis erat foris captiua hostium, pars intus captiua vitiorum.*

Matth.6.c.27.

Chry.hom.38. in Matth.

Salu.l.7.de Prouid.

XI. REM. Considera iniuriâ à quibusdam politicis obtendi, imprudenter populo Christiano eripi spectaculorū voluptates & gaudia. Nam primò constat professionis Christianæ esse in hac vita potius luctui & lacrymis, quam voluptati operam dare, idq; prudenter, quia luctui huius vitæ succedunt gaudia æterna, voluptati verò gentiliū successerunt æterna

Tert. de spect. c.28. Ioan.16.

supplicia. Vnde TERTVLLIANVS *Vicibus disposita res est: nunc illi (gentiles) lætantur, nos conflictamur. Seculum, inquit, gaudebit, vos tristes eritis. Lugeamus ergo, dum Ethnici gaudent, vt cum lugere cœperint gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoq; pariter lugeamus. Delicatus es, Christiane, si & in seculo voluptatem emuspiscis.* Deinde si quæris voluptates, quæras non vanas, sed salutares; si gaudia, non in diabolo sed in Domino. *Gaudete*, inquit Apostolus, *in Domino.*

Philip. 3.1.

I. SPECTAC. Christian.

Habet Christianus, inquit B. CYP. *spectacula meliora, si velit; habet veras & profuturas voluptates, si se recollegerit, & vt omittam illa, quæ nondum contemplari potest habet istam mundi pulchritudinẽ, quam videat, atq; miretur: Solis ortum aspiciat, rursus occasum mutuis vicibus dies noctesq; reuocantem, globum Lunæ, temporum cursus incrementis suis, decrementisq; signantem, astrorum micantium choros, & à summo ad summa mobilitate fulgentes, anni totius per vices membra diuisa, & dies ipsos cum noctibus per horarum spatia digestos, & terræ molem libratam cum montibus, & profusa flumina cum suis fontibus, extensa maria cum suis fluctib. atq; littoribus interim constantem pariter summa conspiratione, nexibusq; concordiæ: extensum aërem medium tenuitate sua cuncta vegetantem, nunc imbres contractis nubibus profundentem, nunc serenitatem refecta raritate reuocantem & in omnibus istis incolas proprios; in aere auem, in aquis piscem, & in terra hominem; hæc, inquam, & alia opera diuina, sint Christianis fidelibus spectacula. Quod theatrum humanis manibus exstructum istis operibus poterit comparari?* Haud secus B. AMB. *Sicubi*, inquit, *populares cognoueris plausus, auerte oculos tuos ab his, inflecte, deprime, & serua eos, vt erigas melioribus. Erige ad cœlum, vel nocte stellarum monilia, orbem lunæ decorum, vel die solem aspice. Spectamare, terram circumspice, vt opere facta diuino omnis creatura te pascat. Quæ formarum gratia in ipsis bestiis? Quantus decor in hominibus? Quanta in auibus pulchritudo? Hæc vide, & non introibit mors per fenestras oculorum tuorum.*

A. in Psal. 118. serm. 5.

II

ALTERVM spectaculum Christiano homine dignum proponit idem Cyprianus, dum ita loco citato pergit. *Scripturis inquã sacris incumbat Christianus fidelis, sibi inueniet condigna fidei spectacula. Videbit instituentem Deum mundum suum, & cum cæteris animalibus hominis illam admirabilem fabricam, meliorem q; facientem, spectabis mundum in delictis suis, iusta naufragia, piorum præmia, impiorumq; supplicia: maria populo siccata, & de petra rursus populo maria porrecta, spectabit de cœlo descendentes messes non ex areis: inspiciet flumina transitus siccos refrenatis aquarum agminib. exhibentia. Videbit in quibusdã ignem cum fide luctantem: religione superatas feras, & in mansuetudinem conuersus; intuebitur & animas ab ipsa morte reuocatas, & in his omnibus iam maius videbit spectaculum, diabolum illum, qui totum detrimphauerat mundum sub pedibus Christi tacentem. Quam hoc decorum spectaculum fratres? quam iucundum? quam necessarium? intueri semper spem suam & oculos aperire ad salutem suam. Hoc est spectaculũ, quod videtur etiam luminibus amissis: hoc est spectaculum, quod non exhibet Prætor, aut Consul, sed qui est solus, & ante omnia, & superomnia, imo ex quo omnia, Pater Domini nostri Iesu Christi.*

III

Tertium spectaculũ ob oculis ponit

ponit B. Avg. in libris de Symbolo ad Catechumenos. *Fugite*, inquit, *dilectissimi spectacula, fugite caueas turpissimas diaboli, ne vos vincula teneant maligni. Sed si oblectandus est animus, & spectare delectat, exhibet vobis sancta mater Ecclesia veneranda hæc salubria spectacula, quæ & mentes vestras oblectent sua delectatione, & in vobis non corrumpant, sed custodiant fidem. Amator est quispiam Circi? quid delectat in circo? aurigas videre certantes, populos insana furia anhelantes, quemlibet celerem præcedentem, aduersarii sui equum frangentem: ista est omnis delectatio: clamare quia vicit, quem diabolus vicit. Vide è contra nostra sancta, sana, suauissima spectacula. Intuere in libro Actuum Apostolorum claudum ex vtero matris nunquam ambulantem,* Aug. lib. 2. cap. 1. & 2. Act. 3. 8. *quem Petrus fecit currentem. Vide subitò sanum, quem antea intuebaris infirmum. Et si in te est sanitas mentis, si in te fulget ratio æquitatis, ac delectatio salutis, vide quid debeas expectare: Vide vbi debeas exclamare, illic vbi equi sani franguntur, an hic, vbi homines fracti saluantur? Sed si te pompa illa, figura æquorum, compositio curuum, ornatus, & auriga superstantis equos regentis, vincere cupientis: si hæc te, vt dixi, pompa delectat, nec hanc tibi denegauit qui pompis diaboli renunciare præcepit. Habemus & nos spiritalem nostrum aurigam sanctum Prophetam Eliam, qui quadrigæ igneæ superimpositus tantum cucurrit, vt metas prehenderet cœli.* Et infra. *Illic intuentur spectatores propositum nescio quem confictum Deum, Iouem & adulterantem & tonantem: hic respicimus verum Deum Christum castitatem docentem, immunditiam destruentem, salubria prædicantem. Illic fingitur, quod idem Iouis Iunonem habeat, sororem & coniugem: hic prædicamus sanctam Mariam, matrem simul & Virginem. Illic stupor ingeritur visui ex visu hominem videre in fune ambulantem: hic magnum miraculum, Petrum mare pedibus transeuntem. Illic per inimicam turpitudinem castitas violatur: hic per castam Susannam, castumque Ioseph libido comprimitur, mors conteritur, Deus amatur, castitas exaltatur.* Et rursus alibi. *Spectare vis? esto spectaculum. Ne deficias vide præcedentem & dicentem. Spectaculum facti sumus huic mundo, & Angelis & hominibus, Angelis laudantibus, hominibus opprobrantibus: imò & Angelis laudantibus & vituperantibus; quia & apud Angelos sunt sancti Angeli, quibus beneuiuendo placemus: & sunt præuaricatores Angeli, quibus bene viuendo displicemus. Et inter homines sunt sancti viri, quibus placeat vita nostra: sunt nequissimi homines, qui irrident bonã vitam nostram. Et hæc & hæc arma sunt, illa dextra illa sinistra, vtraq; tamen arma sunt. In his vtrisq; armis confligo cum diabolo, vtrisq; cum ferio: prosperis, si non corrumpor, aduersis, si nõ frangor.* 4. Reg. 2. Id. in Psal. 38. & 39. 1. Cor. 4. 9.

Addo QVARTVM & postremũ spectaculum Tertulliani in hunc modũ scribentis de nouissimo Iudicii extremi spectaculo. *Supersunt alia spectacula, ille vltimus & perpetuus iudicij dies, ille nationib. insperatus, ille derisus, cũ tanta seculi vetustas, & tot eius natiuitates vno igni hauriẽtur. Quæ tũc spectaculi latitudo? qd admirer, qd rideam? vbi gaudeam, vbi exultẽ tot ac tãtos Reges, q in cœlũ recepti nunciabãtur, cũ ipso Ioue, & ipsis suis testib. in imis tenebris congemiscẽtes? itẽ Præsides, q persecutores Dominici nominis, sæuioribẽ ipsi flãmis sæuierũt, insultantib. cõtra Christianis, liquescentes? quos pterea sapientes* IV Tert. de spect.

illos Philosophos coram discipulis suis una conflagrantib. erubescentes, quibus nihil ad Deum pertinere suadebant, quibus animas, aut nullas aut non in pristina corpora reuituras affirmabant, etiam Pœtas, non ad Rhadamanti, nec ad Minois, sed ad improuisum Christi tribunal palpitantes? Tunc magis tragœdi audiendi, magis scilicet vocales in sua propria calamitate. Tunc histriones cognoscendi solutiores multo pedibus; tunc spectandus auriga in flammea rota totus rubens: xystici contemplandi, non in gymnasiis, sed in igne iaculati, nisi quod nec tunc quidem illos velim visos, vt qui malim alterius potius conspectu insatiabilem conferre, qui in Dominum desæuierunt. Hic est ille (dicam) fabri, aut quæstuarij filius, Sabbathi destructor, Samarites, & Dæmonium habens. Hic est, quam à Iuda redemistis, hic ille arundine & colaphis diuerberatus, sputamentis dedecoratus, felle & aceto potatus. Hic est, quem clam discentes subripuerunt, ne surrexisse dicatur, vel hortulanus detraxit, ne lactucæ suæ frequentia commentum læderentur. Vt talia spectes, vt talibus exultes, quis tibi Prætor, aut Consul, aut Quæstor, aut sacerdos de sua liberalitate præstabit? & tamen hæc iam quodammodo habemus per fidem Spiritu imaginante repræsentata. Cæterum qualia illa sunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt? Credo, circo & vtraque uea, & omni stadio gratiora.

Ironiæ venustæ

VIDE V. *Blasphemia. Choreæ. Colloquia otiosa. Curiositas. Exemplum malum. Immodestia. Linguæ abusus. Luxuria. Lusus aleæ. Otium. Societas praua. Voluptas carnalis.*

SVPERBIA

Remedia contra Superbiam.

I REMED. Considera quid tradat diuina scriptura de superbia. Tradit autem primò eam esse Deo exosam, & omnium peccatorum originem. Vt in prouerbiis Salomonis. *Sex*, inquit, *sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius. Oculos sublimes, linguam mendacem, &c.* Et. *Arrogantiam & superbiam ego detestor.* Et. *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Et in Ecclesiastico. *Odibilis coram Deo est, & hominibus superbia.* Et. *Initium omnis peccati est superbia.* Et apud B. Iacobum & Petrum. *Deus superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiã.* 2. tradit eam grauiter puniri à Deo. B. Iob dictum est. *Omnem arrogantem humilia.* Ecclesiastici verò. *Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus. Quid ergò superbis terra & cinis?* Et Isaiæ. *Dies Domini super omnem superbum, & excelsum, & arrogantem, & humiliabitur.* Et Sophoniæ. *Visitabo super omnem qui arrogãter ingreditur.* Et Christi apud Matthæum. *Qui se exaltauerit, humiliabitur.* 3. dehortatur à superbia, & prouocat ad sectandam humilitatem. Vt apud Tobiam. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perdi-*

Prou. 6. 16.
Prou. 8. 13.
Prou. 16. 5.
Eccli. 10. 7.
Iac. 4. 6.
1 Pet. 5. 5.
Iob. 40. 6.
Eccli. 10. 18.
Isa. 2. 12.
Soph. 1. 9.
Matth. 23. 12.
Tob. 4. 14.

tio. Et in Ecclesiastico. *Quanto magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Et apud Matthæum. *Discite à me,* ait Christus ipse, *quia mitis sum & humilis corde.* Eccli.3.20. Matth.11.29

II. REMED. Considera quid S. Patres de ea scribant. B. CYP. ad Cornelium. *Ille qui præsumit & contumax est, vir sui iactans, nihil omnino proficiet, qui dilatauit tanquam inferus animam suam, &c. Exaltatio & inflatio, & arrogans ac superba iactatio non de Christi magisterio, qui humilitatem docet, sed de Antichristi spiritu nascitur, cui exprobrat per prophetam Dominus. Tu autē dixisti in animo tuo. in cœlum ascendam, super stellas Dei ponam sedem meam, &c.* Basilius in admonitione ad filium spiritualem, *Vir humilis. Deo est similis: superbus autem cum sit Deo odibilis, diabolo similis est. Humilis licet in habitu videatur vilissimus, gloriosus est in virtutibus. Superbus autem, & si decorus videatur aspectu, tamen in vtilem eum manifestant opera ipsius, & per incessum & motus dignoscuntur eius superbia, & ex verbis publicatur eius leuitas. Cupit semper laudari ab hominibus, & virtutibus, à quibus est alienus, se prædicari gestit. Non se patitur cui quam esse subiectum, sed semper primatum cupit, & ad maiorem gradum emergere: & quod ex meritis non potest, ambiendo festinat obtinere. Ambulat semper tumens, vt vter vacuus, & vt nauis gubernatore destituta à fluctibus iactatur huc illuc.* Chry. in Mætthæū *Nihil certe arro* Cyp.lib.1.ep.3. Isai.14.13. Basil. Chry.hom.59.

gātia atque superbia peius, quæ mentis quoque vires natura hominibus concessas ita deiiciat, vt amentes ex prudentia, ac animo stolidos efficere videatur. Nam si quis cum statura cubitum non superet, tnstar montium, imò altiorem se putet, ac ideò se quasi montes excessurus erigat, nullum aliud argumentum suæ insaniæ quæremus. Sic cum inflatum videris hominem, qui meliorem se ceteris arbitretur, contemnique opinetur, si ceteris hominibus conferatur, nullum iam aliud signum vecordiæ hominis exquiras Tanto quippe ridiculosior his est, qui natura insaniunt, quanto ipse sponte hunc sibi morbum iniecit: nec hac re solum miser, verum etiam quia in miseriæ fundum se detrusit, vt nihil sentiat. Quando enim is, peccata sua, vt portet, cognoscet? Quando nimium se deliquere sentiet? Certe quasi vile mancipium, & miserum, captiuum diabolus eum abduxit, agitatque verberibus & mille contumeliis, quocunque velit. Ambrosius in sermonibus. *Ad imperiū cœlorū non peruenitur superbia, diuitiis, præfectura? sed humilitate pauperie, lenitate. Arcta enim & angustia via est, quæ ducit ad regnum. Quisquis ergo honorib. inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus, tanquam onustum & impeditum animal per angustum regni iter transire non poterit. Simul etiam vt se existimant peruenisse, sarcinam eius exigua porta non capiens, repercussa limine retrorsum redire cogit. Tam enim est angusta diuiti porta cœlestis, quam est camelo actus foramen exiguum.* Et in psalmum 118. *Scriptura dicit, Dominus superbis resistit. Tanquam suæ contumeliæ propulsator veluti quoddam suscepit aduersus superbiam speciale certamen: tanquam dicat. Meus iste aduersarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio.* Hier ad Antonium. *Scriptura ait. Superbis Deus resistit, humilibus dat gratiam. Vide frater, quale malum sit quod aduersarium habet* Amb.serm.10. Matth.7.14. Id serm.7. Iac.4.6. Hier.ep.45.

Luc.18.14. Id.manf.41. *Deum. Ob quod in Euangelio & Phariſæus arrogans ſpernitur, & humilis publicanus auditur.* Et ad Fabiolam de 40. manſionibus. *Nihil, vt crebro diximus tam periculoſum eſt, quàm gloriæ cupiditas, & iactantia, & animus conſcientia vitiorum tumens.*

Aug.c 13. AVG. libro 14. de ciuitate Dei. *Initiũ omnis peccati ſuperbia. Quid eſt autem ſuperbia, niſi peruerſæ celſitudinis appetitus? Peruerſa.n. celſitudo eſt, deſerto eo, cui debet animus inhærere principio, ſibi quodammodo fieri atque eſſe principium. Fit hoc, cum ſibi nimis placet. Sibi verò ita placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod*

2.Pet.2.10. *magis placere debuit, quam ipſe ſibi.* Et paulo poſt. *Vnde ſuperbi ſecundum ſcripturas ſanctas alio nomine appellantur, ſibi placentes.* Et rurſum. *Ideo audeo dicere, ſuperbis eſſe vtile, cadere in aliquod apertum, manifeſtumque peccatum, vnde ſibi diſplicant, qui iam ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando fleuit, quam ſibi placuit, quando præſumpſit. Hoc dicit & ſacer pſalmus. Implebis eos rum ignominia & quærent nomen tuum Domine.* GREG. lib 31 Moralium. *Radix cunctι mali ſuperbia eſt, de qua ſcriptura atteſtante dicitur. Initium omnis peccati eſt ſuperbia. Primæ autem eius ſoboles, ſeptem nimirum principalia vitia de hac velut radice proferuntur: ſcilicet inanis gloria, inuidia, ira, triſtitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria. Sed habent contra nos hæc ſingula exercitum ſuum. Nam de inani gloria inobedientia, iactantia, hypocriſis, contentiones, pertinaciæ, diſcordiæ, & nouitates*

Prosp lib. 3. c.2. *præſumptiones oriuntur.* B. Proſper de vita contemplatiua. *Initium, inquit ſcriptura, non alicuius, ſed omnis peccati ſuperbia, vt euidenter oſtenderet, quod ipſa ſit peccatorum omnium cauſa: quoniam non ſolum peccatum eſt ipſa ſedetiam nullum peccatum fieri potuit, p oteſt, aut poterit ſine ipſa: ſiquidem nihil aliud omne peccatum niſi Dei contemptus eſt, quo eius præcepta calcantur.*

Amb.lib. 10. ep. 84. III. REMED. Conſidera ſuperbiam inter peccata eſſe & primum & omnium grauiſſimum ſecundum doctrinam priſcorum Patrum. AMBR. ad Demetriadem *Inter omnes lapſus hominum, inter omnia commiſſa peccatorum nulla eſt grauior, quam ſuperborum ruina, maxime cum ipſa elatio in Dei tendit iniuriam.*

Id. ſerm.7. Et in pſalmum 118. *Maximum peccatum in homine ſuperbia eſt, quandoquidem inde manauit noſtri origo delicti. Hoc telo nos primum diabolus vulneranit & peremit. Nam niſi ſerpentis perſuaſione deceptus, ſicut Deus eſſe voluiſſet, &c. nunquam feralis culpæ ad nos tranſiſſet hæreditas. Quid igitur hoc peccato poteſt eſſe deterius, quod à Dei cæpit iniuria?*

Chry.hom.39. CHRY. ad populum Antiochenum. *Magnum eſt elationis malum, ſtultum eſſe melius eſt, quàm inſolentem. Illic enim ſtultitia tantum eſt, mentisque tarditas: hic autem ſtultitia peior eſt, & fatuitas cum furore. Stultus ſibimetipſi malum eſt: elatus & aliis peſtis. Ex amentia hoc vitium naſcitur. Non poteſt eſſe ſuperbus, qui fatuus nõ ſit Stultitia verò plenus eſt ſuperbus.*

Aug.lib.2.c.8. AVG. contra Academicos. *Superbiæ vitio nihil immanius.* Et libro quarto de Trinitate. *Nullum vitium eſt, cui magis diuina lege reſiſtitur, & in quod magis acciptat denandi ius ille ſuperbiſſimus Spiritus,* Et doctrina Chriſtiana. *Nulla fere eſt pagina ſanctorum librorum, in qua non ſonet, quod Deus ſuperbis reſiſtit.* Et in pſalmum

mum 58. *Omnia vitia in malefactis timenda sunt, superbia in benefactis plus metuenda est.* Et in 93. cum dixisset Pharisæum superbum fuisse in bonis factis, publicanum verò humilem in malis factis. *Videte*, inquit, *fratres: magis placuit Deo humilitas in malis factis, quam superbia in bonis factis. Sic odit* DEVS *superbos: & ideo sic concluſit. Amen dico vobis, descendit iustificatus publicanus magis, quam pharisæus.* CASSIANVS libro 12. Institutionum. *Tantum est malum superbiæ, vt non angelum, non alias virtutes contrarias, sed ipsum Deum aduersarium habere mereatur.* GREGORIVS 14. Moralium. *Quia redemptor noster corda regit humilium, & Leuiathan Rex dicitur superborum, aperte cognoscimus, quod euidentissimum reproborum signum superbia est, at cõtra humilitas electorum.* Quod autem hac consideratione mederi possis superbiæ morbo, inde liquet, quod S. BASILIVS quæstione posita, quomodo sanari possit superbus respondet. *Si fidem habeat sententiæ illius, qui dixit. Dominus superbis resistit* Luc. 18. 14. Cass. c. 7. Greg. c. 23. Bas. reg. breu. q. 35. Iac. 4. 6.

IV. REMED. Considera, quàm grauiter à Deo punita sit superbia. Primo in Lucifero, eiusque fœderatis sociis. de quo apud Isaiam. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo sõlium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis: ascendam super altitudinem nubium: similis ero altissimo. Verum tamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Quo exemplo morbum superbiæ sanauit in Apostolorum cordibus Christus. Cum enim illi apud Lucam animo elati gauderent, *quod spiritus mali eis subiicerentur*, ilico respondit. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem. in hoc nolite gaudere, quia spiritus subiiciuntur vobis.* 2. exstructoribus turris Babel Gen. 11. 3. in Core, Dathan, Abiron. Num. 16. 4. in rege Saul. 1. Reg. 15. 5. in Senacherib. Isa. 37. 6. in Nabuchodonozore. Danielis quarto. 7. in Holopherne Iudith. 6. 8. in Aman, Esther quarto. 9. in Antiocho. 5. Machab. 9. 10. in Herode. Actorum 12. His addi potest apostata Christianorum Iulianus, qui cum lethali vulnere, incerto auctore telo diuinitus directo percussus in Perside ad fluminis ripam iaceret, tametsi ob spretam Christi religionem mori se confiteretur, & à Nazareno victum agnosceret, consilio tamen cum Sacerdotibus sacrilegis inito se clam in fluuium præcipitare voluit, vt diuinitus raptus videretur. Verum cum suo duce satana in tartara præceps actus est, atque impletum psalmi vaticinium. *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper.* Isa. 14. 13. Luc. 10. 18. Niceph. lib. 10. cap. 37. Psal. 73. 23.

IV. REM. Considera deterrimos superbiæ effectus & mores. CHRYSOST. ad pop. Antioch. *Nullum malum par elationi. Hominem reddit dæmonem, blasphemũ, contumelioſum periurum, cupidũ cædium & homicidiorũ. Elatus semper in doloribus viuit. semp indignatur, semper mœret, nihil est q. eius possit explere libidinẽ. Sicut. n. auari, quanto plura acceperint, tanto plurib. egent: sic superbi, quanto maiori funguntur honore, tanto plus cõcupiscunt.* AMB. lib. de Noe & arca. *Superbia se extollit in hac terrena* Chry. hom. 42. Amb. c. 16.

terrena fragilique substantia, & immemor diuinorum humana despiciens ipsum arrogantis viri habitum incessumq; deformat; quales describit Isaias Iudeæ filias oculorum micantes nutibus, & alta se ceruice iactantes. Sunt enim huiusmodi erigentes supercilia, inflato corde, elato pectore, ceruice resupina: qui solum quidem vestigiis pedum perstringat, toto autem se librent corpore, & inani suspendant examine: in prora gressu procedant, ad posteriora verticem reclinantes: cœlum spectent, terram autem fastidiant, tanquam ceruicis dolore suffixi, vte reclinare eã non possint. Isa.3.16.

Greg in Moralibus. lib.14.c.18. Gregorius. lia vitia. eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur. Superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam vnius virtutis extinctione contenta cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus totum omne corrumpit, &c. Quisquis eius tyrannidem in se captiua mente susceperit, hoc primum damnum patitur, & clauso cordis oculo iudicij æquitatem perdit. Nam cuncta ab aliis bene geruntur displicent, & sola ei quam ipse vel prauè egerit placent. Semper alterna opera despicit, semper miratur, q̃ ipse facit.

Cap.20. Et inferius. Cunctis superbis aliud cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imaginatione, erectio in incessu, rãcor in respõsione. Horũ mens sẽper est ad arrogãdas cõtumelias valida, ad vincendas infirma ad obediendum pigra, ad lacessendos verò alios importuna.

Cass. libro 11. institutionum monasticarum, de moribus monachi superbi sic loquitur.

Cass.c.17. Quisquis superbiæ morbo fuerit occupatus, non solũ nullã subiectionis aut obedientiæ regulam custodire dignatur, verum ne ipsam auribus quidem suis doctrinam perfectionis admittit: tantumque cõcrescit in corde eius spiritualis verbi fastidium, vt cum forte talis fuerit oborta collatio, vno in loco stare nesciat, eius obtutus, sed huc illucque circumferatur intuitus. Et infra. Dum pro conscientia sua totum contra se suspicatur esse prolatum, vehementiori cordis obstinatione obduratur: iræ quoque stimulis acrius instigatur: deinde post hæc excelsa vox, sermo rigidus, amara & turbulenta responsio, incessus erectus ac mobilis, lingua facilis, procax loquela, nec vnquam taciturnitati amica, &c.

V. Remed. Consideratio vitæ Christi vel maximè passionis.

Basilius hom.21. Basilius. sam namque Domini dispensionem inquit, Basilius in humilia de humiliate, ad humilitatem nos instruere deprehendimus. Cum infans esset mox in spelunca, nec lecto, sed præsepi imponitur. Deinde in Domicilio fabri & matris pauperculæ enutritur, subditus matri & illius sponso. Docetur audiens, quorum non egebat: interrogans verò, & interrogando admirabilem declarabat sapientiam. Subditur Ioanni, & baptismum suscipit à seruo Dominus. Nemini aduersariorum restitit, neque inenarrabilem suam potestatem in quenquam vibrat, sed quasi potentioribus cedit, & potestati temporariæ potentiam, quam illa habebat permisit. Principibus Sacerdotum in forma sistitur, ad præsidem ducitur, & iudicium illius sustinet. Et cum posset calumniatores suos arguere, silentio tolerat illorum calumnias. Conspuitur à seruis ac vilissimis pueris. Morti traditur, eique hominum iudicio turpissimæ. Ita hominem omnia ab ipsa tenuitas

tiuitate ad mortem vsque exercuerunt. Aug. lib. 8. de Trinitate. *Hoc nobis prodest credere, & firmum atque inconcussum retinere, scilicet humilitatem, qua Christus natus est Deus ex fœmina, & à mortalibus per tantas contumelias perductus ad mortem, summum esse medicamentum, quo superbiæ nostræ sanaretur tumor, & altum sacramentum, quo peccati vinculum solueretur,* GREG. lib. 34. moralium, & ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum. *Contra huius languoris (superbiæ) pestem audiamus cuncti, quod magistra veritas docet, dicens. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Ad hoc namque vnigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc inuisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria irrisionum opprobria, passionumq; tormenta tolerauit, vt superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, vsque ad passionem factus est paruus?*

Aug. c 5.

Greg. c. 21. & lib. 4. ep. 83. Matth. 11. 29.

VI. REMED. Considera vanitatem opum, honorum, donorumque corporis & animi, quæ solent præbere occasionem superbiæ. CHRY. ad populum Antiochenum disputans, qua ratione mederi possimus morbo superbiæ. *Cogita,* inquit, *gehennam, cogita multo meliores te, cogita præsentia, ipsam humanam naturam, quàm nihil sit homo. Cum videris in foro mortuum efferri orphanos sequentes filios, vxorem viduam plangentem, plorantes seruos, amicos mœrentes. præsentium rerum vanitatem cogita, & quod ab vmbra, somnisque nihil differunt. Sed non vis hoc? cogita prædiuites in bellis temerè pereuntes, magnatum & illustrium domos considera, nunc solo prostratas: considera quantum potuerint, & nunc ne eorum quidem memoria remanet. Per singulos enim dies, si velis, horum exempla reperies, magistratuum successiones, proscriptiones diuitum. Multi tyranni confederunt humi. non existimatus autem gestauit diadema. Hæc nonne quotidie fiunt? Nonne nostra rotæ cuidam similia sunt? &c. Exempla si velis vbique reperies. Si verò nihil horum velis. pensa naturam nostram, ex quibus constat, & quo desinit. Cogita cum dormis, quo sis dignus: nonne vel minima bestia te posset interimere?* Et rursum alibi ad eundem. *Fortis es, & altum sapis, nonne propterea magis humiliari debes? Quare sapis altum in re vilissima? Nam & leo te est audacior, & aper fortior, nec es ad eos culex. At & latrones & fures, & gladiatores, & serui tui fortiores sunt: hoc igitur laude dignum? Sed pulcher es & speciosus. Cornicum ostentatio, non es pauone pulchrior, neque propter florem, neque propter alas. Verum & cygnus valde pulcher est, & aliæ aues multæ, quibus si fueris comparatus, aspicies te q. nihil. Frequenter autem & viles pueri, & innuptæ virgines, & meritoriæ mulieres, & molles viri gloriam hanc habuerunt. At es locuples, vnde? quid possidens? Aurum argentum, lapides pretiosos. hæc est, & latronum, & metalla seruantium gloria. Sed ornaris & comeris. Verum & equos comptos videre licet, apud Persas quoque cameles, hominum verò scenicos omnes. Non confunderis in his alta sapiens, in quibus bruta tecum sociantur, & serui, & homicidæ, & molles, & latrones & fures? Sed propter vocem altum sapis, Cygno, Insciniaue nun-*

Chry. hom. 43.

Id. hom. 39.

quem tu suauius canere poteris. At in artis varietate. Et quid ape in hoc sapientius? Quis phrygio, quis pictor, quis geometres huius opera poterit imitari? Sed in velo subtilitate. Verum hac arancæ tibi præstant. At in pedum velocitate, rursum prima ferunt bruta, lepus & caprea. Sed acutè cernis, tamen non sicut dorcas, nec vt aquila. At auditum habes acutum. sed asinus acutiorem. At olfactum. Verum canis te præcedere non sinit &c. Vides quantum nobis rerum examinatio conferat. Omnibus brutis altiora sapiens etiam brutis vilior inuentus est. Et multo post. *Vnde igitur, homo dignus es brutis imperare? Ex ratione. Sed non inest superbo: cum enim tamen vti debet vtatur etiam illis petor est.* AVG. in sententus à B. Prospero collectis. *Diuitiis flores & maiorum nobilitate te iactas, & exultas & patria & pulchritudine corporis, & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur? respice teipsum, quia mortalis es, & quia terra es & in terram ibis. Circumspice eos, qui ante te similibus splendoribus fulsere. Vbi sunt, quos ambiebant ciuium potentatus? Vbi insuperabiles imperatores? Vbi, qui conuentus disponebant & festa? Vbi equorum splendidi incessus? exercituum duces? satrapæ, tyranni? Non omnia puluis? non omnia fauilla? non in paucis ossibus eorum vitæ memoria est. Respice sepulchra, & vide quis seruus, quis Dominus, quis pauper quis diues? Discerne, si potes vinctum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Memor itaque naturæ, non extollaris aliquando. Memor autem eris, si teipsum respexeris.* BERNARDVS in Cantica. *Qui se inquit Apostolus putat aliquid scire, nondum scit, quomodo oporteat eum scire. Vides quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit? Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum vt sciant, & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Qui profecto non euadent subsannantem Satyricum, et qui huiusmodi est decantantem. Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Et sunt item, qui scire volunt vt scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus: & turpis quæstus est. Sed sunt quoque, qui scire volunt vt ædificent, & caritas est. Et item, qui scire volunt, vt ædificentur, & prudentia est. Horum omnium soli vltimi duo non inueniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, vt benefaciant. Denique intellectus bonus omnibus facientibus eum, reliqui omnes audiant. Scienti bonum, & non facienti, peccatum est ei.*

Aug. sent 388.

Bern. serm 36. in Cant.

1. Cor. 8. 2.

Persius Sat. 1.

Psal. 110. 10. Iac. 4. 17.

VII. REMEDIVM. Considera præstantiam virtutis humilitatis, quæ diametro pugnat cum superbia, & est antidotum efficacissimum ad sanandum morbum superbiæ, si mente non solum pura, sed verbo quoque & factis præstetur. HIER. ad Celantiam. *Nihil habeas humilitate præstantius, nihil amabilius. Hæc est enim præcipua conseruatrix, & quasi custos quædam virtutum omnium: nihilque est, quod nos ita, & hominibus gratos & Deo faciat, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus. Propter quod scriptura dicit: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Et Dominus loquitur per prophetam. Super quem alium requiescam, nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea? Verumtamen humilitatem sequere, non quæ ostenditur &*

Hier. ep. 14.

Eccli. 3, 20.

Isa. 66. 2.

simu-

simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro affectu cordis exprimitur. Multo deformior est illa superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim quomodo turpiora sunt vitia, quæ virtutum specie cælantur. Aug. ep. 56.

AVGVSTINVS ad Dioscorum. *Nisi humilitas omnia, quæcunque bene facimus & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita, cui adhæreamus, & imposita qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia: vitia quippe cetera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Itaque sicut Rhetor ille nobilissimus, cum* Demosthenes. *interrogatus esset, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis obseruari oportere, pronunciationem dicitur respondisse: cum quæreretur quid secundo, eandem pronunciationem: quid tertio, nihil aliud, quam pronunciationem dixisse sic si interrogares, & quotiens interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil me aliud respondere nisi humilitatem liberet.* Quomodo autem practicè & in particulari Bas. hom. 22. de humilit. factis ipsis humilitas illa declaranda sit, accuratè docet B. BAS. *Omnino verè memor esto paræmiæ. Superbis inquit, resistit Deus, humilibus verò dat gratiam. In promptu habe dictum illud Domini. Quisquis seipsum humiliauerit, exaltabitur, & qui seipsum exaltauerit, humiliabitur, &c. Si quando te præsens benefactum non nihil elatum reddit ad memoriam reuoces, quid olim male feceris, & cessabit insensata illa animi inflatio. Et si quem quam in præsentiarum delinquere videris, ne hoc solum in illo spectes sed cogita simul, quæ rectè vel feceris olim vel nunc quoque facias, & deprehendes sæpe numero talem si singula, inquisieris, nec particulas quasdam tantum scrutatus fueris, te esse meliorem. Neque Deus enim hominem particulariter examinat. Nam ego inquit, & opera, & cogitationes ipsorum coniunctim producturus venio. Et cum Iosaphat regem aliquando propter peccatum recens commissum reprehenderet, simul & rectè factorum mentionem fecit, dicens. Veruntamen & actus quidam boni inuenti sunt in te.* Et infra. *Quonam igitur pacto ad salutarem hanc animi humilitatem perniciosa superbiæ elatione relicta descendimus? Si perpetuo studium modestiæ exerceamus, &c. Vide ne in sermone arrogantiam vsurpes sophisticam, neque dictionem ostentes superbam: sed in omnib. splendori, ac magnificentiæ detrahas, comis erga amicum, mansuetus erga domesticum, patiens erga temerarios, humanus erga humiles patronus afflictis, immisens in dolore constitutos: in summa, neminem contemnens. Suauis in appellatione, alacer in responsione, dexter & expolitus vniuersis, neq; tua ipsius celebrans encomia, neq; alios qui hoc faciant subornans, ne; inhonestam de proximo famam admittens, & virtutes tuas ac prærogatiuas, quantum fieri potest, obtegens, peccatorum verò gratia teipsum accusans, nec expectans vt ab aliis reprehendare: vt idem facias, quod iustus, qui in principio sermonis seipsum accusat; & sis qualis erat Iob, quē non puduit vrbis tumultuationem* Bas. hom. 22. de humilit. Iac. 4. 6. Matth. 23. 12. 2. Paral. 19. 3. Prou. 18. 17. *propriam contra se deprecari ruinam. Ne sis increpando molestus ac seuerus neque statim, aut cum animi commotione quenquam reprehendas (resipit enim hoc contumaciam quandam). Neque propter modica delicta condemnes aliquem, quasi rigidus iuris*

exactor, sed eos, qui deliquerunt, complectare, & spiritualiter instruat, quemadmodum
Gal 6 1. admonet Apostolus, considerans teipsum, ne & tu tenteris, & tantum studij in proximo,
ne apud homines gloriosus habeare, quantum impendunt alij, vt glorificentur si quidem
Matth. 6. 2. Christi memor fueris. Qui mercedem apud Deum amittit, dicit, si sponte apud homines
cupias illustris haberi & bonum ad hoc facias, vt conspicuus sis hominibus. Absque
1. Pet 5. 3. runt enim, inquit, mercedem suam. At prælatus es altis & comitantur te homines, et
Matth. 20. 27. glorificant? Par esto subiectis, non tanquam Dominans in cleris, vt Apostolus inquit,
Bern. ep. 87. neque secularibus Principibus te conformes. Qui namque primus esse cupit, omnium
hominum seruum esse iubet Christus. BERN. ad Ogerium canonicum regularem. Humilitas, ad quam vtique ducit humiliatio, totius est spiritualis fabricæ fundamentum. Siquidem humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis.
2. Cor. 12. 6. Nam si non pateris humiliari, non poteris ad humilitatem prouehi. Terret me Apostolus, qui & ipse territus dicit. Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Quam pulchre dixit. Parco. Non parcit sibi arrogans, non parcit sibi superbus non cupidus vanæ gloriæ, & iactator actuum suorum, qui vel sibi arrogat, quod est, vel mentitur de se, quod non est. Solus qui verè humilis est, parcit animæ suæ: qui, ne putetur, quod non est, semper quantum in se est vult nescire quid est. Grande reuera periculum, audire quenquam de se supra quam sentit in se. Quis dabit mihi apud homines tantum de veris dignè humiliari, quantum vel de falsis datum est indignè exaltari? Illam mihi vocem Propheticam iure assumerem. Exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus. Et illud. Iudam, & vilior fiam. Iudam scilicet vt
Psal. 87. 16. 2. Reg. 6. 22. illudar. Bonus ludus, quo Michol irascitur, & DEVS delectatur. bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet. Bonus inquam ludus, quo efficimur opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Nam reuera quid aliud secularibus, quam ludere videmur, cum quod ipsi appetunt in hoc seculo, nos per contrarium fugimus; & quod ipsi fugiunt, nos appetimus? More scilicet ioculatorum & saltatorum, qui capite misso deorsum, pedibusque
1. Cor. 4. 9. sursum erectis præter humanum vsum, stant manibus, vel incedunt, & sic in se omnium oculos defigunt. Non est hic ludus puerilis, non est de theatro, quæ fœminis fœdisque actibus prouocet libidinem, actus sordidos repræsentet: sed est ludus iucundus, honestus, grauis, spectabilis, qui cœlestium spectatorum delectare possit aspectus. Hoc casto & religioso ludo ludebat, qui dicebat. Spectaculum facti sumus Angelis & hominibus.

Greg. c. 28. VIII. REMEDIVM. Simulatq; aduerteris obortam aliquam in animo tuo superbiam, falce humilitatis præscinde. Est B. GREG. in lib. 24. Moralium. *Vitium superbiæ*, inquit, *ab ipsa mox radice secandum est: vt cum latenter oritur, tunc vigilanter abscindatur, ne prouectu vigeat, ne vsu roboretur. Difficile enim in se quisq; inueteratam superbiam deprehendit: quia nimirum hoc vitium, quanto magis patimur, tanto minus videmus. Sic quippe in mente superbia, sicut in oculis caligo generatur. Quo se hæc latius dilatat, eo vehementius lumen angustat. Pau-*

lisper

lisper ergo elatio in præcordijs crescit, & cum se vastius extenderit oppressæ mentis oculum funditus claudit, vt captiuus animus typum elationis & pati possit, & tamen id quod patitur videre non possit.

VIDE V. *Ambitio. Amor sui. Curiositas. Gloria vana. Immodestia. Inobedientia. Ira. Iudicium proprium Iudicium temerarium. Obstinatio Præsumptio. Vestium luxus. Vindicatio iniuriæ. Voluntas propria.*

SVPERSTITIO.

Remedia aduersus Superstitiones.

I REM. Considera quid Spiritus S. in S. litteris commonefecerit de superstitionibus. Primum vetat omnes superstitiones diabolicas. Nam in Leuitico Dei mandatum est. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid scisscitemini, vt polluamini per eos. ego Dominus Deus vester.* Et in Deuteronomio *Non inueniatur in te, qui ariolos scisscitetur, & obseruet somnia atque auguria, nec sit maleficus, neque incantator, nec qui Pythones consulat, nec diuinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus.* Et apud Ieremiam Prophetam. *Hæc dicit Dominus. Iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt.* Et apud Apostolum. *Nolo vos socios fieri dæmoniorum. non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Et. *Nolite locum dare diabolo.* 2. declarat superstitionibus dictis grauiter offendi DEVM, nam in Exodo, *Maleficos*, inquit, *non patieris viuere.* Et in Leuitico. *Anima, quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui.* Et. *Vir, siue mulier, in quibus Pythonicus, vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur: lapidibus obruent eos: sanguis eorũ sit super illos.* Et apud Isa. *Ego sum Dominus, irrita faciens signa diuinorum, & ariolos in furorem vertens, conuertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens.* Et apud Michæam. *Auferam maleficia de manu tua, & diuinationes non erunt in te, &c. Et faciam in furore, & in indignatione vltionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.* Apostolus quoq; in Epistola ad Galatas *veneficia* numerat inter *manifesta opera carnis* à regno cœlorum excludentia. Et in Ioannis Apocalypsi *venefeis, idololatris, & omnibus mendacibus*, dicitur, pars futura *in stagno ardenti igne & sulphure.*

Leu. 19. 31. Deu. 18. 10. Ier. 10. 2. 2. Cor. 10. 20. Eph. 4. 27. Exo. 22. 18. Leu. 20. 6. & 27. Isa. 44. 25. Mich. 5. 11. Gal. 5. 20. Apoc. 21. 8.

II. REMED. Considera quid SS. Patres de superstitionibus censuerint. S. BASILIVS in verba Isaiæ. Quia repleta est, vt ab initio, terra eorum auguriis. *Videsne, quantum mali importet auguratio Qui huic incumbit, studium q; adhibet Dei prouidentia ac solicitudine destituitur. Pleriq; autem Christianorum susque deque habent talibus commentis aures accomodare, & illinc aucupari famam,*

Bas. in c. 2. Isa.

nec pudet isti ominosæ superstitioni ac signis attentos esse. Et paulo post. *Sed enim audi tu, quia abiectus est populus, talia futiliter & curiosè operatus. Olim figuris*

Deu. 18. 10. *Mosaica lege, istiusmodi auguria, diuinationes, ominationes atque auspicia infamia notabantur tanquam inuenta dæmonum. Ait enim scriptura. Non harioluabimini, neq; captabitis auguria; hæc enim gentes faciunt. A morum probitate est alienum prosus, eum qui penes se habet consultationem de Dei iustificationibus, ad decernendum in rebus agendis, sibi in consiliarios adhibere brutas animantes, imò his vti vt doctoribus & legum latoribus. Quando ipsa auis periculum sibi ob oculos impendens non mo-*

Id. hom. 6. *quanam ratione hæc tibi quod futurum est, prædicet?* Et in Hexæmeron, agens de vanitate Genethliacorum. *Deridendi profecto*, inquit, *non mediocriter esse videntur. tam ij qui studio huius artis indulserunt, quam in ratione dierum nusquam ese constat, quam ij, qui hiantes ab illorum ore pendent intenti, perinde quasi omnia illis scire possint, quæ ipsis sunt euentura. At qui tandem illi effectus sunt, qualemi genitalis istius prædictionis? Ille talis, inquiunt, crispanti decorabitur capillitio, eritq; aspectu mirè gratiosus: est enim in lucem editus arietis tempore, Tale autem ipsum animal aspectu quodammodo esse videtur. At erit & animo grandi, atq; elato, qui pecus & aries dux sit gregis.* Et infra. *Istis quid inptius, aut deridiculum magis?* S. Greg. Nazianz. orat. 40. in S. Baptisma. *Nihil tibi amuletis, nec incantamentis opus est, cum quibus prauus ille in leuiorum hominum animos simul irrepit, venerationem Dei*

Hier. in c. 2. *debitam furtim ad se tranferens. Trinitatem ipsi da. magnum inquam illud & pulchrum amuletum.* S. Hier. in Danielem. *Videntur mihi incantatores esse, qui verbis rem peragunt. Malefici, qui sanguine vtuntur, & victimis, & sæpe contingunt cupora mortuorum. Porrò in Chaldeis γενεθλιαλόγους significari puto, quos vulgus Mathematicos vocat. Consuetudo autem & sermo communis magos pro maleficis accipit, qui aliter habentur apud gentem suam, eo quod sint Philosophi Chaldæorum, & adytus huius scientiam. Reges quoque & principes eiusdem gentis omnia faciunt.* S. Ioan.

Chry. Chrysost. in Psalmum 9. exponens verba, exultabo in salutari tuo. *Hoc*, inquit, *est mihi corona, hoc diadema, propter te trophæum erigere, propter te salutem adipisci. Hoc autem dico propter eos, qui in morbis vtuntur incantationibus, & alias exquirunt impostoras & præstigias ad suam leuandam ægritudinem. Hoc enim*

Id hom. 21. *non est saluari, sed perire. Maxima enim salus est per Deum esse seruatum.* Et ad pop. Antiochenum. *Pompa satanica sunt, theatra, Circenses, & omne peccatum, dierum observatio, & præsagia, & omnia. Et quid tandem sunt omnia? Sæpe domũ quis suam egressus hominem vidit monoculum vel claudicantem, & ominatus est. Hæc est Pompa satanica: non enim hominis occursus malum facit esse diem, sed in peccatis viuere, &c. Dicamne & aliud ridiculosius? Confundor nempe & erubesco, sed cogor propter salutem vestram dicere. Si Virgini, inquit, occurreris, sterilis dies erit: si verò meretrici, ictera & bona, & multa mercatione plena. Occultamini, & frontem excutite, & ad terram inclinate, sed non nunc, dum dicuntur verba, sed cum fiunt opera.* Et paulo post. *Quid verò diceret aliquis de his, qui carminibus & ligaturis vtuntur, & de circumli-*

gatis

gambus aurea Alexandri Macedonis numismata capiti, vel pedibus? Dic mihi, hæne sunt expectationes nostræ, vt post crucem & mortem Dominicam in gentilis Regis imagine spem salutis habeamus? S. Avg. altero de doctrina Christiano libro. *Superstitiosum est, quicquid institutum est ab hominib. ad facienda & colenda idola pertinens, vel ad colendam sicut Deum creaturam, partemue vllam creaturæ, vel ad cõsultationes & pacta quædam significationũ cum dæmonib. placita atq; fœderata, qualia sunt molimina Magicarum artium quæ quidem commemorare potius, quam docere assolent Poetæ. Ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate Aruspicum & Augurũ libri. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia, quæ Medicorum quoq; disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdã notis, quas characteres vocant, siue quibusdam rebus suspendendis atque ligandis, vel etiam saltandis quodammodo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes, aut occultas aut etiam manifestas: quæ mitiore nomine Physicam vocant, vt non quasi superstitioni se implicare, sed natura prodesse videãtur: sicut sunt in aures insummo auriũ lingularum, aut de struthionum ossib. ansulæ in digitis aut cum tibi dicitur singultienti, vt dextera manu sinistrum pollicem teneas. His adiunguntur millia inanissimarũ obseruationum, si membrũ aliquod salierit, si iunctim ambulantib. amicis, lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit.* Et paulo post. *Neq; illi ab hoc genere pernitiosæ superstitionis segregandi sunt qui Genethliaci propter natalium dierũ considerationes, nunc autẽ vulgò Mathematici, vocantur. Nam & ipsi quamuis verã stellarum positionẽ, cum quisq; nascitur, consectentur, & aliquando etiam perueniant, tamen & inde conantur, vel actiones nostras, vel actionum euenta præcidere, nimis errant, & vendunt imperitis hominib. miserabilem seruitutem.* Aug. c. 20.

B. Gaudentius Episcopus Brixiensis de lectione Exodi. *Nec sufficit*, inquit ad Neophytos, *vt à mortifero dæmonum cibo vitam suã custodiat Christianus, sed vt oĩa abominamẽta Gentiliũ & omnes idololatriæ tramites, sicut quædã serpentis diaboli venena, diffugiat. Partes. n. idololatriæ sunt veneficia, incantationes, suballigaturæ, vanitates, auguria, sortes, obseruatio ominum, parentalia.* Gaud. tract. 4.

III. Remed. Considera, quam grauiter, Ecclesiasticis æque ac Cæsareis legibus, quicquid superstitionum à SS. PP. enumeratũ est, vetitum sit atque damnatum. B. Greg. III. sanctio est. *Si quis ariolos, haruspices, vel incãtatores obseruauerit, phylacteriis eorũ vsus fuerit anathema sit.* Et Synodi Anchyranæ. *Qui diuinationes expetunt, vel in domos suas hutusmodi homines introducunt ex. quirendi aliquid arte magica, aut expiandi causa, sub regula quinquennij iaceant secundũ gradus pœnitentiæ definitos.* Et Laodicenæ. *Non oportet sacris officiis deditos vel clericos magos aut incãtatores existere, aut facere phylacteria, q̃ animarũ suarũ vincula phantur: eos autẽ, qui talibus rebus vtũtur, proiici ab Ecclesia iussimus.* Et Carthaginensis. *Auguriis & incantationibus seruientẽ, similiter Iudaicis superstitionib. vel ferijs inhærentem à conuentu Ecclesiæ separandum præcipimus.* Et Arelianensis. *Si quis clericus, monachus, vel secularis diuinationes, vel auguria crediderit obseruãda, vel sortes, quas mentiuntur esse sanctorũ quibuscunq; putauerit imitandas, cũ his qui cum.*

c. Si quis. 26. q. 5. c. qui ibid.

c. non oportet. ib.

c. auguriis. ib.

c. Si quis. ib.

cum eis crediderint, Ab Ecclesiæ communione pellantur. Hactenus Ecclesiastica leges, sequntur Cæsareæ. Imperator Constantinus A. ad Maximum.

L. nullus. Cod. t. de malef.

Nullus aruspex, nullus sacerdos, nullus eorum, qui huic ritui adsolent ministrare, sublimen alterius accedat, nec ob alteram causam, sed huiusmodi hominum amicitia, quauis vetus repellatur concremando illo aruspice, qui ad domum alienam accesserit: & ille in insulam deportando est ademptionem bonorum, qui eum aduocauerit suasionibus vel præmiis IMP. Constantinus, A. & Iulianus Cæsar ad populum.

L. nemo. ibid.

Nemo aruspicem consulat, aut mathematicum (id est iudiciariæ astrologiæ studiosum,) nemo ariolum. Augurum & Vatum praua confessio conticescat. Chaldei ac Magi, & omnes, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuo diuinandi curiositas. Etenim supplicio capitis ferietur gladio vltore prostratus, quicunque iussis nostris obsequium denegauerit,

L. etsi. ib.

Denique iidem ad Taurum præfectum prætorio. *Etsi homines magi in quacunque sint parte terrarum humani generis inimici credendi sunt, quoniam tamen, qui in comitatu nostro sunt ipsam pulsant prope modum maiestatem, si quis magus, vel magicis carminibus adsuetus, qui maleficus vulgi consuetudine nuncupatur, aut aruspex aut ariolus, aut certe augur, vel Mathematicus, aut enarrandis somniis occultam aliquam artem diuinadi, aut certe aliquid simile horum exercens in comitatu meo, vel Cæsaris fuerit deprehensus præsidio dignitatis exutus, cruciatus & tormenta non fugiat. Si vero conuictus fuerit, & ad proprium facinus detegentibus repugnauerit pernegando, sit eculeo deditus vngulisque sulcantibus latera perferat pœnas propriis dignas facinor.*

IV. REMED. Considera omnium superstitionum auctorem & parentem esse Satanam, iuratum humani generis hostem. *Horum,* inquit D. CYP (auguriorum & auspiciorum) *omnium ratio est illa, quæ fallit & decipit,*

Cyp. de ido l. vanit.

& præstigiis cæcantibus veritatem stultum & prodigum vulgus inducit. Spiritus insinceri & vagi, qui postea quam terrenis vitiis immersi sunt, & à vigore cœlesti terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere & deprauati errorem prauitatis infundere. Et infra. *Hi ergo Spiritus sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt, hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, auium volatus gubernant, sortes regunt oracula efficiunt, falsa veris semper inuoluunt: nam & falluntur, & fallunt: vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occultè mentes terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt, vt ad cultum sui cogant. nec aliud illis studium est, quam à Deo homines auocare, & ad Superstitionem sui ab intellectu veræ religionis auertere; cum sint ipsi pœnales, quorum sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerint errore participes.* De iisdem agens S. BASILIVS ita scribit. *Qui angusti est & illiberalis animi, nihilque sapiens nisi sordida & abiecta, eiusmodi motiones,* auium, *brutarum animantium suo vitæ serpo dum molitur accommodare, Deo interim relicto, perfidis dæmonibus & insidiosis vltro seipsum deuouit. Qui porro imaginantur, aues hac ratione occupare aerē hac tenus*

B. in c. 2. Isa.

causa

causa & sic circumagi, errore prorsus incurabili tenentur eorum, qui mente capti sunt, & parum cordati. Haud secus paulo ante censuit. B. Avg. cum scripsit *pacta quædam significationum cum dæmonibus placida atque fœderata*, expressè scilicet vel tacite magicis superstitionibus interuenire. Vnde & in libro de vera religione his verbis nos monuit. *Non sit nobis religio cultus dæmonum, quia omnis superstitio, cum sit magna pœna hominum & periculosissima turpitudo, honor est actriumphus illorum.* Et in libro quinto de ciuitate Dei. *Non immeritò creditur, cum astrologi* (iudiciarii) *mirabiliter multa vera respondent, occulto instinctu fieri Spirituum, non bonorum, quorum cura est has falsas & noxias opiniones de astralibus fatis inserere humanis mentibus atque firmare, non horoscopi notati & inspecti aliqua arte quæ nulla est.* Ac rursus libro secundo de Genesi ad litteram. *Fatendum est quando ab istis,* Astrologis iudiciariis, *vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod cum ad decipiendos homines fit, spirituum seductorum operatio est: quibus quædam vera de temporalibus rebus nosse permititur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientia callidiore propter magnam longitudinem vitæ, partim à sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt etiam iussu eius sibi reuelantibus, qui merita humana occultissimæ iustitiæ seueritate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi Spiritus etiam quæ ipsi facturi sunt, velut diuinando prædicunt. Quapropter bono Christiano, siue Mathematici, siue quilibet impiè diuinantium, maximè dicentes vera cauendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam doceptam pacto quodam societatis irretiant.* Hæc ille. Qui ergo superstitionibus vtuntur, quid aliud agunt, quam vt consilia sequantur hostis sui capitalis dæmonis, & socii fiant, quod Apostolus vetuit, dæmoniorum?

A l. 2. de doct. Chr. c. 20. & 23.

Id. c. 5.

Id. c. 7.

Id. c. 17.

1. Cor. 10. 20.

V. Remed. Considera, in quantum periculum animam, in quantas cruces conscientiam tuam sis deturbaturus, si Deo creatore deserto per superstitiones te deuoueris diabolo. *Si,* inquit B. Chry. in oratione quadam aduersus Iudæos, *leui aliquo morbo tentato ilico resiliens à Domino ad dæmones accurras, quam tandem veniam consequeris? Quo pacto valebis illum denuo tibi propitium reddere? Quin potius nec alius quisquam pro te deprecari poterit etiamsi tantum valeat autoritate apud Deum, quantum Moses. Non est inquam quisquam qui hoc facere poterit. Non audis quid Deus loquatur ad Ieremiam de Iudæis? Ne deprecetis pro populo isto, quoniam si surrexerit Moses & Samuel, non exaudiam illos. Adeo sunt peccata omnem remissionem superantia, quæq; nullam recipiãt excusationem. Itaq; ne tantam in nos prouocemus iram, etiamsi videantur aliqui febrem incantamentis sedare, non enim vere sedant, tamen aliam in conscientiam inducunt febrem, ratione ac conscientia quotidie flagellante, & dicente. Impiè feci sti, iniquitatem perpetrasti, violasti fœdus cum Christo ictum, ob paululum bonæ valetudinis pietatẽ deseruisti. Num tu solus hæc passus es? an non alij multo quàm tu acerbiora passi sunt? At tamen nullus illorum tale quid ausus, tu mero mollis ac dissolutus animam tuam* (dæmoni) *oppi-*

Chry. orat. 5.

Ier. c. 7. & 15.

generasti. Quomodo excusaberis Christo? quomodo illum implorabis precibus? quam conscientia posthac ingredieris Ecclesiam? quibus oculis videbis sacerdotem? quam manu sacram attinges mensam? quibus auribus audies scripturas, quæ illic leguntur? Quam his stimulis quotidie ratio te punget, vrgebitque, cum conscientia flagellabit, rursumque dices. Quæ hæc est sanitas, quum intus tam multas habeam cogitationes accusatrices?

VI. REMED. Considera, quanto cum gaudio tuo, meritoque apud Deum ac bonorum etiam gratulatione fis victoriam ex hoste reportaturus, si excelso animo quamuis superstitionem respueris. Sic enim concionari pergit AVREVMOS, *Quod si perdurueris paulisper, eosque qui velit incantationem aliquam canere voluerint, vel applicationes aliquas adhibere tentent, multa etiam cum contumelia tuis ex ædibus ejeceris, protinus ab ipsa conscientiæ vigilationem acceperis. Etiamsi millies exurat febris, anima tua quouis liquore, quauis irroratione meliorem, vtilioremque mitigationem adducet. Quemadmodum enim postquam receperis incantationem, sanusque factus fueris, miserius affectus es iis, qui febre laborant, dum tecum reputas peccati magnitudinem: sic nunc quoque etiam si febrium innumeraque patiaris mala, repulsis impiis illis, quouis sano melius eris affectus animo gestiente præ gaudio conscientia, ac laudante te, probanteque ac dicente, euge euge homo Christi seruus, fidelis vir, athletha pietatis, qui malueris molestiis immori quam deserere tuam pietatem, proximo secundum Martyres loco stabis illa die. Quemadmodum enim martyres præoptarunt cædi flagris, torqueriq; vt ad honorem peruenirent: sic tu quoque hodie præoptasti flagellari, torqueriq; à febri ne abiiceres pietatem. Nam si te non auferat hæc febris, alia prorsus auferet, & si nunc non moriamur, tamen postea moriemur.* Et mox post. *Cum ejeceris incantationes multa cum contumelia ex ædibus tuis, omnes hoc audito collaudabunt, mirabuntur, & inter se dicent. Ille ægrotans plurimis hortantibus, incantantibus, consulentibus, vt magicis quibusdam incantamentis vteretur, non assensit, sed respondit, satius est hoc pacto mori, quam deserere pietatem. Ad hæc consequentur multi plausus ab his qui audierint, cunctis sit pentibus, Deumque glorificantibus. Hoc quot statuis erit tibi honorabilius? quot imaginibus magnificentius? quanto honore insignius? Omnes laudabunt, omnes tuam felicitatem prædicabunt omnes te coronadignum iudicabunt. Præterea ipsi quoque meliores fient, ac vicissim tuum exemplum æmulabuntur, imitabunturque fortitudinem, & si quis alius tale quippiam fecerit, tu mercedem feres, qui exempli fuerts auctor. Neque tantum consequentur laudes rectè factorum, verum etiam celerrima morbi leuatio, quum ipsa tua præclara voluntate conciliante tibi Deum ad maiorem beneuolentiam, tum sanctis omnibus gratulantibus tuæ promptitudini, atq; ex intimo corde pro te preces fundentibus. Quod si hic talia sunt præmia fortitudinis huius, cogita quantas illic reripies coronas, cum angelis omnibus præsentibus, omnibus archangelis, Christus adueniens prehensa manu tua in medium illud theatrum te produxerit, cunctisq; audientibus dixerit. Hic homo cum aliquando febre correptus esset, multis exhortantibus vt à morbo liberaretur propter nomen meū, ac reuerentiam quam habet erga me ne quid offen-*

Chry. ibid.

deret.

deret meam bonitatem, omnes qui pollicebantur ipsi damnatarum artium præsidio sanitatem, repulit, cumque ignominia reiecit, ac præoptauit emori potius morbo, quam meam deserere amicitiam. Hactenus ille.

VII. REMED. Contra dæmonum insidias, quotidie antequã domo egrediaris munias te horum verborum clypeo. *Abrenuncio tibi Satana, & coniungor tibi Christe.* Est eiusdem Chrysostomi in hæc verba ad populum Antiochenum declamantis. *Sicut sine calceamentis, vel vestimentis vestrum nemo in forum descendere eligeret, ita sine verbo hoc nunquã in forum prodeas, sed cum es ianuæ vestibula transgressurus hoc prius loquere verbum. Abrenuncio tibi Satana & coniungor tibi Christe. Nec vnquam absque hac voce exeas, hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo & crucem in fronte imprime: sic enim non tantũ homo occurrens, verum nec ipse diabolus te quicquam lædere poterit, cũ hã te cernens armis vbiq; apparentẽ,* Sic B. Avg. de Symbolo agẽs ad Catechumenos. *Parata sunt,* inquit, *corda vestra, qa exclusus est inimicus de cordibus vestris. Huic vos renunciare professi estis* (in baptismo) *in qua professione non hominibus sed Deo & angelis eius conscribentibus dixistis, Renuntio. Renunciate non solum vocibus sed etiam moribus, non tantũ sono linguæ, sed & actu vitæ, nec tantũ labiis sonantibus, sed operibus pronunciantibus.* Et B. Ephræm de abrenũciatione. *Abrenunciatio,* inquit, *quã in baptismo facimus, nominata quidem apparet parua, ceterũ intellecta, admodũ magna, quam qui seruare voluerit, beatissimus erit. Paucis namq; verbis cuncta quæ nominantur mala, quæque odit DEVS, valere iubemus & abrenunciamus: cuiusmodi sunt, non vnũ duntaxat, non duo nec decem, sed quodcunq; appellatur malum. puta, Abrenuncio Satanæ & cunctis operibus eius. Quibus, inquam operibus? Audi. Fornicationi, adulterio, immunditiæ, furto, inuidiæ, venefitio, diuinationi, incantationibus, & augurationibus, spirituum immundorum interrogationibus. Quibus omnibus & horum similibus abrenunciat Christianus quicunque in abrenunciatione sancti baptismatis, quæ cuncta nouimus opera atque doctrinas esse diabolorum.* Aug. lib. 1. c. 9. & 10.

VIII. REMED. est consignatio S. Crucis, quod vti potentissimum, & Satanæ exosissimum plærique omnes Patres opposuere superstitionibus Magicis, ac S. ANTONIVS quidem apud B. Athanasium vnicum satis esse credidit ad profligandas eius technas. Et ipse Athanasius de Incarnatione verbi. Signum crucis vult tollere omnem Magiam. Huius signi crucis inquit S. CYP. in sermone de passione Domini, *hodie tanta est auctoritas & potestas, vt non solum Israelitica limina muniat, sed etiam ab his, qui Israeliticè non viuunt, solum sacramenti signum repellat dæmonia: & vbicunq; conspecta fuerit terribilis eis sacri nominis virtus & sanguinis, nota.* In vita.

Quid CHRY. totus more suo ardet alloquens Colossenses superstitionib. deditos. *Superstitiosa,* ait, *illa quæ ægrotis applicatis, etiamsi mille modis Philosophentur, qui quæstum ex ipsis faciunt, dicentes, Deum inuocamus, & ptereanihil facimus & quicquid eiusmodi prætendunt, & Christiana est hæc anus, & fidelis, idololatriã tamẽ sapiunt. Fidelis es? Crucis signaculo vtere. Dic. Hoc duntaxat habeo scutum, hoc solum pharmacum, aliud ignoro. Dic mihi,* Chry. hom. 8.

si medicus ad ægrotum accedens relictis medicinæ pharmacis incantatione vteretur, & hunc medicum diceremus? Nequaquam. Non enim videremus medicinæ pharmacia neque hic quæ sunt Christianismi. Aliæ verò fluuiorum nomina collo appenderent, & mille talia audent. Ecce dico, & prædico vobis omnibus. Si quis deprehenditur, non parcam siue superstitiosa collo alliges, siue incantes, siue aliud quicquam huiusmodi facias. Quid igitur? morietur ne puer, inquis? Si hoc pacto viuet, tum mortuus est. Si verò sine istis mortuus fuerit, tunc reuixit. Iam si videris filium scortis deditum, mox velles defossum & sepultum, ac dicis. Quid enim profuerit illum viuere? Quam verò videas salutis illum subire periculum vis ita viuentem videre? Scribit IOAN. DIACONVS S. Gregorium Magnum, cum aliquando equus eius fascinatione Magorum furore correptus esset, sola crucis consignatione insaniam depulisse, eiusque auctores Magos oculis captos. NAZIANZENVS quoque Gregorius ita de se. *Nam ipsi quoque qui Christo nomen dedi, augustum illud nomen vix plerumque pronunciaui, cum statim dæmon non sine stridore grauissimoque dolore longè se proripuit Dei immortalis vim ac potentiam clamans. Quid etiam ipsum mihi sæpe vsu venit, cum crucem, ne in tabula quidem, sed in medio tum aëre descripsissem: nam sola figura trophæum erexit, quemadmodum olim accidisse legimus, cum Moses manus in crucis formam composuisset.* Deinde de apostata IVLIANO Imp. Magiæ dedito. *Quod*, inquiens, *à pluribus commemoratur, nec ab illius moribus abhorret, oratione persequar. Descendebat in quoddam adytum plerisque inaccessum & horrendum (vtinam in infernum quoque, priusquam in huiusmodi scelera prorumperet) comitem cum habens, qui multis adytis dignus erat, hoc est, hominem huiusmodi rerum sophistica instructum. Nam hoc quoque apud ipsos diuinationis genus est, vt caligine quadam cum subterraneis dæmonibus de rebus futuris colloquium ineant.* Et paulo post. *Vt autem egregium virum progredientem terrores adoriri cœperunt, ac subinde plures & formidolosiores, sonos quosdam insuetos, atque tetros odores, atque ignea spectra, ac nescio quas nugas & deliramenta, re inopinata perculsus ad crucem, vetusque remedium confugit, eoque se aduersus terrores consignati, cumque quem persequatur in auxilium adsciscit. Ac quæ sequuntur, magis tremenda. Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. Quid deinde? Remissit malum, rursus ad audaciam redit, rursum iidem terrores vrgent: rursus obiecto signaculo dæmones conquiescunt.*

Diac. lib. 2. vitæ c. 43.

Greg. ad Nemesium.

Id orat. 1. in Iulian.

H. manss. 37.

IX. REMED. Fiducia magna in Deum O. M. *Multæ sunt præstigiæ*, inquit B. HIERONYMVS ad Fabiolam, de 42. mansionibus, *& innumerabiles laquei, quibus animæ capiuntur humanæ: sednos dicamus in Domino confidentes. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Et Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Cadent à latere nostro mille, & decem millia à dextris nostris, non timebimus ab incursu & dæmonio meridiano: sed obturauimus aures nostras, ne audiamus voces incantantium, & Sirenarum carmina negligamus. Post imaginem Dei, quæ in cordis ratione monstratur, & confessionem fidei, quæ*

ore

ore profertur consurgunt serpentes, & artes maleficæ ad bella nos prouocant. Sed nos qui habemus pretiosissimum thesaurum in vasis fictilibus, quæ frangi possunt, ita vt quædam vix testa remanserit, in qua hauriri possit aquæ pusillum, omnia custodia circumdemus cor nostrum. Pro eodem remedio sic iterum philosophatur CHRY. contra Iudæos *Non audisti, quid dicat scriptura? Fili, si accedis seruituris Domino, præpara animam tuam ad tentationem: dirige cor tuum, & perdura in morbo ac paupertate: in illo fidens esto. Sicut in igne probatur aurum, sic homo probatur in camino deiectionis. Si tu famulum flagris cecideris, & ille triginta aut quinquaginta plagis acceptis illico prouocet ad libertatem, aut deserat tuum dominium, & ad alios se conferat, qui te oderint, eosque in te concitet: dic mihi numis abs te veniam impetraturus sit? an quisquam pro illo poterit esse patronus? nequaquam. cur ita tandem? Quoniam officium est heri punire talem famulum. Non ob id tantum, verum etiam ob hoc; quod si fugiendum erat, non ad hostes & osores Domini prioris oportebat fugere, sed ad amicos & cognatos. Proinde tu quoque, si videris te puniri à Deo, ne profugias ad inimicos Iudæos, ne magis etiam illos in te prouoces, sed ad amicos illius Martyres, ac sanctos, qui illi placuerunt, quique multam apud illum habent auctoritatem. Sed quid loquor de famulis & heris? Filius non poterit hoc facere, nec abnegare cognationem, quam habet cum patre. Nam & naturæ leges, & leges ab hominibus institutæ sic præscribunt, etiam si flagris cædat pater, si à mensa depellat, si ædibus exigat, si quocunque modo puniat, iubent omnia fortiter perpeti, nec vllam illi veniam concedunt, ni paruerit, pertuleritque. Etiamsi filius casus innumeras querimonias deplorans proferat, hæc verba audit ab omnibus. Patrem est, qui cecidit ac Dominus, habet quæ potestatem in te quod vult faciendi, & oportet omnia placidè ferre. Ergo famuli quidem ferunt dominos, filij parentes, frequenter & præter æquum punientes: tu vero non sustines Deum te corripientem? qui plus habet in te iuris, vtpote vere Dominus, qui plus te diligit, quam pater, qui quæ nihil per iracundiam sed omnia facit in tuam vtilitatem.* Chry. orat. 3.

Adhæc &B. AVG. in sermone aduersus auguria instituto. *Si semel, ait, aut secundo nequitias quas diabolus immiserit cum animo & tota fide contempseritis, ita ipsum diabolum postea à vestra infestatione Deus dignabitur repellere, vt nunquam possit vos sua calliditate decipere. Homines enim negligentes & faciles languida desideria, & fidem desidem habentes, & ideo etiam si inciptant, non diu perseuerant in operibus Dei, sed vbi se antedictis sacri legis abstinuerint, vel vnam nequitiam diaboli pertulerint, statim pœnitent se ad Dominum conuersos esse, machinamenta diaboli reliquisse, iterum reuertuntur ad obseruationes auguriorum, velut canes ad vomitum suum.* Aug. ser. 241. de temp.

Exemplum huius fiduciæ contra Magicas artes illustre habemus in B. Ambrosio, qui ob hanc firmissimam in Deum fiduciam nunquam Magorum artibus lædi potuit. *Mortua Iustina,* inquit PAVLINVS in eius vita, *quidam aruspex, Innocentius nomine non opere, cum pro causa maleficiorum à iudice torqueretur, aliud quam interrogabatur fateri cœpit. Clamabat enim ab Angelo maiora tormenta sibi adhiberi, eo qui custodiret Ambrosium, quoniam temporib. Iustinæ (Im-* 1. tom. Amb.

peratricis Arianæ) *ad excitanda odia populorum in Episcopum, cacumen tecti Ecclesiæ conscendens medio noctis sacrificauerit. Sed quanto instantius & solicitius operam ligua exercebat, tanto magis amor populi circa fidem Catholicam & Domini sacerdotem conualescebat. Misisse etiam se dæmones, qui illum necarent, fatebatur: sed dæmones renunciasse, se non solum ad ipsum appropinquare minimè posse, verum etiam ut ad fores domus, in qua manebat Episcopus, quia ignis insuperabilis omne illud edificium communiret, vt etiam longe positi vererentur, atque ita cessasse artes suas quibus aduersus Domini sacerdotem se aliquid posse arbitrabatur.*

Deu. 13. 1. X. REMED. Considera, etiamsi sæpe eueniant quæ prædicunt Magi, orbos quoq; nonnullos depellant, non tamen fiduciam vllam esse in eorum ope vel arte collocandam, quia Dominus in Deuteronomio, disertè nos cómonefecit, cur id fieri permittat, vt annotauit Augustinus in

Aug. l. 2. c. 23 libro de doctrina Christiana secundo. *Si surrexerit, inquit, in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atq; portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi. Eamus & sequamur Deus alienos, quos ignoras, & seruiamus eis, non audies verba Prophetæ illius, aut somnatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non in toto corde, & in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini.* Quam causam fusius pro-

A. serm. 241. de tempo. concione prosecutus est in hæc verba. *Sed forte dicit aliquis, quid faciemus, ecce quod auguria ipsa, & caragi vel diuini frequenter nobis vera annunciant. De hac re scriptura nos contestatur & monet dicens. Etiam si qua vera vobis dixerint, nolite credere illis. Tentat enim vos Deus vester, vtrum timeatis eum, an non? Sed iterum dicis, aliquoties, si præcantatores non fuerint, aut de morsu serpentis, aut de aliqua qualibet infirmitate prope vsque ad mortem multi periclitantur. Verum est fratres chari simi, quia permittit hoc Deus diabolo, ad probandum Christianum, vt tum interdum per illa sacrilegia aliqua remedia in illa infirmitate percipere, & aliquid verum posuerint agnoscere, facilius propterea diabolo credant. Sed qui totam Christianam religionem desiderat custodire, oportet vt hæc omnia tota animi virtute contemnat.* Et paulo post. *Et illud ante omnia scitote fratres, quod nec vosipsos, nec eos qui ad vos pertinent vel in paruis rebus diabolus potest lædere, nisi quantum à Deo potestatem acceperit. Quomodo nec sancti Iob facultatem ausus fuit subuertere nisi Domino permittente. Et sicut in*

Iob. 1. Luc. 8. 32. *Euangelio legimus, quando ab hominibus expulsi sunt dæmones, rogauerunt, vt vel in porcos tre permitterentur. Si in porcos non sunt ausi intrare dæmones, nisi à Deo permissionem acciperent: quis ita erit infidelis, vt eos bonos Christianos credat posse lædere, nisi Deus propria dispensatione permitteret? Permittit autem hoc Deus ex causis duabus: aut vt nos probet, si boni simus, aut corrigat, si peccatores. Sed qui patienter dispensationem Domini tollerauerit, & quando aliquid perdiderit, dixerit, Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum, pro ista Deo placita patientia, aut coronam accipit, si iustus est, aut indulgentiam, si peccator. Et hæc attendite fratres, quia cum omnem substantiam diabolus enter-*

ripsit

tisset beati Iob, non dixit, diabolus abstulit, sed, Dominus, dedit, Dominus abstulit. Vir enim sanctus noluit istam gloriam diabolo dare, vt aliquid potuisset tollere, quod Dominus non permisisset auferri. Hucusq; Augustinus. qui & alibi saluberrimè monuit, magis cauendos esse Mathematicos iudicarios, aliosuè, qui sæpius vera prædicunt, quam alios, quia indelinquet eos astutiori cum Dæmone societate esse coniunctos. Et similiter Chrysostomus maleficas illas anus, quæ Christianæ sunt, & sacris omnino verbis suas incantationes perficiunt, magis esse detestandas quàm alias. *Non ligaturas verò tantum,* inquit, *sed etiam excantamenta tibi conducis, vetulas ebrias, & titubantes in domum agens. Nec confunderis, nec erubescis, post tantam ad hæc trepidans disciplinam: & quod grauius est errore, quando hæc admonemus, & dissuademus, putantes se excusari, dicunt: quod Christiana est mulier hæc excantans, & nihil aliud loquitur, quam Dei nomen. Propterea namq; magis ipsam odi & auersare, quod Dei nomine ad contumeliam vtitur: quod se dicens esse Christianam, gentilium opera facit. Etenim & dæmones Dei nomen fatebantur. sed tamen erant dæmones, & ita Christo dicebant. Nouimus te, quoniam es sanctus Dei, & tamen ipsos increpauit, & eiecit.*

I. de. Gen. ad lit. c. 17.

Chry. hom. 11. ad pop.

Luc. 4. 34.

XI. REMED. Considera apud Ethnicos non solum superstitionibus dictis, sed etiam idololatriæ, (quam HIER. alicubi vocat præstigia ũ Magicarum fontem) deditissimos, maximas fraudes in auguriis, diuinationibus, aliisq; obseruationibus fuisse deprehensas & id circo irrisas. B. CYP. *Regulus,* inquit, *auspicia seruauit, & captus est, & Mancinus religionẽ tenuit, & sub iugum missus. Et pullos edaces Paulus habuit, & apud Cannas tamen cæsus est. C. Cæsar, ne ante brumam in Africam nauigia transmitteret, auguriis & auspicijs retinentibus spreuit, & eo facilius nauigauit, & vicit.* B. AVG. de Catone ita scribit. *CATO cum esset consultus à quodam qui sibi à soricibus erosas caligas diceret: respondit non esse illud monstrum, sed verè monstrum habendum fuisse, si forices à caligis roderentur.* Et alibi de Cicerone. *CICERO Augur irridet auguria, & reprehendit homines corui, & corniculæ vocibus vitæ consilia moderantes.* Quod fecit in altero diuinationũ libro, vbi addit, quod Pompeio, Crasso & Cæsari ab omnibus Chaldæis fuerat prædictum, nempe eos domi ætate iam affecta immensa cum gloria ex hac vita excessuros, minime euenisse; siquidẽ Crassus apud Euphratẽ summa cum ignominia obiit. Pompeius cum maiore apud Ægyptum trucidatus, Cæsar plurimis vulneribus in ipso Senatu confossus fuit. Seneca quoque in libello de morte Claudii Cæs. conscripto commemorat Astrologos quo tannis, imò singulis mensib. consuesse prænunciare mortem Claudii, cumtamen per annos quatuordecim eos deluserit. Et Phauorinus apud A. Gellium affirmat vera à Mathematicis prænunciata non esse partẽ millesimam mendaciorũ, quæ effutiunt quotidie. Denique & Ioannes Picus in libris contra Astrologos superiore seculo editis asseuerat se, cum longo tempore temporum mutatio-

H. in præm. ep. ad Eph.

Cyp. de idol. van.

A. l. 2. doct. Christ. c. 20.

Id. 4. de ciuit. de c. 30.

Cic. l. 2. diuin.

Gell. lib. 14. c. 2.

mutationem obseruasset, & ante oculos semper haberet alicuius Astrologi prædictiones, intra 130. dies continuos non deprehendisset septem, in quibus non fuerint hallucinati.

XII. REMED. Considera exempla sanctorum, ac primo eorum, qui abhorruerunt ab omni superstitione Magica, vt Apostoli Pauli, qui cum, vt est in Actorum Apostolorum historia, incidisset in Elymam magum, repletus Spiritu sancto his verbis eum inuasit. *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus. Et confestim*, addit B. LVCAS, *cecidit in eum caligo & tenebræ, & circuiens quærebat, qui ei manum daret. Tunc proconsul*, Sergius Paulus, *cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini.* Et rursum, cum ei obuiam facta esset puella quædam habens Spiritum Pythonem, quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis diuinando, clamaretque post Apostolum eiusque comites. *Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis*, idemque multis diebus repeteret, Paulus grauate ferens etiam veritatem enunciari à dæmone perfœminam, *conuersus*, inquit Lucas *spiritui dixit. Præcipio tibi in nomine Iesu Christi extre ab ea. Et exiit eadem hora.* ALTERVM exemplum sit S. BERN. de quo Guilielmus Abbas Bonæuallis in vita eius ita scribit. *Cum Bernardus adhuc puerulus graui capitis dolore vexatus in lectum decidisset, & mulier quædam dolorem carminibus mitigatura ad eum accessisset, ille acri indignatione commotus incantatricem clamoribus à se repulit, abegitque: & impetu quodam Spiritus è lecto exiliens mox diutnitus ab omne dolore se liberatum agnouit.*

Act. 13. 10.

Act. 16. 16.

Apud Surium 10. Aug.

Deinde expende exempla Sanctorum, qui licet grauissimis morbis afflicti, non tamen confugerunt ad præsidium incantationum. B. Ioannes Chrysost. dum tractat hoc argumentum producit quatuor, nempe Dauidis regis mœstissimi ex graui ægritudine filii. Iobi omni calamitatum genere obruti. Lazari mendici, & eius, qui totos 38. annos æger motum aquæ ad piscinam Betsaidam præstolatus fuerat. *DAVID Rex*, inquit in epistolam ad Colossenses. *diligebat filiolum ægrotum, & in sacco quidem & cinere iacebat: verum neque diuinos, neque incantatores adhibuit, quanquam tum tales essent, id quod in historia Saulis liquet. sed Deo supplicauit. Vt vt diligas filium, non tantum diliges, quantum ille tum diligebat.* Et in oratione aduersus Iudæos. *Ille 38. annis detentus fuerat infirmitate sua, singulis annis currebat ad piscinam, & singulo quoque anno repellebatur, nec assequebatur sanitatem, in perpetua paralysi manens. Nec tamen confugit ad diuinos, non adiit incantatores, aut prosiliit ad eos, qui per applicaturas promittunt sanitatem, sed expectauit diuinam opem, eoque tandem admirandam quandam & inauditam sanitatem adeptus est. LAZARVS autem cum fame, cum morbo, cum solitudine per omnem vitam colluctatus est, non triginta & octo annos versatus in his, sed per omne vitæ tempus*

Chry. hom. 10.

Id. orat. 5. Ioann. 5. 8.

temput. Sic igitur & expirauit in diuitis vestibulo iacens, contemptus, irrisus, esuriens, canibus pabulum obiectus. Sic autem illius corpus debilitatum erat, vt nec canes irruentes, vlcera q; illius lingentes posset abigere. Haud tamen quærebat incantationem, non petala circumligauit, non expertus est imposturas, non veneficos ad se vocauit, nec aliud quicquam vetitarum artium tentauit, sed prius habuit illis immori malis, quam vlla parte deserere pietatem. Quam igitur veniam nos impetrabimus, qui cum illi in tantis malis perdurarint, ob febriculam, aut leue vulnus procurrimus ad Synagogas Iudaicas, veneficos & impostores in ædes nostras accersimus?

VIDE. V. *Curiositas. Illusiones spirituales. Veneficia.*

T

TENTATIO

Remedia contra Tentationes.

PRIMVM Remedium. Considera sacræ scripturæ testimonia. Ea autem testatur aliquando Deum tentare. Vt in Deut. *Tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non?* Et in Sap. *Quoniã Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.* Aliquando verò Deum non tentare, nempe ad decipiendum, vt apud B. Iacobum. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus. n. intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.* 2. docet diabolum tentare, nempe ad decipiendum. Vt in Actis Apostolorum cum B. Petrus dicit. *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Et B. Matthæus. *Tunc Iesus ductus est in desertum, vt tentaretur à diabolo. Tunc accedens tentator dixit.* Et D. Paulus. *Ne forte tentauerit vos is, qui tentat, & inanis fiat labor noster.* 3. testatur nos etiam tentari à propria carne. *Vnusquisque*, inquit B. Iacobus, *tentatur à concupiscentia sua, abstractus & illectus.* Et Paulus. *Caro concupiscit aduersus Spiritum.* 4. monet vt paremus nos ad tentationem. vnde Ecclesiasticus. *Fili*, inquit, *accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Deinde, vt oremus, ne ab ea vincamur. *Vigilate & orate* ait, Christus, *vt non intretis in tentationem.* Et in oratione Dominica iubet nos dicere. *Et ne nos inducas in tentationem.* ei scilicet consentiendo. Addit, Dei auxilium nunquam defuturum. *Fidelis Deus est*, ait Apostolus, *qui non patietur*

Deut. 13. 3. Sap. 3. 5. Iac. 1. 13. Act. 5. 3. Matth. 4. 1. 1. Thess. 3. 5. Iac. 1. 14. Gal. 5. 17. Eccli 2 1. Matth. 26. 41. Matth. 6. 13. 1. Cor. 10. 13.

tietur vos tentari supra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.

Baſ. ora. 11.

II. REMED. Conſidera ſententias SS. Patrum. S. BASILIVS oratione de Patientia. *Vt gubernatorem nauis tempeſtas, athletam ſtadium, militem acies, magnanimum calamitas, ſic Chriſtianum hominem tentatio probat. Et ſicut athletas certaminum labores coronis ad ſe alliciunt, ita etiam homines Chriſtianos probatio, quæ ex tentationibus deſcendit, ad perfectionem ducit, ſi modo cum decenti tolerantia, gemmis gratiarum actione, quæ à Domino ordinantur, ſuſceperimus.* Et alibi in dictum

Luc. 12 18. Baſ. hom. 6.

Lucæ. Deſtruam horrea mea. *Duplex eſt tentationum genus. Nam vel cõlaudatorum tanquam aurum in fornace per patientiam rebus aduerſis probantur, quæ ipſorum declarant probitatem: aut certe ipſa vitæ proſperitas ſæpe tentationis locus eſt. Æquè enim durum videtur, in rerum difficultate minimè deici, ac in felicitate vanè tolli ad irrogandam contumeliam.* S. AMBR. de Abraham Patriarcha. *Aliter*

Amb lib 1 c. 8.

Deus tentat, aliter diabolus. Diabolus tentat, vt ſubruat: Deus tentat, vt coronet. Deus quoque probatos ſibi tentat. Vnde & Dauid dicit. Proba me Deus, & tenta me. Erſectum Abraham probauit ante, & ſic tentauit: ne ſi ante tentaret, quam probaſſet, grauaret. Probauit eum, cum exire de Charra iuſſit, & obedientem reperit, &c. Probatum igitur quaſi fortiorem, tentandum putauit maioribus, & quibuſdam imperitis durioribus. Et in libro de paradiſo. *Non metuamus diabolum, qui eouſq; infirmus eſt, vt & ipſe caſurus ſit in terram. Accepit quidem tentandi licentiam, ſed non accepit captam ſubruendi: niſi ſua ſponte labatur infirmus affectus, qui ſibi auxilium non morte accerſire.* Et commentario in Lucam. *Docet te ſcriptura diuina non ſolum contra carnem & ſanguinem, ſed contra inſidias ſpirituales tibi eſſe certamen. Vides magnificentiam Chriſtiani viri, qui certat cum rectorib. mundi & licet conſtitutꝰ in terris aduerſus ſpiritalia nequitiæ, quæ ſunt in cœleſtibꝰ, animi virtute decernit.* S. HIER. ad Demetriadẽ, de Virginitate ſeruanda. *Legimus in volumine Iob, tentatio, ſiue, (vt melius habetur in Hæbraico) militia eſt vita hominis ſuper terrã. Ad hoc. n. laboramus, & in ſeculi huius periclitamur militia, vt in futuro ſeculo coronemur. Nec mirum hoc de*

Id. cap. 2. Id. lib. 4. c. 4. Eph. 6. 12 Hier. ep. 8. Iob. 7. 1. Gen. 22. 1. Chry. hom. 40.

hominibus credere, cum Dominus ipſe tentatus ſit. Et de Abraham ſcriptura teſtatur, quod Deus tentauerit eum. S. CHRY. in Geneſin. *Vt Medicus, quando infirmum curat, neq; ſemper fame detinet, neq; ſemper larga menſa frui ſinit, vt non voracitas febrem pariens augeat morbũ, fames verò infirmiorẽ eum efficiat, ſed coniectans apud ſe, quanta ſint ægrotantis vires, & diligenter vtens arte omnia ſua in medium affert. Sic & miſericors Deus, ſciens quid cuiuis expediat, aliquando concedit nobis proſperitate frui, aliquando autem exercitationis gratia tentationib. nos circumdat. Nam ſi virtute præditi ſunt, qui tentantur, clariores euadunt, abundantiorem ſibi ſupernam gratiam conciliantes: ſi autem, vt nos, peccatores fuerint, & magna gratitudine tentationes ferunt, grauem*

Aug. ep. 146. 1. Theſſ. 3. 5. Luc. 13.

deponunt peccatorum ſarcinam, multaq; venia & ipſi potiuntur. S. AVG. ad Conſentium. *Scriptũ eſt. Ne forte tentauerit vos, qui tentat, & inanis ſit labor veſter: atq; hic intelligitur diabolus, tanquam Deus omninò non tentet: de quo alio loco ſcriptura dicit.*

Ipſe

ipse autem neminẽ tentat. Nec contraria est ista sententia ei qua dicitur. Tentat vos Dominꝰ Deus vester: sed soluitur quæstio. cũ vocabulum tentationis diuersas intelligentias habeat, eo ꝙ alia tentatio deceptionis, alia tentatio probationis: secundum illã non intelligitur quĩ tentat, nisi diabolꝰ: secundũ hanc verò tentat Deus. Deut.13.3. Id. quæst.63. Eccli.2.1.

Et in Quæstionib. ex nouo testamento. Salomon ait. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & ppara animã tuã ad tentationem, Quoniam tentationib. proficit homo, hæc data sunt monita. Vnde Apostolus, per tribulationes, inquit, oportet nos intrare in regnum Dei. Hæ tribulationũ tentationes, diuersis modis accidũt, vt perseuerantis animus in accepta fide possit coronari. Nõ solũ.n. in fide tentatur homo, sed & in ægritudine, & in damno, & in psecutione, & in morte charorũ GREG. lib. 21. Moral. Mentẽ nequaquã cogitatio immũda inquinat, cũ pulsat. sed cũ hanc sibi p delectationẽ subiungat. Hinc etenim pdicator egregiꝰ dicit. Tẽtatio vos nõ apprehẽdat nisi humana. Humana qppe tẽtatio est, qua plerunq; in cogitatione tãgimur, etiã nolẽtes: qa vt nõnunq; & illicita ad animũ veniãt, hoc vtiq; in nobis metipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Ita verò dæmoniaca est, & nõ humana tẽtatio, cũ ad hoc ꝙ carnis corruptibilitas, suggerit, p tẽpsensũ se animæ astringit. Hinc iterũ dicit. Nõ regnet peccatũ in vestro mortali corpore. Act.14.21. Greg.c.3. 1.Cor.10.13. Rom.6.12.

III. REMED. Considera nullum hominem, quantumuis pium, inde ab orbe condito, ne quidem Christum, immunem fuisse à tentatione, nec vnquam futurum. Nam vt Iob, secundum LXX ait. *Tentatio est vita hominis super terram.* Vnde B. HIERONYMVS in Matthæum. *Impossibile est humanam animam non tentari. Vnde & in oratione Dominica dicimus, Ne nos inducas in tentationem, non tentationem penitus refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes.* Et in Epistolam ad Galatas. *Vincere vel vincere tentationem nonnunquam est in nostra potestate: cæterum tentari in potestate tentantis est. Si enim Saluator tentatus est, quis potest esse securus, intentatum se vitæ huius maria transire?* CHRYSOSTOMVS de prouidentia Dei. *Prorsus si quis omnia enumerare velit, plurima tentationum emolumenta reperiet, nullus q; vnquam ex his, qui Deo maximè chari atq; acceptabiles fuerunt sine pressuris vixit, etiamsi nõ ita nobis videatur. Namsi B. Paulus tantum negotii sustinuit, (nullus verò Paulo maior est, aut etiam æqualis) qua tandem ratione alii credantur huiusmodi auxilio non indiguisse?* S. AVG. in Psalmos. *Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione, quia profectus noster per tentationem nostram fit: nec sibi quisq; innotescit nisi tentatus: nec potest coronari, nisi vicerit: nec potest vincere, nisi certauerit, nec potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit.* Et de ciuitate Dei. *Seramus, quamlibet virtute præliandi vitiis repugnemus, vel etiam vitia superemus & subiugemus, quamdiu sumus in hoc corpore, nobis deesse non posse, vnde dicamus Deo. Dimitte nobis debita nostra.* B. GREG. lib. 23. Moral. *Quia in hac vita adhuc homo positus in cuiuslibet ordinis loco, in cuiuslibet secreti secessu viuere sine tentationib. nullatenus potest, plerunq; in id, ꝙ ad requiẽ construitur maior dolor tentationis inuenitur, &c. Vita quippe est vita psentis, qua ad patriã, tendimus, & idcirco hi. occulto iudicio frequenti perturbatione cõterimur, ne vitã p* Iob.7.1. Hier.lib.4.c.26. Id.l.3.c.6. Chry. lib.1. 2.Cor.11.& 12. Aug in Psal.60. Id.l.22.c.8. Greg.c.23.

patria diligamus. Solent etenim nonnulli viatores, cum amœna fortasse prata in itinere conspiciunt, pergendi moras innectere, & à cœpti itineris rectitudine declinare: eorumque gressus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo suis ad se pergentibus Dominus huius mundi iter asperum facit, nedum quisque vitæ præsentis requie quasi amœnitate viæ pascitur, magis eum diu pergere, quam citius peruenire delectet: ne dum oblectatur in via, obliuiscatur, quod desiderat in patria. NOTANDVM est hoc loco tentationibus dæmonis magis obnoxios esse probos, quàm improbos, nouitios in religione, quàm veteranos. *Non quærit diabolus,* scribit B. HIERONYMVS ad Eustochium, de custodia virginitatis, *homines infideles, non eos qui foris sunt, & quorum carnes rex Assyriorum olla succendit: de Ecclesia Christi rapere festinat. Escæ eius, secundum Abacuc cibus sunt. Iob subuertere cupit, & deuorato Iuda ad cribrandos Apostolos expetit potestatem.* Et B. GREG. in Moralibus. *Ne securitas negligentiam generet, scriptum est. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Non enim ait, ad requiem, sed ad tentationem: quia hostis noster adhuc in hac vita nos positos, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit. Contrarius verò eo vehementius incitatur, quo ex corde nostro quasi ex iure propriæ habitationis expellitur.*

Hier. ep. 22.

Abac. 1. 16.

Greg. l. 24. c. 13.

Eccli. 2. 1.

IV. REMED. Considera Deum idcirco noluisse vitam nostram immunem esse à tentationibus, quia ex iis magnæ ad nos deriuantur vtilitates. PRIMA est, quod reddant nos doctiores, nobisque ipsis notiores. *Qui non est tentatus,* ait Sapiens, *quid scit?* AMBROSIVS de fide resurrectionis. *Petrus quamuis plenus fide deuotionis, tamen quia nondum conscius nostræ infirmitatis præsumptiuè dixerat Domino. Animam meam pro te ponam: tentationem præsumptionis antequam tertio gallus cantaret, incurrit. Licet ipsa tentatio documentum fuerit ad salutem, vt discamus non contemnere carnis infirmitatem, ne contemnendo tentemur.* Et AVG. in psalmum 36. *Vnusquisque se tentatione tanquam interrogatus agnoscit sicut Petrus, quas vires haberet fides eius vtique nescibat, quando dixit Domino. Tecum paratus sum vsque ad mortem. Dominus autem, qui nouerat eum, prædixit vbi deficeret, prænuncians illi infirmitatem eius tanquam tacta vena cordis eius. Proinde Petrus, qui ante tentationem præsumpsit de se, in tentatione didicit se.* II. Vtilitas est, quod reddant nos humiliores. CHRYSOSTOMVS ad populum Antiochenum. *Quoniam sancti & admirabiles Paulus & Petrus, & omnes quicunque tales qualescunque sunt, tamen homines sunt: & multa cautionis ne facile extollantur indigent, & maximè omnium sancti: (nihil enim sic in arrogantiam extollere consueuit, vti officiorum conscientia, & anima cum libertate viuens) Ne quid igitur tale illi patiantur, tentationes & tribulationes esse concessit, quæ possent ipsos corripere, & persuadere, vt in omnibus moderatè agerent.* Et GREG. libro secundo Moralium. *Mira hoc nobiscum dispensatione agitur, vt mens nostra*

Eccli 34. 9.

Amb. orat. 2.

Ioan. 13. 37.

Aug conc. 1. de 1. parte.

Luc. 22. 33.

Chry. hom. 1.

Greg. c. 35.

culpa

tulpæ nonnunquam pulsatione feriatur. Nam esse se magnarum virium homo crederet, si nullum vnquam earundem virium defectum intra mentis arcana sentiret. Sed cum tentatione irruente quatitur, & quasi vltra, quam sufficit, fatigatur, ei contra hostis sui insidias munimen humilitatis ostenditur, & vnde pertimescit eneruiter cadere, inde accipit fortiter stare. III. est quod augeant in nobis meritum gratiæ & vitæ æternæ. *Beatus vir,* inquit B. Iacobus, *qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Et iterum. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habeat.* AMBR. in Lucam *Non timeamus tentationes, sed magis gloriemur in tentationibus dilectes. Quando infirmamur, tunc potentes sumus: qui tũc enim nectitur corona iustitiæ, &c. Ergo vult coronare, tentationes suggerit. Et si quando tentaris, cognosce quia paratur corona. Nonne tentatio Ioseph virtutis est consecratio? nonne iniuria carceris, corona est castitatis?* Et IOAN. GASSIANVS. *Maiora nobis per colluctationem tentationum laudis contulit præmia benigna erga nos gratia saluatoris, quam si omnem à nobis necessitatem certaminis abstulisset. Etenim sublimioris præstantioris q; virtutis est, passionibus æruminis q; vallatum manere semper immobilem, & acquirere quodammodo de infirmitate virtutem, quia virtus in infirmitate perficitur.* IV. est quod ex iis cognoscamus Deo nos curæ esse, ab eo diligi & amari. *Quem enim diligit Dominus,* inquit Apostolus, *castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* vnde Angelus ad Tobiam. *Ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.* CHRY. in Genesin. *Ne existimemus esse signum, quod nos dereliquerit & despiciat Dominus, si tentationes nobis inferantur, sed hoc maximum sit nobis indicium, quod Deus nostri curam gerat. Nam & si habemus peccatorum sarcinas, quæ nos premant, poterimus magnam patientiam & gratitudinem declarando leuiores eas facere, & si non multa habeamus peccata, iterum maiori fruemur gratia, si grato animo tulerimus. Quia enim Deus noster liberalis est, & nostræ salutis curam gerit, ea de causa quasi luctam & exercendi materiam nobis proponit, vt si quod nostrum est declaremus largiore dignetur nos cura. Quod cum scimus, ne tristemur in tentationibus, sed gaudeamus cum B. Paulo dicente. Nunc enim gaudeo in afflictionibus. Si autem in afflictionibus gaudebat, quomodo vnquam potuit in tristitia esse?* Etsi vero tentationes vtiles sint & salutares, quando fortiter sustinentur, & dũ ad peccatum inuitant, vincuntur: tamen quia multi illis succumbunt, deinceps antidota aliqua adscribam, quibus in iis expugnandis vti possis.

Iac. 1. 12. v. 1.
Amb. l. 4. c. 4.
2. Cor. 12. 10.
Cass. coll. 24. c. 25.
2. Cor. 12. 9.
Heb. 12. 6.
Tob. 12. 13.
Chry. hom. 32.
Coloss. 1. 24.

V. REMED. Tentationi ad peccatum admittendum incitanti illico in ipsis foribus resiste, iuxta illud Ouidii. *Principiis obsta, serò medicina paratur, cum mala per longas inualuere moras.* HIER. ad Eustochium, de custodia virginitatis. *Noli sinas cogitationem (libidinis) crescere, nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum paruus est hostis interfice, ne quitia. ne zizania crescant, eli-*

Ouid. de remed
Hier. ep. 22.

Psal.136.8. datur in semine. Audi psalmistã dicentem. Filia Babylonis misera. beatus qui retribuet tibi retributionẽ tuã. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petrã. Quia impossibile est, in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare sordida statim interficit cogitatu, & allidit ad petram: petra autẽ Christus est. S. Greg. in hanc rem affert exemplũ.

2. Cor. 10. 4. Greg. 21. mor. c. 7. Iob. Quanti culminis vir iste Iob fuerit, ex nostri cordis deiectione videamus. Ecce qua illicita aliquando cogitauit, quia ea citius inter arcana cordis gladio sancti vigoris extinxit, peruenire illa vsq; ad opera non permisit: Vnde illico subiungit. Et si in manibus meis adhæsit macula. Quomodo enim macula in manibus, id est, culpa actionis adhæreret, quam censura disciplinæ non sinebat in cogitatione proficere? Et alibi. Primus serpentis (diaboli) suggestio mollis ac tenera est, & facilè virtutis pede conterenda, si hæc inualescere negligenter permittitur, eique ad cor aditus licenter præbetur, tanquã virtute exaggerat, vt captam mentem deprimens vsq; ad intolerabile robur excrescat.

Iob 31. 7.

I. 31. mor. c. 17.

Cyp. serm. de ieiun. Eodem spectant verba illa B. Cyp. dum agit de tentationib. Christi. Diaboli titillationib. obuiandum est, nec coluber foueri debet, donec in serpentem formetur.

Matth. 4. Eph. 6. 17. VI. Rem. Gladio verbi Dei obortã tentationẽ confice. Hoc antidoto enim Christus Saluator disiecit omnes tẽtationes diaboli. Et Apostolus Ephesiis consuluit vt eodẽ cõtra tẽtatiões dæmonis vterentur. Et galeã, inquiẽs, salutis assumite, & gladiũ spiritus q̃ est verbũ Dei. Resistere tentationibus, inquit B. Greg alicubi. omnino non sufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladiũ male viuendo postponit. Vnde Hier. loco citato. Statim vt libido titillauerit sensum, aut blandũ voluptatis incendiũ dulci nos calore pfuderit, erũpamus in vocem. Dominus auxiliator meus nõ timebo, quid faciat mihi caro. Cũ paululũ interior homo inter vitia atq; virtutes, cœperit fluctuare, dicito. Quare tristis es anima mea, & quare cõturbas me? Spera in Domino, quia confitebor illi. salutare vultus mei, & Deus meus. Et multo post. Si quando senseris exteriorẽ hominẽ florẽ adolescentiæ suspirare, & accepto cibo, cũ te in lectulo compositã dulcis libidinũ põpa cõcusserit, arripe scutũ fidei in quo ignita diaboli extinguntur sagittæ. Oẽs adulterantes quasi clibanus corda eorũ. At tu Christi comitata vestigijs, & sermonib. eius intenta, dic. Nonne cor nostrũ ardẽs erat in via, cũ aperiret nobis Iesus scripturas? Et illud. Ignitum eloquium tuum, & seruus dilexit illud. Difficile est humanã animã aliquid nõ amare, & necesse est, vt in quoscũque mẽs nostra trahatur affectus. Carnis amor, Spiritus amore superatur. desiderijs desiderio restinguitur. Quicquid inde minuitur, hic crescit, &c. Idẽ in epistola ad Eustochiũ Virginem, de Epitaphio Paulæ matris, plixè ostendit quemadmodũ B. Paula mater eius tẽtationũ & afflictionũ genera, gladio verbi Dei, hoc est, variis scripturæ sententijs, quasi monstra domuerit. In tẽtationibus, inquit, Deuteronomia verba volubat. Tẽtat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligatis Dominũ Deum vestrũ de toto corde vestro, & de tota anima vestra. In tribulationib. & angustijs replicabat eloquia. Qui ablactati estis à lacte, qui abstracti ab vbere, tribulationẽ super tribulationem expectato, spem super spem, &c multa. Ac tandẽ subdit. His & talib testimoniis

Greg. 19. mor. c. vlt. Hier. ep. 22. Psal. 117. 6. Psal. 42. 5.

Luc. 24. 32.

Psal. 118. 40.

Id. ep. 27.

Deu. 13. 3.

Isa. 28. 9.

moniis, quasi armatura Dei & aduersus oia quidē vitia, sed præcipuè instruebat se contra inuidiā fœuientē, & patiēdo iniurias furorē rabidi pectoris mitigabat. Sic S. Bas. Basil. q. 35. regl. breu.

posita quæstióe, quomodō superbiæ tētatio vel vitiū sanetur respōdet *Sanatur, si fidē quis habeat sententiæ illius, qui dixit. Dominus superbis resistit.* Idē remediū præscribit in homilia de humilitate. *Omnino, inqens, veræ memor esto paræmiæ. Superbis resistit Deus, humilib. verò dat gratiam. In promptu habe dictū illud Domini. Quisquis seipsū humiliauerit exaltabitur, & q seipsū exaltauerit humiliabitur.* Matt. 23. 12. Cassi. c. 10.

Io. Cas. collatione 22. cū docuisset Christū tres diaboli tētationes S. Scripturæ testimoniis expugnasse. *His autē*, inquit, *testimoniis edocemur, vt fraudulētis suggestionib. inimici nos quoq; similiter auctoritate scripturarū debeam⁹ obsistere.*

VII. Rem. Oratio & diuini nominis inuocatio. Quod Christus ipse discipulis suis ingruente tentatione præscripsit, dicēs. *Orate ne intretis in tentationem.* Et Apostolus Paulus, dum ait. *Induite vos armaturam Dei vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* exponens autem illam armaturam, subiicit. *Per omnem orationē & obsecrationes orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instātia & obsecratione pro omnibus sanctis.* Imò Christus hoc remediū intra ipsam orationem Dominicam inclusit, cum iussit in ea nos orare. *Et ne nos inducas in tentationem. Et libera nos à malo.* Idemque omnes sancti in suis tentationibus semper vsurparūt, vt psaltes regius passim in psalmis, Christus Saluator passione impendente, D. Paulus in 2. ad Corinth. cum ter Dominum rogauit, vt à stimulo carnis liberaretur: & alibi. Vnde B. Prosper lib. 2. de vocat. gentium. *Nunquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non sonare, qua Apostolis dicitur. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Vbi si de vigilando tantū, non etiam de orando discipulos admoneret, solas liberi arbitrij vires videretur hortatus. Sed cū addidit. orate, satis docuit superni futurū muneris, vt eos etiā vigilantes tentationis procella non vinceret.* Matth. 26. 41. Chrys. lib. 3.

Chry. in lib. de prouidentia Dei. *Quemadmodum pueruli perterrefacti statim confugiunt in sinum matris, sic nos, cum aliqua tentatione pulsamur per preces confugiamus ad Deum.* S. Antonius, teste. B. Athanasio dæmonum tentationibus opponebat quasi telum illū versiculum psalmographi. *Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor & ego despiciā inimicos meos.* Et illum. *Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius.* Athan. in eius vita. Psal. 117. 6. Psal. 67. 2.

Isaias Abbas apud Cassianum, existimat versum psalm. 69. quo horas omnes canonicas inchoamus, nempe *Deus in adiutorium meū intende, Domine ad adiuuandū me festina*, esse potentissimum ad expugnandas omnes tentationes. *Habet siquidem*, inquit, *aduersus vniuersa discrimina inuocationem Dei, habet humilitatem piæ confessionis, habet solicitudinis ac timoris sepetuā vigilantiā, habet considerationē fragilitatis suæ, exauditionis fiduciā, confidentiam præsentis, semperq; astantis præsidij. Hic versiculus omnib. infestatione dæmonum laborātib. inexpugnabilis murus est, & impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus.* Cassi. coll. 10. c. 10. Psal. 69. 2.

Hvc pertinet quoque inuocatio.

DEIPA-

DEIPARÆ Virginis, Angeli custodis, & aliorum sanctorum. In periculis inquit deuotus BERN. *in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam inuoca. non recedat ab ore, non recedat à corde, &c.*

Bern. hom. 3. de B. Virgine.

VIII. REMED. Fortitudo & patientia in iis tolerandis. *Resistite diabolo*, ait B. Iacobus, *& fugiet à vobis*. Et B. Petrus. *Sobrii estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide*. Neminem enim nisi ignauum & timidum, ac de Dei auxilio parum fidentem diabolus opprimit. Ita S. Antonius in hoc genere exercitatissimus docuit. *Si quod*, inquit apud S. Athanasium, *in pectoribus nostris malæ mentis & pauoris semen inuenerit, dæmones mox quasi latrones, qui deserta obtinent loca, cœptos cumulant timores, & crudeliter imminentes insidiis vexant animam. Sin autem alacres fuerimus in Domino, & futurorum bonorum memores fuerimus, succenderit, si semper omnia manib. Dei committimus, nullus dæmonum adeo pugnandum valebit accedere*. B. EPHR. de fide. *Quemadmodum incus aliqua, licet quotidie semper verberetur, non tamen dat tergum, neq; concauitatis formam in se recipit, sed eadem semper manet; sic & qui verum se vult gerere Christianum, inter diuersas tribulationes atq; tentationes, siue extrinsecus illatas ab hominibus contumelias, persecutiones, damna atq; alia eiusmodi siue intrinsecus à spiritib. malignis inductas angustias, vnus & idem manere oportet, fortiter quæcunque obuenientia perferens. Pro munitione ac castro semper Christum Dominum habeat, ad eumque belli tempore confugiat, & illud ferre vsurpet. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii, vt saluum me facias. Sic enim quascunque poterit superare tentationes ingruentes*, S. BASILIVS ad discipulum Chilonem. *Primum frater, aduersus omnigenam tentationem animum præmunias tuum, & obfirmes patientia. At quo genere tentationum, inquies, fidelis probari solet? Nimirum per rerum vitæ istius ingentem iacturam, per delationes criminum falso in te concinnatorum, per immorigeros, obtrectatores, & persecutores. Per huiusmodi afflictionem tolerantiam fidelis quisque probatur*. CHRY. in dictum Apostoli. Habentes autem eundem spiritum. *Hoc generosæ ac Deum amantis animæ officium est, afflictiones & aduersitates ferre, cæterum generose tolerare tentationem, atque insuper gratias agere ei, qui se tentari permittit, id demum summa fortitudinis merito videri potest, animæq; vigilantis, & quæ omnibus humanis affectibus sit superior*. Si exempla requiras fortitudinis in variis tentationibus ea habes ex solis scripturis valde illustria, vt Iob, Abrahæ, Ioseph, Dauidis, Eliæ, Danielis, Machabæorum, Pauli Apostoli, &c. Vnum tantum commemorabo S. Antonii, cui post dura diuturnaq; cum dæmonibus truculentissimis certamina, (à quibus ad mortem vsq; multiplicibus plagis confectus erat) tandem lucidissimus quidam de cœlo radius illuxit, insignum fugatæ turbæ dæmonum, & præsentiæ Christi. ac mox ex imo pectore longa trahens suspiria his verbis compellauit Christum. Domine IESV, vbi quæso eras, cum tam immanes plagas corpore meo exciperem?

Iac. 4. 7. 1. Pet. 5. 8.

Ath. in eius vita.

Ephr. hom. 1.

Psal. 90. 3. Bas. in ep.

Athan. in vita.

Qui

Qui respondit. Eram præsens, ô Antoni, & certamen, quod excelso inuictoque animo gessisti, spectabam. Nunc autem, quia tanta constantia pro mei nominis amore decertasti, ego vicissim nomen tuum toto terrarum orbe celeberrimum reddam.

XI. REMED. Firma spes & fiducia in Deo, sine qua nec oratio, nec fortitudo esse potest. *In silentio & in spe*, inquit Isaias, *erit fortitudo vestra*. & Dauid. *In Domino sperans non infirmabor*. Et. *Si exurgat aduersum me prælium, in Domino sperabo*. Et Apostolus. *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem*. Vnde HIER ad Eustochium. *Quod si dæmonum te multitudo turbauerit, & ad singula incitamenta vitiorum cœperis æstuare, & dixerit tibi cogitatio tua. Quid faciemus? respondebit tibi Elisæus. Noli timere, quia plures nobiscum sunt, quàm cum illis, & orabit, & dicet. Domine aperi oculos puellæ tuæ, vt videat: & apertis oculis videbis igneum currum, qui te ad exemplum Eliæ in astra sustollat, & tunc læta cantabis. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*. Et CHRY. in Genesin. *Audi Christum dicentem. In mundo afflictionem habebitis, sed confidite. Vt ne audita tristitia spe excidant, statim fiduciam eis affert, & suam pollicetur gratiam. Sed confidite, ego vici mundum. Habes, inquit, eum qui grauia alleuiet, qui non permittet te submergi ab illatis tentationibus, qui cum tentatione & exitum præbet, & non permittet supra nostras vires inferri grauia. Quid tristaris? quid mœres? quare tam abiecto animo es? Si quæ nostra sunt attulerimus: patientiam dico, & fortitudinem & mentis gratitudinẽ, nos sinet despici? num & si desperatæ sint res, vincere possint sapientiam Domini nostri?* ROBORARI autem potest fiducia tua mirum in modum in tentatione. Primò, si cogites, quod vt nauclerum tempestas, athletam stadium, ducem pugna, ita Christianum tentatio probet, vt loquitur B. Basilius, an constans sit, & fiduciam habeat in Deo. 2. si cogites dæmonem nihil posse nisi ei permittatur, vt liquet ex eo, quod apud Lucam refertur eos ne porcos quidem, nisi annuente Christo, ingredi potuisse. 3. si cogites, nec Deum pati, vt grauius hominem tentet, quàm ferre queat, *Nõ patitur nos tẽtari*, inquit Apostolus, *supra id, quod possumus*. 4. si cogites, ex mandato diuino Angelos nobis pugnantibus adesse. *Angelis suis mandauit de te*, ait Dauid, *vt custodiant te*, in omnibus viis tuis. 5. quia interno solatio non destituit afflictos. *Consolatur nos*, inquit Apostolus, *in omni tribulatione nostra*, quod omnibus armis fortius esse docet Chrysostomus in epistolam secundam ad Corinthios. 6. Deus ipse adest nobiscum in tribulatione, sicut erat cum S. Antonio. *Cum ipso sum*, inquit in Psalmis, *in tribulatione*. 7. si cogites te gratia Dei munitum longè esse fortiorem dæmone, vt docet B. Gregorius in libro 34 moralium 8. dæmonem non ante homini præualere, quam bonis cogitationibus eum exuerit, vt apud Cassianum collatione octaua tradit S. Antonius. Hoc autem facere ipse, aut rescisscere non potest, nisi nosipsos exter-

Isa. 30. Psal. 25. 1. Psal. 26. 13. Hebr. 6. 18. Hier. ep. 22. de custod. 4. Reg. 6 16. Psal. 123. 7. Chry. hom. 32. Ioann. 16. 33. Bas. hom. 8. in anaros. Luc. 8. 32. 1. Cor. 10. 13. 2. Cor. 6ò. 11. Chry. hom. 1. Psal. 90. 15. Psal. 90. 15. Greg. c. 7. Cass c. 19.

nis gestibus prodamus. 9. eundem dæmonem intrare quidem mentes iustorum posse. tamen in eis non posse morari, vt docet idem Gregorius in 27. moralium. Nam licet illicita suggerere possit, prævalere tamen non potest. 10. imo B. Chrysostomus in epistolam ad Ephesios scribens nos ne quidem ad luctam cum dæmone cogi, nisi ex nostra socordia.

Greg c.17.

Chry.hom. 22. & hō.54.in Act. Apost.

X. REMED. Vsus consignandi se signo crucis in tentatione. Omnes enim Patres docent plurimum valere formationem crucis, etiam ad ipsos dæmones pellendos. S. Ephræm. Hoc signo conspecto aduersariæ potestates conterritæ trementesque recedunt. S. GYRILLVS monet vt hoc signum ostentemus audacter. *Quando enim dæmones*, inquit, *vident crucem, recordãtur crucifixi.* S. Aug. quoque docet, *omnia dæmonum machinamenta virtute crucis ad nihilum redigi.* Exempla eorum, qui signo crucis tentationes dæmonis repulerint, sunt innumera. Primum sit S. ANTONII, quitste B. Athanasio in summo tentationum æstu dicebat. *Si quid valetis, si vobis in me potestatẽ Dominus dedit, ecce præsto sum deuorate concessum: si verò non potestis, cur frustra nitimini? Signum enim crucis & fides ad Dominum inexpugnabile nobis murus est.* Alterum est S. Hilarionis, de quo, cum mirè agitaretur à dæmonib. ita scribit Hier. *Intellexit dæmonum ludibria & prouolutus genib. Christi crucem signauit in fronte, talique armatus casside, & lorica fidei circumdatus, iacula fortius præliabatur.* Tertium B. Martini, de quo Sulpitius. *Frequenter diabolus dum mille nocendi artibus sanctum virum conabatur illudere, visibilem se ei formis diuersis ingerebat, aduersus quem semper interritus signo se crucis & orationis auxilio protegebat.* Adde quartum Iuliani Cæsaris, qui licet apostata esset Christianæ religionis, tamen signo crucis ex more contra terrores expresso dæmones fugauit, Ita docet Greg. Nazianzenus. *Ad crucem*, inquit, *confugit, eaque se aduersus terrores consignat, eumq; quem persequebatur in auxilium adsciscit. Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. Quid deinde? uicisti malum, rursus ad audaciam redit, rursus aggreditur, rursus iidem terrores vrgent, rursus obiecto signaculo dæmones conquiescunt, perplexus quæ hæret disipiunt.* Idem habet Theodoretus libro 3. hist. c. 3.

Athan. in eius vita.

Hier. in. vita.

Sulp. in vita.

Greg. orat. 1. in Iulian.

XI. REMED. Prudentia spiritualis in cognitione sui, suarumq; affectionum & propensionum. Magis enim, vt monet alicubi Aug. dæmon *timendus est cum fallit, quam cum sæuit.* Fallit autem, cum insidias suas nobis struit accomodatè ad nostras propensiones & affectus. *Multimodæ* inquit B. Basilius, *sunt diaboli insidiæ & alios aliter decipit. Ad quod enim prouerum conspexerit, ad id propriis vtitur delinimentis atque illecebris.* Et AMB. *Tunc enim maximè insidiatur aduersarius, quando videt nobis passiones aliquas generari: tum fomites mouet, laqueos parat, &c. Explorat aduersarius nostra arma, concutit sua tela. Si viderit moueri me inserit aculeos suos, vt seminaria iurgiorum excitet. Si enim sero verbum indecorum, laqueum suum struit. Interdum mihi quasi escam propinat*

Aug in. Psal 39.

Basil in varios scrip locos.

Amb. 1 offic c. 4

vinci-

vindictæ possibilitatem: vt dum vindicare cupio, ipse me inseram laqueo, & nodum mihi mortis astringam. Et B. Greg. *Prius conspersionem vnius cuiusque antiquus aduersarius perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namq; lætis alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quia enim lætitiæ voluptas iuxta est, lætis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia facile in iram labitur, tristibus poculum discordiæ porrigit. Quia timidi supplicia formidant, pauentibus terrores intentat. Singulis igitur hominibus vitiis conuenientibus insidiatur.* Vbi ergo eiusmodi propensiones malas in te cognôris, coneris eos per quotidianum Examen conscientiæ euellere, vt fuse docet Cassianus collatione quinta, sic enim obsequeris monito Apostolico Ephesiis dato, dum ait, *Nolite locum dare diabolo.* Qui enim animi sui inordinatas affectiones non coercet, materiam illi tentandi præbet. Greg. 29. mor. c. 14. Cass. 014. Eph. 4. 27.

XII. REMED. Expugnata vna tentatione, ne putes te securum ab alia. Hoc enim ingenium dæmonis est, quemadmodum liquet ex tentationibus Christi, vt vna discussa, comparet se ad aliam, *Dormitantes nos,* inquit Chry. *expergefacere solet, & religiosores facere tentationum natura. Cum igitur videris dilecte tentationem nunc quidem extinctam, rursum autem accensam, ne concidas, neu refugias: sed bonam spem teneamus, illud intra nos ratiocinantes, quod Deus non auersatus nos inimicorum manibus tradit, sed studiosores, & sibi magis familiares facere volens* Et S. BAS. *Falle voluptates, ab eis te per gradus auocans, illarum q; singulatim extinguens consuetudinem, vt ne confertim, & velut agmine facto ad vnam omnes in te irritatæ cooriantur, turbulentam q; tentationum intemperiem tibi accersant. Vnam talium illicium voluptatum, si viceris, mox ad alteră accingitor, aciemque instruito spiritualem: sic enim non intempestiuam de singulis vitæ pristinæ illecebris consequere victoriam.* Matth. 4. Chry. hom. 18 ad pop. Bas. ep ad Chilonem.

XIII. REMED. Fuge occasiones omnes tentationum. *Qui enim amat periculum,* ait Sapiens *peribit in illo. Et qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Ideo,* inquit B. Chry. in Matthæum *oramus, ne intremus in tentationem, quia eas quæ vere non debemus.* Appôsitè Seneca, ad Lucilium. *Quantum possumus, à lubrico recedamus. in sicco quoque parum firmiter stamus.* Illustre exemplum huius antidoti exstat apud Gassianum, de eremita, qui missum ad se ex patria fasciculum litterarum ne resignare quidem voluit, sed in ignem coniecit dicens. *I ne cogitationes patriæ pariter concremamini, nec me vlterius ad illa quæ fugi, reuocare tentetis.* Idem fecit noster B. P. Ignatius teste Ribadineira in eius vita. Eccli. 3. 27. & 13 1. Chry. hom. 13. Sen. ep. 117. Cassi. 5 c. 32. Rib. l. 5. c. .

XIV. REM. Refugium ad Patrem spiritualem. Quod est pro tyronibus religiosarum familiarum, & scrupulosis, de quo plura in V. Conscientia scrupulosa Et V. Iudicium proprium.

VIDE V *Curiositas. Illusiones Spirituales. Impatientia in aduersis. Luxuria. Peccatum.*

TEPIDITAS SPIRITVALIS.

Remedia contra Tepiditatem.

I. REMED. Considera hanc Tepiditatem vel languorem spiritualem à Spiritu sancto improbari in sacris litteris. Nam Salomon in Prouerbiis suis ait. *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Et Ieremias *Maledictus, qui opus Dei facit negligenter.* Et Christus apud Matthæum. *Omnis arbor, quæ non facit bonum fructum excidetur & in ignem mittetur.* Et, *Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores.* Et. *Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Et B. Iacobus. *Scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illi.* Et B. Ioannes in Apocalypsi. *Vtinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.*

Prou. 18. 9.
Ier. 48. 10.
Matth. 3. 10.
Matth. 25. 30.
Matth. 11. 12.
Iac. 4. 17.
Apoc 3. 15.

II. REMED. Considera, quemadmodum tepidorum Religiosorum mores (nam de his maximè agimus) descripserint religiosi Patres. Ac IOAN. Cassianus quidem libro monasticarum institutionum decimo describit his verbis. *Tepiditatem hanc nonnulli senum esse pronunciant meridianum dæmonem qui in psalmo nonagesimo nuncupatur. Qui cum miserabilem obsederit mentem, horrorem loci, fastidium cellæ, fratrum quoque qui cum eo vel eminus commorantur, tanquam negligentium ac minus spiritalium aspernationem gignit atque contemptum. Ad omne quoque opus, quod intra septa sui cubilis est, facit desidem & inertem. Non eum in cella residere, nec operam finit impendere lectioni, nihilque se proficere tanto tempore in eadem commorantem ingemiscit, donec fuerit illi cõsortio copulatus conqueritur atque suspirat, & ab omni se dolet spiritali quæstu inanem, in locoque vacuum consistere, vtpote qui cum posset etiam alios regere ac prodesse plurimis, nullum adificauerit, nec quenquam institutione sua doctrinaque lucratus sit. Absentia, longeq; posita magnificat monasteria, econtra vniuersa quæ habentur in manibus aspera. Pusillanimo non posse se saluari putat in eo loco durantem, nisi relicta cella. Tum præterea huc illucque anxius circumspectat, & nec fratrem sibi quenquam aduentare suspirat, sicut nulla re alia tantæ oppugnationis remedium, quam visitatione fratris cuiuspiam, seu somni solius solatio posse æstimet inueniri. Deinde honestas idem morbus ac necessarius suggerit salutationes fratribus exhibendas, visitationesque infirmorum vel eminus, vel longius positorum. Quædam etiam pia ac religiosa dictat officia, illos vel illas debere parentes inquiri, & ad salutandos eos crebrius properari, illam religiosam, deuotamq; Deo feminam, omni præsertim parentum præsidio destitutam magnum opus esse pietatis frequentius inuisere, acsi quid ei sit necessarium, quæ à propriis parentibus negligitur atque despicitur, sanctissimum procurari, magisque oportere in his operam pietatis impendi, quam infructuose, ac sine vllo profectu in cellula residere.* S. Bern. vero in sermone de Ascensione Domini ita scribit. *Aduertere potes in omnibus fere religio-*

Cassian. 2. 3. 4. Psal. 90. 6.

Bas. serm. 6.

religiosis congregationibus viros repletos consolatione, superabundantes gaudio, iucundos semper & hilares, feruentes Spiritu die ac nocte meditantes in lege Dei, crebro suspicientes in cœlum, & puras manus in oratione leuantes, solicitos obseruatores conscientiæ, & deuotos sectatores bonorum operum, quibus amabilis disciplina, dulce ieiunium vigiliæ breues, labor manuum delectabilis, & vniuersa deniq; huius conuersationis austeritas refrigerium videatur. Contra sanè inuenire est homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere, virga & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est, quorum breuis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuersatio: quorum obedientia sine deuotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione, quos denique, vt videmus, vix geheunæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coercet. Idem sermone Id serm. 65. quodam in Cantica circa finem in hunc modum depingit mores frigidorum vel tepidorum nouitiorum. *Hoc frigus,* inquiens, *si semel animam inuaserit, mox (vt in corpore solet euenire febricitantibus) subit quidam animi rigor, & vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor solicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, Spiritus extinguitur, deferuescit nouitius feruor, ingrauescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna caritas, blanditur voluptas, fallit securitas, reuocat consuetudo. Quid plura? dissimulatur lex abdicatur ius, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremo impudentiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia & confusione saltus de excelso in abyssum, de paimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de claustro in seculum, de paradiso in infernum.* S. BERNARDO adiungo BERNARDINVM Rosignolium Societatis Iesu Theologum, qui accommodate ad hæc tempora in libris de disciplinæ Christianæ perfectione accuratè persecutus est hominis tepidi indicia, nempe hæc: Bernardin. lib. 2. c. 19.

1. Orare sine attentione & feruore Spiritus.

2. Meditari res diuinas sine animi sensu, affectu, fructu.

3. Difficulter se expedire ab hominum frequenti, nec vtili congressione & colloquio.

4. Ægrè redire ad seipsum, & nunquam aut rarò admodum in cor suum dissipatum animum cogere.

5. Examinare conscientiam, & seipsum inspicere quasi per transennam, & strictim absque compunctione, proposito, & emendatione.

6. Latè, libenterq; se diffundere in omnes res exteriores, non hominum salutis procurandæ, sed tedii sui mitigandi causa.

7. Consolari se, quæsitis solatiis ex rebus creatis, aut excogitationibus inanibus.

8. Liberè de aliis loqui, & eadem libertate aliorum facta, dictaue obseruare & reprehendere.

9. Grauiter ferre disciplinam religiosam, si religiosus sis, & omnem admonitionem aut correctionem, quæ olim iucundissima fuisset, insuauem, intempestiuam, intolerabilem existimare.

10. Ad otiosam vitam aspirare, & subterfugere labores ad animarum auxilium fructuosos & necessarios: permittereque, vt earundem zelus omninò languescat: quæ grauis est culpa iis, quibus animarum cura aliqua commissa est.

11. Obedire maioribus, patribus spiritualibus, aut etiam legibus quibus tenetur, sine vlla animi consolatione, imò cum fastidio lentè, frigide, inuitè.

12. Optare sibi ab hominibus honorem haberi, & ab illis se multum amari, hominum blanditiis, & forte etiam assentationibus delectari.

13. Existimare vocationem laborum suis meritis iam deberi, & immunitatem, qua careant alii, dandam sibi. Et si hæc forte alicui minima videantur, illa sine dubio maiora sunt, videlicet.

14. Frigere iam sacramentorum vsum, nec ea amplius frequentare, vt inceperas.

15. Sacras conciones non audire: spirituales & vtiles libros non euoluere, vel certè rarò & fastidiosius.

16 Occasiones peccatorum minimè vitare vt antea, idcirco quia tibi multum, tuisque viribus fidis, quæ temeritas est maxima, atque occultior superbia. ita enim tepidus imprudens prouehitur in altum mundanorum fluctuum; fitque quo minus secum reputat, eo magis periculo propior.

17 Indulgere tibi, tuoque corpori deseruire, & paulatim quicquid salutari pœnitentia astrinxeras, relaxare molliore viuendi ratione.

18. Memoria replicare pristinos mores, & mundanorum hominum felicitatem, eoque mentis cæcitate induci, vt mundi voluptates, & deliciæ, quæ prius somnia, ludibriaque, vti sunt, videbantur, non displiceant, vt antea, arridere & incipiant potius, ac præclara, quædam bona videantur.

19. Diuinos instinctus, quibus ad seueritatem vitæ, & Christianam disciplinam subinde excitaris & impelleris, vel non aduertere, vel dissimulare, & in aliud tempus differre, vel quod deterrimum est tepiditatis genus, etiam negligere.

20 Spiritualibus Patribus non auscultare, vti consueueras, & quanquam eorum consilia præsens probas, absentem facto ab eis discrepare, clam te subtrahere, & ab eorum magisterio, curaque refugere.

III. REMED. Considera tepiditatem è diametro pugnare, cum instituto & professione hominis religiosi. Proprium siquidem religiosi, imò Chri-

Christiani hominis est tendere ad perfectionem vitæ Christianæ, ac proinde & proficere in dies in studio virtutis. DEVS enim vult omnes suos discipulos esse perfectos, dicens. *Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.* Et S. Iacobus. *Vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Tepidi verò sunt, qui nihil cogitãt de progressu in pietate, nec ad maiorem perfectionem aspirant. Contra quos ita scribit AVG. *Quantumcunq; hic vixerimus, quãtumcunq; hic profecerimus, nemo dicat, sufficit mihi, iustus sum: qui dixerit, remansit in via, non nouit peruenire. Vbi dixerit, sufficit, ibi hæsit. Attende Apostolum, cui non sufficit. Fratres, inquit, ego me non arbitror apprehendisse. Et rursum dicit. Qui se putat aliquid scire, nondum scit, quemadmodum eum oporteat scire. Vnum autem quæ retro sunt obliti, in ea quæ ante sunt extentus secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis. Ille ergo currit, tu hæsisti? ille dicit nondum se perfectum, & tu iam de perfectione gloriaris? Confundantur qui dicunt tibi, euge, euge. Confundaris & tu inter illos, qui tibi dicis, euge, euge.* Clarius S. BERN. ad Abbatem Garinum. *Nunquam, inquit, iustus arbitratur se comprehendisse, nunquã dicit, satis est: sed semper esurit sitit q; iustitiam, ita vt si semper viueret, semper quantum in se est, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur.* Et paulo post *Vbi sunt, qui dicere solent. Sufficit nobis, nolumus esse meliores, quàm Patres nostri, O monache, non vis proficere? Non. Vis ergo deficere. Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, viuere volo, & manere in quo perueni, nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. Quid enim stat in hoc seculo? Ipse denique hominis seculique auctor, quamdiu in terris visus est, & cum hominibus conuersatus nunquam stetit. Et quidem, teste scriptura, pertransiit bene faciendo, & sanando omnes. Pertransiit ergo, sicut non infructuosè, ita non remissè, non pigrè, non lento gressu, sed quemadmodum item de eo scriptum est. Exultauit vt gigas ad currendam viam. Percurrentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest Christũ sequi si non contingat consequi? Ideò Paulus aiebat. Sic currite, vt comprehendatis, &c. Quod si illo currente tu gradum fistis, non Christo appropias, sed te magis elongas, timendum q; tibi est, quod ait Dauid Ecce, qui elongant se à te Domine peribunt. Itaq; si proficere currere est, vbi proficere, ibi & currere desinis. Vbi verò non currere, ibi & deficere incipis. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere, non nisi deficere est.*

Matth. 5. 48. Iac. 1. 4. Aug. in psal. 69. Phil. 3. 13. 1. Cor. 8. 2. Bern. ep. 253. Act. 10. 38. Psal. 18. 6. 1 Cor. 9. 24. Psal. 72. 27.

IV. REMED. Considera tepiditatis pericula, præcipue tria. Primum est, faciendi præteritorum meritorum iacturam, vt monuit B. GREG. in Pastorali. *Admonendi sunt, inquit, qui inchoata bona minime consummant, vt cauta circumspectione considerent, quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta conuellunt. Si enim quod videtur gerendum solicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. In hoc quippe mundo humana anima quasi more nauis est contra ictum fluminis condescendentis, quæ vno loco nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non subleuat, ipsa operandi remissio*

Greg. 3 p. c. 35.

contra

contra hoc quod operatum est pugnat. Hinc est enim, quod per Salomonem dicitur: Qui
Prou.18.9. *mollis & dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis.* ALTERVM est, dandi occasionem grauiori ruinæ. Qui enim in virtute progredi non
Apoc.3.16. vult, quasi ianuam occludit inspirationi diuinæ ac proinde exponit se pe-
Cass coll.6.c.17. riculo ne abiiciatur vel euomatur, vt loquitur Apocalypsis, à Deo. Et
bene notauit IOA. CASSIANVS. *Lapsus, quispiam,* inquiens, *nequaquam*
subitanea ruina corruisse credendus est, sed aut praua institutionis dispendio
Prou.16.18. *per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente & per hoc sensim vitiis*
increscentibus casu miserabili concidisse. Ante contritionem enim praecedit ruina, & ante
ruinam mala cogitatio: quemadmodum domus nunquam subitaneo ad ruinam pro-
cumbit, impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantiu defluxi-
bilicidiis primum paruissimis penetrantib. corrupta sensim fuerint munimenta tectorum.
TERTIVM periculum est, nunquam emergendi ex gurgite tepiditatis. Vnde GREG. loco iam citato. *Sicut ante teporem frigus subsecit, ita post fri-*
gus tepor in desperatione. Qui enim adhuc in peccatis est, conuersionis fiduciam non
amittit. Qui verò post conuersionem tepuit, & spem quæ esse potuit, de peccatori sub-
Cass coll.4.c.19. *traxit.* Fusius CASSIANVS. *Qui semel tepido exordio initio monachi capit abuti exor-*
dio, nec tamen humilitate ac feruore, quod debuit, iter huius professionis arripuit, infe-
lix semel hac miserabili lue, & in ea quodammodo resolutus, nec ex se vlterius perfici
Apoc.3.16. *sapere, nec alterius poterit monitis erudiri. Dicit enim in corde suo secundum illam*
Domini sententiam, quia dives sum & locuples, & nullius egeo. Cui illud quoque, quod
subsequitur consequenter aptabitur. Tu autem es miser & miserabilis, & pauper, &
cæcus, & nudus: in eo factus etiam seculari deterior, quod nec miserum se, nec cæcum
aut nudum, aut emendatione dignum, vel egere monitis alicuius, aut institutione cog-
noscit, & ob hoc nec exhortationem quidem vllam verbi salutaris admittit, &c. Fre-
quenter enim vidimus, de frigidis atque carnalibus, id est, de secularibus atque paganis
ad spiritalem peruenisse feruorem: de tepidis atque animalibus omnino non vidimus.
Bern. ep. 96. Cum qua sententia congruit illud B. BERN. ad Richardum Fontanensem
Abbatem, eiusq; socios. *Multo facilius,* inquit, *reperias multos seculares conuerti*
ad bonum, quam vnum quempiam de Religiosis transire ad melius. Rarissima auis in
terris est, qui de gradu, quem forte in religione semel attigerit, vel parum ascendat.
Id. serm. 6. V. REMED. Considera, quam infelix & miserabilis sit tepidorum status. *Non tibi horum,* ait BERN. in sermone de ascensione Domini, *vitam*
ferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectui re-
pugnante necesse habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minime de-
lectantur, socij plane tribulationis, sed non consolationis. Exurgamus obsecro, quis-
cunque eiusmodi sumus, resarciamus animas, Spiritum recolligamus abiicientes pe-
riculosam tepiditatem, etsi non quia periculosa est & Deo solet, (vt interdum miser-
abiliter plangimus) etiam vomitum prouocare: certe quia molestissima: plena miseriæ
& doloris, & inferno planè proxima vmbra mortis iure censetur.

VI. Re

VI. REMED. Considera, quanti Deus faciat feruorem Spiritus è diametro repugnantem spiritui tepiditatis. *Neque enim Spiritus & caro*, inquit alicubi B. BERN. *ignis & tepiditas in vno domicilio commorantur, præsertim cum tepiditas ipsi Domino soleat vomitum prouocare.* Primum, Deus ipse *ignis consumens est*. vt est in Deuteronomio. Consumens, nimirum tepiditatem, omnesq; imperfectiones nostras. *Est Deus in nobis*, ait quidã Poeta Ethnicus, *agitante calescimus illo*. Deus nunquam à labore cessator est. *Pater meus* inquit Christus apud Ioannem, *Vsque modo operatur, & ego operor*. Deinde Deo proximi Angeli ab ardore, vel incendio, teste B. Hieronymo, dicuntur Seraphin. Et omnes pinguntur alati, ob promptitudinem in exequendis Dei mandatis salutèque nostra procuranda. Quod ad homines attinet, fidelis populi Duces summi non alii electi sunt, quam qui zelo diuino arderent; vt in veteri testamento Iudaici populi Moyses, Dauid & alii. In nouo gentilis, B. Paulus & Petrus. Ex Apostolis quoque Christus cariores habuit Petrum, Ioannem & Iacobum maiorem, ob eorum ardorem. Martyrum memoriam omnibus sanctis anteponit Ecclesia ob eximium in fide & caritate, qua flagrarunt, ardorem. Quid aliud primos anachoretas Paulum, Antonium, Macarios, Arsenium, Pachomiũ, alioſque innumerabiles, ac imprimis Ordinum religiosorum primos auctores & fundatores tam celebres reddidit, nisi ignis cœlestis, quo pectora eorum atserunt, totumque mundum ad imitandum inflammarunt? S. Franciscus Seraphicus, totus in amore Dei vt carbo ignitus, auctore B. Bonauentura, etiam hyeme vnica tantum veste contentus erat, affirmans, *non posse frigere foris, qui intus calesceret*. Noster quoque Franciscus Xauerius inter labores conuersionis Indiarum nonnunquam ita ardebat, vt acclamare cogeretur ad Dominum. *Satis est*. Nemini hunc ignem negat, qui apud Lucam dixit. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?*

Bern. serm. 3. de ascens.

Deut. 4. 24. Heb 12. 29. Ouid. 6. fast.

Ioan. 5. 17.

Hier. ep. ad Damas. 162.

Bonau. in eius vita.

Horat. in eius vita.

Luc. 12. 49.

VII. REMED. Si existimes te in eiusmodi tepiditatem labentibus annis incidisse, aut non longe ab ea abesse, securim ad radicem pone, hoc est seriò labora, vt ad pristinum feruorem Spiritus reuertare, non negleto spiritualis Patris, si ad manum sit, consilio. Primum autem firmum in animo de vita emendanda renoua propositum, diuinumq; auxilium implora, vti sancti in omnibus tribulationibus & negotiis grauibus fecere, quo fortiter illud, superatis omnibus, quæ incidere solent, difficultatibus, exequi possis. Secundo confessionem generalem, vel de tota vita, vel de eo temporis interuallo, quo languescere cepisti, cum singulari cordis contritione institue, & ad sacram Eucharistiam accede. Qua sumpta tibi ipse ordinem rationemque meditandi, orandi, pios libellos lectitandi, & alia huiusmodi describe, deinceps accurate obseruanda. Tertio singulis

mensibus, aut maioribus festis, vel bis quot annis idem propositum renoua. Si enim veteres sancti exemplo S. Antonii quotidie soliti erant vitæ instituendæ propositum renouare, vt quotidie ad mortem parati essent, & dicere cum regio Propheta. *Et dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelsi.* Quanto magis nos præcipuis aliquibus totius anni diebus. Experimento in multis hactenus probatum est, renouationem illam crebriorem magnopere profuisse ad conseruandum vel reuocandum veterem feruorem spiritus. Quarto, si tepiditas illa nimis altas in animo tuo radices egisse videatur, vt communi illo antidoto ægrè euelli possint, imitare exemplum eorum, qui Medici corporalis consilio acidulas quantumuis longius remotas petunt, vt potu earum diuturniore inhærentem morbum repellant. hoc est, cum Medici spiritualis consilio in secessu aliquo ab hominum consuetudine separato, recogita cum Ezechia rege omnes superioris vitæ annos in amaritudine animæ tuæ, commentationes aliquas de fine ad quem à Deo conditus es, de variis Dei beneficiis in te collatis, de peccatorũ grauitate, de mundi vanitate, de hominis nouissimis de vita passioneq; Christi Domini institue, experierisq; hac solitaria Spiritus exercitatione tantum in animo ignem accendi, vt tepiditas ista suum deinceps retinere non possit. Hanc secessionem discipulos docuit Christus, cum apud Marcum eis dixit. *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.* Quo loco EVTYMIVS sic habet. *Docemur hinc oportere. Et sic magistros non semper se exponere multitudini, sed cum datur opportunitas, retrahi ac solitarios esse mentemque ab exteriori distractione reuocare.*

Athan. in eius vita.

Psal. 76. 11.

Isai 38. 15.

Marc. 6 32.

VIDE. V. *Accedia. Desolatio spiritalis. Distractio. Immortificatio passionum. Inconstantia. Ingratitudo. Linguæ abusus. Otium. Pigritia. Præsumptio. Procrastinatio. Pusillanimitas. Tristitia.*

TIMOR HVMANVS SERVILIS.

Remedia contra Timorem Humanum.

I REMED. Considera quid diuina scriptura dicat de timore humano vel mundano, quo quis perculsus non veretur transgredi legem Dei vel S. Ecclesiæ: cuiusmodi fuit Petri Apostoli, dum negauit Christum, & Iudæorum, qui timentes ne tota gens periret, eundem occiderunt. Scriptura autem improbat hunc timorem, & ab eo dehortatur. Nam Salomon ait. *Qui timet hominem, cito corruet.* Et Iob. *Qui timent pruinam, irruet super eos nix.* Et Ecclesiasticus. *Sicut pali in excelsis, & cæmenta sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt: sic & cor timidum in cogitatione stulta contra impe-*

Matth. 26. 70.

Prou. 29. 25. Iob. 5 16. Eccli. 22. 22.

gressionis non resistet. Et Christus apud Lucam. *Dico vobis, amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant.* Et B. Petrus. *Quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Timorem autem eorum ne timueritis & non conturbemini.* Et B. Ioannes. *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet.* Et in Apocalypsi. *Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.*

Luc.12.4.
1.Pet.3.13.
1.Ioan.4.18.
Apoc.21.8.

II. REMED. Considera SS. Patrum sententias. S. BASILIVS *Non quiuis timor bonus est aut salutaris. Est enim quidam hostilis timor, quem propheta deprecatur, ac petit, vt ne animæ inferatur suæ, dicens. A timore inimici eripe animam meam. Hostilis enim hic timor nobis ingignit mortis timorem, atque vt toti contrahamur pauore ad fastum personæ eminentis persuadet. Quomodo ergo hæc metuens martyrij tempore poterit vsq; ad mortem aduersus peccatum resistere?* S. AMB. *Nihil tam speciale seruitutis est, quam semper timere. Ille verò in quauis conditione seruitii semper liber, qui amore non capitur, auaritiæ vinculis non tenetur, metu criminis non alligatur, qui securus spectat præsentia, quem futura non terrent.* S. Chry. *Hæc autem nunc dico & omnes excerpo historias, in quibus tentationes & tribulationes, & regum iræ & insidiæ sunt, vt nihil timeamus, nisi tantummodo DEVM offendere. Etenim & tunc fornax accensa erat: illi verò hanc quidem contempserunt, peccatum autem timuerunt.* S. Hier. *Non dicam mulierem, sed hominem formidare, de animi perturbatione descendit, quæ vitio carere non potest, dicente Dauid. Dominus auxiliator meus, non timebo, quid facit mihi homo.* Et rursus. *Duo sunt timores Domini. Prior seruilis, qui principium scientiæ vel sapientiæ vocatur, secundus amicalis qui perfectiorem sapientiam comitatur. Timor seruilis principium sapientiæ est, quia quis quis post errorem delictorum sapere incipit, primo timore diuino corripitur, ne ad tormenta ducatur: sed hunc timorem perfecta dilectio foras mittit: succedit autem timor Domini sanctus permanens in seculum seculi, quem non excludit sed auget caritas. Ipse est, quo timet filius bonus, ne vel in modico oculos amantissimi patris offendat. Nam inchoatiuo timore seruilis adhuc animus metuit, ne abirato Domino pœnis subigatur.* S. AVG. *Illi, qui Christo dixerunt, non est DEVS, ibi timuerant vbi non est timor. Dixerunt enim. Si dimiserimus eum, venient Romani, & tollent nobis locum & regnum. O stultitia & imprudentia, dicens in corde suo, non est Deus. Timuisti perdere terram, & perdidisti cælum: timuisti ne venirent Romani, & tollerent tibi locum & gentem, nunquid tibi tollerent Deum? Quid ergo restat? Quid, nisi vt iam fatearis, quia tenere voluisti & tenendo malè amisisti. Perdidisti enim & locum & gentem occidendo CHRISTVM.* Et iterum. *Timor, quo non amatur iustitia, sed timetur pœna, seruilis est, quia carnalis est. Viuit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas, Cum verò pœna creditur secutura, latenter viuit, viuit tamen. Malet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat: quia non spiritaliter delectatur*

Basil in Psal.33.
Psal.63.2.
Amb.de Ioseph.c.4.
Chry.hom.6 ad pop.A.
Hier lib.2.in Pelag.
Id in c.1.Prou.
1.Ioan.4.18.
Psal.18.19.
Aug.in Psal.42 Psal.13.1.
Ioan.11.48.
Id in Psal.118. conc.25.

eius bono, sed carnaliter malum metuit, quod minatur. Timore autem casto quo hunc timorē foras mittit, peccare timet caritas, etiamsi sequatur impunitas. S. Bern. ep. 87. ad Ogerium canonicum regularem. *Vides certe, quem timorem tibi inuadere nitor, non qui tibi sit laqueus desperationis, sed qui spem acquirat beatitudinis. Talis timor generat, nutrit & seruat humilitatem, sed mansuetudinem, sed patientiam, sed longanimitatem. Quem non delectat tam inclyta proles? Alterius verò misera sobolis est pertinacia, immoderata tristitia, rancor, horror, contemptus & desperatio.*

III. REMED. Cogita Deum præsentem omnibus actionibus tuis adesse, & non facile metu alicuius alterius diuinam legem præuaricabere. Hoc vtebatur rex Dauid, ne à suo proposito facile dimoueretur. *Prouidebam,* Psal. 15. 8. inquiens, *Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.* 3. Reg. 17. Eodem se muniebat Elias Thesbites, cum diceret ad Achab. *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Hoc clypeo tectus B. Paulus in prædicando Dei verbo omnem timorem principum & aliorum abiiciebat. Vnde cum aliquando vt est in Actis Apostolorum, periculum esset ne discerperetur à Sadducæis, Act. 23. 11. *sequenti nocte,* inquit Lucas *assistens ei Dominus ait. Constans esto. Sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.* In epistola verò altera ad Timotheum ipse de se ita scribit. 2. Thim. 4. 16. *In prima defensione, nemo mihi affuit. Dominus autem mihi astitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur.* Quæ loca S. Patres etiam de visibili præsentia Christi intellexerunt. Eadem de causa in summo cum dæmonibus certamine S. Antonio astitit Christus, eiusque vulnera sanauit, vt narrat in eius vita S. Athanasius. Sic Romæ astitit Petro ante passionem, vt robur illi adderet ad omnia mala perferenda pro Christi nomine. Nam cum Petrus diceret *Domine quo vadis?* respondit. *Vade Romam iterum crucifigi.* Ita refert S. Ambrosius in oratione contra Auxentium, & Athanasius in Apologia pro fuga sua. Vnde S. Basil. Psal 33. BASILIVS in quadam homilia, hoc remedium indicans sic loquitur. *Qui dæmonum imaginatione facile consternatur & expauescit hostilem in se timorem habet. Omninò autem timor huiusce modi perturbatio, nimirum animæ esse videtur progenita ex infidelitate. Nam qui Deum vt adiutorem fortissimum credit sibi adesse, nullius vim se inuadentis pertimescit, nec facile commouetur.*

IV. REMEDIVM. Clauum clauo pelle, hoc est, timorem minoris Domini, expugna timore maioris, nempe Dei: & timorem minoris confusionis vel pœnæ, timore confusionis maioris, nempe futuræ in die iudicii extremi, vel pœnæ maioris, nempe sempiternæ inferni. Hoc antidoto post acceptum Spiritum sanctum vsus est B. Petrus Apostolus, Act. 5. 29. cum, vt est in Actis Apostolorum, Sacerdotum Principe præcipiente, ne amplius docerent in nomine IESV, audacter respondit. *Obedire oportet DEO magis quam hominibus.* Et ante illum casta Susanna, cum, vt est

apud

apud Danielem sola à peruersis duobus senibus deprehensa in pomario, Dan.13.22.
ait. *Angustiæ mihi sunt vndique. Si enim hoc egero mors mihi est. si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absq; opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini*: & exclamauit voce magna. Deinde Eleazarus 2.Mach.6.26.
in Maccabæorum historia, è scribarũ primoribus vnus, ætate nonagenarius, dum coactus ab impio rege carnes porcinas comedere contra Dei legem, respondit, *Etsi* (vel carnes vorando porcinas, vel simulando me orare) *in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec viuus nec defunctus effugiam*. Eodem remedio vsi sunt plerique omnes mar- Matth.10.28.
tyres pro Christi fide trucidati, memores dicti Christi. *Noli timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui po-* Chry.hom.6.
test & animam & corpus perdere in gehennam. Eodem pertinet quod B. Chrysostomus ad populum Antiochenum occasione trium puerorum ab Nabuchodonozore ad clibanum ardentem damnatorum dixit. *Tunc* inquiens, *fornax accensa erat, illi verò hanc quidem contempserunt, peccatum autem timuerunt. Magnum enim supplicium peccare, etiamsi non puniamur; peccata enim nos á Deo separant. sicut & ipse dicit, Nonne peccata vestra separant inter vos & me? Pœnæ* Sap.1.3.
verò nos ad Deum perducunt. Inquit enim. Da nobis pacem, omnia enim retribuisti nobis. Si quis vulnus habeat, quid timere dignum est? saniem, an medici sectionem? peccatum, sanies est, pœna ferrum medicinale. Sicut igitur saniem habens, & si non secatur, male habet, & cum non secatur, tunc est in maioribus malis: ita peccans, etiamsi non puniatur omnium est miserrimus, & tunc maximè miser, cum non punitur, & graue nihil patitur. Sic S. Basilivs loco citato, *Si quando senseris te ad aliquod cieri* Bas. in ps. 33.
peccatum, in mentem reuoca nulli mortalium tolerabile Christi iudicium, in quo quidem præsidet iudex in sublimi throno: astabit porro omnis creatura ad eius aduentum contremiscens. Eo singuli sistentur examinandi de his, quæ gesserint in viuis. Eos autem qui multa perperam in vita admiserunt horrendi quidam circumstabunt angeli ignem expirantes, & vultum nobis similem præferentes, pro hominum mœrore atque odio. Deinde conspicient barathrum in imum patens impermeabiles quidem illas, ignemque obscurum, caustica quidem vires habentem, luce verò destitutum. Inde vermes innumerabiles venenosos & carniuoros, semper esitantes nunquam saturos, & intolerabiles dolores morsu infligentes. Postremo omnium durissimam pœnam, probrum illud & confusionem sempiternam. Hæc tu time, & eiusmodi timore eruditus quasi freno quopiam, animam tuam ad vitiosam concupiscentiam procliuem cohibe. Hæc contra timorem humanum.

V. Remed. contra timorem seruilem, qui etsi malus non est, est tamen imperfectus, & ideo cum perfecta caritate, teste B. Ioanne consistere nequit. Ad illum autem repellendum B. Greg. in Pastorali suggerit remedium his verbis. *Admonendi sunt, qui flagella metuunt, vt si malis veraciter* 1.Ioan.4.18. Greg.3.p.c.14.
tarere desiderant, æterna supplicia perhorrescant, neque in suppliciorum timore per-

maneant, sed ad amoris gratiam nutrimento caritatis excrescant. Scriptum quippe
1.Ioan.4.18. Rom.8.15. est, perfecta caritas foras mittit timorem. Et rursum scriptum est. Non accepistis spiritum
seruitutis iterum in timore sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba
2.Cor.3.17. pater. Vnde idem Doctor iterum dicit. Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo ab
á praua actione formidata pœna prohibet, profecto formidantis animum nullus spiritus
libertas tenet. Nam si pœnam non metueret, culpam proculdubio perpetraret. Ergo
itaque mens gratiam libertatis, quam ligat seruitus timoris. Bona enim propter se
amanda sunt & non pœnis compellentibus exequenda. Nam qui propterea bonum facit,
quia tormentorum mala metuit, vult non esse, quod metuat, vt audaciam ibi non amittat. Vnde luce clarius constat, quod coram Deo innocentia emittitur, cum cuius
cordis desiderio peccatur.

VI. REMED. contra eundem est, Consideratio diuinorum beneficiorum, quorum tanta est magnitudo & multitudo, vt nullus animus
Aug.l.7.c.31. concipere, nulla lingua ea exprimere possit teste B. AVG. qui in libris de Ciuitate Dei ita scribit. *Habemus à Deo præter huiusce modi beneficia, quæ in hac administratione naturæ bonis malisq; agitur, magnum & bonorum proprium magna dilectionis iudicium. Quanquam enim quod sumus, quod viuimus, quod cælum terramq; conspicimus, quod habemus mentem atq; rationem, quæ eum ipsum, qui hæc omnia condidit, inquiramus, nequaquam valeamus actioni sufficere gratiarum: tamen quod nos oneratos, obrutosq; peccatis, & à contemplatione suæ lucis auersos, ac tenebrarum, id est, iniquitatis dilectione cæcatos non omninò deseruit: misitque nobis verbum suum qui est eius vnicus filius, quo pro nobis in assumpta carne nato atque passo, quanti Deus hominem pendere nosceremus, atque illo sacrificio singulari à peccatis omnibus mundaremur, eiusque spiritu in cordibus nostris dilectione diffusa omnibus difficultatibus superatis in æternam requiem, & contemplationis eius ineffabilem dulcedinem veniremus: quæ corda, quot linguæ ad agendas ei gratias satis esse contenderint?* Hucusque Augustinus. Hæc beneficia si diligenter perpenderis, non poteris non puro & syncero amore Deum diligere, eiusque præceptis exclusis omni timore seruili parere. Si enim bonus filius suo parenti, & bonus discipulus præceptori, memores beneficiorum exiguorum quæ abiis acceperunt, libenter obsequuntur in omnibus non formidine pœnæ, sed virtutis amore, ne eos offendant, quanto magis nos, qui veri filii Dei sumus, & germani discipuli Christi purissimo amore debemus obsequi diuinis præceptis, & non seruili, sed sancto vel casto timore Deum timere?
Aug.serm.19. *Seruilis*, inquit idem Augustinus de verbis apostoli, *timor est, quo times cum diabolo ardere, timor castus est, quo times Deo displicere.*

VII. REMED. contra omnem metum, etiam naturalem est, bona
Iob.15.21. Sap.17.10. conscientia. Vnde Iob de impio sic loquitur. *Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.* Et Sapiens. *Cum enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationi: semper enim præsumit sæua perturba-*

bun

bata conscientia. Et CHRYSOSTOMVS in homila de nequitia depulsa. *Quid improba conscientia molestius? nihil profecto. Nihil adeo nos frangere, vel vrgere consueuit, quàm rei aduersæ, aut mali imminentis expectatio: nihil vnquam adeo nos subleuat, & quasi voltare facit, quam recti conscientia. Quod quidem facile potest in rebus humanis aduerti. Nam qui in carcere sunt capitis damnati, vel si delitiis abundè fruantur, vitam agunt longè molestiorem, quam qui mendicando, nullius mali conscii victitant.* Chry. hom. 12 Cic. pro Milone

Ita M. TVLLIVS. *Magna est vis conscientiæ, & magna in vtramque partem, vt neque timeant, qui nil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccauerint.* Et SENECA ad Lucilium. *Bona conscientia prodire vult, & conspici. Ipsas nequitia tenebras timet.* Et infra. *Proprium est nocentium trepidare.* Sen. ep. 97.

VIII. REM. est magna fiducia in Deum, cum inuocatione diuini nominis, & sanctorum coniuncta. Qua munitus rex Dauid dicebat. *Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo.* Et. *In te Domine speraui, non confundar in æternum.* Et. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commouebitur in æternum.* Psal. 26. 1. Psal 30. 2. Psal. 12. 41.

In quæ verba ita CHRY. *Montem Sion vocat spem in Deum immutabilem, firmam, & constantem, inuincibilem & inexpugnabilem. Quemadmodum enim, etiamsi quis innumerabiles adhibeat machinas, montem nec conuellere, nec labefactare poterit, ita etiam, qui eum aggreditur, qui fiduciam in Deum collocauit, reuertetur domum vacuis manibus. Monte enim longè tutior est fiducia in Deum.* Hoc remedio contra terrores omnes vsi sunt sanctissimi quique prophetæ, vt Moyses, Elias, Daniel. quorum exempla producit S. BASILIVS in oratione de patientia, Basil. orat. 11. alique innumerabiles.

VIDE. V. *Amor sui. Conscientia scrupulosa. Immortificatio passionum. Impatientia in aduersis. Mortis metus immodicus. Pusillanimitas. Tentatio. Tristitia.*

TRISTITIA

Remedia contra Tristitiam.

I REMED. Considera, quid diuina scriptura de ea differuerit. Primo, duplicem tradit esse tristitiam, bonam & malam. Nam Apostolus ita alloquitur Corinthios. *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: seculi autem tristitia mortem operatur.* 2. Cor. 7. 8.

2. docet tristitiã seculi vel malam, (de qua nos hic loquimur,) esse noxiam animo & corpori. *In mœrore animi,* ait Salomõ, *dicitur Spiritus.* Et. *Mœror in corde viri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur.* Et. *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Et. *Sicut tinea vestimẽto, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Et Ecclesiasticus, *Omnis plaga est tristitia cordis.* Et. *A tristitia festinat mors, & corpuit* Prou. 15. 13. Prou 12. 25. Prou. 17. 22. Prou. 25 20. Eccli. 25. 17. Eccli. 38. 19.

Eccli.30.22. *cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit ceruicem.* 3. dehortatur à tristitia. *Tristitiam,* ait Sapiens, *non des animæ tuæ. Tristitiam longe repelle à te. Multos enim occidit tristitia, & nõ est vtilitas in illa.* Et. *Noli esse pusillanimis in animo tuo.* 4. commendat gaudium. Vt in Psalmis. *Letamini in Domino & exultate iusti.* Et Ecclesiaste. *Cognoui, quod non esset melius nisi lætari, & facere bene in vita sua.* Et. *Non est oblectamentum super cordis gaudium.* Et in B. Paulo. *Gaudete cum gaudentibus.*

Eccli.7.9.

Psal.31.11.

Eccl.3.12.

Eccli.30.16.

Rom.12.15.

Bas.orat.12. II. REMED. Considera verba SS. Patrum. S. BASILIVS oratione de mœrore. *Quemadmodum vermes maximè in lignis tenerioribus nascuntur, sic mœrores vt plurimum in homines molliores cadunt. Neque tamen seminis, neque victus concessus est nimius luctus, ac ingens vts lachrymarum, sed vt paululum tantum rebus in aduersis tristitiæ sedent, & modicas quasdam lachrymas profundant, atque hæc ita quiete, vt nec dentibus infrendant, neque vlulent, neque vestes discindant.* S. AMB. de fide resurrectionis. *Depone mœrorem, si potes: include, si non potes. Aut abscindendus omnis, aut premendus est dolor. Cur enim mœstitiam tuam non ratio potius, quam dies leniat? Nam quod obliteratura est temporis series, melius prudentia mitigabit. Quin etiam hoc ipsum irreligiosum puto, erga ipsorum memoriam, quos dilectos amissos, vt obliuisci eorum malimus, quàm consolatione mulceri: aut cum horrere meminisci, quam meminisse cum gratia: recordationem timere, quorum imago debeat esse voluptati.* S. CHRY. ad Olympiam. *Tristitia animarum crudele tormentum est, dolor quidam inexplicabilis, & iudicium omni iudicio vindictaque deterius. Nam vermi similis est venenato, non solum carnem, sed & animam ipsam perimens: & tinea non solum ad ossa, sed ad corda pertingens, & perpetuus quidam carnifex non membra dilanians, sed vires animæ consumens: & iugis nox, ac tenebræ profundæ, & tempestas & turbo, febris non apparens, omni igni validius incendens, & pugna requiem nunquam habens, & languor plurimos obscurans videntium. Non enim noctis tenebræ tales sunt, quales nox mœroris existit, non quidem veniens ex lege naturæ, sed ex cogitationum obscuritate collecta, faciem omni tyranno crudeliorem præferens, nulli facile obtemperans eorum qui eam dissoluere moliuntur.* S. AVG. de Genesi ad litteram. *Illud quod Iacob dicit ad filios suos. Deducetis senectutem meam cum tristitia ad inferos. Videtur hoc magis timuisse, ne nimia tristitia sic perturbaretur, vt non ad requiem beatorum iret, sed ad inferos peccatorum. Neque enim paruum animæ malum est tristitia, cum etiam Apostolus cuidã tam solicitè timuerit, ne maiore tristitia absorberetur.* S. GREG. lib.31. Moralium. *Radix cuncti mali superbia est, de qua scriptura attestante dicitur: Initium omnis peccati est superbia. Primæ autem eius Soboles, septem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur: Scilicet, inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria.* Et paulo post. *De tristitia malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascuntur.* CASSIANVS lib. 9. institutionum. *Tristitiæ Spiritus orationes expleri non sinit, solita cordis alacritate non permittit, non sacrarum lectionum sinit remedia suscipere, tra-*

Amb. orat. 2. in Satyrum.

Chry. ep. 7.

Aug. lib. 12. c. 33. Gen. 44. 29.

2. Cor. 2. 7.

Greg. c. 31. Eccl. 10. 15.

Cass. c. 1.

tranquillum quoque ac mitem fratribus esse, non patitur, & ad cuncta operationum, vel religionis officia impatientem & asperum reddit. Et iterum. *Absque illa tristitia, quæ vel pro salutari pœnitentia vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur futurorum, omnis tristitia tanquam seculi, & quæ mortem inferat æqualiter repellenda est, ac sicut fornicationis spiritus, vel philargyriæ, vel iræ, de nostris cordibus penitus extrudenda.* cap. 12.

III. REMED. Propone in animo tuo, si virtutis cultor sis, semper in Domino gaudere, vti hortatur Apostolus. *Semper*, inquiens, *in Domino gaudete.* Nihil enim præter peccatum contristare potest iustum, vel eum, cuius cor Dei amor vel timor possidet. *Anima*, inquit B. BASILIVS in oratione de gratiarum actione, *quæ semel se modis omnibus desiderio sui astrinxit conditoris, iamq; insuevit oblectare se tantæ illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud gaudium animi sui per multiplicem carnalium affectionum mutationem intercipi. Quin potius quæ aliis mœrorem afferunt in cumulum lætitiæ sibi convertet.* Hoc gaudio exultans Apostolus Paulus scripsit. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Et rursum. *Nunc gaudeo in passionib⁹ meis.* Sic de Petro & Ioanne scribit B. Lucas. *Ibant à conspectu concilii, gaudentes, quod digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati.* Imò Christus ita faciendum docuerat *Cum persecuti*, inquit, *vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me, gaudete, & exultate.* Et B. Iacobus. *Omne gaudium*, ait, *existimate fratres, si in varias tentationes incideritis.* Rationem huius gaudii reddens B. CHRYS. ita locutus est ad populum Antiochenum. *Deum, sicut oportet, timens & in ipso confidens voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet lætitiæ fontem. Et sicut in mare immensum decidens exigua scintilla facile deletur, sic quantacunq; Deum timenti illidantur velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur atq; perdu ntur.* Vnde coniicere potes quantum sit discrimen inter hoc quod est in Domino, & mundi gaudium. Mundi enim gaudium, non potest perfectè mederi tristitiæ. Nam dives, honoratus, sanus, vno aliquo infortunio, vt morte filii, ita turbatur, ac si omni ex parte miser esset. Exemplo sit Aman, qui cum esset ditissimus, & inter omnes principes regni Assueri primus, tamen mœrore contabescebat, quod vnicus homo Iudæus Mardochæus illum non honorasset. At gaudium in Domino animum communit contra omnia aduersa. Qui enim est in gratia Dei, vel timet Deum, nihil reformidat nisi peccatum, sciens omnia mala potius augere lætitiam animi, quam minuere. Phil. 4. 4. Bas. hom. 4. 2. Cor. 12. 10. Coloss. 1. 24. Act. 5. 41. Matth. 5. 12. Iac. 1. 2. Chry. hom. 18. Hester. 5. 13.

IV. REMED. Considera, sitne futurum, præteritum, an præsens malum, ob quod mœrore afficeris. Si enim sit futurum, præmeditatione potes illud reddere mollius. *In die bonorum*, inquit Sapiens, *ne immemor sis malorum.* non quasi eventura sint, sic enim animum cruciares, contra illud Eccli. 11. 25.

Matth. 6. 34. Amb. c. 31. Christi. *Sufficit diei malitia sua*, sed quod euenire possint. Vnde AMB. in lib. de Noe & arca. *Sapiens, non solum præterita recordatur, sed etiam futura considerat*, additq; id significatum à filiis Noe, Sem & Iaphet cum incedentes retrorsum, anteriora tamen videbant. Et B. GREG. in Euangelia. *Minus iacula feriunt, quæ præuidentur, & nos tolerabilius mundi mala suscipimus si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur*: Sic M. T. Cicero, in Tusculanis. *Præmeditatio futurorum malorum lenit eorum aduentum.* Et SENECA *Præcogitati mali mollis ictus venit.* Exemplum huius antidoti commemorat Plutarchus in lib. de tranquillitate animi. Scribit enim Vlyssem peregrè reuersum cognita repentina sui canis morte illacrymasse, non autem cognita morte vxoris, quia multo ante præsumpserat morientis vxoris imaginem. Eadem præsumptione munitus ANAXAGORAS. teste Cicerone loco citato, nuncupata morte filii, respondit. *Sciebã me genuisse mortalem.* Adde CHRY. existimare esse animi prorsus abiecti & stulti mœrore se conficere ob futura mala, maximè si incerta sint. *Maximæ*, inquit, *est pusillanimitatis eorum gratia, quæ necdum contigerunt, incertumq; est, an eueniura sint, mœrore iam nos ac dolore confici.* Et infra. *Summæ est amentiæ in rebus incertis certo se iam cruciatu conficere.*

Chry. lib. 2. de prouid.

V. REMED. Si præteritum sit malum, vel iam euenisse existimetur, (vt filius absens mortuus, vel merces naufragio periisse) necessitatem conuerte in virtutem, fortiter & lubenter sustine, eo quod ansam tibi hic casu præbeat præclarissimas virtutes exercendi, vt patientiæ, magnanimitatis, fiduciæ in Deo. Deinde occasio data sit Deo studiosius seruiendi & plus apud eundē merēdi. Qua cogitatione munitus Dauid Propheta dicebat. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea, & D. Paulus. *Si sustinebimus, & conregnabimus.* Ethnici quoq; philosophi cognouerunt aduersus casus prodesse, si moderatè ferantur. *Calamitates*, inquit SENECA lib. de tranquillitate vitæ, *interdum in remedium cessere, & leuioribus incommodis grauiora sanata sunt.* Et de prouidentia. *Inter multa magnifica Demetrij nostri & hæc vox est, quæ recens sonat adhuc & vibrat in auribus meis. Nihil, inquit, videtur mihi infelicius eo, cui nihil vnquam euenit aduersi.* Et in epistolis. *Demetrius noster vitam securam, & sine vllis fortunæ incursionibus mare mortuum vocat.*

Psal. 34. 18. 2. Tim. 2. 12.

Sen. c. 9.

Id. ep. 86.

VI. REM. si verò malum sit præsens, mentem erige spe & fiducia promissæ felicitatis æternæ, si patienter sustinueris. *Beatus enim vir*, inquit B. Iacob. *qui suffert tentationē, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam, quā Deus repromisit diligentibus se.* Vnde Sapiens monet. *In die malorum, ne immemor sis bonorum.* Et IOAN. CAS. hoc vnum pro curanda tristitia antidotum proponit. *Hanc ergo*, inquit, *pernitiosissimam passionem ita de nobis expellere poterimus, vt mentem nostram spiritali meditatione iugiter occupatam futuræ spe & contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus. Hoc enim modo vniuersa tristitiarum genera,*

Iac. 1. 12.

Eccli. 11. 27. Cass. 9. instit. c. 23.

quæ

siue quæ ex præcedenti ira descendunt, siue quæ amissione lucri, vel detrimenti illatione nobis aduenium, siue de irrogata generantur iniuria, siue q̃ de irrationabili mentis confusione procedunt. seu quæ lethalem nobis desperationem inducunt, valebimus superare. DEINDE cogita, mœrore te non minuere malum, sed augere potius: vt rectè dixerit Sapiens. *Non esse vtilitatem in illa. Audiui*, inquit CHRY, ad populum Ant. multos ad seipsos dicentes. *Quæ vtilitas quod dolui? nec pecunias recuperaui, & meipsum læsi.* Et ratio manifesta est. quia plus lædit hominem animi tristitia, quam alia quælibet iactura. nec aliter, quam amara herba cibis admixta omnes cibos reddit insipidos; sic omnes actiones nostras reddit fastidiosas & acerbas. demum perpende nihil esse noui, quod tibi accidit, multos ante te eadem mala passos & passuros. Quare Cicero in Tusculanis contra Carneadem tuetur carmen hoc Euripideum.

Eccli. 30. 22. Chry. hom. 12.

Cic. 3. Tuscul.

Mortalis nemo est, quem non attingat dolor,
Morbusq̃: multi sunt humandi liberi,
Rursum creandi: morsque est finis omnibus,
Quæ generi humano nec quicquam afferunt.
Reddenda est terræ terra, tum vita omnibus
Metenda vt fruges: sic iubet necessitas.

VII. REMED. Considera incommoda, quæ tristitia solet afferre, tam corpori quàm animo. Animo quidem, quia omnem actionem intelligendi & volendi quasi obstupefacit & obtundit. Vnde S. THOMAS Aquinas alicubi testatur B. GREG. ex mœrore intermisisse pleniorem explanationem in Ezechielem Prophetam, ipsecq̃ non obscurè indicat homilia vltima in eundem. Idem vsu venit & B. HIER. in eundem Ezechielem cómentaria scribenti, vt indicat in epistola ad Pammachium & Anapsychiam. Corpore verò, quia *vt anima gaudens*, teste Sapiente, *ætatem floridam facit, ita spiritus tristis exsiccat ossa*, BASILIVS de gratiarum actione. *Multos sanè nouimus, cum calamitate ingenti affligerentur, sibi vi à lacrymis temperasse, deinde in quosdam morbos insanabiles cecidisse, in apoplexias, inquam, ac paralyses: alios verò penitus exanimatos esse, cum vtresipsorum perinde ac debile fulcrum quoddam tristitiæ onere confringerentur.* Et CHRY. de Prouidentia. *Mœror etiam, absente dæmone, multa per se horrenda efficit, plurimosq̃ eorum, qui sibi vel nexuerunt laqueos, conficiuerunt gladios, vel fluuii se vndis, vel flammis donauerunt, vel alio quouis genere perdidere seipsos sola doloris ac mœroris vi ad ita occumbendum impulsos reperiemus.* Et iterum. *Omni actione diabolica potentior est ad nocendum mœroris magnitudo. Namq̃ & dæmon quoscunque superat, per mœrorem superat. Eum si auferas, nihil à dæmone quisquam læsi poterit.*

Prou. 17. 22. Basil. hom. 4.

Chry. lib. 2.

Id. lib. 3.

VIDE. V. *Desolatio spiritalis. Desperatio. Illusiones spiritales. Immortificatio passionum. Impatientia in aduersis. Inuidia. Mortis metus. Pusillanimitas. Timor humanus.*

V

VENEFICIA.

Remedia aduersus Veneficia.

V. Superstio. PRIMVM Remedium. Considera sacrarum litterarum testimonia, sanctorumq; Patrum, supra contra SVPERSTITIONES allata.

II. REMED. sit vera, Catholica, & Romana Fides. Hoc enim aduersus omnes Satanæ fraudes præscripsit Apostolus in epistola

Eph. 6. 16. ad Ephesios, dum ait. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, &c. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Et ad Thessalonicenses. *Nos qui dici sumus, sobrij simus, vt*

1. Thess. 5. 8. *induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis, quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum.* Vnde

Ath. in vita. B. ANTONIVS apud Athanasium, ad fratres suos dixit. *Magna dilectissimi*

Epih. hær. 30. *aduersus dæmonem arma sunt, vita syncera & intemerata in Deum fides.* Et EPIPHANIVS in hæresi Ebionæorum scribit conatus Magorum, vt feminam quandam Christianam in amorem pellicerent, irritos fuisse, ob cru-

Nid. c. 4. cis signaculum ab ea factum, & insignem eius fidem. IOAN. NIDERIVS in suo formicario huiusmodi narrat exemplum. *Cum quidam maleficus mi-*

nuitaret, vt quendam inimicum suum vita priuarem, aut in corpore læderem grauiter fulminis ictu, aut alio modo: vocaui ego magisterulum, id est, dæmonem: qui mihi re-

spondit, quod neutrum facere posset. Habet, inquit, fidem bonam, & diligenter se signo crucis munit, idcirco non in corpore, sed in vndecima parte fructuum suorum in campo,

Bos. lib. 15. cir. *si libet, ei nocere possum.* Alia exempla habet THOMAS Bosius de Ecclesiæ Notis. Demum experientia didicimus fide Christiana Catholica in INDIAM inuecta dæmonum præstigia, spectra, & oracula magna ex parte cessasse.

III. REMED. sit diuini nominis, Deiparæ virginis, aliorumue sanc-

Tob. 6. 18. Tob. 8. 6. torum inuocatio. Cuius exemplum habemus in libro S. Tobiæ. Huius enim filius iunior Tobias consilio angelico edoctus, dæmones, qui suæ coniugis Saræ futuræ septem iam maritos occiderat, vim trium dierum

oratione

oratione prorsus fregit & labefactauit. Nec similia desunt in veterum Patrum scriptis. Nam Greg. dictus Theologus, oratione in laudem B. Cypriani edita prolixè narrat, quemadmodum S. Iustina Virgo & martyr ardentibus ad Deum Deiparamq; fusis precibus omnes Satanæ machinationes, quas Cyprianus Magus in eam fœdo eius amore excæcatus concitarat, profligarit. Quo facto, inquit Gregorius, *ad amantem accedit tentator, victum sereceſſisse indicat, eamque ob causam à Mago contemnitur. Quam rem acerbè ferens in eum ipsum immigrat. Quid hic faceret demens & arreptitius amator? Ad Virginis Deum, quemadmodum Saul ad Dauidis citharam confugit, & à malo Spiritu per fidem in Christum purgatur, amoremq; carnalem commutat in spiritualem, magicos libros igne absumit, à dæmonibus secedit, Deo adiungitur.* Quitandem & martyrii coronam, cum B. Iustina adeptus est, eiusq; annua memoria Septembri mense ab Ecclesia recolitur. Fuisse autem hunc alium à B. CYPRIANO Carthaginensi Episcopo, & non eundem, vt existimauit Greg. in annotationibus Romani Martyrol. ostendit Illustr. Card. Baronius, & alii. Aliud exemplum de S. Antonio eremita commemorat Ioan. CASSIANVS. Philosophi duo, inquit, *despicientes B. Antonium velut imperitum, ac sine litteris virum, volentesq; eum saltem de cella sua magicis præstigiis, & circumuentione dæmonum perturbare, spiritus ei nequissimos immiserunt, ad impugnationem hanc morsu liuoris adducti, eo quod maximæ hominum turbæ ad eum velut famulum Dei quotidè conuenirent. Cumque illo nunc quidem imprimente pectori suo frontiq; signaculum crucis, nunc verò orationi suppliciter incumbente, ne approximare quidem dirissimi dæmones eidem prorsus auderent, atq; ad eos, qui illos direxerant absq; vllo reuerterentur effectu: & alios illi in nequitiam vehementiores rursus immitterent, nihil tamen præualerent, eo profecerunt tales, tantæque eorum insidiæ magica arte quæsitæ, vt per hæc euidentissimè comprobarent magnam professioni Christianorum inesse virtutem.* Addam exemplum recentius pro inuocatione B. MARIÆ Virginis, ex libro quarto historiæ Lauretanæ à nostro Horatio Tursellino conscriptæ. Qui cum de adolescente quodam perdito narrasset, quemadmodum chirographo suo Satanæ fidem obstrinxerit, si eius ope potiri posset congressu mulieris, quam deperibat ac tandem pœnitudine sceleris ductus Lauretum appulerit, ad omnem pœnam subeundam paratus si spes salutis foret, tandem subiicit. *Itaque sacerdos hominem monet, vt per triduum inedia, cilicio, flagris corpus afflictet, B. Virginis opem implorans: se eodem triduo rem diuinam pro ipsius incolumitate facturum. Triduo extracto, sacerdos optimum ratus est ante absolutionem chirographum à dæmone extorqueri, ne quid omnino iuris in illum haberet. monet vt augustissimum B. V. Lauretanæ sacellum ingressus precibus lachrymisq; Deiparam eousque fatigaret, dum chirographum à diabolo extortum reciperet. Morem gerit ille, suæ salutis, securitatisq; auidus, haud dubia spe id se impetraturum posse. Ergo prostrato ante Virginem corpore lachrymans obnixè eam precatur, vt re-*

G.Naz. 26.Sept. Cass.coll.8.c.18. Horat.c.33.

cepto nefario illo chirographo saluti suæ consultum velit, genti miraculo cuique votiefficitur. Versiculos illos ex animo iterabat. MONSTRA TE ESSE MATREM, SVMAT PER TE PRECES, QVI PRO NOBIS NATVS, TVLIT ESSE TVVS. Talia precatus subito chirographum in manus suas delapsum conspicit. Itaq; vix sibimet ex inopinato gaudio credens integrato fletu gratus Virgini emixius agit. Inde sacello egressus, lætitia exultans ad sacerdotem accurrit, receptum Deiparæ beneficio scriptum ostendit. Id erat tot tantisque in Christum, atq; ipsum qui scripserat, diris & execrationibus refertum, vt facilè appareret à supiteri humani generis hoste dictatum. Similia exempla habet CÆSARIVS lib. 6. miracul. c. 26. & 27. & Thomas Cantip. Apiar. lib. 2. c. 29.

IV. REMED. Da operam vt cum precibus coniungas innocentiam vitæ, saltem à peccatis mortalibus, quæ homini gratiam DEI eripiunt, secundum consilium à seniore Tobia filio datum. *Omnibus diebus* Tob 4. 6.
vitæ tuæ in mente habeto Deũ, & caue ne aliquãdo peccato consentias, & præterimas præcepta Domini Dei nostri. Antidotum est B. AVGVSTINI libro de ciuitate Dei decimo. *VERA*, inquit, *pietate homines Dei aeream potestatem inimicam, contrariamq; pietati, exorcizando eiiciunt, non placando: omnes tentationes, aduersitatesq; eius, orando vincunt non ipsam, sed suum Deum aduersus ipsam. Non* Aug. c. 22.
enim aliquem vincit, aut subiugat nisi societate peccati. In cuius ergo nomine vincitur, qui hominem assumpsit, egitq; sine peccato vt in ipso sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorum, id est, per mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo. Non enim nisi peccatis homines separantur à Deo, quorum in hac vita non fit nostra virtute, sed diuina miseratione purgatio: per indulgentiam illius, non per nostram potentiam. Et B. CHRY. Chry. hom. 21.
dum ita loquitur ad populum Antiochenum. *Quid tandem sunt omnia? Saepe domum quis suam egressus hominem vidit monoculum, vel claudicantem, & omnia eius est. Hæc est Pompa Satanica. Non enim hominis occursus malum facit esse diem sed in peccatis viuere. Cum igitur domo exieris, id vnum solum custodi, ne occurrat tibi peccatum: hoc enim est quod supplantat: præter hoc verò nec ipse diabolus nos quipiam lædere poterit.* Et in oratione Calendis habita. *Cum*, inquit, *diabolus studeat nostros in virtute labores frangere, & animi alacritatem extinguere, tum bonas, tum malas felicitates certis diebus asscribere nos docet, contra illud Apostoli. Dies obseruatis, & menses, & tempora & annos: metuo vobis, ne frustra in vobis laborauerim. Nam qui sibi ipsi persuadet diem vel bonum vel malum esse, neque in malo die bonorum factorum, curam habebit, quasi propter diei necessitatem frustra laborando nihil proficiet, neque contra in bono die quicquam faciet, quasi propter bonum diei successum propria socordia nequaquam lædatur. Itaque resistere nos oportet, & certo statuere, nihil malum esse, nisi peccatum solum, & nihil bonum, nisi virtutem solam, & perpetuum Dei cultum.* Gal. 4.

V. REMED. Ea imprimis peccata fuge & detestare, per quæ aditus fit ad

fit ad Magicas artes discendas & maleficia. Inter quæ primum est secundum Doctores ORIVM. Otium enim, vt dici solet, est puluina diaboli. Vnde B. Hier. ad Rusticum monachum. *Aliquid operis facito, vt semper te diabolus inueniat occupatum.* & IOAN. CASSIANVS in institut. monasticis. *Hæc*, inquit, *apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancita est sententia, operantem monachum dæmone vno pulsari, otiosum verò innumeris spiritibus deuastari.* Et B. BASILIVS in Hexæmeron. *Otium maleficii esse principium nemo ignorat.* Imò Spiritus sanctus apud Ecclesiasticum. *Multam*, ait, *malitiam docuit otiositas.* Exemplum habemus in filiis Israel qui propter otium in idololatriam, omnium superstitionum Magicarum matrem dilapsi sunt. *Sedit populus*, inquit S. scriptura, *manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* II. Vitium. est. TRISTITIA nimia. vel DESPERATIO. *In mœrore enim animi*, teste Salomone, *deficitur spiritus.* Exemplum habes apud Metaphrastem ex Eutychiano Patriarcha nouæ Romæ, de Theophilo Oeconomo ita scribentem. *CVM Cæsar Iustinianus rerum potiretur, Theophilus quidam in oppido Ciliciæ Adana œconomus Ecclesiæ fuit, multis quidem ille gratus, & Episcopali munere, quod tamen constanter detrectauit, dignus existimatus. Qui ab æmulis immeritò accusatus, & de officio Oeconomiæ deiectus in eam animi impotentiam deuenit, vt adhortatori Mago Iudæo morem gerens Christum Dei filium, ac matrem eius Mariam, data syngrapha turpissimè abnegaret, seque totum imperio Satanæ, qui se videndum obtulerat, traderet atque manciparet.* Hæc ille. Quanquam postea interuentu B. Virginis Mariæ, ad cuius opem confugit, syngraphan diabolicam recepit, & cum fama sanctitatis vitam concluſit. Huic tristitiæ vitio maximè obnoxiæ sunt mulieres, si quando in magnam aliquam calamitatem incidant, & absint, qui consilio eas iuuent. III. Vitium est, Consuetudo praua aduocandi dæmonem, vel se illi deuouendi. *Dilexit maledictionem*, inquit Psaltes regius, *& veniet ei.* Exempla duo habes apud Cæsarium. Alterum in vita S. Engelberti Colonienſis Episcopi & martyris, quã habet Surius, de quodam in Martyrem maledico sibi insaniam imprecante, & mox furore correpto miserecq; postero die consumpto. Alterũ in lib. 11. Miraculorũ, de muliercula, cum se dæmoni addixisset, à dæmone in aera sublata, & nusquã amplius apparente. IV. Vitium est Curiositas. Vnde monet Sap. *In pluribus operibus Dei non eris curiosus: plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. Multos enim supplantauit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum.* Huic vitio B. AVGVSTINVS in libris de ciuitate Dei imprimis tribuit desiderium Magicarum artium condiscendarum, nec immerito: quia B. Lucas in Actorum Apostolicorum historia, eos qui Magicos libros combusserant coram omnibus, disertè ait *curiosa* fuisse sectatos. V. VITIVM est SVPERBIA. *Ipse enim*, inquit Iob, *est rex super vniuersos filios superbiæ*, nempe diabolus. VI. est,

Lux-

H. ep. 4. Cass. lib. 10. c. 23.

Bas. hom. 7.

Eccli. 33. 20.

Exo 32. 6.

In Prou. 15 13.

In Febr. apud Surium.

Psal. 108. 18.

Sur. in Nou.

Eccli. 3. 22.

Aug. l. 10. c. 9. & 18. c. 19.

Act. 19. 19.

Luxuria. *Vinum enim & mulieres*, ait Ecclesiasticus, *apostatare faciunt Sapientes*. Ob hanc luxuriam Salomon idololatra factus, Asmodæus septem Saræ sponsos trucidauit, septem dæmonia Mariam Magdalenam occuparunt, Apostolus incæstuosum Satanæ tradidit. Vnde B. Isidorus lib. 2. de summo bono. *Principaliter his duobus vitiis diabolus humano generi dominatur, id est, superbia mentis & luxuria carnis. Vnde & Dominus in Iob loquitur de diabolo dicens. Sub vmbra dormit in secreto calami in locis humentibus. Per calamum enim inanis superbia, per loca verò humentia carnis demonstratur luxuria.* Idem habet S. Greg. lib. 33. moral. c. 3. Qua de causa nunquam auoditum est, Virginem aliquam castam fuisse sagam. VII. est Auaritia. *Nam qui volunt diuites fieri*, ait B. Paulus. *incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* Vnde legimus in Actis Apostolicis summo in pretio habitam à Magis *puellam pythonem habentem, quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis diuinando.* Et confitentur sagæ, nihil maleficii se inferre posse hominibus liberalibus, qui eleemozynas magnas egenis impertiunt. Antidota aduersus hæc vitia habes titulis suis.

Ecclī.19.2. 3.Reg.11. Tob 6.7. Marc.16.9. 1.Cor.55. Isid.c.39. Iob.40.16. Cypr.ad Demetr. 1.Tim.6.9. Act.16.16.

VI. REMED. Si in peccatum lethale lapsus fueris, confestim ad Pœnitentiæ vel Confessionis Sacramentalis præsidium refugias, ne ansam præbeas maleficio. *Si enim*, teste B. Ioanne. *confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra.* Hoc antidotum suis auditoribus contra auguria, omnesq; magicas superstitiones præscripsit B. Aug. *Quis* inquiens, *hucusque in istis diabolicis rebus captiuandum diabolo tradidit se, vos cui de pœnitentiam agat, & illa sacrilegia supradicta cum omni horrore fugiat, & contemnat, vt illi DEVS & indulgentiam dignetur dare, & ad æternam beatitudinem ob gloriam nominis sui faciat peruenire.* Ioannes Diaconus vitæ B. Gregorii Magni scriptor tria commemorat exempla eorum, qui à dæmone possessi, mox vt peccatum B. Gregorio confessi sunt, pœna peccati liberati fuere ac eorum quidem vnum cum octies negasset, octies à dæmone renouata vexatione tortũ, nona demum vice, qua fürtum fassus, percepta absolutione penitus fuisse redditum immunem. Petrus quoque Cluniacensis Abbas, æqualis D. Bernhardi, cum narrasset horrendam monachi cuiusdam vexationem, neque oratione, neque aquæ lustralis aspersione tolli potuisse, subiungit. *Sed ne miretur aliquis benedictæ aquæ aspersione dæmonem non fugatum: agnoscat tabe interius latente vnguẽta exterius adhibita nihil proficere posse. Tabem autem voco lethale peccatum, quod quamdiu in interioribus quibuslibet latuerit, nullius exterius Sacramenti perceptio ei prodesse poterit.* Hortatus ergo illum ad confessionem omnium peccatorum faciendã Abbas, postquam confessus, vexatio prorsus desiit. Sic & S. Athanasia Abbatissa, apud Metaphrastem, mulierem quandam eripuit à vexatione eiusdem dæmonis.

2.Ioan.1.9. Aug.serm. 241. I.D lib.1.c.11.12.13. P.lib.1.mirac.c.6. Met.14.Aug.

& Reginaldus in vita S. Dominici Confessionis beneficio quendam fratrem; quem dæmon pede apprehensum per templum raptabat, ab eo vindicauit. Theodor. de Apold. lib. 6. vitæ.

VII. REMED. est S. EVCHARISTIA, & incruentum MISSÆ sacrificium. *Vir Tribunitius*, ait B. AVG. in libris de Ciuitate Dei, *Hesperius qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, vbi cum afflictione animalium, & seruorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros, me absente presbyteros, vt aliquis illorum eo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio, DEO protinus miserante cessauit.* IOAN. CASSIANVS in Collationibus meminit cuiusdam à dæmone nocturnis illusionibus grauiter infestati, qui cum Seniorum consilio medicina salutari S. Eucharistiæ vsus fuisset, *ita omnis*, inquit, *diabolicæ tentationis scena detecta est, vt mox virtute Dominici corporis protegente, illa præteritæ illusionis consuetudo cessaret.* S. BERN. vt est in eius vita, personam quãdam imposita tantum Eucharistia in eius caput ab generis humani hoste liberauit. Mediolani quoque sacrificio Missæ coram energumena oblato, postquam pacem ministro in populum diffundendam dedisset, pax & salus integra mulieri restituta est. S. Macarius quoq; apud Palladium in historia Lausiaca palam testatus est, cum mulierem quandam à maleficio liberasset, ideirco incantationem Magicam vim in illam habuisse, quod S. Eucharistiam sumere diebus multis omisisset. Aug. l. 22. c. 8. Cass. coll. 21. c. 6 Guilh. lib. 2. c. 3. Pall. c. 19.

VIII. REMED. Oleum infirmorum per Episcopum benedictum, quo ex diuina institutione vtimur in Extremæ vnctionis Sacramento; est enim ad corporis quoque sanitatem institutum. V. BEDA scribens in Lucam narrat monialem energumenam à dæmone grauiter vulneratam Sacerdoti tale consilium dedisse. *Si oleum pro infirmis consecratum medicamento aspersueris, sicq; me perunxeris, statim sanitati restituar. Nam vidi quondam per Spiritum in quadam longius posita ciuitate, quam nunquam corporalibus oculis vidi, puellam quandam pari calamitate laborantem, taliter à Sacerdote curatam. Fecit vt illa suggesserat, statimq; hulcus remedium, quod ante respuerat, accipere consensit.* Sic, apud Metaphrastem, Eucheria vxor Agapij veneficio attentata, cum ei roderentur intestina, à S. Parthenio oleo sanctorum sanata est. Sic eodem teste B. Auxentius Archimandrita morbis à dæmone illatis mederi consueuit. Marc. c. 15. Iac. 5. 14. Bed. in c. 8. Met. 7. Feb. Id. 14. Feb.

IX. REMED. est Exorcismus Ecclesiasticus, à primis Ecclesiæ Catholicæ initijs ita probatus, & frequentatus, vt inde nomen obti-

nuerit Ordo Ecclesiasticus Exorcistarum. Exorcismus autem non est, aliud quàm oratio & adiuratio ab Ecclesia approbata, qua nomine Christi imperamus dæmoni, vt ab homine recedat. Concluditur autem, non vt aliæ preces, *Per Christum Dominum nostrum.* Sed *per eum, qui venturus est iudicare seculum per ignem.* Nihil enim dæmones æquè horrent, ac nominationem diei extremæ, qua ea deturbandi sunt in Tartara. Vnde B. Cyprian. Demetrianum Christianorum hostem sic alloquitur. *O si audire eos* (dæmones) *velles & videre, quando à nobis adiurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eiiciuntur, quando eiulantes & gementes voce humana & potestate diuina flagella & verbera sentientes, venturum iudicium confitentur.* Formulam exorcismi habet Sacerdotale Romanum. Cauere autem debet Exorcista, ne cum dæmone iocetur, & curiosa misceat colloquia. *Vidi,* inquit Ioan. Niderius in Formicario suo, in conuentu Colonienſi *fratrem, verbis satis iocosum, sed in gratia expellendi dæmones valde famosum. Hic cum in termino conuentus Colonienſis dæmonem in obsesso corpore arctaret, dæmon petiuit à fratre locum recedendi: quo gauisus frater ait ioco. In cloacam meam vadas. Exiit igitur dæmon, & nocte cum frater ventrem purgare vellet dæmon tam diræ eum torsit prope cloacam, vt vitam cum difficultate saluaret.* Sancta res est, dæmones eiicere, & ideò sanctè tractanda. Exemplum peruetustum & illustre exorcismi habes apud Surium in vita B. Vrsmari Episcopi à Ratherio conscripta. *ad quem cum Monialis à dæmone obsessa adducta esset, ille non de sua, sed de Domini præsumens virtute, accepto libro cœpit legere exorcismum super caput illius. Dehinc benedicto oleo nares, nalosq; & os eius liniuit, & protinus immundum ab ea spiritum fugauit. Liberata tamen puella pauor quidam, qui præsentia diaboli seminatus fuerat, adhuc pectoribus vicinorum inerat. At vir Domini præcepit sibi aquam cum sale deferri, quibus benedictis, iussit sparqi per cuncta monasterij loca, & sic omnis pauor cum auctore suo Satana discessit.* Qui ritus & hodiè sunt in vsu. Illud verè sciendum est, vt rectè monet Tostatus, exorcismis non repelli omnes molestias, quas dæmones inferunt hominibus, sed eas tantum ad quas repellendas exorcismi ab Ecclesia ordinantur, cuiusmodi sunt illæ, quas inferunt corporibus, dum intra illa manent, vel exterius ea obsident.

Cyp. ad Demet.

F. Niden.

Sur. 18 April. Vixit ante annos 800.

c. in Sabbato de Conſ. d. 4.

X. REMED. Aqua benedicta, eaq; duplex. Vna baptismalis, in vigilia Paschæ & Pentecostes consecrari solita, quæ iure Canonico est comprobata. Altera lustralis, singulis Dominicis, nominatim ad dæmonis fraudes auertendas, benedici solita, de qua exstat Alexandri I. Papæ epistola. Exempla de hac re sunt innumera. B. Epi-

phanius

phanius scribit in Panario, Iosephum quendam, cum adhuc Iudæus esset, insanum hominem aspersione aquæ benedictæ sanitati restituisse. Epiph. hær. 30.

Palladius testatur B. Macarium eremitam, fœminam quandam magicis præstigijs in equam transformatam, effusa in caput eius sacra aqua, pristinæ formæ reddidisse. Pall. in Laus. c. 19.

B. Theodoretus quoque in historia Ecclesiastica commemorat, Marcellum Episcopum, cum Iouis Apameni fanum diruere, cerneretq; dæmonis spectrum impedire, ne materiam ligneam flammæ vis depasceretur, signaculo crucis aquam benedixisse, ea flammam aspersisse, spectrumq; depulisse. Th. 5. hist. c. 21.

S. Eligius Nouiomensis Episcopus quinquaginta energumenos simul porrecta eis aqua benedicta liberauit, teste B. Audoeno, apud Surium. Aud. lib. 2 c. 20. Sur. in vitis

S. Anno item Archiepiscopus Colonienſis in Germania, S. Maclouius in Gallia, & S. Laurentius Dunelmensis in Britannia, crebro dæmones hoc sacro rore fugauerunt, vt liquet ex eorum vitis. Recentia huius seculi exempla tum in nostro, tum imprimis in nouo orbe, prætermitto. Vt verò aquæ benedictio valet contra dæmonem, omniaq; maleficia, sic & benedictio candelarum, panis & vini, olei, salis, cereorum, herbarum, palmarum, &c. *Omnis enim creatura*, teste Apostolo, *sanctificatur per verbum Dei, & orationem.*

XI. Remed. sunt Agni Dei, quos solemni ritu certis temporibus benedicere solet summus Pontifex, de quorum effectibus exstat liber Vincentij Bonardi, & carmen prolixum nostri P. Andreæ Frusij in Libello Sodalitatis B. Virg. Mariæ auctore P. Francisco Costero. Exempla recentia efficaciæ eorum habes in 3. p. Disquis. Magicarum nostri P. Martini Delrio, qui copiosissimè omnia Remedia hactenus allata excussit.

XII. Remed. Reliquiæ sanctorum, vt merito dixerit Psalmista. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Psal. 138. 17. Turon. c. 45. B. Greg. Turonicus altero libr. de gloria Martyrum scribit puerum quendam ægrum, cum hariolo sanandus traditus fuisset, per incantationes & ligaturas potius morti, quàm vitæ mancipatum: alium verò eadem lue laborantem puluere bas è S. Martini sepulchro sumptis sanitati restitutum. Id. l. 1. c. 6. Idem libro priore refert lustmum magicis præstigijs infestatum, suppositio capiti freno Constantini Magni, cui clauus Domini erat intextus, tertia nocte quieti pristinæ restitutum. Thomas Fazellus libro de rebus Siculis decimo narrat, quotannis ad D. Philippi Apostoli sepulchrum in Sicilia plurimos energumenos liberari, ac anno quidem 1541. ducentas feminas seruitute diabolica solutas. Quod idem hodie cernimus fieri in Belgio, vt in Brabantiæ Gela, ad S. Dympnæ ossa, & Rothnaco Flandriæ ad Faz. c. 1.

Rup. in vita c. vlt. reliquias D. Hermetis. Eandem virtutem RVPERTVS Tuitiensis Abbas attribuit S. Heriberti Colonienſis Archiepiſcopi ſepulchro.

Apud Sur. & Werdenſes monachi libro 3. vitæ S. Lutgero Monaſterienſi Epiſcopo, & Albinus Flaccus in eius vita S. Richario. Quare merito

Dam. c. 1. B. IOAN. DAMASCENVS libro de orthodoxa fide quarto, ſanctorum reliquias vocauit *fontes ſalutiferos, ex quibus plurima ad nos beneficia manent ſuauiſſimumq; vnguentum profluat.* Id tantum cauendum in huius Remedij vſu, ne ſuperſtitioſæ aliquæ cærimoniæ admiſceantur. Teſtata id fuit B. GLYCERIA martyr, ex cuius corporeis exuuijs vnguentum ſuauiſſimum, & omnibus morbis ſaluberrimum fluere ſolebat. Quadam verò die cum Epiſcopus Perinthi inſcienter argenteum vaſculum emiſſet, quod Magicis miniſteriis impenſum fuerat

N. lib. 18. c. 51. continuo deſiit ſacri fluor vnguenti. Qua *re noua*, vt narrat NICEPHORVS CALLISTVS, *perculſus antiſtes ad preces confugit, diuinoque impulſus Spiritu vas nouum amouit, & antiquum reposuit, ac protinus vnguentum, ſicut prius, ſcaturire cœpit. Quocirca rem diligentius inquirens, comperit vas illud nefandis rebus ſeruiſſe: quod ſimul atq; ad aures Imperatoris peruenit, habita quæſtione tanti criminis reum, vti par erat, ſupplicio affici iuſſit.*

XIII. REMED. Amuleta ſacra collo appenſa, vt *Symbolum Apoſtolicum. Initium Euangelij D. Ioannis. Pſalmi alicuius particula. Effigies agni Dei, Reliquiæ ſanctorum,* modò nihil falſi, aut vani miſceatur, vt quod verba debeant eſſe conſcripta in charta virgine, vel minio, vel ſi inuſitatus effectus expectetur; vt quod non poſſit occidi in bello, qui talia geſtet, vel quod effectus omnis tribuatur litteris, vel mate-

N. l. 15. epi. 4. c. 37. riæ, & non virtuti diuinæ vel ſancti. NICEPHORVS commemorat ſuper pectus B. BARNABÆ Apoſtoli in Cypro repertum Euangelium

Th. quodl. 2. art. 15. ſecundum Matthæum. S. CECILIA, ſemper Euangelium Chriſti geſtabat in pectore, teſte S. Thoma. GREG. Nyſſenus ait S. Macrinam

Nyſſ. in vita. S. Baſilij ſororem ſemper è collo geſtaſſe crucem, & annulum excantum, in quo erat particula crucis Dominicæ. GREG. Turonicus te-

Greg. c. 11. & 14. ſtatur in lib. 1. de gloria Martyrum ſe parentesq; ſuos in cruce aurea geſtaſſe reliquias D. Virginis & S. Martini S. Damaſcenus ſcribit in vita Barlaam & Ioſaphat anachoretas ſolitos ſecum geſtare reliquias

Sur. in Mart. ſanctorum. S. Thomas Aquinas quoque, vt eſt in eius vita, è collo geſtauit reliquias S. Agnetis. Emmanuel Coſta in commentario rerum Indicarum ſcribit Hormutij noſtris temporibus dæmonem eiusmodi amuletis ſcriptis ex energumena pulſum. AGNI DEI denique à ſummo Pontifice ideò præcipuè benedicuntur, vt è collo ſuſpendantur.

XIV. RE-

XIV. Remed. Campanarum benedictarum pulsus. Experientia enim quotidiana docet, eum tam infestum & inimicum dæmonibus esse, vt sæpe tempestates, vel ingruentes impediantur, vel exortæ auertantur, vt docet Synodus prouincialis Colonienſis cap. 24. & Petrvs Cluniacensis Abbas, libro primo miraculorum confirmat exemplo; nam cum aliquando diabolus Abbatis specie assumpta monachum quendam Italicum regularis disciplinæ seueritatem fastidientem hortari cæpisset, vt septa monasterii transgrederetur, mox atque campana signum datum est ad mensam, maximo impetu, fictus ille Abbas in proximas latrinas, vidente fratre, se demersit. Et ipse maleficæ fatentur, quando à dæmonibus ad conuentum Sagarum deferuntur, vel inde domum referuntur, si signum aliquod campanæ audiatur, confestim dæmones ipsarum baiulos spurcum onus in solum deiicere, & fuga trepidos dilabi. Recentiores de hac re historias ex actis iudiciariis depromptas, lege apud Petrvm Binsfeldium de Confessionibus Maleficarum, & alios. Tribuenda autem est hæc vis & efficientia campanarum, non formæ, vel materiæ vel etiam sono earum, sed benedictioni vel consecrationi earum sic diuino iussu vel dispositione operanti. Vbi enim benedictæ non sunt, vti sæpè apud hæreticos, ibi nihil quoque efficiunt.

P. Clun. c. 15.

Binsf. dub. 6. post concl. vlt.

XV. Remed. Maleficos minis, vel vi & verberibus, moderatis tamen, adigere vt signa maleficii, ipsumq; maleficium tollant. Quod remedium licitum videtur seruatis tribus conditionibus. 1. si certo cognoscatur auctor maleficii. Nam suspectos tantum verberare, aut alia afficere contumelia, nec fas nec iura sinunt. 2. si nihil superstitiosum putetur adhibiturus. 3. dum non existimetur morbum in alium translaturus, quod fere semper facere consueuerunt, vt B. Greg. Turonicus in historia Francorum probat exemplo. Videlicet ista diaboli liberalitas est, vt boni nihil vllis hominibus præstet, nisi cum æquali vel maiori hominum damno. Quo spectat narratio B. Greg. Magni in libris Moralium de Virgine obsessa, quæ cum opera Magorum ab vno dæmone fuisset liberata, in vnius locum sex vel septem dæmonum millia succesſere. Huius remedii exempla vide apud Nicolaum Remigium libro 3. Dæmonol. c. 3. Qværes an liceat petere à maleſico, vt maleficium maleficio tollat. Respondeo, non licere, siue paratus sit, siue imparatus ad tollendum, quia non licet consensum præbere in peccatum alterius. Liceret autem petere, si paratus esset tollere sine nouo maleficio, vti omnes fere Doctores tradunt. Hoc enim esset vti iure suo, & inducere Magum ad id, quod facere tenetur. Exemplum habemus in

Greg. T. cap. 35. lib. 6.

G. lib. 1. c. 2.

Apud Sur. in April.

vita S. Theodori Archimandritæ, qui Theodorum Magum ad pœnitentiam adductum iussit primò omnia peccata sua confiteri. 2. libros magicos in medium proferre. 3. maleficia in hominibus, bestiis & domibus infectis dissoluere. 4. non amplius ea exercere, sed pœnitentiam agere. Quæres secundo, an liceat vnicuiq; maleficii signa tollere? vt ollas, ligamina, plumas & similia, quæ ex pacto cum dæmone initio magus adhibere solet, vt aliquis maleficio lædatur. Respondeo licere, non solum in contemptum Magicæ superstitionis, verumetiam ipe cessationis morbi vel mali inflicti, vt docent omnes Scholæ Doctores, & Sacerdotale Romanum tradit esse quasi necessarium. Exemplum habes in Malleo maleficarum Iacobi Sprengeri.

Spr p.2.q.1.c.1.

Quod autem B. Hilarion, teste B. Hieronymo in eius vita, noluerit signa maleficii perquiri, cum vi oratione dæmonem ex puella energumena eiiceret, id ideo factum est, quod oratione sola posset eum exturbare. Deinde, ne videretur dæmoni credidisse affirmanti se, sui ablato signo posse ab obsessa recedere, quod erat falsum.

XVI. Remed. sit. Castigatio corporis per ieiunia, disciplinas vel verbera, cilicia, humicubationes, & similia. Christus enim ipse contra tentationes Dæmonis pugnaturus longo, inquit B. Ambrosius, se armauit ieiunio, & apertè apud Matthæum docuit acriora quædam dæmonia non superari, nisi ieiunio & oratione. *Vide*, ait S. Augustinus, *quanta sit ieiuniorum virtus, vt id facere ieiunia valeant, quod Apostoli nequiuerunt.* Vnde Athanasius in libro de virginitate. *Vides quid faciat ieiunium? morbos sanat, distillationes exsiccat, dæmones fugat.* Et infra. *Quisquis ab immundo spiritu vexatur, certum habere debet, hoc pharmaco ieiunii statim spiritus malos afflictos abscedere, vim ieiunii non tuentes.* Et S. Greg. Nazianzenus explicans orationem de laudibus B. Cypriani, quibus armis sancta quædam virgo diabolum, magicasque artes à se repulerit, *ieiunii*, inquit, *& humicubationis pharmacum obiecit.* Pro verberibus complura habes exempla. Primum est B. Greg. Magni, de dæmone à S. Benedicto abacto. *Cum vir Dei*, inquit, *venisset ad monasterium, & constituta hora expleta psalmodia sese fratres in orationem dedissent, aspexit quod monachum qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus per vestimenti fimbriam foràs traheret, extra oratorium scilicet. Tunc Patri monasterii Pompeiano nomine, & Mauro Dei famulo secretè dixit. Nunquid non aspicitis, quis est, qui istum monachum foras trahit? Qui respondentes dixerunt. Non. quibus ait. Oremus, vt vos etiam videatis, quem iste monachus sequitur. Cumq; per biduum esset oratum, Maurus monachus vidit, Pompeianus verò eiusdem monasterii Pater videre non potuit. Die igitur alia expleta oratione vir Dei oratorium egressus flantem*

Amb. ep. 82. Matth. 17.

A. serm. 65. de tempo.

fra

foris monachum reperit, quem pro cæcitate cordis sui virga percussit. Qui ex illo die nil persuasionis vlterius à nigro iam puerulo pertulit, sed ad orationis studium immobilis permansit: sicq; antiquus hostis dominari non ausus est in eius cogitatione, ac si ipse percussus fuisset ex verbere. Alterum est apud Petrum Damianum in vita S. Dominici Loricati superiori non absimile, nempe de monacho, qui sæpe vagabundus extra cellam vagabatur, quem dæmon non ante deseruit, quam crebrius acriter vapulasset. Nam septima tandem vice *clara voce clamauit. Ecce diabolus abiit, ecce nequissimus cordis mei habitator aufugit, meq; nexibus, quibus astringebar effractis liberum reliquit. Hoc modo,* inquit Damianus, *frater ille ad humilitatis custodiam rediit, & in cella iugiter perseuerans, de cetero irreprehensibiliter vixit.* Tertium exemplum est Theodorici Abbatis de S. Hildegarde Abbatissa, B. Bernardi æquæua, prolixè descriptum: cuius hæc summa est. Nobilis fæmina septem annos à dæmone obsessa ab amicis adducta est ad cænobium Brunvvilerense diœcesis Colonien sis, vt ibi Dei & S. Nicolai patrocinio liberaretur. In tertium mensem frustra à Patribus sudatum in dæmone pellendo. Quia verò dæmon indicarat se vasculum suum non dimissurũ nisi ope Schrompelgardis, ridens hac appellatione S. Hildegardem id temporis in diœcesi Moguntina Bingæ à miraculis celebrem, Abbas per litteras humiliter rogauit eam, vt in re tam luctuosa succurrere dignetur. Illa viso diuino monita rescripsit dæmonem illum non posse nisi ieiuniis, flagellis, orationibus & eleemosynis eiici. *Audite ergo,* inquiens, *non responsum hominis, sed ipsius qui viuit. Eligite septem boni testimonii, & quos vitæ meritum probat sacerdotes & ieiuniis, flagellis, orationibus, eleemosynis, & Missarum celebrationibus præmissis, humili intentione & habitu sacerdotali cum stolis ad patientem accedant, & eam circumstantes vnusquisque eorum virgam in manu teneat in figura virgæ, qua Moyses Aegyptum, mare rubrum, petramq; præcepto Dei percussit, vt sicut Deus ibi per virgam miracula ostendit, ita & hîc pessimo hoste virgis ejecto seipsum glorificet, &c.* His litteris humiliter super energumenam recitatis, cum *Lector,* inquit, *ad locum venisset, vbi in fine scriptum est. Et ego indocta & paupercula fœmina, ô blasphemе & derisor spiritus, tibi præcipio, vt de ista homine exeas;* idem nequam spiritus totus infremuit, ac tanto vlulatus tamq; horridos clamores emisit, vt omnes perterrefecerit. *Et dum his fere per dimidiam horam bacchando institisset, tandem vt Deo placuit, vas quod diu possederat reliquit.*

Th. lib. 3 c. 22. apud Sur.

VIDE V. *Amor sui. Curiositas. Desolatio. Illusiones spirituales. Impatientia in damno rerum temporalium. Luxuria. Maledictio. Superstitio Tristitia. Voluptas carnis.*

VESTI-

VESTIVM LVXVS.

Remedia contra luxum vestium.

Eccli. 11.4. 1.Tim.2.9. I. REMED. Considera verbi diuini oracula de luxu vestium. Primi enim dehortantur illum. *In vestitu*, ait Sapiens, *ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris.* Et B. Paulus. *Volo mulieres orare in habitu ornato cum verecundia & sobrietate, ornantes se non in tortis crinibus,* 1.Pet. 3.3. *aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa,* Et D. Petrus. *Mulieres subditæ sint viris suis, &c. quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est in-* Isa. 3.24. *dis homo, in incorruptibilitate modesti & quieti spiritus.* 2. declarat à Deo puniri, nam cum apud Isaiam prolixè Deus filiarum Sion luxum arguisset. *Et erit*, inquit, *pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro* Isac. 3. 1. *crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Et B. Iacobus. *Agite nunc diuites*, ait, *plorate & vlulate in miseriis vestris, quæ aduenerunt vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta à tineis comesta sunt,* monet vt vestitu honesto contenti simus, hoc est, quo corpus obtegamus & contra iniurias cœli muniamus. Nam ait Apostolus ad Ti- 1.Tim.6.8. motheum. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.*

Cyp. de habitu virg. II. REMED. Considera S. Patrum testimonia. B. Cyp. *Fugiant castæ virgines & mulieres pudicæ incestarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum, clamat spiritu sancto ple-* Isa. 3.16. *nus Isaias, & filias Sion auro & veste comptas increpat & obiurgat pernicio-sis opibus affluentes, & à Domino per seculi delicias recedentes. Exaltatæ sunt, ait, filiæ Sion, & ambulauerunt alto collo, & nutu oculorum, & incessu pedum trahentes tunicas, &c. Exaltatæ ceciderunt, comptæ turpitudinem sordidatem; merguerunt. Serico & purpura indutæ Christum induere non possunt: auro & margaritis & monilibus adornatæ ornamenta corporis & pe-* Basilius. 4. *cteris perdiderunt. Quis non id execretur & fugiat, quod aliis fuerit exitio? Quis id appetat & assumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit & telo?* S. Basilius de legendis libris gentilium, *Comas aut vestes superuacua curare, vel infelicium est, vt agit Diogenes, vel iniustorum. Nam quid ex talibus expectandum, aut suspicandum, nisi vt lasciuus ille ornatus fœminas prætereuntes inuitet, aut alienis matrimoniis insidietur? Quid enim opus cum qui sapit differre potest, tenuem sumptuosamq; vestem induere an vicissim ferre? modo satis hæc ad frigus caloremque arcendum fuerit. Et ad hunc modum etiam in reliquis quicquid necessitatis vsum excedit vitandum, neque corpori plus ornatus dandum est quam quantum animæ prosit.* Greg. Nazianz.

zianz. in parænetico carmine. *Non aurum nobilius gemmis immixtum mulieribus ornamentum affert, nec regia facies turpiter iucundis coloribus tincta pernicioſaq́, alia facie obducta. Purpureæ porrò & aureæ, eximiæq́, & ſplendidæ veſtes his demum conueniunt, quibus nullus vitæ ſplendor, nullum virtutis decus ſuppetit.* S. Amb. de Virg, *Neglecta decoris cura plus placet, & hoc ipſum quod nos non ornamus ornatus eſt.* Hier. in vita Pauli eremitæ. *Vos in tunicis aurum texitis, ille, Paulus, ne viliſſimum quidem veſtimentum habuit mancipii veſtri. Sed è contrario illi quidem pauperculo paradiſus patet, vos auratos gehenna ſuſcipiet. Ille veſtem Chriſti, nudus licet, tamen ſeruauit: vos veſtiti ſericis, indumentum Chriſti perdidiſtis.* Et ad Nepotianum, de vita clericorum. *Veſtes pullas æquè deuita, vt candidas; Ornatus, & ſordes pari modo fugiendæ ſunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Chry. in Geneſin. *Dicant nobis, qui tanto vtuntur apparatu, vt iam vſum lanæ prorſus audire nolint, ſed ſerico veſtiantur, eoq́, inſaniæ peruenere, vt aurum veſtibus intexant. In primis autem mulieres huic mollitiei deditæ ſunt. Quare dic, obſecro, corpus ita ornas & gaudes eiuſmodi amictu? Non cogitas, quod pro magno ſupplicio propter transgreſſionem tegmen hoc excogitatum eſt? Et quare non audis Paulum dicentem, Habentes victum & amictum illis contenti ſimus? Vides, quod vnius tantum rei habenda ſit cura, videlicet, ne corpus nudum ſit, ſed vt tegatur. Num adhuc de varietate veſtium oportet ſolicitum eſſe?* S. Greg. in Euangelia. *Quod pro ſola inani gloria veſtimentum pretioſius quæritur res ipſa teſtatur. Vnde nemo velit pretioſis veſtibus indui, vbi ab aliis non poſſit videri.* S. Bern. in libris de conſideratione. *Veſtium curioſitas deformitatis mentium & morum indicium eſt.*

Naz. ad olympiad. Amb. lib. 1. Hier. tom. 1. Epiſt. 13 Chry. hom. 18. 1. Tim. 6. 8. Greg. hom. vlt. Bern. lib. 3.

III. Remed. Conſidera luxum veſtium prorſus repugnare Chriſti doctrinæ & exemplo. Vbiq; enim in Euangelio commendat nobis humilitatem, paupertatem & vanæ gloriæ contemptum. *Beati pauperes ſpiritu,* inquit, *quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum* Et. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Et. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Cyp. de habitu Virginum. *Si non eſt maior Domino ſeruus, & liberatori debet obſequium liberatus, qui eſſe cupimus Chriſtiani, debemus quod Chriſtus fecit & docuit imitari. Scriptum eſt enim, & legitur & auditur, & in exemplum noſtræ Eccleſiæ ore celebratur. Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet, quomodo ille ambulauit, & ipſe ambulare. Ambulandum eſt veſtigiis paribus, æmula ingreſſione nitendum eſt Tunc reſpondet adſidem nominis ſectator veritatis, & credenti præmium datur.* Quod autem Chriſtus luxum veſtium damnarit, probarit verò vilitatem non obſcure declarat B. Greg. his verbis. *Sunt nonnulli, qui cultum ſubtilium pretioſarumq́, veſtium non putant eſſe peccatum.*

Matth 5. 4. Matth. 11. 29. Matth. 6. 1. 1. Ioan. 28. Greg. hom. 40. in Euang.

catum. Quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod diues, qui torquebatur apud inferos, bysso & purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam quærit, vt honorabilior ceteris esse videatur. Nam quia pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur, quod nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, vbi ab aliis non possit videri. Quam culpam possumus melius etiam ex diuerso colligere, quia si abiectio vilis indumenti virtus non esset, Euangelista vigilanter de Ioanne non diceret. Erat indutus pilis camelorum.

Luc. 16. 19.

Matth 3. 4.

IV. REMED. Considera repugnare exemplo fidelium veteris & noui testamenti. Primum sit Adam & Euæ, quos Deus pelliceis induit vestibus. De quibus Chry. in sermone de cohabitatione regularium feminarum cum viris. *Idcirco Adam induit Deus vestes pelliceas, similiter & eius mulierem: quamuis si voluisset, delicatis eum potuisset induere vestibus, sed nobis per illas ostendit, quod non sit præsens tempus deliciarum, sed gemendi & plangendi.* Et alibi. *audiant opulenti, & qui luxuriant in vermium operibus, & vestiuntur sericis, discantq; quomodo ab initio humanam naturam misericors Dominus docuerit. Quia propter transgressionem pœnæ mortis reus erat factus protoplastus, opusque habebat veste, quæ confusionem tegeret, pelliceas fecit vestes: quod docuit nos, vt mollem & dissolutam viam fugiamus, & austeram magis amplexemur.* Alterum in reginæ Hester, de qua B. Hieronymus ad Demetriadem, de Virginitate seruanda. *AEstuabat Christi tyruncula* (Demetrias) *oderat ornatum suum, & cum Hester loquebatur ad Dominum. Tu nosti, quod oderam insigne capitis mei, hoc est, diadema quo vtebatur quasi regina, & tanta ducam immunditiæ, velut pannum menstruatæ.* Et S. Augustinus ad Edicciam. *Quod si aliqua dura conditione cogereris,* (ad indecentem ornatum) *posses habere in superbo cultu cor humile. Nempe apud Patres legitur illa regina Deum timens, Deum colens, Deo subdita, marito regi alienigenæ non eundem secum colenti Deum, tamen subiecta seruiebat: qua cum extremo periculo, non suo tantum, sed etiam gentis suæ, qui tunc erat populus Dei, Domino prosterneretur orando, in ipsa oratione sua dixit, ita sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstrualem, & ita orantem confestim exaudiuit, qui cordis inspector eam verum dicere sciuit.* Tertium sit S. Ioannis Baptistæ. De quo B. Bernardus in sermone de eius natiuitate. *Considera,* inquit, *hominem Angelico promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in vtero, & nouum in nouo homine pœnitentiæ mirare feruorem. Victum & vestitum,* ait Apostolus, *habentes, his contenti simus. Apostolica ista perfectio est; sed Ioannes etiam hæc contempsit. Denique audi Dominum in Euangelio. Venit,* inquit, *Ioannes, non manducans, nec bibens: planè nec vestiens. Sicut enim non*

Gen. 3. 21. Chry.

Id. hom. 18. in gen.

Hier. ep. 8.

Esth. 14. 16.

Aug ep. 199.

Esther. 14. 16.

1. Tim. 6. 8.

Matth 11. 18.

est loqu-

est locusta cibus, nisi aliquorum forte irrationabilium animalium, sic nec pilus cameli humanum est indumentum. Hic ergo Ioannes, quo nullus maior in natis mulierum innocentissimum illud corpus sic castigat, sic extenuat, sic affligit: vos indui festinatis byssо & purpura & splendidè epulari? Hæc ille. B. Ioannis exemplum imitati sunt, qui apud Apostolum, *circuierunt in melotis & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.* Deinde Paulus primus eremicola, Antonius, Arsenius, Macarii, Hilarion, Pachomius, & innumerabiles alii vilissimo habitu contenti: quo nonnunquam etiam ditissimos homines ad sui imitationem permouerunt. Ita enim scribit Palladius de vtroque Macario, Alexandrino & Ægyptio. *Cum ambo essent Nilum transmissuri, accidit vt ipsi maximum pontonem ingrederentur: in quem ingressi sunt duo tribuni cum magno fastu & apparatu, vt qui intus haberent rhedam totam aneam, & equos frenis aureis, & quosdam eosdem stipantes milites satellites, & pueros torquibus, & aureis zonis ornatos. Postquam ergo tribuni viderunt ipsos veteribus pannis indutos, & sedentes in angulo, humilem illam & tenuem viuendi rationem beatam iudicabant. Vnus autem ex tribunis dixit ad ipsos. Beati estis vos, qui mundum illuditis Respondens autem Macarius qui erat vrbanus, dixit eis. Nos quidem mundum illusimus, vos autem illusit mundus. Scias autem te non tua sponte hoc dixisse, sed propheticè. ambo enim vocamur Macarij, hoc est, beati. Is autem sermone eius compunctus, cum domum venisset, vestes exuens, delegit vitam agere solitariam, multas faciens eleemosynas.*

Heb. 11 37.

Pausan. in Laur. c. 20.

V. Remed. Considera quid Ethnici ratione sola naturali ducti de luxu isto senserint & scripserint. Imprimis Octauianus Augustus, teste Macrobio libro 2. Saturnalium, simplici amictu vtebatur; suique, si secus facerent, grauiter ferebat; & licentiorem in filia sua Iulia reprehendit. Seuerum Imperatorem, teste Brusonio, cum quidam viliore amictu contentum admirarentur, hoc responso factum suum defendit. *Imperatoria maiestas virtute constat, non corporis cultu.* Ælianus in varia historia auctor est Lacædemoniorum Ephoros, id est, summos magistratus quotidie obire solitos ad inspectionem vestium, ne quid à decenti ornatu alienum vsurparetur. Eosdem Lacædæmonios laudat Clemens Alexandrinus in Pædagogo, quod solis meretricibus permitterent floridas vestes & aurum mundum gestare. Similiter Athenæus, ex Phylarcho testatur apud Syracusanos cautum fuisse, ne mulieres auro ornarentur, nec floridas vestes gestarent, nec purpureos haberent contextus, nisi

Macrob. c. 5.

Brus. l. 3. c. 1.

Aelian. lib. 14.

Clem. l. 2. c. 10.

Athen. li. 12. c. 6.

Laert.lib.6. forte publica esset meretrix. Diogenes, apud Laertium de vitis Philosophorum, adolescenti cuidam æquo emotiori, cum quæstionem proposuisset, ita respondit. *Non tibi prius responsurus sum, quam subductis vestibus ostenderis, vtrum masculus sis an femina.* Eodem auctore Solon è Sapientibus vnus Cræso regi Lydiæ, cum comptissimus in solio sedisset; rogassetq; num pulcrius vnquam spectaculum vidisset, respondit, se vidisse, nempe gallos gallinaceos, pauones & fasianos.

Sen.ep. 47. Seneca ad Lucilium ita scribit. *Quemadmodum stultus est, qui equum empturus non ipsum inspicit, sed stratum eius ac frænos, sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex conditione, quæ vestis modo nobis circumdata est æstimat.*

VI. REMEDIVM. Considera exempla eorum, qui ob luxum diuinitus sunt puniti. Hieronymus ad Lætam. *Prætextata quædam nobilissima fœmina, iubente viro Hymetio, qui patruus Eustochii virginis fuit, habitum eius cultumque mutauit, & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & virginis propositum, & matris desiderium: & ecce tibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem. Tune ausaes viri imperium præferre CHRISTO? Tu caput virginis DEI tuis sacrilegis attrectare manibus, quæ iam nunc arescent, vt sentias excruciata quid feceris: & finito mense quinto ad inferna duceris. Sin autem perseueraueris in scelere, & marito simul orbaberis & filiis. Omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus. Sic vlciscitur CHRISTVS*

P.Dam.ep. 16. l. 5. *violatores templi sui, sic gemmas & pretiosissima ornamenta defendit.* Petrus Damianus Cardinalis epistola ad Landulphum. *Memini plane, cum apud Parmense opidum liberalium artium studiis docendus insisterem, clericus quidam nomine Teucolinus pellicem suam iuxta meum habebat hospitium, aspectu lubricam & inhonestam satis, decore venustam. Hicq; nitidus, & semper ornatus atq; conspicuus incedebat: ita vt caput eius, nunquam nisi gabelica pellis obtegeret, indumenta carbasina atque niuentia fuligo per artem fullonis inficeret: calceus postremo ad aquili in rostri speciem non falleret. Affluebat vbique deliciis, rugiebant ora flammantia quotidie cachinnis atque ludibriis, oculorum nutibus, ac scurrilitatis illecebris festiui applaudebant. Hi cum per quinque fere annorum lustra in hac luxuriosa voluptate vixissent ante annum, cum commune ipsius ciuitatis flagraret incendium in vna domo reperti vtrique simul igne consumpti*

Cantipr.c.7. p.8. *sunt.* THOMAS Cantipratanus libro primo Apiarii. *Scio & certus sum, quod etiam in secularibus & nobilibus personis pompa gloriæ secularis notabiliter reprehensa sit & damnata. Prope enim nostra tempora fuit mulier nobilissima, Maria Campaniæ Comitissa, hæc nupta nobilissimo*

Henrico

Henrico Campaniæ comiti, filia fuit Ludouici pii regis Francorum, Philippi regis soror æquè regis Frãcorum. Hæc multis annis mortuo marito cum pomposissima ambitione circuiens & moriens talem finem sortita est. Laborans hæc in extremis, Abbatem Persaniæ sanctissimum ac eloquentissimum virum, migratura, venire mandauit. Qui vt venit intromissus non est, & præ foribus expectauit. Iam enim Comitissa decesserat, & distrahebantur à militibus, & ministris, & suis omnibus vtensilia, vasa aurea & argentea, vestes pretiosæ, culcitræq; purpureæ, & tandem linteamina ipsa cum peplis. Extremo quidam ex garsionibus mora nimia retardatus lectum per cornua comprehendit, & resupinatum corpus emortuum eminus in stramenta deuoluit. Moras autem Abbate cum tædio sustinente, quidam nobilis ex circumstantibus indignatus ostium violenter infregit, & virum venerabilem intromisit. Qui cum introisset, & nobile illud corpus nudum in stramine reperisset, volente quodam ex familia illud straminibus operire, Abbas exempli prouidus non sinebat, sed libera voce clamabat. O vos omnes, venite, cernite pompam nobilissimæ Comitissæ Mariæ. Videte illud delicatissimum corpus, quanto dedecore pudoris deuolutum est: Videte quid ei pro multiplici honore & gloria mundus finaliter exsoluit. Ecce quàm stulta illi mundus computatione concluſit. Humbert. in c. 7°.

Humbertus quintus ordinis Prædicatorum Generalis Magister in Regulam S. Augustini scribens. *Contigit*, inquit, *Parisiis, vt quidam Magister Theologiæ secularis prædicaret in Vniuersitate indutus optima veste, vel cappa noua in principio hyemis. Cùm autem tenuiter imprimeret verba sua in cordibus auditorum, quidam fatuus, qui erat in medio scholarium, surrexit & dixit. Tace tu, illa vestis pretiosa, quam habes, non permittit te audacter dicere veritatem; quæ res fecit ei miserabilem confusionem. Debent ergo, qui debent mundi prædicare contemptum, cauere, ne in suo habitu appareat aliquid quod gloriam mundi prætendat.*

VII. Remedium. Considera causas cur luxus vestium sit meritò detestandus. Prima causa est, quia vestitus est signum & monumentum inobedientiæ & prævaricationis nostræ in Adamo protoplasto: nullus ergo iure potest gloriari in vestitu; sicut nullus certè fur gloriatur de stigmate ob furtum fronti iniusto. Vnde B. Chrysostomus in Genesin. *Iussit Dominus primos parentes togis pelliteis vestiri in perpetuam memoriam, quod inobedientes fuerimus Domin. Audiant opulenti, & qui luxuriant in vermium operibus, & vestiuntur sericis, discantq; quomodo ab initio humanam naturam misericors Dominus docuerit*, Altera causa est, quia eo ostendimus, quam parum memores simus antiqui illius oraculi γνῶθι σαυτὸν, tantopere laudati, vt acutè denota- Chryſ. hom. 28

uit B. Basilius in homilia de legendis libris gentilium. *Omne namq; studium*, inquit, *adhibere, vt quod extra fuerit, benè pulchreq; colatur & ap-* Baſ. hom. 24.

pareat, sese cognoscentis non erit, neq; sapiens illud præceptum intelligentia nos admonens, quemadmodum non id quod aspicitur, est homo. Excellentior nim quadam opus est sapientia, per quam nostrum quilibet, quicunq; sit, sese cognoscat: quæ profecto mente minimè purgatis non magis euenire potest, quàm lippienti solem aspicere. Quid autem sit, quod luxu vestium gaudens non cognoscat, est corpus suum. Quid enim est corpus nostrũ, nisi saccus stercorum, cloaca sordium, cibus vermium, nisi stagnum, infra supraq; fœtores exhalans? Quare Andreas S. Bernhardi frater cum aliquando amborum soror exquisito culta ornatu ad fores monasterij Clarauallensis venire ausa fuisset, eam *stercus inuolutum* appellauit. Quo conuitio illa perculsa tandem & cultui & mundo sanctimonialis facta renunciauit. Ita scribit Guilielmus de bona vallein D. Bernardi vita. Tertia causa est, quia vestium curiositas, vt supra dixit B. Bern deformitatis mentium & peruersorum morum indicium est, inprimis superbiæ, vanæ gloriæ, luxuriæ, & causa scandali aliorum. Vnde Sapiens. *Amictus*, inquit, *corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de eo.* Et Apostolus dum pretiosas vestes mulieribus interdixisset, subiecit. *Sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* quid enim sobriè vestita aliud promittit, quam castitatem? compta verò aliud, quàm impudicitiam? S. Hier. in Epitaphio Paulæ Romanæ, sic de ea scribit. *Si vidisset feminam aliquam cupidiorem contractione frontis & vultus tristitia arguebat errantem, dicens: munditiam corporis atq; vestitus animæ esse immunditiam.* Clemens Alexandrinus in pædagogo. *Ea*, inquit, *quæ à feminis ad luxum comparantur ab eis tanquam pennæ detrahendæ sunt, vt quæ instabilem superbiam & molliciem immanesq; voluptates procreent.* Cyprianus de habitu virginum. *Si tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicias, suspiria adolescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomenta succendas, vt & si ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas, excusari non potes, quasi mente casta sis & pudica. Redarguit te cultus improbus & impudicus ornatus.* Chrys. in Genesin. *Hoc studium in ornando corpore externam indicat deformitatem, & huius delicię illius manifestam faciunt famem, & huius vestium sumptus illius indicat nuditatem. Impossibile est enim aliquam agere curam animæ, & tanti facere corporis pulchritudinem & ornatum: sicut & impossibile in externo illo cultu tantopere occupatum illius agere curam. Quomodo enim posset anima talis aliquid vtile contemplari, vel in cogitationem spiritualium venire, quæ semel terrenis ita dedita capit esse, & humi, vt ita dicam, trahitur, & nunquam renuere potest, & obstipata innumeris peccatorum sarcinis seipsam grauat?* Sed neq; gentilibus causa hæc igno-

Surius in August.

Bernard l. 3. de consid.

Eccli. 19. 27.

1. Tim. 2. 10.

Hier. epi. 27. ad Eustoch.

Clem. l. 3. c. 11.

Cyprian.

Chryf. hom. 37.

hæc ignota fuerit. Nam apud Suetonium celebratur hoc Augusti Cæsaris dictum. *Vestitus insignis ac mollis superbiæ vexillum est, nidusq; luxuriæ.* Quarta & postrema causa est, quod cultu hoc corporis mulieres inprimis, maximam faciant iacturam temperis, de quibus iam olim Comicus. *Dum poliuntur, dum comuntur, annus est,* Earum mores graphicè depingit Clemens Alexandrinus libro tertio pædagogi. Socrat. in historia Ecclesiastica de Pambone eremita Alexandriam ab Athanasio accersito scribit. *Cùm ibi videret mulierem in pompa sumptuosius, exquisitiusq; ornatam, quo homines ad se spectandam inuitaret, lacrymas profudisse. Atq; quibusdam ex illis, qui aderant rogantibus, quid esset causæ cur lacrymaret, respondisse se duabus rebus fuisse commotum. Vna, quod mulierem videret sibi exitium parare: altera, quod ipse non tanta cura ac studio ad placendum Deo, quanto illa ad hominibus flagitiosis blandiendum incumberet.* In vita quoq; S. Pelagiæ, quæ est apud Surium, legimus Nonnum Episcopum Heliopolitanum *Pelagiam meretricem gemmis margaritisq; fulgentem, cum forte eam in via publica obuiam habuisset, defixis oculis intuitam & ad circumstantes Episcopos dixisse. Quot putatis horas hæc in comendo corpore consumpsit, vt hominum placeat oculis, & quantulum temporis nos impendimus, vt Deo placeamus? ac mox in multas lacrymas solutum, à Deo obtinere meruisse eius conuersionem exitu vitæ sanctissimo conclusam.*

Sueton. c. 2.
Terent. in Heaut.
Clemen. c. 2. Sobr. lib 4. c. 18.
Sur. in Octob.

VIII. Remed. Considera quàm asperè inuehantur SS. Patres in fucatum & commentitium corporis ornatum. Clemens Alexandrinus in pædagogo. *Sicut cui impositum est cataplasma, & cui inuncti sunt oculi, vel ipso aspectu præbet morbi suspicionem, ita fuci, tinctura & ornatus affectatus animam intrinsecus ægrotare significant.* Tertullianus de cultu feminarum. *In Dominum delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Displicet illis nimirum plastica Dei: in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cum emendant, cum adiiciunt, vtiq; ab aduersario artifice sumentes additamenta ista, id est, diabolo.* Et paulò post. *Quam indigna nomine Christiano, faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur: effigiem mentiri quibus lingua non licet: appetere quod datum non sit, quibus alienum abstinendum: speciem exercere quibus studium pudicitiæ est? Video quasdam & capillum croco vertere. pudet eas etiam nationis suæ quod non germanæ, aut Gallæ sint procreatæ, ita patriam capillo transferunt.* Cyprianus de habitu Virginis. *Nec Deus aut purpureas, aut coccineas oues fecit, nec margaritis contexta serica, & numerosa compage digestis monilia DEVS instituit, quibus ceruicem, quam fecit, absconderet: & operiatur illud, quod Deus in homine formauit, & conspiciatur desuper id, quod diabolus ad-*

Clem. lib. 3. c. 1.
Cyprian.

bolus adinuenit. *An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus & innocens adhuc infantia, & mali ſecularis ignara crucietur, vt poſtea de auriũ cruciatibus & cauernis pretioſa grana dependeant?* Et rurſum. *Quod ornatus putas, quod putas comi, impugnatio eſt iſta diuini operis, præuaricatio veritatis. Non metuis oro, quæ talis es, ne cum reſurrectionis venerit dies, artifex tuus te non cognoſcat? ne dicat, hoc opus meum non eſt; & hæc imago noſtra non eſt. Cutem falſo medicamine polluiſti, crinem adulterino colore mutaſti, expugnata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, cultus alienus eſt. Deum videre non poteris, cum oculi tibi non ſint, quos DEVS fecit, ſed quos*

Greg. Naz. *diabolus infecit.* Gregor. Nazianzenus in oratione aduerſus mulieres ambitioſè ſe ornantes. *Enimuerò quis primus Dei figmentum illinere aggreſſus eſt? Pereat, quiſquis ille fuit, qui primus coloribus atq; pigmentis impudentiam adiunxit. Vt enim impudentes vrinatores, virorumq; nomine indigni, larua primum faciem tegunt, atq; ita deinde ſequuntur, quæ inhoneſtæ rei conueniunt ſaltitationes videlicet, ac turpis membrorum ſolutio ſplendidis hominibus gratiſſima: ad eundem modum hæ quoq;, poſtquam alienam formam externè induerint, ita demum vt picta illa & fucata forma dignum*

Ambr. lib. 1. *eſt, mouentur.* Ambr. de Virginibus. *Hinc illa naſcuntur incentiua vitiorum, vt quæſitis coloribus ora depingant, dum viris diſplicere formidant: & de adulterio vultus meditentur adulterium caſtitatis. Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere, & dum verentur maritale iudicium, prodere ſuum?* Et paulò poſt. *Hinc pretioſa collo dependent monilia inde per humum veſtis trahitur aurata. Emitur igitur hæc ſpecies, an habetur? Quid quod etiam odorum variæ adhibentur illecebræ? Gemmis onerantur aures, oculis color alter infunditur. Quid ibi remanet ſuum, vbi tam multa mutantur? Senſus ſuos amittit mulier, & viuere poſſe ſe credit.*

Chryſ. hom. 50. Chryſ. in Matthæum. *Quantum vobis dedecus eſſe putatis, cum ſerica licia calceamentis veſtris, quæ nec veſtibus quidem vir probus vnquam ſubtexerit, diligenter inſeritis, quantis hoc dignum cachinnis arbitramur? Quod ſi huic noſtræ ſententiæ non acquieſcitis, audiatis Paulum, quanta hæc cum acrimonia reprehendat, & autoritate ipſius turpitudinem rei cognoſcite. Quid igitur hac de re Paulus ſcribit. Non implicationibus, inquit, auri, aut margaritarum, nec veſtimento pretioſo. Quam igitur veniam habere poterit,*

1. Tim. 2. *cùm neq; vxori tuæ, iubente Paulo, pretioſæ veſtes permittantur, tu calceum luxurioſiſſimè polias, ac ita conſtruas, vt nimium attentus ad ridiculoſa & dedecora eſſe videaris. Nonne vides naues fabricari, eligi remiges, vela dari ventis, maria nauigari, ac mercatores patria & liberis relictis, ac vita contempta & fluctibus commiſſa ad extremos Barbarorum partes mille periculis peruenire propter ſerica hæc licia, vt tu ſcilicet calceis tuis ipſa inſeras, quibus te ornatiorem eſſe putes? Dic, quid hac curialitate amentius?*

VIDE V.

VIDE V. *Ambitio. Amor sui. Curiositas. Exemplum malum. Gloria vana. Immodestia. Luxuria. Superbia. Voluptas carnis.*

VINDICATIO INIVRIÆ.

Remedia contra Vindicationem Iniuriæ.

I REMED. Considera quid Spiritus sanctus in verbo suo de hoc argumento patefecerit. Ac primo quidem prohibet omnem vindicationem iniuriæ, vt in Leuitico. *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium.* Et in Prouerbijs. *Ne dicas, reddam malum, expecta Dominum, & liberabit te.* Et in Epistola ad Romanos. *Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere, nulli malum pro malo reddentes: sed si esurierit inimicus tuus ciba illum: si sitit potum da illi.* Et in priore ad Thessalonicenses. *Patientes estote ad omnes. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper, quod bonum est, sectamini in inuicem, & in omnes.* 2. monet Deo relinquendam omnium iniuriarum vltionem. Nam in Deuteronomio vox Dei est. *Mea est vltio, & ego retribuã.* Quod citat Apostolus. *Non vosmetipsos*, inquit, *defendentes carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim. Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Et apud Lucam Christus. *Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum.* 3. laudat mites, & pacificos, contra verò reprehendit impatientes. Nam apud B. Matthæum Christus Dominus, beatos prædicat mites, pacificos, & qui persecutiones & maledictiones perpetiuntur. deinde ait. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et B. Petrus. *Quæ est gloria, si peccantes & colaphizati suffertis, sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.* Et Ecclesiasticus. *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam.*

Leu. 19. 18. Prou. 20. 22. Rom. 12. 17. 1. Thess. 5. 15. Deut. 32. 35. Rom. 12. 19. Luc. 18. 7. Matth. 5. 4. Matth. 11. 29. 1. Petr. 2. 20. Eccl. 2. 16.

II. REM. Considera priscorum Patrum sententias. S. Cypr. *Quoniam plurimos scio, fratres dilectissimi, vel pondere iniuriarum ingentium, vel dolore de ys, qui aduersum se grassantur & sæuiunt, vindicare velociter cupere, nec illud reticendum est, vt in istis fluctuantis mundi turbinibus constituti patienter expectemus vltionis diem, nec ad vindictã doloris nostri quærula festinatione properemus, cum scriptum sit. Expecta me, dicit Dominus, in diem resurrectionis meæ in testimonium, quoniam iudicium meum est ad congregationes gentium*, vt excipiam Reges, & effundam *super eos iram meã.* Sic Greg. Nazianz. in Iulianum. *Proinde ne iram pro iniuriæ modo rependi velimus, nec pro criminum atrocitate satis graues vindices nos præbeamus: quin potius, quoniam pœnas omnes, quas merentur, expetere non possumus,*

Cypr. de bono patient.

Naz. orat. 2.

omnes condonemus. Hoc nomine ijs, à quibus iniurias accepimus, sublimiores simus. ostendamus quid illos dæmones doceant, quid rursus Christus nos erudiat, qui ex eo victoriam reportauit, quod in vlciscendi potestate iniuriam non regessit. S. Ambr. ad Ecclesiam Vercellensem. *Non hæc solata forma iustitiæ, vt non lædas eum, qui te non læserit, sed etiam illa, vt etiam remittas, qui læserit. Lædimur plerunq; fraude alterius, dolo proximi. Nunquid hoc virtutis putamus, vt dolum dolo vlciscamur, fraudem referamus fraudibus? Nihil autem interest, cui male facias: vtrum iusto, an iniusto, cum te malefacere non oporteat. Neq; distat, quomodo malignus sis, vtrum iusta vindicandi studio, an voto nocendi, cum malignitas in vtroq; genere non careat reprehensione.* S. Basilius, de ira & inimicitijs. *Maxima reprehensione dignus est homo Christianus, quod sit procliuis ad vindicationem: quod omnibus modis cogitet quanam ratione eos vlcisci queat, qui se iniuria affecerunt. Quomodo enim ille alium docebit, ne malum pro malo rependat, qui omnia facit vindictæ causa, & qui omnibus viribus studet, vt vicissim ei, qui sibi iniuriam imposuit, mœstitiam inferat? Talis equidem imitationem non capit lenitatem Dauidis, qui dicit. Si reddidi retribuentibus mihi mala decidam merito ab inimicis meis inanis.* S. Hier. ad Demetriadem. *Iracundiæ hominis est, & finem imponere iracundiæ Christiani.* Et ad Antonium. *Iracundiæ hominis est, & iniuriam non facere Christiani.* Chrys. in Genesin. *Neq; iniurias illatas vindicare cupiamus, neq; hostiliter in proximum affecti simus. Nihil enim omnium DEVS ita odit & auersatur, vt hominem vltionis auidum, & in animo suo perpetuas seruantem inimicitias. Tantum enim eius peccatum damnum est, vt misericordiam Dei reuocet, nec locum habere sinat.* Et mox fusè id probat ex Euangelica parabola, vbi 10. millium tal. debitori remissionem omnium consecutus est; sed postea in carcerem compactus, quod conseruo 100. denarios debenti misereri noluisset. Cui parabolæ Christus mox subdit. *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris.* S. Aug. de sermone Domini in monte expendens tria iniuriæ exempla à Christo posita: quorum primum est. Si quis te percusserit in vnam maxillam. 2. si quis tunicam tuam tollere voluerit. 3. Si quis te mille passus angariauerit. *In his, inquit, sanè generibus trium exemplorum nullum genus iniuriæ prætermissum esse video. Namq; omnia, in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo genera diuiduntur: quorum alterum est, quod restitui non potest: alterum quod potest. Sed in illo, quod restitui non potest, vindictæ solatium quari solet. Quid enim prodest, quod percussus repercutis? Nunquid propterea aliquid, quod in corpore læsum est restituetur in integrum? Sed tumidus animus talia fomenta desiderat. Sanum autem firmumq; ipsa mens habet, quin potius misericorditer perferendam alterius infirmitatem indicat, quam*

Amb. ep. 82. l. 10.

Basil. orat. 9.

Psal. 7. 5.

Hier. ep. 8.

Chrys. hom. 27.

Matth. 18. 23.

vers. 35.

Aug. lib. 1. c. 36. & 37.

Matth. 5.

quam alieno supplicio suam mitigandam, quæ nulla est. Neq; hic ea vindicta prohibetur, quæ ad correptionem valet, etiam ipsa enim pertinet ad misericordiam. S. Greg. in Euangelia. *Sciendum est, quod tribus modis virtus patientiæ exerceri solet. Alia namq; sunt, quæ à Deo: alia quæ ab antiquo aduersario, alia quæ à proximo sustinemus. A proximo namq; persecutiones, damna & contumelias: ab antiquo verò aduersario tentamenta: à Deo autem flagella toleramus. Sed in his omnibus tribus modis vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere: ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta aduersarij seducatur ad delectationem vel consensum delicti: ne contra flagella opificis ad excessum prorat murmurationis.* Greg. homil. 35.

III. Remed. Considera Ethnicorum Philosophorum sententias. Seneca in libris de Ira. *Non vt in beneficijs honestum est meritam meritis repensare, ita iniurias iniuriis. Illic vinci, turpe est: hic vincere inhumanum verbum est, & quidem pro iusto receptum vltio. Qui dolorem regerit, tantum excusatius peccat. M. Catonem in balneo quidam percussit imprudens. Quis enim illi faceret iniuriam? Postea satisfacienti Cato. Non memini, inquit, percussum me. Melius putauit non agnoscere, quàm ignoscere. Nihil, inquis, illi post tantam petulantiam mali factum est? imò multum boni. capit Catonem nosse. Magni animi est, iniurias despicere.* Et infrà. *Pusilli hominis & miseri est, repetere mordentem, vt mures & formicæ: ad quas, si manum admoueris, ora conuertunt. Imbecilla se læsi putant, si tanguntur.* Et in consolatione ad Heluiam. *Ducebatur Athenis ad supplicium Aristides: cui quisquis occurrebat, deijciebat oculos, & ingemiscebat, non tanquam in hominem iustum, sed tanquam in ipsam iustitiam animaduerteretur. Inuentus est tamen, qui faciem eius inspueret. Poterat ob hoc molestè ferre, quod sciebat neminem id ausurum puri oris. At ille absterfit faciem, & subridens ait comitanti se magistratui. Admone istum, ne postea tam improbè oscitet. Hoc fuit contumeliæ ipsi contumeliam facere.* Et in Epistola ad Lucilium. *Iniuriarum remedium est oblivio.* Augustinus ad Marcellinum. *Quomodo poterant (Romani) gubernare atq; augere Rempublicam, quam exparua & inopi magnam opulentamq; fecerunt, qui accepta iniuria ignoscere, quam persequi malebant? Quomodo Cæsari administratori vtiq; Reipub. mores eius extollens Cicero dicebat, quod nihil obliuiscì soleret, nisi iniurias, Dicebat enim hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator. Sed si laudator, talem Cæsarem nouerat. Si autem adulator, talem esse debere ostendebat Principem ciuitatis, qualem illum fallaciter prædicabat.* Basilus de legendis libris gentilium. *Homo quidam in fore Periclem probris omnibus incessebat: is autem minimè curare visus toto ferè die sustinuit. Deindè vesperi iam discedentem cum lumine comitatus est, ne quid in philosophiæ* Sen. lib. 2. Id. epist. 94. Aug. epist. 5. In orat. pro Q. Ligar. Basil. hom. 24.

ſtudio admitteret. Rurſus quidam Euclidi Megarenſi animo concitatus mortem ſe iurauit illaturum. Ille verò contrà, ſe patienter laturum iurauit, & ei quamuis infeſto ſe conciliatum iri. Quidam vehementi impetu Socratis faciem cæcidit, hic autem minimè commotus furentem debacchari, & iram ſatiare permiſit, ex quo eum totum ex plagis tumidum, ac contuſum reddidit. Vbi verò ille cædendo deſtitit, nihil aliud Socrates feciſſe dicitur, quam frontis propriæ inſcripſiſſe. Talis fecit, velut ſtatuæ cuidam auctoris nomen, & eo modo ſe vindicaſſe. Quæ omnia profecto noſtris congruentia videntur, ac magnopere imitanda cenſerem. Nam Socratis hoc germanum eſt illi præcepto,

Matth. 5. 11. *quod maxillam verberanti, & alteram præbere iubet. Illud verò Periclis, vel Euclidis, ſimile illi quod perſequentes ſuſtinere, ac manſuetè illorum iras tolerare, & inimicis etiam bona precari doceat.*

Matth. 5. 12. IV. REMED. Conſidera, quam ſeriò, accuratè & ſæpè, cum alibi, tum maximè apud B. Matthæum c. 5. & 6. hanc de non vindicanda iniuria doctrinam Chriſtus nobis inculcet. Primo enim beatos pronunciat eos, qui iniquè contumeliis appetuntur, gaudereq; & exul-

verſ. 12. tare iubet ob copioſam mercedem illis paratam in cœlis. 2. comminatione iudicij & gehennæ deterret ab illatione iniuriæ, ira ſcilicet

verſ. 23. & verbis probroſis. 3. iniuriam facienti negat aditum ad altare ſui, ſacramentorumq; beneficium, niſi prius reconciliatus fuerit fratri. 4. nec vult à ſe gratiam, vel remiſſionem peccatorum poſtulari in oratione Dominica, niſi prius fratri remiſſa ſit iniuria idq; ex corde, vt

Matth. 6 15. Matth. 18. 35. eſt in clauſula parabolæ Matthæi 18: 5. vult, vt vna iniuria accepta parati ſimus ad maiorem v. c. cæſa vna maxilla, ad obuertendam aliam: tunica vi erepta, ad offerendum & pallium, quando ita gloria Dei, caritáſue poſtulat. 6. vt auctorem iniuriæ licet inimicum,

Matth. 5. 44. diligas, idque non verbis ſed factis, nempe orando pro illo, & benefaciendo, non ſecus quam Deus nos diligit, pluendo ſuper

Matth. 6. 1. iuſtos & iniuſtos. 7. id facias, nec tui commodi, nec gloriæ humanæ, more Ethnicorum captandæ cauſa, ſed propter Dei gloriam, & animæ ſalutem: *alioquin*, inquit, *mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* 8. indicat hoc ad perfectionem

Matth. 5. 48. ſuæ doctrinæ & Chriſtianæ religionis imprimis pertinere, nam concludit. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Quam perfectionem conſiderans Sanctus Baſilius alicubi ita

Baſil. orat. 9. de ira. ſcripſit. *Quale enim ſpectaculum, quam graue & admirandum, ac ſane nonnihil etiam ipſam naturam humanam exuperans hominem multis conuitijs iactatum, & qui etiam fortaſſis vulnus in facie accepit, quig; alia ſexcenta perpeſſus eſt, quæ & verbis, & reipſa ad extremam infamiam tendunt non ira incendi, neque vltionem parare, ſed manſuetum pro eo, qui ſibi*

qui sibi iniuriam intulit, preces adhibere. Ita vt ex eo, quod preces acceleraſſet, & venia delicto data ſit, & ipſe poſt decenti à Deo cura dignus ſit habitus. Et B. Auguſtinus libro primo de ſermone Domini in monte perpendens quanta perfectio ſit hominis Chriſtiani, qui percutienti vnam maxillam, paratus ſit præbere & alteram, hoc eſt grauiorem ſuſtinere iniuriam, tandem concludit, *nihil innocentius eſſe eo, qui in virtute perfectus eſt.* Aug. c. 34.

V. Remed. Conſidera hoc Chriſti præceptum de non vindicando non eſſe obſeruatu impoſſibile, vt quidam dictitant, ſed potius facile, & ob multas eius vtilitates rationi naturali prorſus conſentaneum. Vnde Baſilius in regulis breuioribus. *Sine dubio*, inquit, *Deus non præcepiſſet diligi inimicum niſi facultatem largitus fuiſſet id faciendi. Quam quidem etiam in natura inſitam videri voluit. Bene enim de ſe meritos etiam beſtiæ naturaliter diligunt. At maius nobis non poteſt contingere beneficium, quam quod ab inimicis nobis datur, nempe vt beatitudinem aſſequamur, Beati, inquit Dominus, eſtis, cum maledixerint vobis, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Et Chry. ad populum Antiochænum. *Si malum eſſet iniuriam pati, non id Deus nobis præcepiſſet: nam Deus mala non præcipit. An non ſcitis, quod ipſe Deus eſt gloriæ, nec confuſione nos & deriſione, damnoq; voluerit inuoluere? Sed graue eſt iniuriam pati & calumniam. Non eſt graue, non eſt ô homo. Quouſque circa præſentia ſtupidus hæres: Nec enim id Deus inſtituiſſet, ſi graue foret. Animaduerte verò: qui fecit iniuriam, abiit habens quidem pecunias, ſed & conſcientiam percuſſam: læſus autem, pecuniis quidem priuatus, habens autem apud Deum fiduciam, poſſeſſionem innumeris digniorem theſauris.* Et paulo poſt. *Calumniam ſum paſſus, & iubes ferre æquanimiter? & quomodo potero? Facilimè profectò, ſi tantum in cœlum reſpicias, ſi ſpectes hanc pulchritudinem, & quote Deus ſuſcipere promiſit, iniuriam generosè ferentem.* Et B. Aug. *Sed dicit aliquis. Nulla ratione poſſum inimicos meos diligere. In omnibus ſcripturis Deus tibi dicit, quia potes. Tu è contrario reſpondes, non poſſe. Conſidera nunc, vtrum tibi, an Deo debeat credi. Et ideo, quia veritas mentiri non poteſt, iam vanas excuſationes ſuas relinquat humana fragilitas, quia nec impoſſibile aliquid potuit imperare, quia iuſtus eſt, nec damnaturus eſt hominem pro eo, quod non potuit vitare, quia pius eſt, Quid tergiuerſamur incaſſum? Nemo enim, quantum poſſumus melius nouit, quam qui nobis ipſum poſſe donauit. Tot mulieres, clerici, pueri, tantæ & tam delicatæ puellæ flammas & ignes, & beſtias æquanimiter pertulerunt, & nos ſtultorum hominum conuitia dicimus tolerare non poſſe, quæ nobis malorum hominum nequitia inferuntur, ſi poſſumus, etiam vſq; ad mortem illorum noſtras iniurias* Baſ. q. 176. Matth. 5. Chry. hom. 72. Aug. ſer. 6. de Temp.

vindicamus. Vnde nescio qua fronte, vel qua conscientia cum omnibus sanctis in æterna beatitudine partem habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus. Et rursum. *Sed dicit aliquis Grandis labor est, inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare. Nec nos negamus fratres, non paruus quidem labor est in hoc sæculo, sed grande erit præmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici, efficieris amicus Dei: imò non solum amicus, sed etiam filius, sicut ipse Dominus dixit. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est. Si te aliquis homo diues in hoc seculo vellet adoptiuum filium facere, quomodo seruires, quas ei dignitates impenderes, & seruorum eius, seruitia durissima, & aliquoties etiam turpissima sustineres conuitia, vt ad caducam & fragilem eius hæreditatem peruenires? Quod ergo ille sustinet propter substantiam terrenam, tu sustine propter vitam æternam. Conuincimur enim certissima ratione, quia propter Deum possumus quidem, sed nolumus iniuriam sustinere. Denique si nobis aliqua potens persona iniuriam facit, si nos etiam in faciem maledicit, nec respondere aliquid asperum, non dicam vicem reddere, ausi sumus. Quare hoc? ne ab illa persona potente adhuc maiora quam pertulimus, patiamur. Quod à nobis torquet hominis timor, deberet à nobis exigere Christi amor.*

Aug. serm. 5. de sanctis. Matth. 5. 44.

VI. REMED. Considera vtilitates huius præcepti. Prima est, quia patientia mitigat iram iniuriam inferentis, secundum illud Sapientis. *Responsio mollis frangit iram. Et Lingua mollis confringit duritiam.* Sicut enim ignis materiâ subtracta extinguitur, ita maledicentis ira alterius patientia compescitur. Vnde B. Paulus. *Vince*, inquit, *in bono malum. Hoc enim facies, carbones ignis congeres super caput eius*, hoc est, caritatis ignem in eo excitabis, & ex inimico amicum facies. Exemplum habemus Ioannis Eleemozynarii Patriarchæ Alexandrini, cum cum consanguineus iuuenis quæstus esset de grauibus iniuriis à caupone sibi illatis, fingens se commoueri, respondit, se facturum rem, quam tota Alexandria miretur. Moxq; vocato ad se vectigalium magistro, ei iubet vt nihil amplius vectigalis à caupone exigeret. Quod factum non solum tota Alexandria suspexit, sed etiam caupo deinceps antistitem cum suo cognato omni officio coluit. II. Vtilitas est, quod hac modestia tollatur occasio maioris turbationis & bellorum. *Si respondeas maledico*, inquit S. Amb. lib. 1. officiorum, *superiorem se arbitrabitur, quia parem inuenit.* Et Chrys. sermone de mansuetudine. *Quisquis furibundos vincere voluerit, fortiter ferat iniurias & verba magnamq; eius qui verberibus in se sæuiebat conuersionem videbit. At si etiam ipse ab ira vinceris, studens inimicum pari insania vlcisci, nullus vquam irarum, pugnarumq; erit finis: sed semper, qui insaniunt & rabidi sunt, & vincere alios*

Prou. 15. 1. & 25. 15.

Rom. 12. 21.

Apud Sur. tom. 2.

Amb. c. 1.

cere alios conuitiis & verberibus cogitant in immensum bellum & pugnam erumpunt, mutuo insidiantur, calumnias struunt, peierare audent, & accusationes meditantur eorum, quæ neq; viderunt, neq; audierunt, & in die quidem, sicut canes rabidi & quærentes inimicum: noctem autem cogitando insumentes, quomodo malum aliquod machinentur. Vnde apud B. Aug. in libris de ciuitate Dei, quod etiam habet Salustius in Catilinario, legimus Romanorum Rempublicam ignoscendo potius, quam persequendo hostium iniurias creuisse; *Romanos*, inquiens, *ipsos videamus, ipsos, inquam, recolamus, respiciamusq; Romanos, de quorum præcipua laude dictum est. Parcere subiectis, & debellare superbos: & quod accepta iniuria ignoscere malebant, quam persequi.* Caulam autem alibi huius rei reddit hanc, quod qui ignoscit iniuriis, autor est concordiæ, quâ ciuitates constituuntur & conseruantur, qui verò eas persequitur, sit causa discordiæ. *Accusatur*, inquit, *religio Christiana tanquam inimica Reipub. Quæ si, vt dignum est audiretur, (præcipiente autoritate diuina non reddendum malum pro malo) longè melius Romulo, Numa, Bruto, ceterisq; illis Romanæ gentis præclaris viris constitueret, consecraret, firmaret, augeretq; Rempub. Quid enim est Respubl. nisi res populi? res ergo communis, res vtiq; ciuitatis. Quid est autem ciuitas, nisi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiæ?* III. Vtilitas est, quia nihil æquè ædificat proximum, atq; iniuriarum tolerantia. Exemplo sit quod narrat Sophronius in Prato spirituali. *Duo senes monachi cum fratre vno iter agentes, & à via aberrantes inter sata inuenti sunt. Quo conspecto agricola cœpit in illos multa maledicta euomere, ex ira dicens. Vos estis monachi? vos timetis Deum? Si timorem Dei haberetis, sata non conculcassetis. Tunc senior dixit sociis. Per Dominum nullus ei respondeat, conuersusq; ad illum dixit. Rectè dixisti, fili mi. Ille verò furens, rursus impetebat eos contumeliis. Tum senior. Vera dicis fili. nam si veri monachi essemus, ista non egissemus. Sed per Dominum indulge nobis, quia peccauimus. Stupefactus ergo ille ad tantam senis humilitatem prostrauit se ad pedes eius, dicens. Peccaui, indulge mihi, & per Dominum assumite me vobiscum. Rusticus ergo secutus illos, accepit habitum.* IV. Vtilitas est, quia sic amoliris ate notam impotentis, imò muliebris animi. Muliebre enim est conuitium conuitio mox repellere. *Qui cito mouetur iniuria*, ait B. Amb. *facit se dignum videri contumelia, dum vult indignus videri.* Aristoteles, teste Æliano, Alexandro Magno naturâ iracundo consilium dedit, vt omnibus se superiorem æstimans maledicta contemneret. Sed hoc erat vno vitio aliud curare, & iracundiæ superbiam substituere. Christianus maledicta contemnere debet, non quasi conuitiatore melior,

Aug lib. 1. c.

Virg. & Aene.

Id epist. 5 ad Marcellin.

Pratum. c. 112.

Amb. 1. offic. c. 6.

Aelian. lib. 12.

sed quasi maledicto fortior. Conuitia enim per se nullam vim habent, sed quemadmodum tela, si in corpus durum incidant, repercussa cadunt, non penetrant. Talis erat apud B. Greg. in libris dialogorum Abbas Stephanus, cuius cum ager ad messem paratus ab improbo vicino succensus esset, & alius, vt hoc nunciaret ad eam accurrens diceret. *Væ væ pater Stephane, quid tibi contigit?* Totus enim tuus ager incendio absumptus est, eueſtigio respondit. *Imò væ vestro ter, quid illi contigit, qui hoc fecit?* me enim certe paruo, seipsum maximo damno mulctauit. Talis B. Cyprianus, qui, vt est in Actibus passionis, lecta iussu proconsulis tabella, in qua hæc sententia erat. *TASCIVM Cyprianum gladio animaduerti placet*, respondit, Deo gratias, & mox spiculatori 25. aureos numerati iussit. Talis B. P. Ignatius Societatis nostræ parens, de quo sic scribit Ribadineira. *ROMÆ anno 1546. religiosus quidam eruditus ex amico inimicus factus inuidia existimulante grauiter in Ignatium exarsit. qui etiam iactare cœpit omnes nostræ Societatis homines, qui in Hispania essent igni se traditurum, idq; Ignatio qui suis verbis renuntiaret misit. Cui Ignatius per eundem scripto ita respondit. Tu quidem quot quot nostri in Hispania sunt cremandos te curaturum dicis: ego verò id dico & opto, vt & tu charitate flagres, & amici tui ac necessarii, non solum qui in Hispania, sed qui in vniuerso orbe terrarum sunt Spiritu S. igne inflammentur & ardeant.* V. Vtilitas est, quod calumniæ & maledicta sæpe cedant in profectum spiritualem eius in quem coniiciuntur, vt cum exprobratur aliquod vitium emendatione dignum. Sic, teste B. Aug. in libris confessionum, B. Monica eius mater, *cum à suis coætaneis adhuc paruula meribibula vocaretur, hoc conuitio excitata illud vitium tota postea ætate correxit.* Eadem de causa Macedonum quondam rex Philippus, vt narrat Plutarchus in libro *de vtilitate capienda ab inimicis*: lætabatur sibi infestos esse Athenienses, eo quod ex eorum criminationibus, in suorum vitiorum notitiam veniret, & vt eos mendaces redderet, corrigebat. VI. Vtilitas est, quod ex hac doctrina occasionem habemus propius nos Christo Domino conformandi. Nam ipse apud Matthæum dicit. *Non est discipulus super Magistrum, nec seruus super Dominum. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius.* Et S. Ioannes ait. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.*

VII. REMED. Considera exemplum incredibilis patientiæ Dei, quod Christus ipse apud Matthæum omnibus imitandum pro iniuria non vindicanda proponit. *Orate*, inquiens, *pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Vnde

Greg l. 4. c. 19.

Apud Pamelium.

In vita lib. 5. c. 2.

Aug lib. 9. c. 8.

Plutarch.

Matth. 10. 24.

1. Ioan. 2. 6.

Matth. 5. 44.

B. Cyp-

B. Cyp. *Si nobis Dominus & Deus pater est, sectemur patientiam Dei pariter & patris: quia & seruos oportet esse obsequentes, & filios non decet esse degeneres. Qualis verò in Deo & quanta patientia, quod in contumeliam suæ maiestatis & honoris instituta ab hominibus prophana templa & terrena figmenta, & sacra sacrilega patientissimè sustinens, super bonos & malos æqualiter facit diem nasci, & lumen solis oboriri, & cum imbribus terram rigat, nemo à beneficiis eius excluditur, quo minus iustis, similiter & iniustis discretas pluuias largiatur. Videmus inseparabili æqualitate patientiæ nocentibus & innoxiis, religiosis & impiis, gratias agentibus & ingratis Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium, fructus mitescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere. Et cum crebris, imo continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, & præstitutum semel retributionis diem patienter expectat.* Et ante eum Tertull. *Nobis exercendæ patientiæ auctoritatem non affectio humana caninæ æquanimitatis stupore formata, sed viua ac cœlestis disciplinæ diuina dispositio delegat, Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum: iam primum qui florem lucis huius super iustos & iniustos æqualiter spargit; qui temporum officia, elementorum seruitia, totius genituræ tributa dignis simul & indignis patiatur simul occurrere, sustinens ingratissimas nationes ludibria artium, & opera manuum suarum adorantes, nomen, familiam ipsius persequentes, luxuriam, auaritiam, iniquitatem, maligniatem quotidie insolescentem, vt sua sibi patientia detrahat. Plures enim Dominum idcirco non credunt, quia seculo iratum tamdiu nesciunt.*

Cyp. de bono patientiæ.

Tertull lib. de patient.

VIII. Rem. Considera ineffabile patientię exemplum Christi Domini, quod imitandum proponit B. Petrus. *Christus*, inquiens, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniustè.* Vnde B. Chry. sermone de mansuetudine. *Congruũ est, vt quando quis contumelia nos afficit, vel verberat, vel alia ratione affligit, sustineamus omnia mansuetè & patienter. Etenim ipse Dominus & Saluator noster contumelia affectus, verberatus, cruci clauis affixus, leniter tulit Iudæorum furorem, & licet posset de eis vindictam sumere, non sumpsit tamen: sed virtutem suam ostendit, eò quod concussit terram, & mortuos suscitauit, & obscurauit solem, & noctem ex die fecit. Mansuetudinem autem declarauit, quia nullum ex his, qui impiè agebant, puniuit. Et quia tam mansuetus fuit ipse, vt non solum mansuetè eos tulerit qui crucifigebant & blasphemabant, sed & Patrem obsecrauerit ne cœlestibus aduersus impios telis vteretur: idcirco, cum & tibi graue aliquid & durum ferenti subrepunt furor & ira, recordare mansuetudinis Christi, & statim mansuetus eris ac clemens.* Greg. Nazianz. in

1. Pet. 2. 21.

Nazianz.

sententiis tetrastichis. *Si quando*, inquit, *animus tuus acceptæ iniuriæ dolore exarserit, fac tibi Christus Christiq; vulnera in memoriã veniant, quæ tulaq; pars hæc sint eorum, quæ Dominus tuus perpessus est. Hac ratione animi dolorẽ velut aspersa aqua extinxeris.* Aug. sermone de sanctis. *Tu, ô Christiane quæris vindicari de aduersario tuo, qui tibi forsan iniuriam fecit? quæras, furis, anhelas, festinas vindicari? attende Christum medicum ægritudinis tuæ, attende redemptorẽ animæ tuæ. Propter te pependit in ligno, & nondũ es vindicatus, & tu vis vindicari, & non vis tantum & talem magistrũ imitari: Ideo pati voluit, vt tibi patientiæ suæ demonstraret exemplum. Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentũ conficientem. Vide pendentẽ, & tibi de ligno tanq; de tribunali præcipientem. Audi precantem. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Illustre huius antidoti exemplum exstat in vita B. Ioannis Gualberti à Blasio Melanesio cõscripta. *Quadam*, inquit, *die Ioanni cum armigero suo Florentiam tendenti in ipso ostiorum capitalis eius hostis* (qui cognatũ eius occiderat) *ex insperato sit obuiã, loco adeo angusto vt neutri locus pateret à via deflectendi. Tum verò hostis plane inermis cum haud dubiam sibi necẽ paratam cerneret, cõcepta subito fiducia ab equo desiliẽs, humi se prosternit, iunctisq; cancellatim ad pectus manib. pro crucifixi amore veniã vitamq; sibi deprecatur. Cõpunctus Ioannes audito nomine crucifixi pacem offert, metũ ponere iubet, culpamq; ei ex animo remittit. Hoste dimisso Ioannes ad Ecclesiam quandã deflexit, cumq; ibi coram crucifixi imagine flexis genib. Christi vulnera contemplaretur, vidit, dictu mirabile, Christi caput ad se inclinari, tanquam gratias agentis, quod pro eius reuerentia hosti capitali pepercisset. Ioannes autem illa Christi bonitate attractus protinus relicto seculo monasterium ingressus est, & tam sanctè vixit, vt in numerum sanctorum sit relatus.* Simile habes in Apiario Thomæ Cantipratensis.

Luc. 23. 34.

Apud Sur. 12. Iulii.

Cantipr. lib. 2. c. 18.

IX. Rem. Considera exempla Patrum veteris testamenti, hoc magis suspicienda quòd *ante Euangelium illi fecerint*, inquit B. Amb. *quod post Euangeliũ didicimus, & seruare non possumus.* Vnde Cyp. loco citato *Inuenimus & Patriarchas & Prophetas, & iustos omnes, qui figuram Christi imagine præeunte portabant, nihil magis custodisse in laude virtutum suarum quàm quod patientiam forti & stabili æquanimitate tenuerunt. Sic Abel originem martyrii & passionem iusti hominis initians primus & dedicans aduersus fratrem fratricidam non resistit, nec reluctatur, sed humilis & mitis patienter occiditur. Sic Ioseph venundatus à fratrib. & relegatus, non tantum patienter ignoscit, sed & gratuita frumenta venientib. largiter & clementer impartit. Moyses ab ingrato & perfido populo contemnitur frequenter, & pænè lapidatur, & tamen lenis & patiens pro eisdem Deum deprecatur. In Dauid verò, quàm magna & mira & Christiana patientia, habuisse in manu sæpe, vt Saul regem persequentẽ se & interficere concupiscentem posset occidere.*

Amb. de Ioseph c. 1.

Cyp. de bono pat.

Gen. 4. 8.

Gen. 44. 1.

In Exodo.

1. Reg. & 2.

& tamen subditum sibi & traditum maluisse seruare, nec rependisse inimico vicem, sed occisum adhuc insuper & vindicasse? Et multo infra. *Sic Iob examinatus & probatus ad summũ fastigium patientiæ laudis virtute proiectus est. Quãta aduersus eum iacula zabuli emissa? &c. Ac ne quid omnino remaneret quod non in suis tentationib. experiretur, armat zabulus & vxorẽ illo antiquo nequitiæ suæ vsus ingenio: nec tamen Iob grauibus ac densis conflictationibus frangitur, quo minus inter illas angustias & pressuras suas Dei benedictio victrice patientia prædicetur.* Et B. Basilius in oratione de inimicitiis. *Necesse est nos stolidas & furiosas animi commotiones sanctorum exemplorum memoria comprimere, cogitando, quàm æquo animo Dauid violentiam Semei pertulerit. Non enim ille tantum temporis dabat iræ, vt accendi potuerit, sed omnem causam in Deum conferebat, dicendo. Dominus in mandatis dedit Semeio, vt execraretur Dauidem. Ideo, cum se appellari audiret virum sanguinum, & virum iniquum non succensebat illi, sed animo abiecto & demisso fuit, quasi merito contumeliis oneraretur; omnis enim reprehensio, quæ euidenter attingit eum, qui in crimen vocatur, mirabilem in modum eum torquet, atq; affligit, ob oculos illi ponens probrum ac fœditatem peccati.*

Iob.1.9.

Bas orat.9.

2.Reg.16.10.

X. Remed. Considera exempla noui testamenti. Primvm sit B. Stephani protomartyris, de quo Augustinus, sermone de sanctis. *Ecce Stephanus lapidatur, sic constitutus quasi ante oculos nostros. Ecce membrum Christi, ecce athleta Christi. Inspice illum qui pependit in ligno. Crucifigebatur ille, iste lapidabatur. Ille dixit. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Iste quid dicit? Audiamus illũ, si forte vel ipsum imitari valemus. Primo beatus Stephanus stans orauit pro se, & ait. Domine Iesu accipe Spiritum meum. Deinde genu flexit, & flexo genu, ait. Domine ne statuas illis hoc peccatum: & hoc dicto obdormiuit. Felix somnus, & requies vera. Ecce, quid est requiescere? pro inimicis orare. Sed paulum quæso te sancte Stephane, expone nobis nescio quid? quare pro te stans orasti, & pro inimicis genu flexisti? Responderet fortasse, quod intelligimus. Pro me stans orauit, quia pro me qui recte Deo seruiui orando & impetrando non laboraui; quia qui pro iusto orat, non laborat. Ventum est, vt oraret pro Iudæis, pro interfectoribus Christi, pro interfectoribus sanctorum, pro lapidatoribus suis attendit tam multam, & tam magnam esse impietatem ipsorum, quæ difficile donari possit, genu flexit, & ait. Domine ne statuas illis hoc peccatum. Ergo carissimi si non potestis imitari Dominum, imitamini conseruum, imitamini S. Stephanum, imitamini omnes martyres sanctos.* Aug.serm.2.

Luc.23.34.

Act.7.59.

Altervm sit Apostoli Pavli de quo Chrys. in homilia. Quod nemo læditur nisi à se ipso. *Vide Paulum quanta passus est: quæ etiam enumerare difficile est: carceres, vincula, verbera, flagella, supplicia: à Iudæis lapidatur, virgis cæditur, præcipitatur, latrones incurrit, ab inimicis & falsis fratribus insidias perfert: intus timores,*

Chrys.

foris pugnas patitur: famem, nuditatem, calumnias, insidias, tribulationes, bestias tolerat. Et quid opus est multa dicere? Quotidie moritur, & tamen in his omnibus non solum nihil blasphemum ex ore suo profert, sed & gaudet, & gloriatur, atque exultans dicit. Gaudeo autem in passionibus meis. Et iterum. Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus. Si ergo hic tanta patiens gaudebat & gloriabatur, quæ erit venia, quæ excusatio his, qui proparuis iniuriis, aut qualibuscunq; tribulationibus, quæ vtique illis longe inferiores sunt, blasphemant? Tertium S. Spiridionis Episcopi Cypri, qui vt est in vita eius, aliquando ad Imperatorem Constantium, à quo euocatus erat profectus est. Vili autem erat habitu, manu virgam ex palma tenens. Pendebat ex collo vas fictile, & vt verbo dicam, contempti hominis speciem omninò præ se ferebat. Itaque regiam ingredientem, quidam indecorum ratus tam abiecta specie virum intrare palatium regium, sacræ eius maxillam impudenter colaphum infregit. Tulit id non modo patienter vir sanctus, sed & alteram prompto patiendi animo percussori exhibuit. Quæ res insolentem illum tanto pudore affecit, vt repente ei supplex fieret, & inconsideratæ audaciæ veniam peteret, quàm libens concessit, & hominem paternè instruxit, vt ab inferenda iniuria se contineret. Quo factum est vt à viris principib. in honore haberetur, qui eum summa reuerentia ad Imperatorem deduxerunt. Quartũ sit B. Stephani Abbatis, de quo S. Greg. in Euangelia. Fuit, inquit, quidam dieb. nostris Stephanus nomine pater monasterij iuxta Reatinæ vrbis mœnia constituti: vir valde sanctus, virtute patientiæ singularis. Et supersunt multi, qui illum nouerunt, eiusq; vel vitam vel obitum narrant. Erat autem huius lingua rustica, sed docta vita. Hic pro amore cœlestis patriæ cuncta despexerat, possidere aliquid in hoc mundo fugiebat. Tumultus deuitabat hominum, crebris ac prolixioribus orationibus intentus erat. Virtus tamen patientiæ vehementer in eo excreuerat, ita vt eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumeliis gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos aduersarios nihil aliud quam adiutores æstimabat. Complura id genus exempla offendes passim in Sanctorum Vitis.

Coloss. 5. 24. Rom. 5. 3.

Apud Surium 14. Decemb.

Greg. hom. 35.

XI. Rem. Præparatio & præmunitio animi contra omnes iniurias, vel contumelias. Est B. Greg. in 5. Moral. Solerter, inquit, animus ante actionis suæ primordia cuncta debet aduersa meditari: vt semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quicquid acciderit prouidus superet, & quicquid non accesserit lucrum putet. Et Abbatis Ioannis apud Cassianum. Cum se, inquit, homo impatientiæ siue iræ perturbationibus incursari deprehenderit, contrariis semetipsum obiectionibus semper exerceat, & propositis sibimulti modis iniuriarum dispendiorumq; generibus velut ab alio sibimet irrogatis assuefaciat mentem suam in omnibus quæ in-

Greg. c. 33.

Cass. coll. 19. c. 14.

quæ inferre improbitas potest, perfecta humilitate succumbere, atq; aspera sibi quæq; & intolerabilia frequenter opponens, quanta eis occurrere debeat lenitate omni iugiter cordis contritione meditetur. Et ita respiciens ad illas sanctorum omnium, siue ipsius Domini passiones, vniuersa non solum conuitiorum, sed etiam pœnarum genera, inferiora meritis suis esse pronuncians, ad omnem se dolorum tolerantiam præparabit. Si dicas, quid si per fragilitatem in impatientiam aliquam quis postea labatur? Respondet. *Tunc ita se obiurgans & increpans alloquatur. Túne ille es bone vir, qui paulò antè te omnia superaturum mala constantissimè præsumebas? Quomodo inuicta illa patientia tua leuissimi verbi prolatione confossa est? Vbi est illud, quod inani fiducia bellum in pace desiderans proclamabas, Paratus sum, & non sum turbatus? Et cum Propheta sæpe dixisti. Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum. Tali ergo semetipsum compunctionis animaduersione condemnans, inultam animi sui commotiunculam esse non sinat.* Psal. 118. 60. Psalm. 25. 2.

XII. Remed. Silentium. Est Ambros. lib. 1. de officijs. *Quando,* inquit, *aliquis nobis conuiciatur, lacessit, ad violentiam prouocat, ad iurgium vocat, tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus. Peccator enim est, qui nos prouocat, qui iniuriam facit, & nos similes sui fieri desiderat. Deniq; si taceas, si dissimules, solet dicere. Quid taces? Loquere, si audes. Sed non audes. mutus es, elinguem te feci. Si ergo taceas, plus rumpitur: victum se reputat, irrisum, posthabitum atq; illusum. Si respondeas, superiorem se factum arbitratur, quia parem inuenit. Si enim taceas, dicetur. Ille conuitiatus est huic, contempsit iste. Si referas contumeliam, dicetur. ambo conuitiati sunt. Vterq; condemnatur, nemo absoluitur. Ergo illius est studium, vt irritet, vt similia illi loquar, similia illi loquar, similia agam. Iusti est autem dissimulare, nihil loqui, tenere fructum bonæ conscientiæ, plus committere bonorum iudicio, quam criminantis insolentiæ, contentum esse grauitate morum suorum. Ita fit, vt etiam humilitatem custodiat. Hæc sunt arma iusti, vt cedendo vincat.* Confirmat deinde hoc antidotum exemplo Dauidis, dicens. *Cur non imitemur dicentem. Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. An hoc dixit tantummodo, non etiam fecit Dauid? imò & fecit. Nam cum ei conuitiaretur Semei filius Iemini, tacebat Dauid, & quamuis septus armatis non retorquebat conuitium, non vltionem quærebat, &c. Non ergo mouebatur conuitijs, qui abundabat bonorum operum conscientia.* Alibi verò confirmat exemplo Christi. *Denique,* inquiens, *& Christus tacebat ante Pilati iudicium constitutus, vt nobis daret formam tacendi: quia lingua corporis facilis est ad errorem, procliuis ad lapsum.* Hoc remedio vsam fuisse in aliorum iurgiis B. Paulam Romanam tradit Hieronymus in epistola 27. ad Eustochium. Ambr. c. 2. 3. 4. 5. 6. cap. 6. Psalm. 38. 3. 2. Reg. 16. 10. In Psalm. 38. Matth. 27. 14.

Hieron. in Epitaph. *Si quando*, ait, *procacior fuisset inimicus, & vsq; ad verborum iurgia prosiliisset, illud Psalterij decantabat. Cùm consisteret aduersum me peccator, obmutui & silui à bonis. Et rursus. Ego autem quasi surdus non audiebam, & quasi mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non*

Psal. 38. 3.

Psal. 37. 14.

Greg. homil. 18. in Euang. *habens in ore suo increpationes.* Idem remedium acutè B. Gregorius exculpsit ex Christi facto, cum apud B. Ioannem, Iudæis se ad lapidationem parantibus, dicitur se abscondisse, & de templo exisse. *Quanta humilitate*, inquit, *iram proximi ferre debeat, perpendat homo, si furorem irascentium abscondendo se declinauit Deus. Nemo ergo se contra acceptas contumelias erigat, nemo conuitijs conuitium reddat. Imitatione enim Dei gloriosius est iniuriam tacendo fugere, quam respondendo superare. Sed contra hoc superbia dicit in corde. Turpe est, vt accepta iniuria taceas. Quisquis conspicit, quia contumeliam accipis, & taces, non putat, quia patientiam exhibes, sed crimina agnoscis. Sed vnde vox ista in corde nostro contra patientiã nascitur, nisi quia in imis cogitationem fiximus, & dum in terra gloriam quærimus, placere ei, qui nos de cœlo conspicit, non curamus? Accepta ergo contumelia, meditemur in opere vocem Dei. Ego non quæro gloriam meam, est qui*

Ioan. 8. 59.

Ioan. 8. 50. *quærat & iudicet.* Idem proponit & Abbas Ioseph apud Cassianum,

Cass. c. 26. collatione 16.

XIII. Remed. Siue conueniens sit tacere, siue aliquid respondere conuitianti, practicè sequere consilium S. Basilij his verbis præscriptum *Probris te perfudit? at tu illi benedicas. verberibus affecit? tu verò æquo animo ferto. conspuit, ac nihili te fecit? tu verò illud tecum meditare, quod ex terra fictus & creatus es, & rursum in terram resolueris. Ignobilem te, & obscuro loco natum dixit? at tu terram teipsum esse dicito, & cinerem.*

Basil. orat. 9. de ira.

Gen. 18. 28. *Non es præstantior patre nostro Abraham, qui ijs nominibus se appellauit. Indoctum, ac nullis opibus? tu verò Dauidis verbis vtens vermem te esse dicito,*

Psalm. 21. 7.

Num. 12. 11. *& ex sterquilinio ortum habere. His etiam adde Mosis probitatem, qui cum esset ab Aarone & Maria conuitijs oneratus non eos DEO detulit, sed pro ipsis vota fecit, &c. Quid te pauperis appellatio perturbat? memoria repete ortum tuum, & reperies nudum te in hunc mundum ingressum esse, proinde nudum etiam hinc abibis. Homine verò nudo, quid quæso, pauperius esse potest? nihil*

Chrys. serm. de laude Dei. *profectò.* Sequere & Chrysostomi consilium ita scribentis. *Fuit tibi quisquam iniurius, aut malo affecit? ingemisce: ne maledictis incesseris, funde lacrymas, non iniuriæ gratia, sed ob iniuriam inferentis interitum: quemadmodum & Dominus tuus Iudam deplorauit. Non enim quod cruci suffigeretur deflebat, sed quod se ille esset ad sui perniciem proditurus. Læsit te quispiã, aut contumelia insectatus est? Deum precare, vti mox illi concilietur & parcat: frater enim est, tuum est membrum, eodem quo tu partu genitus, ad eandem vocatus est mensam. Dicet aliquis. At si id egero, maiorem mihi in modum*

aduersarius insultabit. Ergo & maiorate & plurima manebunt præmia, eoq; iustius ira mittenda est, cum illum videris vulnere mortali affectum. Dæmon enim plagam illi inflixit: idcirco neq; erit rursum per te exulcerandus, vel aliquo modo calcandus, quem videris per dæmonem consternatum. Et alibi. *Nihil ita Deum reddit propitium, sicut inimicos diligere, & calumniantibus benefacere. Cùm igitur aliquis infestat, ipsum ne respicias, sed dæmonem instigantem, & omnem in illum iram effunde: ipsius autem & miserere, qui mouetur ab eo. Nam si mendacium à diabolo est, etiam irasci temere multò magis ab ipso. Cum mordentem videris, cogita quod est diabolus, qui eum instiget. Non enim Christianorum sunt scommata.* Id. homil. 51. ad pop. Ant.

XI V. REMED. Imploratio diuini auxilij. Est B. Dorothei in doctrina de simultate, seruitq; ijs, qui iniuria semel affecti ægrè illius obliuisci possunt. *Alius*, inquit, *non verbo, non opere, non aspectu, non habitu studet malum pro malo reddere, affligitur autem in corde erga fratrem. Alius nullam quidem erga fratrem habet tristitiam, tamen cum audierit illum ab alio afflictum vel contumelia affectum delectatur audiens. Alius neq; odium in corde retinet, neq; gaudet dum audit affectum contumelia eum qui se afflixerit, quinimo dolet illum male habere, non tamen libenter audit illum bene habere. Est & alius, qui acceptam iniuriam statim obliuiscitur, & ilico fratri reconciliatur, sin verò post dies aliquot contigerit ab eodem in se dici quippiã minus gratum, euestigio in memoriam reuocat primam iniuriam.* Cumq; dixisset, hos similes esse vulneratis, qui post vulnus sanatum cicatricem tamen retinuerunt, subiecit. *Debet igitur ita concertare, vt etiam cicatricem omnem faciat euanescere, atq; ita locum vulneris expolire, vt nulla ibi deformitas relinquatur, neq; aliquando reminiscatur vulnus illic extitisse. Quod si quæras, quo pacto id facias, scito per Orationem hoc maximè fieri, cum videlicet toto corde pro fratre supplicas, & dicis. Domine auxiliare mihi & fratri meo per mutuas preces. Et sic supplicans pro fratre præstas argumentum caritatis, compassionis & humilitatis, dum scilicet fraternis precibus tibi quoq; imploras auxilium. Vbi autem fuerit caritas, compassio, humilitas, quid ibi poterit iracundia, vel auersio, aut alia quæuis passio? Hinc rectè aiebat Abbas Zosimas. Si diabolus cum cætero dæmonum agmine ad hæc omnes artes suas & machinamenta adhibeat, vanos fore omnes eius impetus. Et alterius ex Patribus fuit ista sententia, quod pro inimicis orans nunquam posset esse iracundus, aut vindictæ studiosus.* Hucusq; Dorotheus. Dorot. doct. 8.

Adde Ambrosium ita scribentẽ. *Iustus aduersus insultantes sibi tacet, iustus orat. Audi iustum orantem. Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam. Iustus orat pro calumniantibus, quia & hoc præcipit Dominus, adiungens. Benefacite ijs, qui oderunt vos. Orate pro calumniantibus & persequentibus vos. Ipse est per omnia iustus, qui hæc custodit & seruat. Primum, quia* Ambr. in Ps. 38. Psalm 108. 4. Matth. 5. 44.

tacet, &

tacet, & non respondet inimicis. Deinde, quia orat, hoc est, non est otiosus ad actu. Et qui orat, bona orat, non ea, quæ cuiq; possint suo inimico nocere. Plus ergo orare, quàm tacere. Et paulo post. *Etsi infirmus es, ora: & si fortis es, ora. Infirmus pro te oras, fortis pro inimico tuo oras. Bonum scutum infirmitatis oratio. Tu oras, & Dominus te protegit. Bonum scutum etiam triumphantis, vt inimicum tuum quem possis ferire defendas.*

XV. REMED. Considera, quam grauiter à Deo puniti sint in hoc seculo qui offensam obstinatè condonare noluerunt. In vita enim S. Nicephori martyris tale narratur exemplum. *Inter hunc Nicephorum & Sapricium presbyterum quondam familiares orta fuit simultas. Nicephorus prior per amicos ter quaterue reconciliationem petiit: cum non succederet, ipse supplex veniam à Sapricio rogat, sed frustrà. Orta mox persecutione sub Valeriano Imperatore Sapricius delatus fidem fortiter confitetur, tormenta varia sustinet, sententiam capitalem accipit. Hoc audito Nicephorus ei ad supplicij locum ducto in via occurrit, prostratus ad pedes eius, veniam & charitatis osculum petijt. Facit hoc bis terue, adeò vt lictores pagani eum quasi stultum derriderent, qui tam anxiè veniam ab homine statim morituro postularet. At Sapricius ne verbum quidem ei respondet, ne quidem in ipso supplicij loco & puncto. Cum ergo à carnifice Sapricius inberetur genua flectere, vt caput ei amputaret, dixit lictoribus. Nolite me ferire, & Dijs sacrifico. Hoc audito, Nicephorus multis verbis & lacrymis eum rogat, ne sic se in æternum perdat. Sed eo persistente exclamat Nicephorus. Ego sum Christianus, me pro ipso ferite. Lictores ergo re tota ad Præsidem confestim delata, & ab eo potestate accepta, miserum Sapritium dimiserunt, qui fratrem non respiciens Christum negauerat, Nicephorum verò martyrij gloria, amputato eius capite, coronarunt.* In quo exemplo vides, mirabili iudicio Dei, eum qui offensam prior condonauit fieri martyrem, qui verò condonare noluit, ex martyre iam iam futuro fieri apostatam. Aliud narratur à Thoma Cantipratano. *Venerabilis, inquit, Iacobus de Vitriaco, vt multis adhuc notum est, crucem Hierosolymitanam ob salutem multorum in Brabantia prædicauit. Contigit autem vt pacificaturus quadam die mortales inimicitias, iniuriam passum, primò supplicter, deinde prostratus pedibus eius, semel, iterum, & tertio cum multitudine populi præsente rogaret, nec proficeret in rebellem. Conuersus igitur ad populum dixit. Palam omnibus contestor vos: quia qui spernit nos, spernit & eum, qui mittit nos. Rogate ergo Dominum, vt tale signum ostendat in hominem obstinatum, quo cunctis præsentibus pateat eum hostiliter contra se in retentione odij contra proximum hoc egisse. Nec mora. Vbi vir sanctus orationem expleuit, miser ille euersis oculis, semel, iterum, & tertiò in terram corruit, ore & cruorem spumans & saniem, horroris maximum spectaculum*

Apud Sur. 9. Febr.

Cantipr. libr. 2. c. 18. p. 2.

Luc. 10. 16.

culum & piaculum omnibus præbuit. Tunc flente populo, vir reuerendus fusa prece prostratum erexit. Qui mox integerrimè sospitatus, vbi ante se inimicum vidit, quasi aliquid amicissimum rogaturus, cum lacrymis veniam petiuit, ruensq; in oscula eius ad lacrymas & laudem Christi omnium corda commouit.

VIDE V. *Consuetudo praua. Detractio. Discordia. Gloria vana. Immortificatio passionum. Impatientia in aduersis. Ira. Linguæ abusus. Maledictio. Obstinatio. Odium. Pusillanimitas. Superbia. Tentatio. Tristitia.*

VOLVNTAS PROPRIA.

Remedia contra volunt. propriam.

1 REMED. Considera quid Spiritus sanctus de voluntate propria, vel praua libertate, qua quis viuit, vt liber, in diuinis scripturis tradiderit. Primo autem eam reprehendit, apud Iob Prophetam, dum ait. *Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat.* Iob. 11. 12. Et apud Isaiam. *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Isai. 58. 3. quam reprobat, inquit in eum locum B. Hieronymus, Apostolus Paulus in Epistola ad Ephesios ita scribens. *In quibus*, nempe peccatis, *& nos omnes aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostræ facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus natura filij iræ.* Ephes. 2. 3. Et apud Oseam, de quibusdam dicitur. *Reuersi sunt, vt essent absq; iugo.* Ose. 7. 16. beatus Petrus quoq; hæreticis tribuit prædicationem huius libertatis. *Inescant*, inquit, *homines per concupiscentias carnis voluptatibus, eos qui verè aufugerant eos, qui in errore conuersantur, dum illis libertatem pollicentur cum ipsi serui sint corruptionis.* 2. Petr. 2. 18. De eadem libertate loquens B. Paulus ait. *Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, de quibus nunc erubescitis?* Rom. 6. 20. 2. hortatur, vt voluntatem Dei potius, quam nostrã faciamus. Vnde rex Dauid sic orat. *Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt videam voluptatem Domini. Et quoniam vita in voluntate eius.* Psal. 26. 4. Psal. 29. 6. Et iterum. *Doce me facere voluntatem tuam.* Psa. 142. 10. Et Salomon ait. *Voluntas eius in his, qui simpliciter ambulant.* Prou. 11. 20. Et Christus docuit nos orare. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* Matth. 6. 10. Et Apostolus. *Nolite conformari huic seculo sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Rom. 12. 2. 3. hortatur, vt amemus disciplinam, qualis solet esse patris in filium, magistri in discipulum, domini in seruũ,

& Magistratus in subditum. Ea enim consistit in eo, vt alienæ potius voluntati, licet dura imperentur, quam nostræ pareamus. Vnde Salomon. *Disciplinam Domini, fili mi ne abijcias, nec deficias cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus corripit, & quasi in filio complacet sibi.* Et Sapiens. *Disciplinam qui abijcit infelix est.* Et Apostolus. *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neq; fatigeris, dum ab eo argueris, in disciplina perseuerate. Tanquam filijs vobis offert se Deus; Quis enim filius, quem non corripit pater?* Et iterum. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.*

Prou. 3. 11.
Sap. 3. 11.
Heb. 12. 5.
Rom. 13. 1.
Hebr. 13. 17.

Cyprian.

II. REMED. Considera dicta SS. Patrum. Cyp. de habitu Virginum. *Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, somes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper, ac iugiter in Deo viuere, ad promissa cœlestia, & diuina præmia peruenire.*

Id. de orat. Domin.

Hanc sectari salubre est, & aduersari ac negligere lethale. Et alibi. In oratione Dominica *addimus quoq; & dicimus Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra, non vt DEVS faciat, quod vult, sed vt nos facere possimus, quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quo minus, quod velit, faciat? Sed quia nobis à diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus, atq; actus Deo obsequatur, oramus & petimus, vt fiat in nobis voluntas Dei: quæ vt fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope eius & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia & misericordia tutus est.* S. Basilius in regulis breuioribus monachorum. *Dictum est pleriq; in locis, quod in vniuersum vti propria voluntate, arbitrioue alienum est à recta ratione. Similiter & quod maioris partis iudicio non stare, est contumaciæ & peruicaciæ periculum incurrere.* Et sermone de institutione monachorum. *Si quis spretis consilijs antistitis facere voluerit, quicquid collibitum sit, plus mali, quàm boni faciet. Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* S. Hier. ad Rusticum monachum. *Omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur, in naui vnus gubernator. In domo vnus Dominus. In quamuis grandi exercitu vnius signum expectatur. Et ne plura replicando fastidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed debere viuere in monasterio sub vnius disciplina Patris.* Ioan. Cassianus de institut. renunciantium. *Senioris hæc erit solicitudo & eruditio principalis, vt iuniorem doceat primitus suas vincere voluntates, quem studiosè in his ac diligenter exercens, hæc illi semper imperare de industria procurabit, quæ senserit animo eius esse contraria. Multis siquidem experimentis edocti, tradunt monachum & maximè iuniores, ne voluptatem quidem concupiscentiæ suæ refrenare posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas didicerint voluntates.* Et in collatione Abbatis Ioseph. *Sciendum sanè generaliter illum partes agere fortiores, qui voluntati fratris suam subijcit*

Basil. q 123.
Rom. 13. 2.
Hieron. epist 4.
Cass. lib. 4. c 8.
Coll. 16. c 23.

voluntatem, quàm cum qui in defendendis suis definitionibus ac tenendis pertinacior inuenitur. Isaias Abbas de perfectione. *Aperiendi sunt mentis oculi, vt nos ipsi cognoscamus, sciamusq; Dei inimicum constitui, qui propriam sequitur voluntatem.* Et de gaudio animæ. *Qui voluntatem suo proximo submittit, animum virtutis studiosum ostendit. Qui verò voluntatem suam amplectitur, præsefert imperitiam.* S. Bern. de resurrectione. *Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere proprijs motibus animorum. Huic contraria est recta fronte caritas, quæ Deus est. Hæc enim aduersus Deum inimicitias exercens est, & guerram crudelissimam. Quid enim odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem?*

Isai. orat. 13. Id. orat. 16.

Bern. serm. 3.

III. Remed. Considera exemplum Christi Domini, qui apud B. Ioannem ita loquitur. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Et rursus. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Et. *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Quæ verba tractans B. Basilius in regulis breuioribus ita scribit. *Cum Dominus dixerit. Descendi de cœlo non vt faciam voluntatem meam, &c. quicquid quisq; ex propriæ voluntatis arbitrio facit, id cum facientis proprium sit, alienum est à cultu pietatis, metuendumq; est, ne de eo, quod videtur facere ipsi dicatur à Domino. Ad te conuersio eius, & tu dominaberis ei.* Deinde Christus ne in passione quidem suam voluit fieri voluntatem, nimirum in re asperrima, dixit enim in horto orans. *Pater si vis transfer calicem istum à me. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Quæ verba expendens S. Cyprianus in explanatione orationis Dominicæ. *Quod si filius, inquit, obaudiuit, vt faceret patris voluntatẽ: quanto magis seruus obaudire debet, vt faciat Dei voluntatem? sicut in epistola sua Ioannes quoq; ad faciendam DEI voluntatem hortatur, & instruit, dicens. Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt, &c. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo & Deus manet in æternum. Qui in æternum manere volumus, Dei qui æternus est, voluntatem facere debemus. Voluntas autem Dei est, quam Christus & docuit, & fecit. Humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam facere non nosse, & factam tolerare posse, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est, Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis ille quicquam præposuit, caritati eius inseparabiliter adhærere, cruci eius fortiter ac fidenter assistere, quando de eius nomine & honore certamen est, exhibere in*

Ioan. 4. 34. Ioan. 5. 30. Ioan. 6. 38. Bas. q. 138.

Genes. 3.

Luc. 22. 42. Cypr. serm. 6.

1. Ioan. 2. 15.

sermone constantiam, qua confitemur: in quæstione fiduciam, quâ congrudimur: in morte patientiam, qua coronamur: hoc est, cohæredem Christi velle esse, hoc est, præceptum Dei facere, hoc est, voluntatem Patris adimplere. Quæres, cum voluntas propria Christi fuerit bona, imò impeccabilis, cur eam non fecerit? *O Domine voluntas*, inquit S. Bern. *de qua dixisti, vt non fieret, si bona non erat, quomodo tua erat? Si bona erat, quare derelicta est? Sto & consilium, si non bonum, quomodo tuum? si bonum, quomodo relinquendum? Et bona erant, & eius erant: neq; tamen minus relinquenda, ob hoc videlicet, vt fierent meliora. Neq; enim oportebat propria præiudicare communibus. Erat ergo voluntas Christi, & bona erat, qua dicebat. Si fieri potest, transeat à me calix iste, sed ea de qua dicebat, fiat voluntas tua melior est, quia communis non solum patris, sed & Christi ipsius (Oblatus est enim, quia ipse voluit) & nostra. Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuũ esset, ipsum solum maneret, mortuum verò multum fructum attulit. Atque hæc voluntas Patris erat, vt videlicet haberet, quos adoptaret in filios. Christi erat, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Nostra erat, quia pro his faciebat, vt redimeremur.*

Bern. serm. 3. de resur.

Matth. 26. 39.

Isai. 53. 7.
Ioan. 12. 24.

IV. REMED. Considera solam propriam voluntatem primi parentis Adæ, causam fuisse, fontem & radicem primi peccati originalis in totam posteritatem humanam transfusi, & in nobis singulis esse causam omnium peccatorum actualium, tam lethalium, quam venialium. De voluntate Adæ ita scribit B. Aug. concione 2. in Psal. 70. *Si quis perversè voluerit imitari Deum, vt quomodo Deus non habet, à quo formetur, non habet, à quo regatur, sic ipse velit sua potestate vti: Hoc diabolus fecit, imitari Deum voluit, sed perversè, non esse sub illius potestate, sibi habere contra illum potestatem. Homo autem positus sub præcepto, audiuit à Domino Deo. Noli tangere arborem in medio paradisi.* Et infrà. *Quare autem tetigit fratres mei? Quid illi deerat? Dicatur mihi, quid illi deerat in paradiso constituto in media opulentia, mediis q; delicijs? cui magna deliciæ erant ipsa visio Dei, cuius faciem quasi inimici timuit post peccatum. Quid illi deerat vt tangeret, nisi quia sua potestate vti voluit, præceptum rumpere delectauit? Vt nullo sibi dominante fieret sicut Deus, quia Deo nullus vtiq; dominatur. Malè vagus, malè præsumens, futurus mortuus recedendo à via iustitiæ. Ecce soluit præceptum, excussit à ceruice iugum disciplina, habenas regiminis exaltãte animositate dirupit.* Si obijcias serpentem potius videri primam causam peccati Adæ. Respondet B. Bernardus in sermone de duplici baptismo. *Serpens, callidior vtique, non fortior ceteris animantibus ô Eua decepit te: decepit profectò, non impulit, aut coegit. Mulier tibi, ô Adam, de ligno dedit. sed offerendo vtique, non violentiam inferendo. Neq; enim potestate illius, sed tua factum est voluntate, vt eius voci plus obedi-*

Aug. part. 8.

Gen. 2. 17.

Bern.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

obedieris, quam diuinæ. De aliis peccatis actualibus quod sola propria voluntate committantur, manifestum est. Nam vt scribit S. Augustinus in libro de vera religione, & est axioma à Theologis receptum. *Vsq; adeo peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc quidem,* inquit, *manifestum est adeò, vt nulla hic Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Hinc est, quod B. Bern. in sermone de resurrectione citato agens de peccato mortali. *Quid,* inquit, *odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille desæuiet, nisi in propriam voluntatem? Et* inferius. *Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna seuissima. Hæc est immundissima lepra animi, propter quam in Iordane mergi oporteat, & imitari eum, qui non venit facere voluntatem suam.* Et de duplici baptismo. *Caueamus à propria voluntate tanquam à vipera pessima, & nequissima, & quæ sola deinceps damnare possit animas nostras.* Aug. c. 24. Bern. serm. 3.

V. REMED. Considera deterrimos propriæ voluntatis effectus ab eodem D. Bernardo accuratè descriptos. *Voluntas propria,* inquit, *quo furore Dominum maiestatis impugnet, audiant & timeant serui propriæ voluntatis. Primo namq; seipsum subtrahit, & subducit eius dominatui, cui tanquam auctori seruire iure debuerat, dum efficitur sua. Sed nunquid contenta erit hac iniuria? 2. Addit adhuc, & quod in se est, omnia quoq; quæ Dei sunt tollit & diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? Dico fiducialiter. Nemini, qui sit in propria voluntate, posset vniuersus mundus sufficere. 3. Sed vtinam vel rebus istis esset contenta, ne in ipsum (horribile dictu) desæuiret auctorem. Nunc autem & ipsum, quantum in ipsa est, Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum: quæ quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut iniustum esse, aut insipientem. Crudelis planè & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, iustitiam, sapientiam perire desiderat.* 4. docet dæmonem semel ab anima nostra per sacramentum baptismi abactum, per propriam voluntatem cum septem spiritibus nequioribus reuocari. 5. docet omnia bona opera nostra per propriam voluntatem inquinari, meritoque suo destitui. *Etenim,* inquit, *si in die ieiunii mei, inueniatur voluntas mea, non tale ieiunium elegit sponsus, nec sapit illi ieiunium meum, quod non lilium obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis sapit. Ego autem non solum de ieiunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremo de omni obseruatione monachi, vbi inuenitur voluntas sua in ea, & non obedientia magistri sui idipsum sentio. Minimè prorsus obseruantias illas, etsi bonas in se, tamen inter lilia, id est, inter virtutes censuerim deputandas* Bern. de resur. Id. de dup. baptismo. Id. serm. 71. in cantic. Isa. 58. 3.

Ibid. 5. *tandas: sed audiet à Propheta, qui eiusmodi est. Nunquid tale est obsequium, quod elegi? dicit Dominus. Et addit. In die bonorum tuorum inueniuntur voluntates tuæ. Grande malum propria voluntas, qua fit vt bona tua tibi bona non sint.*

Matth. 16. 24. Ioan. 5. 30. Cass. coll. 19. c. 8. VI. REMED. Abnegatio propriæ voluntatis, quàm Christus docuit verbo & exemplo, cum ait apud Matthæum. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et Ioannem. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* De qua Cassianus in collationibus. *Finis quidem cœnobitæ est, omnes suas mortificare & crucifigere voluntates, ac secundum Euangelica perfectionis salutare mandatum nihil de crastino cogitare. Quam perfectionem prorsus à nemine, nisi à cœnobita posse impleri certissimum est. Quem virum Isaias Propheta describens ita beatificat, atq; collaudat. Si auerteris à Sabbatho pedem tuum facere voluntatem tuam in Deo sancto meo, & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem, tunc delectaberis super Dominum, & sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo hæreditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum est.*

Matth. 6. 34. Isa. 58. 13. 14. lib. 4. c. 8. Et in institutionibus monasticis. *Seniores*, inquit, *multis experimentis edocti pronunciant monachum, nullatenus prævalere ad summa perfectionis culmina ascendere, nec iram, vel tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere: sed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus vnitatem perpetuam, nec firmam, diuturnamq; posse retinere concordiam, sed nec in cœnobia quidem diutius permanere eum, qui prius voluntates suas non didicerit superare.* B. Dorotheus quoq; quemlibet religiosum ita alloquitur. *Cogeteipsum in cunctis, & vince, & voluntatem tuam imprimis abscinde. Si enim consueueris voluntatem tuam amputare, habitum indues Christi gratiæ & misericordiæ, quo omnia sine molestia, aut repugnantia perficies, teq; perfectè asseres in libertatem.*

Dorot. serm. 17. d. serm. 1. Idem commemorat discipuli sui Dosithei hanc præcipuam exercitationem fuisse, vt propriam voluntatem crebrius frangeret. nam cum quidam illi aliquid afferrent ad vsum quotidianum necessarium, sedulo & nitidè paratum, iubebat aliis potius quam sibi dari, &c. Et ideo intra quinquennium ad tantam perfectionem peruenit, vt post mortem conspectus sit inter sanctos ad magnam cuectus gloriam. Vnde rogatus aliquando Dositheus, cum in sustinendis ieiuniis, vigiliis ceteraq; asperitate aliis multo inferior esset, qua in virtute se exercuisset, respondit, se omne studium in propria voluntate cum superiorum voluntate conformanda posuisse.

VII. REMED. Subiicere se alterius imperio & voluntati, vel in parte, vel in totum. In parte, sicut filii parentibus, discipuli magistris, ser-

ſtris, ſerui Dominis, ſubditi magiſtratibus, clerici Prælatis, milites belli ducibus, eorumq; legibus & arbitrio ſubiiciuntur. In totum verò, ſicut religioſi in religione approbata, qui cum obligatione voti obedientiæ Deo & ſuperioribus ſponte ſe ſubiiciunt. De qua ſubiectione hic præcipuè agimus. Quod ad priorem attinet, non dubium eſt eam non ſolum laudabilem, ſed etiam neceſſariam eſſe ad coercendam propriæ voluntatis peruerſitatem. Nam S. Scriptura non ſemel monet, vt non ſimus ſapientes apud noſmetipſos: & ſæpenumero, vt ad obedientiam, ita ad hanc ſubiectionem nos hortatur. Deinde idem docuerunt gentiles Philoſophi naturæ lege edocti, & ſuaſit Seneca, vt quiſq; ducem & magiſtrum aliquem eligat, cuius voluntati obſequatur. *Hoc mi Lucili*, inquit, *Epicurus præcepit, cuſtodem nobis & pædagogum dedit. Opus eſt, inquam, aliquo, ad quem mores noſtri ſe ipſi exigant. Niſi ad regulam, praua non corriges.* Demum ita expedit nobis ob paſſionum turbam, qua à mentis conſtãtia ſæpè deturbamur. *Cum ſubiecti ſimus*, ait S. Dorotheus, *multis paſſionibus, prauiſq; affectibus, noſtro iudicio non debemus omnino fidere. Quando enim regula curua eſt, nunquam quod ſecundum eam dirigitur rectum efficitur, ſed diſtortum.* Quod ad poſteriorem ſubiectionem, Religioſorum propriam attinet, ea conſulitur à Chriſto, cum ait ad adoleſcentem prædiuitem. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Quod conſilium, qui erant ſecuti Apoſtoli, exclamant in perſona B. Petri. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* In quæ verba ita ſcribit Hieron. *Quia enim non ſufficiebat relinquere omnia (hoc enim & Crates fecit Philoſophus, & alij multi, qui diuitias contempſerunt) iunxere quod perfectum eſt, & ſecuti ſumus te: fecimus quod iuſſiſti.* Idem fecere poſtea Macedones ſub Apoſtolo Paulo: nam de iis ita ſcribit. *Semetipſos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.* Fecerunt deniq; omnes religioſi & cœnobitæ. De quibus agens B. Baſilius in regulis fuſius diſputatis. *Qui ſeipſum abnegauit, ſeſeq; voluntatibus omnibus ſpoliauit, is non quod vult faciet, ſed quod docetur. Neq; verò ratio permittit eum ſibiipſi, quod expediat eligere, qui gubernationem ſui aliis tradiderit.* Et Hier. ad Ruſticum monachum. *Ad hæc tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum, ſed viuere debere in monaſterio ſub vnius diſciplina Patris, conſortioq; multorum.* Et Auguſt. de moribus Eccleſiæ, agens de ſimilibus qui vnius Patris imperio ſe ſubdiderant. *Hi verò Patres*, inquit, *nulla ſuperbia conſulunt iis, quos filios vocant, magna ſua in iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate.* Quare merito B. Bern. in Cantica ſcribens inuehitur in monachos, qui cum ſemel

Prou. 3. 7. Rom. 12. 1. 1. Pet. 2. 13. Heb. 13. 17. Sen. ep. 11. Dor. ſerm. 19. Matth. 19. 21. Hier. in c. 19. Matth. 2. Cor. 8. 5. Baſ. quæſt. 41. Hier. ep. 4. Aug. l. 1. c. 31. Bern. ſerm. 1.

semel totos se, quoad iudicium & voluntatem, subdidissent superioribus, tamen ad propriam voluntatem & iudicium relabebantur. *Qui vestri*, inquiens, *curam semel nobis credidistis, quid rursum de vobis vos intromittitis?*

VIII. REMED. Resignatio perfecta sui ipsius in manus Superioris, qua homo religiosus iudicium suum voluntatemq; ad plenum eidem resignat, vt de eo disponat in omnibus prout iudicarit expedire ad maiorem Dei gloriam, suumq; profectum. Qualis resignatio creditur fuisse beatissimæ Virginis Dei matris, cum Dei voluntate cognita ab archangelo Gabriele, de concipiendo filio Dei, modoque hanc voluntatem exequendi, ilico assensit dicens. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Et qualis videtur fuisse B. Pauli ad Apostolicam dignitatem diuinitus vocati, cum exclamauit. *Domine, quid me vis facere?* Qualis B. Augustini, quando perspecta per varias inspirationes diuina voluntate in has voces erupit. *Da Domine quod iubes, & iube quod vis.* Qualis magni Isidori Alexandrini, qui religionem ingressus superiori suo dixit. *Sicut fabro ferrum subiectum est, ita & ego ô pater, meipsum obedientiæ expono*, qui huius resignationis beneficio ad culmen perfectionis breui peruenit, vt docet Ioannes Climacus de gradu obedientiæ. Facile autem ad perfectam hanc voluntatis propriæ resignationem exercendam commoueberis, si assuescas in Superiore tuo, non hominem sed Christum inuenire, vti reuera faciendum est, vt alibi ostendimus. Idcirco enim Christus de superioribus agens, dixit. *Qui vos audit, & qui vos spernit, me spernit.* Et Apostolus ad Romanos ait. *Non est potestas, nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Exemplum huius rei narrat loco citato idem Climacus de quodam, qui in officio coci, multarum distractionum obnoxio, tamen pristinam semper pacem & deuotionem retinebat, haud secus, quam si semper orationi vacaret; rogatus autem eius rei causam, inter alia respondit. *Nunquam me hominibus seruire arbitratus sum, sed Deo.*

Luc. 1. 38.
Act. 9. 6.
Aug. 10. confes. c. 29.
Clim. grad. 4.
V. inobed.
Luc. 10. 16.
Rom. 13. 2.

IX. REMED. Indifferentia; quæ non est aliud, quam quædam animi dispositio, qua quis paratus est voluntati Dei & Superiorum obsequi in omnibus, sic vt paratus sit omnibus mediis vti, quæ illi ad perfectionem conducibilia esse putarint, siue vilia, siue in speciem honorifica sint, de qua virtute differens B. Bernardus in sermone, quomodo voluntas tripliciter subiici debeat. *Rogo vos*, inquit, *fratres, diligenter attendite, quia nihil mihi occurrit, quod vtilius possit audiri. Vbi certa est Dei voluntas, omninò nostra sequatur, in his videlicet, de quibus certum aliquid in scripturis inuenimus, aut ipse spiritus manifestè clamat in cor-*

Bern.

in cordibus nostris, quid sentiendum sit, vt est caritas, humilitas, castitas, obedientia, hæc approbemus indubitanter & appetamus, quæ Deo placere scimus indubitanter. Sed & ea omnimodis odisse debemus, de quibus certum est, quod oderit ea Deus, vt est apostasia, &c. In his verò rebus, de quibus nihil certum possumus inuenire, nihil certum voluntas nostra definiat pendeat inter vtrũque, aut saltem neutri parti nimis adhæreat, cogitans semper, ne altera pars forte Deo magis placeat, & parati simus voluntatem eius sequi, in quamcunq; partem eam cognouerimus inclinari. Bonum autem erit, subdit paulo post, si Dei seruus *voluntatem suam suspensam tenuerit, donec Prælatum interroget, & ab eo quærat Domini voluntatem, cui vice ipsius obedit.* Vnde B. Basilius in regulis breuioribus posita quæstione, an religioso ministerium à superioribus assignatum recusare, & aliud postulare liceat, respondet. *Cum obedientia vsq; ad mortem seruari debeat: qui quod sibi assignatum est recusat, & aliud abeo diuersum exquirit, primum hic omnino obedientiam violat; & aperte declarat, nequaquam seipsum abnegasse, tum etiam aliorum complurium malorum cum sibi tum aliis auctor existit.* Et Cassianus in institutionibus agens de monachis Scithi. *Inter quos*, ait, *nunquam peculiare opus non dicam affectu, sed ne cogitatione quidem ab aliquo affectabatur.* Quicquid demum de ministeriis, vel aliis rebus præscribatur, id prudentiæ superioris committendum est, qui pro ratione sui muneris quo loco Dei fungitur id præscribet cuiq;, quod ad maiorem gloriam Dei expedire videbitur. *Qui in familia cæteris præest*,, ait B. Basilius in citatis regulis, *& vniuersis, quæ facere illos oporteat, describit, maiore quadam cum animaduersione administrare munus debet, solicite q; & vt par est, in singulis aduigilet, quo pacto videlicet conuenienter voluntati Dei, & accommodatè ad naturam facultatem q; vniuscuiusq;, habita communis boni ratione, munera singulis describat, imperetur.*

Baſ. q. 87.

Cass. l. 4. c. 14.

Baſ. q 303.

Vide V. *Amor sui. Curiositas. Familiaritas nimia. Immortificatio passionum. Inobedientia. Iudicium proprium. Peccatum. Voluptas carnalis.*

VOLVPTAS CARNALIS.

Remedia contra volupt. carnis.

I REMED. Considera sacratum ltiterarum sententias, quæ improbant & damnant omnes voluptates & delitias carnis. Ac generatim quidem prolixè eas insectatur Ecclesiastes nomine vanitatis. *Vanitas vanitatum*, inquiens, *& omnia vanitas.* Et. *Dixi in corde meo. Va-*

Eccli. 2. & 11.

dam & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi, quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputaui errorem: & gaudio dixi. Quid frustra deciperis? Et rursus. Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. Adolescentia enim & voluptas vana sunt. Et Iob. Laus impiorum breuis, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Et. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Et Christus Dominus apud Lucam. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Deinde Apostolus. Sicut in die honeste ambulemus, non incomessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, &c. sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. Et. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, veneficia, &c. ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Et. Vidua, quæ in deliciis est, viuens mortua est. Et B. Ioannes. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo: quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Et. Quantum glorificauit se (Babylon) & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

Eccl. 11.10. Iob. 20.5. & 21. 12. Luc 6.25. Rom. 13.13. Gal. 5.19. 1. Tim. 5.5. 1. Ioan. 2.15. Apoc. 18.7.

II. Remed. Considera censuram SS. Patrum. S. Basilius in exhortatione ad baptismum. Ne dicas. Bona quidem est lex, sed longe iucundius peccatum. Voluptas est veluti quidam hamus diaboli, ad pernicies nos trahens. Voluptas mater est peccati, peccatum autem stimulus mortis. Voluptas nutrix est æterni vermis, quæ ad tempus quidem demulcet fruentem, ac postea felle amariores retributiones facit. S. Amb. epistola ad Sabinum. Non immerito sanctus Moyses delectationem serpentis figurauit similitudini. Prona est enim in ventrem sicut serpens, non pedibus incedens, aut vllis eleuata cruribus, sed sinuoso flexu totius velut corporis sui lubrica. Ei terracibus est, sicut serpenti, quoniam escam nescit cœlestem. Corporalibus enim pascitur atque in varias mutatur species cupiditatum, & tortuosis angulatur anfractibus. Venenum in dentibus habet, quibus vnusquisq; se euiscerat luxuriosus, belluo internecat, abliguritor perimit. Quantos ruperunt vina? dissoluit ebrietas, distendit cruditas? S. Chry. ad populum Antiochenum. Nihil dæmonis tam gratum, quam delitiæ sunt & ebrietas, quoniam omnium est fons malorum & genitrix. Per hanc Israelitas demum in idolorum cultum præcipitauit. Per hanc Sodomitas in nefarios accendit amores. Hæc est enim, inquit, impietas Sodomorum, in superbia, satietate panum & cenuitiis luxuriabantur. Per hanc alios perdit innumeros & gehennæ tradidit. Quid enim mali non operantur deliciæ? Ex hominibus porcos efficiunt, & porcis deteriores. Porcus enim inuoluitur in cœno, & stercore pascitur: hic abominabili magis vescitur mensa, illicitos excogitans coitus, & nefarios amores.

Amb. l. 6. ep. 42. Gen. 3.14. Chry. hom. 51. Ezech. 16.49.

Huiusmodi

Huiusmodi nihil à dæmoniaco differt; simili namque fertur impudentia, similique bacchatur furore: & dæmone quidem pressum saltem miseramur: hunc autem auersamur & odimus. Quid ita tandem? quia spontaneum ad se trahit furorem, & os, & oculos, & nares, & omnia generaliter diuersoria ductus & riuos facit furoris. S. Hier. in Iouinianum. *Esus carnium, & potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est. Vnde & Comicus, Sine Cerere, inquit, & Libero friget Venus. Per quinque sensus, quasi per quasdam fenestras, vitiorum in animam introitus est. Non potest ante metropolis & arx mentis capi, nisi per portas eius irruerit hostilis exercitus. Horum peturbationibus anima prægrauatur, & capitur aspectu, auditu, odoratu, sapore, tactu. Si Circensibus quispiam delectetur, si athletarum certamine, si mobilitate histrionum, si formis mulierum, splendore gemmarum, vestium, metallorum, & ceteris huiuscemodi, per oculorum fenestras animæ capta libertas est, & impletur illud propheticum. Mors intrauit per fenestras vestras, &c. Porro ciborum auiditas, quod auaritiæ mater sit, & animum quasi quibusdam compedibus degrauatum in terra teneat, quis ignorat? Propter breuem gulæ voluptatem terræ lustrantur & maria, & vt mulsum vinum, preciosusque cibus fauces nostras transeat, totius vita opera desudamus. Tactus autem alienorum corporum, & fœminarum ardentior appetitus, vicinus insaniæ est,* S. Aug. de verbis Apostoli. *Delectant quædam naturaliter infirmitatem nostram, vt cibus, vt potus delectant esurientes atque sitientes: vt nos delectat hæc lux, quæ de cælo funditur sole exorto, vel quæ syderibus & luna fulget, vel quæ in terra accenditur luminibus consolantibus tenebras oculorum. Delectat canora vox, & suauissima cantilena. delectat odor bonus, delectant etiam tactum nostrum, quæcunque pertinent ad carnis aliquam voluptatem, & hæc omnia, quæ nos delectant in sensibus corporis, aliqua licita sunt. Delectant enim, vt dixi, oculos, & spectacula ista magna naturæ, sed delectant etiam oculos spectacula theatrorum. hæc licita, illa illicita. Psalmus sacer suauiter cantatus delectat auditum, sed delectant auditum etiam cantica histrionum. hoc licitè, illud illicitè. Delectant etiam coniugales amplexus, delectant etiam meretricum. Hoc licitè, illud illicitè. Videtis ergo carissimi etiam in istis corporis sensibus licitas esse & illicitas delectationes, Iustitia sic delectet, vt vincat etiam licitas delectationes,* Auctor libri de disciplina & bono pudicitiæ. *Voluptatem vicisse, voluptas est maxima: nec vlla maior est victoria, quàm ea, quæ è cupiditatibus refertur. Qui hostem vicit, fortior fuit, sed altero. qui libidinem repressit, seipso fortior fuit. Qui inimicum prostrauit, externum hostem percussit. Qui cupiditatem depressit, hostem domestricum superauit. Malum omne facilius vincitur quam voluptas: quia illud quicquid est, horridum est, hoc blandum est.*

Hier. lib. 2.

Terent. Eun.

Ier. 9. 21.

Aug. serm. 17.

In Cypriano.

III. REMED. Considera dicta Philosophorum & Poetarum Ethnicorum. Aristoteles in Ethicis. *In omnibus*, inquit, *à iucunditate & voluptate maxime cauendum est: non enim de ipsa incorrupti iudicamus.* Et rursum ait, voluptates prudentiam impedire, eoq; amplius, quo quis magis eis indulget, *vt in venerearum rerum voluptate, in qua constitutus*, inquit, *nemo intelligere quicquam potest.* Quod etiam S. Augustinus in libris de ciuitate Dei annotauit. Idcirco Hippocrates, vt in commentario ibidem recitat Lod. Viues, coitum finiuit *μικρὴν ἐπιληψίαν, paruum morbum comitialem.* Et apud Laertium, ac Clementem Alexandrinum Antisthenes Philosophus dicit se malle insanire, quam affici voluptate. Insaniam enim auferre medicum, voluptatem verò, cum mentem homini eripiat, vix sanabile malum esse. Epictetus in Enchiridio. *Si voluptatis alicuius imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea mouearis. Sed & rem examina, & tibiipsi prabe deliberandi spacium. Deinde vtriusque temporis memento, tum eius, quo voluptate frueris, tum eius quo præcepta iam voluptate dolebis, teque ipse obiurgabis.* Plato. *Voluptas est malorum esca.* M. T. Cicero in libro de senectute probans senectuti non esse incommodum carere voluptatibus. *O*, inquit, *præclarum munus ætatis, siquidem id aufert nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum. Accipite enim, optimi adolescentes veterem orationem Architæ Tarentini. Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus dicebat à natura datam. Hinc patriæ proditiones, &c.* Et infra addit, *virtutem in voluptatis regno non posse consistere: eam quo maior est, omne animi lumen extingui. Nihil esse tam detestabile & pestiferum.* Horatius. *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.* Seneca ad Lucilium. *Voluptatem natura rebus necessariis admiscuit, non vt illam peteremus, sed vt ea sine quibus non possumus viuere gratiora nobis illius faceret accessio. Si suo veniat iure, luxuria est.* Et libro de beata vita. *Altum quiddam est virtus, excelsum, regale, inuictum, infatigabile: voluptas, humile, seruile, imbecillum, caducum, cuius statio ac domicilium fornices & popinæ sunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris stantem, puluerulentam, coloratam, callosas habentem manus: voluptatem latitantem sæpius ac tenebras captantem, circa balnea ac sudatoria, ac loca ædilem metuentia, mollem, eneruem, mero atq; vnguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollinctam.* B. Aug. commemorat Philosophos qui in voluptate summam felicitatem collocabant ab aliis fuisse confutatos pictura quadam, in qua voluptas tanquam Domina sederet in sella regia & vnicuiq; virtuti tanquam ancillæ, quid ipsius causa oporteret facere, imperaret, vt vel eius spectaculi absurditate appareret, quàm sit ab-

Arist. 2. Eth. c. vlt.
Ar. 7 Eth. c. 11.
Aug. l. 14. c. 16.
Laert. l. 6. c. 1.
Clem. l. 2. strom.
Epict. c. 56.
Cic. Cato maior.
Sen. ep. 116.
Id. c. 7.
Aug. 5. ciu. Dei. c. 20.

sit absurdum voluptati vllum locum dignitas assignare. Hieron. ad- Hier. lib. 2.
uersus Iouinianum prolixè scribit ad cauendas voluptates quid prisci Philosophi fecerint. *Pytagorei*, inquiens, *frequentias vrbium declinantes in solitudine & desertis locis habitare consueuerunt. Platonici quoq; & Stoici in templorum locis & porticibus versabantur, vt admoniti augustioris habitaculi sanctitate, nihil aliud, quàm de virtutibus cogitarent. Sed & ipse Plato, cum esset diues, & thoros eius Diogenes lutatis pedibus conculcaret, vt posset vacare Philosophiæ, elegit Academicam villam ab vrbe procul non solum desertã. sed & pestilentem: vt cura & assiduitate morborum libidinis impetus frangeretur, discipuliq; sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum quas discerent.* Deniq; B. Basil. agens de legendis gen- Basil. hom. 24.
tilium libris ex Prodico Chio narrat. *Quod iuueni quondam Herculi secum consulenti ad vtram viarum se conuerteret, an ad eam, quæ ad virtutem per labores ducit, an ad facilem per voluptates, duas ei fœminas, virtutem ac voluptatem, quarum mox ex diuerso habitu differentiam agnouerit, apparuisse. Altera quidem forma conspicua, molliore facie, lasciuis oculis, sermone blando, omnia fausta facilia q; & ad vitæ solatia tendentia pollicendo Herculem ad se trahere conabatur. Altera verò vultu rigido, squalenti mæstoq; ore, magnam fiduciam atq; constantiam præseferens nihil iucundum, nihil amœnum ostendebat, sed mille pericula, labores q; immensos terra mariq; subeundos: præmium tamen horum immortale; ad extremum verò morientem Herculem se secuturam, & inter Deos collocaturam recipiebat; hancque secutum Herculem dicit.*

IV. Remed. Recordatio terribilis iudicij extremi, & horrendorum inferni cruciatuum, in voluptarios inprimis à Deo decretorum, iuxta illud Apocalypseos. *Quantum in delitijs fuit, tantum illi da-* Apoc. 18. 7.
te tormentum. Hoc remedium ipse Ecclesiastes mortalium sapientis- Eccl. 11. 8.
simus præscripsit, dicens. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint vanitatis arguentur præterita.* Exemplo sit epulo Euan- Luc. 16. 28.
gelicus, qui epulatus quotidie splendidè sepultus est in inferno, & in summis tormentis existens hoc antidoto petiuit ab Abraham quinque fratres suos ad meliorem vitæ frugem reduci. *Mitte*, inquiens, *Lazarum, vt testetur illis*, nempe quantas ob voluptates patiar cruces, *ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Vnde Hieronym. in con- Hier. epist. 34.
solatione ad Iulianum. *Diuitem purpuratum gehennæ flamma susceptit. Lazarus pauper & vlceribus plenus, cuius carnes putridas lambebant canes,* Luc. 16. 21.
& vix de micis mensæ locupletis miserabilem sustentabat animam in sinu Abrahæ suscipitur, & tanto Patriarcha parente lætatur. Difficile imò impossibile est, vt & præsentibus quis & futuris fruatur bonis, vt & hic ventrem,

& ibi mentem impleat, vt de delicijs transeat ad delicias, vt in vtroq; secul primus sit, vt & in cælo, & in terra appareat glorioſus. Et in Apologia ad Pammachium. *Volumus opiparè comedere, vxorum adhærere complexibus, & in numero virginum & viduarum regnare cum Chriſto. Idem ergo habebit fames præmium, & ingluuies, ſordes & munditiæ, ſaccus & ſericum. Lazarus recipit mala in vita ſua, & diues ille purpuratus, craſſus & nitidus fructus eſt carnis bonis dum viueret, ſed diuerſa poſt mortem tenent loca. Miſeriæ delicijs, & deliciæ miſerijs commutantur. In noſtro arbitrio eſt, vel Lazarum ſequi, vel diuitem,* Eodem antidoto ſanare cupiens B. Ambr. eos, qui negabant ſe poſſe vel hyeme vel æſtate ieiunare, ita alloquitur. *Dic mihi, ô delicate Chriſtiane, qui æſtum ſolis ieiunando ferre non potes, nunquid æſtus, quem ſuſtentaturus es, torrentior eſt gehenna? Nunquid hyems, cui retrudendus es horridior eſt tenebris? in exteriores enim tenebras abijciuntur peccatores: ibi erit fletus & ſtridor dentium, ſicut ait Dominus. Stridor inquã dentium inſtar hyberni temporis erit in illis tenebris.* Et Chryſ. ad populum Antioch. *Non decipiamus noſipſos. Detur enim, quod per totam vitam noſtrã voluptati vacauerimus: ſed quid ad infinita ſecula? Hic enim & bona & mala finem habent, illic autem immortales pœnæ. Hic ſi ardeat corpus, egreditur anima: illic verò incorrupto reſurgente corpore ſemper anima comburitur, & peccatores enim incorruptibiles reſurgunt, non vt honorentur, ſed vt immortaliter in tormentis permaneant. Si itaq; balnei vehementiorem vaporem non ferimus, quomodo feremus igneum flumen?*

De libris in Iouin.

Ambr. ſerm. 39.

Matth. 25. 30.

Chryſ. hom. 22.

V. REMED. Conſidera deterrimos voluptatum effectus, à S. Patribus accuratè deſcriptos. Baſilius. *Oblectatio corporeæ voluptatis plus doloris habet, quam iucunditatis. Nuptiæ enim ſæpe ſteriles ſunt, viduitates cõtinent & ſtupra. Agricultura ſterilitatem, mercatura naufragia, diuitiæ inſidias patiuntur; ſed & delitiæ & ſatietas, & continens voluptatum fruitio multos ac varios ſecum trahunt morbos, ac affectionũ varia genera.* Chryſ. ad populum Ant. *Quid non mali faciunt delitiæ? ſibiipſis contrariæ ſunt. Vnde neſcio, quomodo nomen hoc habeant: ſed ſicut gloria, cum ignominia ſit: & diuitiæ, cum ſit paupertas, vocatæ ſunt: ſic & deliciæ, cum iniucunditas ſit.* Et rurſus. *Non tam vehementer fluuialium aquarum curſus ripas corrodere ſolet, ſicut deliciæ & luxus omnia valetudinis noſtræ firmamenta facile ſubruere. Si enim medicinalem ingrediaris officinam omnes ferè morborum cauſas illinc inuenies eſſe. Vilis enim tenuiſq; menſa, vt loquuntur medicorum pueri, ſanitatis mater eſt. Saturitas verò ægritudinis mater eſt, morboſq; parit ipſorum quoq; medicorum artem tranſgredientes: pedum enim dolores, & capitis grauedines, & vertigines, & manuũ cruciatus, & tremores, & remiſſiones, & æſtuoſæ febres, & alia his multo plura ex crapula & ſaturitate naſci ſolent. Si verò vis animi morbos inde naſcentes videre, auaritiæ, mollitiæ, melan-*

Baſil. in Pſal. 33.

Chryſ. hom. 54. & 55.

melancholiæ, ignauiæ, omnes ignorantiæ hinc habent principium, nihilo namque fiunt asinis meliores animi talium mensarum delitias sectantes. Et in homilia, quod nemo læditur, nisi à seipso. *Meretricem ego appello vitã hanc, quæ in delitijs & affluentia diuitiarum, & huius seculi potentia ac voluptate transigitur. Et non solum meretricem eam nomino, sed & turpissimam atq; obscœnissimam meretricem, cuius facies fœda, horrida, aspera, amara, crudelis, & in hoc maximè est, in quo sine venia habendi sunt cuncti, quos decipit: quod cum tam turpis sit eius vultus, barbarus ac truculentus, tamen multi ab ea capiantur. Et cum videant apud eam cruenta omnia periculis, mortibus & præcipitijs plena, cumq; eam stipari videant sodalibus pessimis, contumelijs dico, liuore, insidijs, metu iugi, tremore frequenti, & mille alijs huiusmodi infaustis consortibus velut anguium corona circumdari, fructum verò in his nullum alium, nisi interitum esse, perniciemq; perpetuam, expetitur tamen à pluribus & amabilis exoptabilisq; habetur.*

VI. REMED. Considera exempla eorum, quibus voluptatum carnalium abusus perniciem attulit. Primum sit primi parentis nostri Adæ, de quo contra Iouinianum ita Hier. *Docebo primum Adam in paradiso accepisse præceptum, vt cætera poma comedens ab vna arbore ieiunaret. Beatitudo paradisi absq; abstinentia cibi non potuit dedicari. Quamdiu ieiunauit, in paradiso fuit: comedit & eiectus est: eiectus, statim duxit vxorem. Qui ieiunus in paradiso virgo fuerat, satur in terra matrimonio copulatur.* Hier. lib. 2. Genes. 2. 26.

Et Ambr. ad Sabinum. *Quod si primus ille homo, qui cum Deo loquebatur in paradiso positus labi tam facile potuit, ex terra creatus virgine, quæ ad verbum Dei formata & creata recenti fuerat exortu, nondum ea parricidali, cædium q; concreta sanguine, flagitijs & dedecore polluta: quanto facilius postea lubrica ad peccandum via maius adnexit humano generi præcipitium, cum deterior tolerabilioribus per vices generationis successerit?* Ambr. l. 6. ep. 42.

Alterum sit Esau de quo Basilius in regulis fusius disputatis. *Esau etiam vitio, quasi maximum malorum omnium, data incontinentia est, qui vno ferculo primogenita sua vendidisset.* Basil. q. 16. Gen. 25. 33.

Et Hier. loco citato. Cur perdidit *Esau primogenita sua? nonne propter cibum? impatientiam q; gulæ lacrymis emendare non potuit.* Hier. in Ioum.

Tertium sit Israelitarũ, de quibus idem. *Eiectus de Ægypto populus Israel, & in terram repromissionis lacte & melle manantem introducẽdus, Ægyptias carnes, & pepones, alliaq; desiderat. Vtinam, inquit, obijssemus percussi à Deo in terra Ægypti, quando super ollas carnium sedebamus. Et iterum. Quis nos pascet carnibus? Venerunt in mentem nobis pisces, quos in Aegypto comedebamus gratis, & cucumeres, & pepones, & porri, & cepe, & allia. At nunc anima nostra arida, nihil nisi manna oculi nostri conspiciunt, angelorum cibum contemnentes, carnes Aegyptias suspirabant, &c. Incrassatus est, & pinguefactus & dilatatus, & recalcitrauit dilectus, & dereliquit Dominũ qui fecerat*

Hier. ep 22. Basil. ep.

fecerat eum & abscessit à Deo salutari suo. Quartum sit regis Salomonis, de quo idem ad Eustochium, de custodia virginitatis. *Solus in deliciis Solomon fuit, & forsitan ideo corruit.* Et Basilius ad Chilonem anachoretam. *Salomoni quid attulit commodæ frugis exuberans adeo opulentia infusæ sapientiæ, & quæ vix dum adolescenti cœlitus de Deo cognitio indulta est, quando is demum per mulierculæ, quam ad insaniam usq; deperibat, illices complexus, ex cordatissimo adolescente per ætatem in senium deuergentem vecors factus, & in idololatriam prolapsus concidit?* Postremum sit recentius de vxore Ducis Veneti à Petro Damiano Cardinale descriptum ad Blancam Comitissam. *Ducis Venetiarum vxor, quæ erat Constantinopolitana, tam delicate,* inquit, *viuebat, vt etiam communibus aquis sese dedignaretur abluere: sed eius serui rorem cœli satagebant vndiq; colligere, ex quo laboriosum satis sibi balneum procurarent. Cibos quoq; suis manibus non tangebat, sed ab eunuchis alimenta quæq; in minuta concidebantur frusta: quæ mox illa quibusdam fuscinulis aureis atq; bidentibus ori suo liguriens adhibebat. Eius porro cubiculum tot thymiamatum, aromatumq; generibus redolebat, vt & vobis narrare dedecus fatear, & auditor forte non credat. Sed omnipotenti Deo, quantum huius feminæ exosa fuerit superbia manifesta docuit vlciscendo censura. Vibrato quippe super eam diuini mucrone iudicij corpus eius omne computruit, ita vt membra corporis vndique cuncta marcescerent, totumq; cubiculum intolerabili prorsus fœtore complerent, nec quispiam tantam perferre narium iniuriam potuit: non cosmeta, non seruulus, vix vna duntaxat ancilla non sine specie redolentis auxilio in eius obsequij sedulitate permansit. Eadem tamen raptim accedebat, & protinus fugiens abscedebat: diutius enim hoc languore decocta & miserabiliter cruciata, amicis quoq; lætantibus, diem clausit extremum. Quid ergo sit caro, docet ipsa caro quodq; perhibet mortua, testetur & viua.* Habes ibidem & alia exempla.

P. Dam. libr. 7. epist. 19.

VII. Remed. Continentia, & castigatio carnis. Continentiæ autem nomine cum Basilio intelligimus eam, *qua tollendæ contumaciæ corporis causa pietatis ergo de industria sequimur rerum voluptatem titillantium abstinentiam. Ea,* inquit, *absolutæ continentiæ ratio est, vt linguæ, vt oculis limites præscribat, vt auribus minimè curiosam indulgeat auscultationem, & singulis his cancellos ipsorum officij quasi quosdam circumscribat: extra quos, qui egressus sit, is incontinens ac petulans est.* Et rursum. *Castigatio præterita corporis, & in seruitutem illa redactio nulla re tantopere efficitur, quàm continentia. Siquidem feruor ille, qui in iuuenibus vigere solet, itemq; difficilis ad coercendum ad libidines impetus continentia veluti quodam freno cohibetur. Non enim, vt ait Salomon, inutiles sunt stultæ delitiæ. Quid autem carne, quæ molliter accuretur, & iuuentutis æstu temerè*

Basil. in reg. f. disp. q. 16.

1. Cor. 9. 27.

hinc il-

huc illucq; agitetur, fingi stultius potest? idcirco Apostolus dicit. Et carnis curam ne feceritis in desideriis. Et quæ in delicijs est, viuens mortua est. Et alibi in homilia de legendis gentilium libris. *Est totum corpus castigandum, ac feræ cuiusdam instar cohibendum, & ab ipso aduersus animã tumultus orientes ratione veluti flagello compescendi, ne frenum voluptati omnino laxando mens velut auriga ab equis contumacibus miserè rapiatur; ac inter cetera Pythagoræ meminisse dicti oportet, qui videns quendam se cibis lautè curantem ac saginantem. Heus, inquit, miser, non desinis continuo duriorem tibi carcerem præparare?* Ambrosius de Elia & ieiunio. *Castigemus corpus nostrum ieiunijs, fugiamus indecoras comessationes: caueamus ne nobis dicatur. Vlulate à vino. Ne veniat Moyses, & Leuitas aduocet: & quicunq; paratus ad Dominum armatam dexteram gerat, separare se ab his, qui manducãdo & bibendo grauia contraxere peccata.* Iterum. *Nemo amarioribus præoptet dulciora. Dulcis voluptas videtur amarum ieiunium. Hoc amarum illud dulce tollatur. Solent amara etiam ipsis plus prodesse corporibus. Sicut enim cum in intimis puerorum visceribus vermes ex cibi indigestione nascuntur, extingui non queunt, nisi cum amarior potus infunditur, aut medicamentorum vis inolescit asperior, quorum odore moriantur: ita profundum animæ virtus ingressa ieiunij, culpam latentem interficit.* Hier. ad Furiam, de viduitate seruanda. *Quicquid facit seminarium voluptatum, venenum puta. Parcus cibus, & venter semper esuriens triduãis ieiuniis præfertur. Et multo melius est quotidie parum, quàm rarò satis sumere. Pluuia illa optima est, quæ sensim descendit in terram. Subitus & nimius imber in præceps arua subuertit.* Deniq; Chrys. ad populum Antioch. *Euaserunt Dei minas Niniuitæ per ieiunium, meretrix Dominum lacrymis conciliauit. Paulus peccatũ confitens pœnitentium fit doctor. Iatro credens paradisi ciuis factus est. Hæc medicamina capientes vulnera nostra curemus dicentes. Sana me Domine & sanabor. Et sana animam meam, quia peccaui tibi. Suscipiens enim medicus dicet. Ego sum qui deleo peccata tua, nec amplius recordabor. Vides, quot tibi medicinas medicus parauit? Ipse elige, quam vis. Auxiliorum tibi varietatem iuxta vulnerum differentiam demonstrauit. Si non potes eleemosynas facere, compungere. Si non potes ieiunare sicut Niniuitæ, saltem vt meretrix peccata lacrymis ablue. Si ieiunare non potes, eia ad misericordiam Dei confuge cum Dauide dicens. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Non est enim viperæ morsus, vt super ipsum medicinam imponam, nec macula ex luto facta, vt ipsam aqua abluã, sed ex diaboli morsu vulnus egens clementiæ tuæ misericordia. Tantum accede petens & oleum instillabit benignus, qui dixit. Si conuertatur impius à via sua mala, non recordabor iniquitatum eius, quas commisit. Tantum vulnus reuela, & dic. Miserere mei Deus propter naturæ infirmitatem, & propter tuam bonitatem. Tantum desidera curari.*

Rom. 13. 14. 1. Tim. 5. 5.

Ambr. c. 22.

Hier. epist. 1.

Chrys. hom. 22.

Ioan. 3. Luc. 7. 2. Tim. 1. Luc. 21. Ierem. 17. Psal. 40. Hebr. 10.

Psal. 50. 6.

Ezech 33. 13.

curari. Salutem enim tuam Medicus quærit, qui errantem ouem conuertit, qui ad malos & bonos vocandos in biuia misit. Ecce & nunc vbi vendit regnum cœlorum. Si non habes obulum vnde emas, eme gemitu. Fragmento panis cœlorum regnum tibi retribuit, &c.

VIDE V *Amor sui. Chorea. Ebrietas. Gula. Luxuria. Vestium luxus. Voluntas propria.*

VOTI VIOLATIO.

Remedia aduersus Voti Violationem.

I. REMED. Considera Spiritus S. oracula, diuinis scriptis consignata. Ac primò quidem ijs accuratè describuntur mores apostatæ, desertoris, scilicet, vel fidei Catholicæ, vel fidei Deo datæ per votum castitatis aut religionis. *Homo apostata,* ait Salomon, *vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat.* Et rursus. *Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum.* id est, qui deserit statum suum & vocationem, incertis vagatur sedibus, multis obnoxius periculis & damnis. 2. hortantur ad perseuerantiam in suscepto semel vitæ instituto. *Si Spiritus,* inquit Ecclesiastes, *potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* Et Syracides. *Ne manseris in operibus peccatorum: confide autem in Deo, & mane in loco tuo.* Et Apostolus. *Vnusquisq; in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* 3. docent, Vota semel Deo facta, esse reddenda. Vt in Numeris. *Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit.* Et in Deuteronomio. *Cum voueris Domino Deo tuo,, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et apud Iob. *Rogabis eum,* nempe Deum, *& exaudiet te, & vota tua reddes.* Et in Psalm. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro, omnes, qui in circuitu eius affertis munera.* Et apud Ecclesiasten. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio, sed quodcunq; voueris, redde. multoq; melius est non vouere, quam post votum promissa non reddere.* 4. declarant desertores sui status, vel votorum, reos esse exitij æterni. Salomon enim sic loquitur. *Ruina est homini deuorare sanctos, & post vota retractare.* Et Christus apud Lucam. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Et B. Paulus. *Adolescentiores viduas deuita: cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Prou. 6. 12.
Prou. 27. 8.
Eccl. 10. 4.
Eccl. 11. 22.
1. Cor. 7. 20.
Num. 30. 3.
Deut. 23. 21.
Iob 22. 27.
Psal. 75. 12.
Eccl. 5. 3.
Prou. 20. 25.
Luc. 9. 62.
1. Tim. 5. 11.

fecerunt. Primam fidem, id est, votum castitatis, vti Patres exponunt. Et S. Ioannes in Apoc. *Memor esto, vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Apoc. 2. 5.

II. REMED. Considera, quid aduersus Votifragos scripserint prisci Patres, qui omnes minimum castitatis voto se Deo obstrinxerunt. Primus sit S. Greg. Thaumaturgus in Ecclesiasten. *Pollicitatio,* inquit, *voto facta finem per opus accipiat. Est hoc stultorum proprium, vt reiectitij sint. Ac tu promissi veritatem præsta, sciens longè tibi satius esse non vouere, nec facturum aliquid polliceri, quàm post conceptum votum id relinquere.* Greg. in Eccles. c. 5.

S. Basilius in Constitutionibus monasticis. *Illud certissimum tenendum est, eum qui semel spiritualis fratrum Societatis coniunctione, copulaq; obligatus sit, ab ijs, quibuscum iunctus sit, sine scelere abscindere se, aut segregare non posse.* Et paulò post. *Quemadmodum membra corporis naturæ vinculo coniugata à corpore auelli non possunt: aut si auellantur, quæ auulsa sunt, ea mortua sint necesse est; ita quoq; monachus quotiescunq; reliquorum fratrum corpori coniunctus est, & firmiore, quam sit vinculum naturæ compage vinctus teneatur, nempe ex pacto, quod is cum spiritu sancto contraxit, nullo modo putandus est ab ijs posse se diuellere, quibuscum copulatus sit: alioqui si hoc facit, & animæ vitam amittit, & vna cum ea gratiam Spiritus sancti, vtpote qui initum ipso auctore fœdus violauerit.* Basil. c. 22.

S. Ephræm in adhortatione de non scandalizando proximo. *Non decet eos, qui ad pietatis studium accedunt, & manum ad aratrum ponunt, retro conuerti, eorundemq; studium Deo complacendi impedire, sed ad perfectionem potius similes sunt dirigendi, cum de talibus dictum reperiatur. Quoniam qui vos tetigerit, tanquam qui tangit pupillam oculi mei.* Ephr. tom. 1. Luc. 9. 62. Zach. 2. 8.

S. Ambrosius ad virginem deuotam. *Deuouisti animam tuam ad destruenda omnia, quæ sunt huius seculi, quid autem quæris seculum, cui renunciasti? Reuerti vis ad vomitum tuum, sicut canis, aut velut sus lota iterum in volutationem, sicut scriptum est dicente Apostolo. Si quæ destruxi, iterum reædificabo, prænaricatorem legis me constituo. Iterum ipse repetit, dicens. Quicquid in sæculo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum: quod non est de Deo, sed de hoc mundo est. Et alibi dicit. Si quis voluerit amicus esse huius mundi, inimicus Dei constituetur. Quid dicis deuota Deo? Quid vis hominibus placere? Quid desideras, vel quid quæris? Si Deum quæris, tecum est: si autem hominem quæris, hoc non deuouisti. Qui sunt homines? homines huius seculi, & seculum transit, & concupiscentia eius.* 2. Petr. 2. 22. Gal. 2. 18. 1. Ioan. 2. 16. Iac. 4. 4. 1. Ioan. 2. 17.

S. Chrys. exponens verba Psalmi. Et redde altissimo vota tua. *Hic dicit supplicationes, vt in oratione assiduo perseueremus, & quæ professi fuerimus cum celeritate reddamus. Pulchre autem dixit, redde: post promissionē enim efficitur debitum. Ita etiam Anna reddidit filium,* Chrys. in Ps. 49.

1. Reg 1. 25. *filium, vt debitum maximum. Tu ergo, siue promittas eleemozynam, siue vitam pudicam, siue aliquid aliud tale, ad id exoluendum festina. Si quis autem exactè perpenderit, etsi minimè promittatur, virtus tamen ei debetur. Id autē*

Luc. 17. 10. *Christus significans dicebat. Quod debuimus facere, fecimus. Atqui dixit parabolam serui, cui erat minimū imperatum ministeriū, nempe vt non accumberet, sed trāsiret & ministraret. Porrò autē quidam alius quoq; dicit. Ne tardaueris reddere votum tuū. Pollicitus es? redde, ne forte mors te inuadat, & id*

Eccl. 5. 3. *rescindat. Et quid ad me, inquis? Vita enim non erat in mea potestate. Et ideo differre non oportuit, dum cogitas esse incertum exitum, & non esse in tua po-*

Epiph. hær. 61. *testate aut viuere, aut hoc è loco excedere.* S. Epiphan. in Panario. *Tradiderunt sancti Dei Apostoli peccatum esse post decretam Virginitatem ad nuptias*

1. Tim. 5. 11. *reuerti.* Et infrà. *Si quæ viduæ fuit, ac Deo dicata, & postea nupsit, iudicium & condemnationem habebit, quod primā fidem reiecit: quanto magis quæ Deo dicata virgo fuit, & nupsit, contra Christum lasciuiit, & maiorem fidem reiecit, & iudicium habebit?* S. Hier. contra Iouinianum. *Et si nupserit Virgo,*

Hier. lib. 1. 1. Cor. 7. 28. ait Apostolus, *non peccauit. Non illa virgo, quæ semet Dei cultui dedicauit. Harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Si autem hoc de viduis dictum obiecerit, quanto magis de virginib.*

1. Tim. 5. 11. *prævalebit: cum etiam his non liceat, quibus aliquando licuit? Virgines enim, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quam incestæ.*

Aug. ep. 45. S. Augustin. ad Armentarium Riparium, qui cum vxore vouerat castitatem. *Quia iam vouisti, iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus liberum fuit, quo esses inferior: quamuis non sit gratulanda libertas, qua fit, vt non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc verò quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam inuito, sed à magna iniquitate deterreo. Modo autem tantum, quod absit, miserior, si fidem Deo fregeris, quanto beatior si persolueris. Nec ideo te vouisse pœnitet, imò gaude iam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaq; intrepidus, & dicta simple factis, ipse adiuuabit, qui votatua expetit.*

Id. in Psal. 75. *Felix est necessitas, quæ in meliora compellit.* Et in Psalmos. *Alij Virginitatem ipsam ab ineunte ætate vouent, vt nihil tale vel experiantur, quale illi (coniugati) experti sunt, & reliquerunt; & isti vouerunt plurimum. Alij vouent domum suam esse hospitalem omnibus sanctis aduenientibus; magnum votum vouent. Alius vouet relinquere omnia bona sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem Sanctorum; magnum votum vouit. Vouete & reddite Domino DEO vestro. Quisque quod vouere voluerit, vouea; illud attendat, vt quod vouerit reddat. Vnusquisque Deo quod vouet. si respicit retrorsum, malum est.* Et rursus. *Nemo ergo positus in monasterio frater, dicat: recedo de monasterio: neq; enim soli, qui sunt in monasterio, peruenturi sunt ad regnum cælorum: & illi, qui ibi non sunt,*

ad Deum.

ad Deum non pertinent. Respondetur ei. Sed illi non vouerunt, tu vouisti, tu retro respexisti. B. Bern. ad Fulconem puerum monasterii desertorem. *Disce in Euangelio, quod non liceat retro aspicere ei, qui semel manum ad aratrum misit, &c. Iuste exigitur ad soluendum qui non cogitur ad vouendum. Nam etsi cum pulsares non repuli, tamen vt intrares, non compuli. Non licet ergo dimittere, quod sponte promisisti. Non est fas requirere, quæ per te dimisisti.* Bern. ep. 2. Luc. 9. 62.

III. Remed. Considera cum arctior sit cum Deo per Vota, quam inter coniuges per Matrimonii fœdera, coniunctio, quantam eorum violatione indignationem apud Deum incurrere queas. *Si superueniens maritus*, inquit D. Cyp. in epistola ad Pomponium, *sponsam suam iacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit? & per zeli dolorem fortassis & gladium in manum sumit? Quid? Christus Dominus, & iudex noster, cum virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam iacere cum altero cernit, quam indignatur & irascitur, & quas pœnas incestis eiusmodi coniunctionibus comminatur?* Et B. Basilius in Constitution. monasticis. *Si homines sæpenumero, vbi semel se in coniunctionem fragilis vitæ huius dederunt, ab ea se amplius propter inita ex pacto inter se fœdera, separare non possunt, (alioqui qui hoc facit, is statutis pœnis obnoxius sit) sine dubio multo magis, qui de spiritualis conuictus vnione fœdus inierit, cum ea indissolubilem ac perpetuam habeat coniunctionem, ei seiungere se, præcidereue ab his non licebit, quibuscum vnum veluti corpus est effectus. Alioqui si hoc facit, grauissimis se à Deo constitutis suppliciis addicit. Si enim mulier ad viri Societatem lege Matrimonii prouecta & vna cum eo copula carnali coniuncta morte multatur, si ei insidias feciisse deprehensa sit: quanto is magis subiacebit pœnæ grauiori, si se abiunxerit, qui spirituali communione copulatus sit, teste atq; sequestri ipso Spiritu sancto?* Alibi verò Deum sic expostulantem cum virgine lapsa inducit. *Dicit omnino etiam nunc Dominus. Duo mala perpetrauit Virgo. Me dereliquit verum sanctarum animarum sanctum sponsum, & aufugit ad impium animæ simul & corporis corruptorem. Defecit à Deo Saluatore suo & exhibuit membra sua mancipia immunditiei, & iniquitati ad iniquitatem. Me oblita est, dicit Dominus, & ad amatorem suum transiuit. Expediret ipsi, vt mola asinaria circa collum ipsius appensa esset, & in mare proiectus esset, potius quam virginem vitiasset. Quis prædo ad tantam dementiam perductus est, vt ipsa Dei donaria contingeret? non supellectilem inanimatam, sed corpora viuentia, & animam inhabitantem habentia factam ad imaginem Dei? Quis ab æterno auditus est in media ciuitate, & serena meridie, imagini regiæ formas immundorum porcorum inscribere ausus esse? Si quis humanas nuptias ignominia affecit, citra miserationem coram duobus aut tribus testibus moritur: quanto peiore* Cypr. ep. 62. Basc. 22. Id. epist. ad lapsam. Matth. 18. 6.

supplicio dignus censebitur, qui filium Dei conculcauit, & desponsatam ipsi sponsam adulterio contaminauit, & spiritum virginitatis contumelia affecit?

IV. REMED. Considera votifragum, vel Apostatam atrocioti scelere quam furti, sacrilegii, adulterii & incestus se obstringere. Sic enim scribit B. Ephræm in adhortatione prima ad nouitium monachum. *Corpus ab omni cogitatione peccati custodiat: nec creatori suo mentiatur. Donum enim nosipsos obtulimus Domino, neq; amplius corporis nostri potestatem habemus. Quemadmodum enim, si quis votum vouens Deo, munus Domino obtulerit, quod Sacerdos acceptum, in templo seponit; sig; postea pœnituerit eum qui munus obtulit, non amplius in sua potestate iam est auferre donum, post quam Domino illud obtulit: adeò vt si occultè hoc sufurari molitus fuerit, non iam quasi suum auferre velit, à culpa absoluetur, sed velut sacrilegus punietur. Sic quoque, qui Deo animas suas consecrarunt corporis sui potestatem amplius non habent.* Et S. Ambrosius ad Virginem lapsam. *Virgo, quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro. Etiamsi voluerit nubere communi lege coniugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita est, quid de illa dicendum est, quæ occulta & furtiua turpitudine constupratur, & fugit se esse, quod non est: habitu virgo, facto non virgo, bis adultera, & in actu, & in aspectu.* Deinde B. Chrysost. ad Theodorum monachum. *Tetam seruare non conuenit priuilegia nuptiarum. Angelorum enim Societati semel iunctum illam relinquere, & vxoris laqueis implicari adulterii crimen incurrere est: quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen illud & adulterio tanto peius affirmo, quanto maior ac melior mortalibus Angelus. Et quid mirum, si nuptiæ tales, quibus offenditur Deus, adulterio comparantur? Maius longe audies. Homicida iustorum laude donatur, & misericors plus quam homicida punitur: quoniam hoc vetante fit Domino, istud volente. Phinees enim ad iustitiam reputatum est, quod impudicum cum turpi femina virum vno gladio percussisset. Saulem autem Samuel damnatione liberare non potuit, quoniam hostium ducem, quem debuerat trucidare, inulto parcentem credidit Deo.* Et S. Aug. in Psalmos. *Virgo, inquit, quæ si nuberet, non peccaret: sanctimonialis si nupserit, Christi adultera reputabitur.* Et Auctor sermonum ad fratres in eremo, apud eundem. *Ego qui hodie videor monachus, si rupero propositum meum, Christum negaui.* incestui deniq; violationem voti supra comparauit B. Cyprianus & Hieronymus.

Eph. tom. 2.

Amb. c. 5.

Chry. ep. 6.

Psal. 105. 31. 2. Reg. 15.

Aug. in Psal. 83. Id. serm. 60.

V. REMED. Considera, quot & quantis beneficiis ornamentisque spiritalibus se spoliet, qui sacra votorum vincula, quibus Christo erat alligatus, semel disruperit. Ea vt virgini lapsæ in mentem reuocaret

reuocaret B. Basilius sic eam alloquitur. *Reuoca in memoriam honestam professionem, quam professa es coram Deo, & angelis ac hominibus. Reuoca in memoriam venerandam congregationem, & sacrum Virginum chorum, & Concilium Domini, & Ecclesiæ sanctorum, &c. & Angelicum circa Dominum cum illis tripudium, & spiritualem in carne vitam, & cœlestem in terra conuersationem. Recordare dierum carentium tumultu, & noctium illuminatarum, & cantilenarum spiritalium, & psalmodiæ sonoræ, & orationum sanctarum, & cubiculi casti, & virginei progressus, & mensæ temperantis. Vbi est reuerendus ille tuus habitus? Vbi honesti mores, & vestis frugalis virginem decens? & honestus ex pudore rubor, & decorus ex continentia ac vigiliis affloreſcens pallor, omni coloris bonitate gratiosior eluceſcens? Quoties in orationibus pro conseruanda virginitate impolluta lacrymas effudisti? Quot litteras ad sanctos sæpè exarasti, per quas pro te orari petiisti, non vt nuptias humanas assequereris, sed vt à Domino Iesu non excideres? Quot verò munera à sponso accepisti? quid opus est dicere honores propter illum ab his qui illius sunt susceptos? conuictus cum virginibus? encomia ob virginitatem? virgineas benedictiones? At nunc modica aura aëriæ Spiritus, qui nunc in filiis inobedientiæ operatur, suscepta, omnia illa abnegasti.* B. ep. ad lapsam.

Haud secus B. Amb. suam Virginem lapsam allocutus est. *Vnde incipiam? quod primum, quod vltimum dicam? Bona commemorem, quæ perdidisti, an mala deſleam, quæ inueniſti? Eras Virgo in paradiso Dei, vtiq; inter flores Ecclesiæ. eras sponsa Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritus sancti. Et cum dico, totiens eras, necesse est vt totiens ingemiscas, quia nō es, quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa, de qua scriptum est. Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Splendebas vt argentum, fulgebas vt aurum, quando cum syncera conscientia procedebas. Eras tanquam stella in manu Domini, nullum ventum, nullius belli nebulas pertimescebas. Quæ est ista subitanea conuersio? Quæ est ista repentina mutatio: De Dei virgine facta es corruptio Satanæ, de habitaculo Spiritus S. tugurium diaboli. Quæ incedebas vt columba, nūc lates in tenebris sicut stellio. Quæ fulgebas vt aurum propter virginitatis honorē, nunc vilior facta es lutoplatearum, vt etiam indignorum pedibus conculceris. Quæ fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto ruens cœlo, lumen tuum extinctum est, & conuersa es in carbonem.* Amb. c. 8. Psal. 67. 14.

VI. Remed. Considera, quanto cum scandalo & probro suo, sociorum, parentum, fratrum cognatorumq; quiuis apostata vota Deo semel facta rescindat. Pergit enim S. Ambrosius lapsam suam pudefacere his verbis. *Aspice quis sanctorum, aut quæ sanctarum tibi approximare non horreat, aperi oculos tuos si potes, erige frontem, vales aliquem sanctorum fiducialiter intueri? nonne tuam faciem conscientiæ conuictissima* Id. c. 3.

commissum tanquam plumbum inclinat & premit? nonne timor & tremor animam tuam, & membra quassant? Et paulo post. *Non istam confusionem de te tuus expectauerat pater, qui te sibi singularem gloriam computabat. Non hunc luctum, & hac lacrymas ex te sibi nasci tua crediderat mater, quæ partus sui gemitum per suam virginitatem consolabatur. Non fratres tui, non sorores hoc ex te dedecus expectabant, quos omnes quasi vno gladio tu sceleris grauiter sauciasti. Si fuisses communi sorte defuncta, flessent te multi cum propter desiderium parentes, sed exaltassent granditer, quia immaculatam præmiserant virginem, hostiam viuam, Domino propitiatricem suorum videlicet delictorum. At nunc plangunt mortuam, & non mortuam: lugent viuam, & non viuam. Mortuam vtiq; gloria virginitatis, viuam dedecore turpitudinis. Ingratus est pater suis visceribus, de quibus natus es, maledicit suo vtero mater, ex quo in hanc lucem infeliciter processisti. Nec tamen modum suo dolori reperiunt, nisi hoc solum planè videntur habere solatium, quia te nec pater compulit, nec mater coegit, vt virginitatem profitereris, quam vltro & propria voluntate professa es. Nam scio, cum cunctas difficultates tibi tuus genitor proponeret, cum arduum esse iter seruandæ virginitatis ingereret, te non solum pertinaciter perstitisse, sed etiam reuelationes tibi dixisti datas terribiles. In quantum sibi ergo sperabant mercedem ex eo, quod non tuo proposito restiterunt, in tantum tibi intellige miserapondus iudicii tui crescere, quia non seruasti quod vltro promisisti.* Et iterum multo inferius. *Equidem,* inquit, *si tibi solum damnum fecisses, erat equidem tristitia, sed forsitan tolerabilis. Nunc verò quantas animas tuo scelere sauciasti, quantas animas propter te de proposito suo pœnitere fecisti? Quanta labia etiam fidelium inquinata sunt, viam Domini blasphemando? Aperuit in nos gentilitas os suum: aduersus sanctam Ecclesiam synagoga Iudæorum* (& hæreticorum) *per tuum dedecus exultauit. Quod si is, qui vnum scandalizauerit mola circumligatus iactari debet in mare, quid de te pronuncias, per cuius scelus omnis anima sauciata est, & nomen Domini in gentibus blasphematum est?*

cap. 4.

Id. c. 7.

Matth. 18. 6.

VII. Remed. Considera, quotquot religiosum vitæ institutum per vota simplicia vel solemnia semel susceptum temerè deserunt in dies fieri deteriores, vt obseruauit S. Aug. in epistola data ad clerum, & plebem Hipponensem. *Simpliciter,* inquiens, *fateor caritati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus peiores, quam qui in monasteriis ceciderunt, ita vt hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum. Iustus iustior fiat, & sordidus sordescat adhuc.* Augustino consentit B. Basilius ita scribens. *Cui semel defectioni animus assueuerit, is vitiorum omni genere cumulatur, intemperantia, auaritia: edacitate, falsitate, omniq; morum peruersitate, & postremo*

Aug. ep. 137.

Apoc. 22. 11.

B. const. mon. c. 22.

postremo extremis malis infexus in profundum nequitiæ abit præceps. Et infra idem docet, *Originem istiusmodi consilii*, de segregando videlicet se à spirituali cætu, *nihil aliud esse, quam vitiorum intemperantiam, & laborandi fugam, & iudicii corruptelam, instabilitatemq;.* Vnde B. Amb. exponens verba Psalmi. *Mei autem pœnè moti sunt pedes, paulo minus effusi sunt gressus mei*, in hunc modum depingit apostatarum mores. *Nonne de his pulchrè dicitur, quia effusi sunt processus eorum, quorum spes lapsæ, in vanum effusus labor, vota sunt destituta? Considera enim aliquem per aliquot annos habuisse studium probitatis, castitatis custodiam, vitæ attentioris affectum, piæ propositum seruitutis, sedulæ obseruationis officium, subitoq; eum esse mutatum, discessisse de monasterio, valedixisse ieiuniis, continentiæ renunciasse, indulgere delitiis, studere luxuriæ. Dudum de monasteriis exierunt, & nunc luxuriæ sunt magistri, disseminatores incontinentiæ, incentores petulantiæ, obtrectatores pudoris. Nonnè de his pulchræ dixeris. Effusi sunt gressus eorum? quos bene vixisse pœnituit. Itaq; egerunt noui generis pœnitentiam pro virtutibus, & non agunt pro delictis. Sed hi ex nobis exierunt, dicit Ioannes; sed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, nobiscum perseuerassent.* Eodē describit & B. Ephræm in sermone de non scandalizando. *Hic*, apostata, inquit, *abiecta pietate impudentiam indutus est, & turpiter ac præter decorem agere non erubuit. Neq; enim homines veretur, neq; Dei indignationem animo expendit, & idcirco neq; parentibus debitum honorem attribuit, neq; spirituali se opere dignum exhibet: vnde deinceps nascuntur maledicta aduersus promissa, & in pietatem atq; religionem blasphemiæ, quod quidem horrendum est & dicere Et sicut impius cum in profundum malorum venerit, contemnit: ita & hic in tantam temeritatem impingens nequaquam est territus, instar illius, qui vendidit vniuersam suum substantiam, omnia in subsannationem & improperium sui vertere. Quis enim eum ludibrio non habeat, qui heri in cella conclusus erat, & multorum conuersationem vitabat, hodie cum inhonestis mulierculis viuentem, & in tabernis ebrietati studentem?*

Psal. 72. Amb. in Psal. 36.

1 Ioan. 2. 19.

Eph. c. 1.

VIII. REMED. Considera, quam futiles & friuolæ sint causæ, quas nonnulli suæ inconstantiæ & apostasiæ obtendunt. Alii enim queruntur de improbitate fratrum monasterii, quibus loco supra citato ita respondet S. Basilius. *Si aliquis dicat in fratribus esse aliquos vitiosos (neque enim vniuersos, opinor, culpabit. Neque enim propterea vt vitiosi essent, societatem inierunt) nequaquam is idoneam recedendi causam commentus est. Siquidem neq; Petrus, neque Andreas, Ioannesue propter Iudæ improbitatem se à reliquorum Apostolorum choro submouerunt, neq; quominus Christo obtemperans esset vlla in re illius vitiis quisquam aliorum retardatus est; sed contra potius relicta illius peruersitate dominicæ disciplinæ*

B. in const. monast.

Gen.6.9. *virtutem maiore studio sectati sunt.* Et infra. *Atq; etiam iustus ille Noe, cum in pessima hominum colluuie versaretur, non dixit Deo, propterea se debere exire de mundo, sed eo magis more generosi athletæ ad hæc adolescens se obdurauit, neq; vlla in re prorsus Domino repugnans fuit, sed tolerantia pu-*

Gen.19.1. *tatis nauigium in mediis impietatis fluctibus tutatus est. Quid? nonne Lot, cum Sodomis in tanta impietate, tantaq; legum omnium peruersione degeret, virtutem tamen assiduè ab omni vitio integram custodiuit, & reliquis quod fieri poterat, exemplo suo idem secum vt facerent auctor fuit?* Et B. Aug. in

Aug. expositione Psalmi 99. *In illa*, inquit, *vita communi fratrum, quæ est in monasterio, magni viri sancti quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei inde viuunt. cum lectione illis res est, laborant manibus suis, inde se transigunt, non auarè aliquid petunt. Quicquid eis infertur à piis fratribus, cum sufficientia & cum charitate vtuntur. Nemo sibi vsurpat aliquid, quod alter non habeat. Omnes se diligunt, omnes inuicem se sustinent. Laudat, qui nescit, quid interius agatur, qui nescit quomodo illo vento intrante etiam naues in portu colliduntur. Intrat quasi securitatem sperans, neminem quem toleret habiturus: inuenit ibi fratres malos, qui mali inueniri non possent, nisi admitterentur. Nec excludi facilè possunt, nisi prius fuerint tolerati. Quis me hic quærebat? Ego putabam, quia charitas esset hic. Et paucorum hominum molestia irritatus dum non perseuerauerit implere quod vouit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non reddit. Iam verò, cum inde exierit, fit & ipse vituperator, & maledicus, & dicit ea sola, quæ quasi se pati non potuisse asseuerat, & aliquando vera. Sed vera mala malorum toleranda sunt propter Societatem bonorum. Dicit illi scriptura.*

Eccli.2.16. *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam. Et quod est amplius, ructat indignationes malorum odorem, vnde absterreat intraturos, quia ipse cum intrasset perducare non potuit. Quales illi? Inuidi, litigatores, neminem sustinentes, auari. Ille illud ibi fecit & ille illud ibi fecit. O male, quare taces bonos? Quos tolerare non potuisti iactas; qui te malum tolerauerunt taces.* Hęc

Epist.137. Augustin. cuius & illud celebre monitum est ad suos Hipponenses. *Nolite propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, vnde apothecæ Dominicæ fructu olei luminosioris implentur.* Alii obtendunt instituti religiosi, ac imprimis reddendi voti castitatis difficultatem. Quibus respondet B. Chry. ad Theodorum lapsum. *Quale hæc*

hry.ep.6. *excusatio est, iugum nos placidum non voluisse sufferre? onus non potuisse portare, quod ipse (Christus) vocauerit leue? imò graue & onerosum ponduputare quietum laborem, ad quem nos Christus inuitat, dicens.*

Matth.11.28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam. Et rursus. Tollite iugum meum quia suaue est, & onus meum leue est. Quid enim lentius esse dices ac melius, quam solicitudine seculari, & laboribus & metu exui,*

quam ab istius mundi fluctibus segregari, & possidere placidi, tranquillique portus securitatem? Age videamus, quid in hoc seculo nobis beatum, & quid optabile esse videatur. Sine dubio dignitatem & opes dices, & ambitionis humanæ felicitatem. Sed quid his miserabilius est, si ea libertati Christianorum volueris comparare? Et D. Ambrosius. *Sed dictura,* inquit, *es forsitan. Non potui sustinere, quia carnem fragilem circumferebam. Respondebit tibi beata Tecla cum suis innumerabilibus sociis. Et nos eadem carne amictæ fuimus, nõ tamen plenum propositum castitatis nostræ, aut fragilitas carnis potuit mutilare, aut sæuitia tyrannorum per varia tormenta potuit deiicere. Reuera non potest caro corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta. Remanebit ergo in crimine anima, quæ carnem præcedit in voluptate.* Et Aug. in psalmum 31. *Commendatur humilitas Dauid, commendatur mansuetudo Dauid, & dicitur Deo, Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Ad quam rem, memento Domine Dauid? Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob. Ergo ad hoc memento, vt impleatur quod promisit. Ipse Dauid vouit tanquam in potestate habens, & rogat Deum, vt impleat, quod vouit. Est deuotio vouẽtis, sed est humilitas deprecantis. Nemo præsumat se viribus suis reddere, quod vouerit. Qui te hortatur vt voueas, ipse adiuuat vt reddas.* Et in Psal. 75. *Quid tibi dixerit psalmus, attende, non dixit, nolite vouere, sed vouete, & reddite. Quia audisti reddite, non vis vouere? Ergo vouere volebas, & non reddere? Imò vtrumq; fac. Vnum sit ex professione tua, aliud ex adiutorio Dei perficietur. Aspice eum, qui te ducit, & non respicies retro, vnde te educit. Qui te ducit, ante te ambulat: vnde te eduxit, post te est. Ama ducentem, & non te damnat retro respicientem.* Amb. c. 4. ad V. lapsam. Aug. Sap. 8. 21.

Hinc ergo habes antidotum præsens pro expugnanda difficultate voti reddendi, maximè castitatis, nempe diuinę opis implorationem, conuenienter dicto Sapientis. *Et vt sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum: adij Dominum, & deprecatus sum illum.*

IX. Rem. Considera exempla diuinæ scripturæ eorum, qui ob vota violata grauiter puniti sunt. S. Patres duo potissimum proferunt, alterum ex veteri, alterum ex nouo testamento. Ex veteri quidem, vxoris Loth, de quo B. Ephræm paræneſi nona. *NE hodie,* inquit, *renunciatio seculi, & abdicatio rerum terrenarum, ac valedictio patriæ & amicorum, parentumq; carnalium propter spem in Dominum Christum: cras autem nostram regionem & patriam, atque hæreditatem inquiramus. Vxor siquidem Loth retrorsum conuersa in columnam salis mutata est. Quare & Dominus instruit nos dicens. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno cœlorum.* Et D. Aug. in psal. 75. *De die iudicii cum Dominus minaretur, quid ait? Memento vxoris* Gen. 19. 16. Ephr. t. 2. Luc. 9. 62. Luc 17. 32.

Loth. Omnibus dixit. Quid enim fecit vxor Loth? Liberata est à Sodomis, & in via posita retrorsum respexit. Vbi respexit, ibi remansit. Facta est autem statua salis, vt illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non sint fatui, non retro respiciant, ne malum exemplum dantes, ipsi remaneant, & alios condiant. Nam & modo dicimus illud quibusdam fratribus nostris, quos forte viderimus velut infirmari in proposito bono, & talis vir esse, qualis illi. Obiicimus illis quosdam, qui retro respexerant, illi fatui sunt in se, sed alios condiunt, quando commemorantur: vt illorum exemplum timentes ipsi retro ne respiciant. Vouete & reddite Domino Deo nostro, quia illa vxor Loth ad omnes pertinet. Act. 5. 1. Hier. ep. 8. Ex Nouo vero testamento S. Patres producunt exemplum Ananiæ & Saphyræ. vt B. Hier. ad Demetriadem, de virginitate seruanda. *In actis*, ait, *Apostolorum, quando Domini nostri adhuc calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apost. deferebant pedes, vt ostenderent pecunias esse calcandas, dabaturq; singulis, prout cuiq; opus erat. Ananias & Saphyra dispensatores timidi, imò corde duplici, & ideo condemnati, quia post votum obtulerunt quasi sua, & non eius cui semel ea vouerant, partemq; sibi alienæ substantiæ reseruauerunt metuentes famem, quam vera fides non timet, præsentem meruere vindictam, non crudelitate sententiæ, sed correctionis exemplo. Denique & Apostolus Petrus nequaquam imprecatur eis mortem, vt stultus Porphyrius calumniatur, sed Dei iudicium prophetico spiritu annunciat, vt pœna duorum hominum sit doctrina multorum.* Chry. hom. 12. Et B. Chrys. in Acta Apostolorum. *Quare*, inquit, *hoc fecisti? voluisti habere Anania? oportebat initio habere, & non promittere: nunc autem postquam consecrasti, maius sacrilegium commisisti: qui enim alienarapit, forsan alienarum rerum desiderio rapit. tibi autem licebat tua retinere, cur igitur sacra fecisti ea, & postea accepisti?* G. lib. 1. ep. 33. Et S. Greg. ad Venantium. *Ananias Deo pecunias vouerat, quas postea victus persuasione diaboli subtraxit, sed qua morte mulctatus est scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit, considera quanto periculo in iudicio diuino dignus eris, qui non nummos sed temetipsum Deo omnipotenti cuite sub monachali habitu deuoueras, subtraxisti?*

X. Rem. Considera & alia exempla à Patribus descripta. Primũ sit eiusdem B. Greg. ex lib. 2. dialogorum c. 25. *Quidam eius, (S. Benedicti) monachus mobilitati mentis deditus erat, & permanere in monasterio nolebat. Cumq; eum vir Dei assiduè corriperet, & frequenter admoneret, ipse verò nullo modo consentiret in cõgregatione persistere, atq; importunis precib. vt relaxaretur innueret, quadã die idem venerabilis pater nimiæ tatis eius tædio affectus, iratus iussit vt discederet. Qui mox vt monasteriũ exiit contra se assistere aperto ore draconẽ in itinere inuenit: cũq; eum idẽ draco q apparuerat*

deuorare

deuorare vellet, cœpit ipse tremens & palpitans magnis vocibus clamare dicens. Succurrite, quia draco iste me deuorare vult. Currentes autem fratres draconem minimè viderunt, sed trementem atq; palpitantem monachum ad monasterium reduxerunt. Qui statim promisit nunquam se esse à monasterio recessurum, atq; ex hora eadem in sua promissione permansit. Quippe qui sancti viri orationibus contra se assistere draconem viderat, quem prius non videndo sequebatur. Alterum exemplum refert idem in Epistola ad Rusticianam patritiam. *Dum in natalitio eiusdem Apostoli* (Andreæ) *iam meridianis horis fratres quiescerent, subito quidam frater apertis oculis cæcatus cœpit tremere, voces ingentes emittere, quibus vocibus testabatur ferre se non posse quod patiebatur. Concurrentes fratres viderunt cœcum apertis oculis trementem & clamantem, & à præsentibus alienum, nihil, quod foris agi poterat, sentientem, eumq; in manibus leuauerunt, atq; ante altare S. Andreæ Apostoli proiecerunt, ipsiq; pro eo in oratione prostrati sunt. Qui statim ad se reuersus, quid passus fuerat, confessus est. Quia senex quidam ei apparuit, & canem nigrũ ad eum dilaniandum dimisit, dicens. Quare fugere voluisti de monasterio isto? Cumq; euadere de canis morsibus nullo modo potuissem, venerunt quidam monachi, & eundem senem pro me rogauerunt. Qui statim iussit canem abscedere, & ipse ad me reuersus sum. Qui etiam confessus est, quia eo die, quo ista pertulit, consilium habuerat de eodem monasterio fugere.* Adiungit ibidem & Tertium. *Alius, in quiens, quoq; monachus discedere de eodem monasterio latenter voluit, cumq; hoc mente tractasset, voluit Oratorium ingredi, sed statim dæmonio traditus vehementissimè vexatus est. Relinquebatur verò à dæmonio, si extra oratorium stetisset, & nihil patiebatur aduersi. Si verò conatus fuisset ingredi. statim maligno spiritui traditus vexabatur. Cumq; hoc sæpius fieret, culpam suam confessus est, quia egredi de monasterio cogitabat. Tunc collecti pro eo fratres sese per triduum in precibus astrinxerunt, atq; ita curatus est, vt ad eum postmodum nunquam spiritus malignus accederet. Dicebat autem se eundem beatum Apostolum, dum vexaretur, vidisse, seq; ab eo increpatum esse, cur voluisset abscedere?* Plura exempla habes in B. Petro Damiani Cardinale. vt lib. 2. epist. 15. & lib. 4. epist. 17. Et lib. 5. epist. 16.

Id. lib. 9. ep. 38.

XI. Remed. Est Pœnitentia & conuersio. Sic enim Dominus Deus loquitur ad Prophetam Ieremiam. *Hæc dicit Dominus. Nunquid, qui cadit non resurget, & qui auersus est, non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa?* Et infra. *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* His verbis hortatus B. Basilius virginem ipsam ad conuersionem, subiungit. *Nos ad pœnitentiam vocans diuini verbi doctrina clamat. Est via salutis, si velimus. Fidelis Dominus in omnibus*

Ierem. 8. 4. vers. 19.

B. epist ad virg. l. Isai. 2. 18.

sermonibus suis, non mentitur, dixit. Si fuerint peccata vestra velut pannus punicus, sicut niuem dealbo. Si verò fuerint velut coccinũ, velut lanam inalbabo Paratus est magnus ille animarũ medicus sanare afflictionem tuã. Illius

Matth. 9. 12. Luc. 15. 4. *verba sunt. Illius dulce ac salutare os dixit. Non opus habẽt valẽtes medico, sed male habentes. Non veni ad vocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Vult Dominus purgare te à plaga maligni. Quærit te pastor bonus, relictis ouibus non errantibus. Si commiseris ipsi teipsam non cunctabitur te ille hominũ amator humeris propriis portare, gaudens, quod reperit ouem suam deperditam. Stat ille pater, & expectat tuum ab errore reditum: solummodo reuertere, & dum adhuc longe abes accurrens irruet in collum tuum, & amicis amplexibus complectetur te à pœnitentia iam purgatã, & vestem induet primariam, & addet anulum manibus, quæ mortis sanguinem abluerunt, & calceamentum addet pedibus, qui auerterunt se à via mala, ad cursum. Euangelij pacis. Et gaudij diem annunciabit suis, tum angelis, tum hominibus, & omni-*

Luc. 15. 20. Ibid. 20. *no splendido epulo celebrabit tuã salutem. Inquit enim. Amen dico vobis, quod gaudium est in cœlo coram Deo ob vnum peccatorem pœnitentem. Et si vitia verterit quis ex his, qui stare sibi videntur, quod cito assumptae es, ipse ille bonus pater pro te respondebit, dicens. Lætari oportet, & gaudere, quia hæc filia mea mortua erat & reuixit: & deperdita erat, & inuenta est.* Quanta autẽ

Ambr. c. 3. agenda sit pœnitentia describit B. Ambr. ad suam lapsam. *Pœnitentia,* inquit, *non verbis agenda est, sed & actu. Hæc autem sic agitur. Si tibi aureculos ponas, de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuũ deletum sit: te iam credas prope ipsas positam tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorũ, & stridor dentium sine fine. Cum hæc certa fide, sicut est, animo conceperis, quia necesse est prævaricatricem animã tartareis pœnis, & gehennæ ignib. tradi, nec aliud remediũ constitutum esse post baptismum, quam pœnitentiæ solatium, quantamuis afflictionẽ, quantumuis laborem subire esto contenta, dummodo ab æternalib. pœnis libereris. Inprimis omnis cura vitæ huius interimenda tibi est, & quasi mortuam te existimans, sicut es, quomodo possis reuiuiscere, cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula*

Ioel. 2. 13. *digna castigatione punienda, &c. Dicit enim Deus. Conuertimini ad me & conuertar ad vos. Conuertimini ex toto corde vestro, in ieiunio & fletu, in planctu: dirumpite corda vestra, & non vestimentũ, quoniam pius & misericors sum.*

XII. Remed. Considera, quid hominem lapsum, votorumq; suorum prævaricatorem præter iam allata antidota commouere possit ad veram & synceram conuersionem. Id non conticuit iam sæpe citatus D. Basilius, dum ita loquitur. *Multa sanè reperias in diuina Scriptura mali auxilia, multa item ex interitu ad salutem medicamenta, de morte & resurrectione mysteria, de iudicio horrendo ac æterno verba, de pœnitentia & remissione peccatorum dogmata. Innumera illa conuersionis exempla,*

Basil. ep. cit.

drachmam,

drachmam, ouiculam, filium prodigum, qui sua consumpserat cum scortis perditum & repertum, mortuum & vitæ restitutum. His vtamur mali auxilijs, per hæc animam nostram curemus. Assume in meditationem extremum diem, & anxietatem, & suffocationem, & mortis horam, & sententiam Dei vrgentem, & Angelos festinantes, & animam in his grauiter conturbatam, quæ à peccatrice conscientia amarè flagellatur, & ad ea, quæ hic sunt, miserabiliter se conuertit, & ineuitabilem longæ illius peregrinationis necessitatem. Describe mihi in mente tua vltimam communis vitæ subuersionē, cum veniet filius Dei in gloria sua cum Angelis suis. Veniet enim, & non cunctabitur, quum ve- Matth. 25. *niet ad iudicandum viuos ac mortuos, & reddendum vnicuiq; iuxta opus suum: cum tuba illa magno & horrendo sono edito excitabit eos, qui à condito seculo dormierunt, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala fecerunt, in resurrectionem iudicij, &c. Vbi bona, mala, manifesta, occulta, res, verba, cogitatus, omnia aceruatim, vt ab omnibus Angelis ac hominibus exaudiri possint, manifestè reuelabuntur. Ad hæc quales necesse est esse eos, qui male vixerunt? Vbi anima illa mergetur, quæ in tot spectatorum conspectu derepente turpitudine plena visa est? Quali verò corpore infi-* Isai. 66. 24. *nita illa & intolerabilia flagella suffert? vbi ignis inextinguibilis, & vermis indesinenter castigans, & fundum inferni tenebricosum ac horrendum, eiulatus amari, vlulatus indecorus, ploratus & stridor dentium, vbi finem non habent mala? Neq; aliqua suppetit industria, neq; ars effugiendi amara illa supplicia.* Hæc Basilius. Eadem prolixè inculcat B. Ioan. Chrysosto- Chrys. epist. 5. mus, multaq; alia Theodoro lapso, qui monasticen deseruerat, quæ lectu sanè sunt dignissima, permouereque ad pœnitentiam possunt hominem, etiam extremè de salute sua vel aliena desperantem. Tantum subiiciam exempla quatuor illustria ab eodem non longè à fine commemorata.

EXEMPLA B. IOAN. CHRYSOST.
contra desperationem Apostatarum.

NARRABO tibi, THEODORE, quæ nostris contigere temporibus I. Exempl. *& quorum ipse testis esse valeo. Noui iuuenem illum filium Vrbani, qui continuo à teneris vnguiculis absque custodia legitimæ educationis fuit, Dominus autem multarum rerum, pecuniarum, ministrorum, agrorum. Is cum dixisset, quam sit oblectatus consuetudine rei musicæ, depositio illo splendidissimo amictu, totoq; huius vitæ fastu, repente pallio se viliore contexit, ad montes, ad solitudinem secessit, egregiamq; exhibuit Philosophiam, non iuxta illius ætatis modum, sed qualem posset vir quispiam admirabilis & excel-*

& excellens: deinde ad sacra mysteriorum sacerrima idoneus reputatus magnam accessionem virtuti adiecit. Omnes gauisi sunt impensè, Deumq; glorificarunt, quod in affluentia delitiarum enutritus, clarus ex progenitoribus, & admodum adolescens, cunctam huius vitæ phantasiam fucatamq; felicitatem semel conculcasset, & euasisset ad verum virtutis fastigium. Cum esset eo loci constitutus, & iure suspiciendus, ecce corruptores quidam existimantes id esse præter dignitatem generis, iterum illum in pristinos fluctus abduxerunt. Reiectis enim cunctis vitæ religiosæ ornamentis à montibus in medium forum se contulit, & equis vectus, & magno stipatus famulitio totam vrbem obiuit, neq; sapere, neq; temperatè viuere libuit: nimis enim deliciis incalescens in absurdos amores ceu nolens propellitur. Nemo erat ex cœtu conuersantium, qui non putaret de ipsius salute actum esse tantum ei examen adulatorum cohæsit: cui accesserunt, carentia parentum, iuuentus, multa opes. Qui omnia calumniari solent, hominem traduxerunt eo nomine, quod à spiritualibus defecisset, inutilis futurus & rei familiari, quod superiori tempore eloquentiæ deditus retulisset pedem, illicq; nihil fructus valuerit consequi. Cum esset itaq; multo suffusus pudore, quidam sancti viri, qui sæpe in tales belluas impegerant, & experientia docti erant, spe diuina munitis nunquam esse desperandum, obseruarunt eum assiduè, visumq; in foro accesserunt, complexiq; sunt: quos ille initio, velut è sublimi equo insidens alloquebatur contemptim; tanta erat primum impudentia hominis. At illi misericordes non ita multum ea contumelia mouebantur, in vnum illud figentes obtutum, vt quacunq; via agnellum lupo subtrahant, quod & callidè perfecerunt. Siquidem tandem velut obstupescens intra se abreptus est, cæpitq; assiduam eorum curam reuereri, & cum quadam vice vel procul obuiam factos iterum conspexit, ab equo cito desilyt, & oculis in terram deiectis cum multo silentio, quæ ab illis agerentur, auscultauit, propiorq; factus maiori pudore suffundebatur, & honorem debitum eis exhibuit. Atq; ita lapsum paucis diebus diuinæ gratiæ reddiderunt, retibusq; omnibus expeditis in pristinam tranquillitatem asseruerunt. In tantam autem lucem emicuit, vt superiorem vitam, quæ post casum peracta est, incessens, homo nihili videretur. Cum enim probè perspexisset, quæ sit malorum esca distribuit in egentes opes omnes, eo facto se à noxijs curis exonerans omnem occasionem, qua petuit insidias tendere, abscidit. Viam quæ ducit ad cœlum incedens ad apicem virtutis iam dudum penetrauit, En ille, cùm esset iuuenis, excidit, & iterum surrexit. Alius quispiam post multos sudores eremiticæ conuersationis, cui duntaxat vnus fuit conuictor, cum quo vixit planè angelicam vitam ad senectam vsq; perseuerans. Is aliquando ex versutia diaboli velut oscitans, ac remissior factus accessum maligno dedit, & lapsus est cum muliere se commiscendo, qui nunquam viderat mulierem à tempore monastices suscepta.

II.

Is primò

Is primò à contubernali petijt carnes & vinum, adiectis minis, nisi impetraret, se in forum perrecturum; quod dixit non tam desiderio carnium, quam vt prætextum captaret adeundi vrbem. Commilito veritus maius malum, assensit. Sed postquam amor sapientiæ in eo refrixit, palam professus est se debere adire vrbem. Socius, cum videret se frustra reluctari, tandem id etiam concessit, sed abeuntem, à longè secutus, obseruauit quónam deflecteret. Vidit autem intrantem lupanar, expectans foris, donec libidinem cum scorto explesset: egredientem amplexus est, & osculatus, nihil de commisso flagitio expostulando, tantum verò hortatus est, vt quoniam iam concupiscentiæ suæ fecisset satis, secum in solitudinem rediret. Erubuit ob tantam mansuetudinem homo, animoq; perculsus & compunctus ad montem socium est persecutus. Ibi vir ille se casæ inclusit, ianuaq; obserata alter panem & aquam quotidie ei præbuit: quærentibus autem de se, iussit vt responderet se somnum capere. Ita per omnem vitam in ieiunijs, precibus & lacrymis animam à sorde peccati repurgans perseuerauit. Tempore autem non multo peracto siccitas viciniam inuasit. iubetur quidam in somnis adire virum inclusum, eumq; rogare, vt oret pro siccitate tollenda. At inclusi commilito respondet inclusum diem suum obijsse. Cùm verò secundo vicini in somnis moniti essent, vt inclusum requirerent, ad casam inclusi venerunt, & quia ianua obstructa erat, parietes demoliti sunt. & cum virum reperissent, aduoluti pedibus eius obsecrarunt, vt suppetias ferret contra aridtatem. Ille primum renuit, eo quod memoria peccati sui ob oculos adhuc versaretur, sed tandem cum illi de visione sua narrassent, acquieuit, & precibus siccitatem dissoluit. Subiicit deinde tertium exemplum de adolescente, quem ducem latronum factum, & de salute sua desperantem conuertit S. Ioannes Apostolus, quod fusè commemorat Eusebius lib. 3. Eccles. historiæ, c. 22. Deniq; & quartum de Onesimo, quem *B. Paulus licet inutilem transfugam*, inquit, *& furem, non solum ipse amplexatus est mutatum in melius, sed etiam idoneum putauit, quem pœnitentem honore præceptoris dignaretur.* III. IV. Epist. ad Phil.

VIDE V. *Inconstantia. Iuramentum. Tentatio. Tepiditas spiritualis.*

VSVRA.

Remedia contra Vsuram.

I REMED. Considera, quid diuinitus inspirata scriptura tradat de Vsura vel fœneratione. ac primo quidem hortatur nos, vt libenter mutuo pecuniam, aliudue egentibus demus gratis. Sic in Deuteronomio. *Si*, inquit, *vnus de fratribus tuis, ad paupertatem venerit,* Deut. 15. 8.

non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, & dabis mutuum, quod eum indigere perspexeris. Et apud Matthæum. *Qui petit à te da ei: volenti mutuari à te, ne auertaris.* Et apud Lucam. *Si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa.* 2. prohibet mutuationem pecuniæ spe vsuræ vel lucri factam. Vt in Deuter. *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Et iterum. *Fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies.* 3. docet apud Ezechielem Prophetam, *egenum & pauperem contristantem, rapientem rapinam, pignus non reddentem, ad vsuram dantem, & amplius accipientem, aliaq; detestanda facientem morte moriturum.*

Matth. 5. 42. Luc. 6 34.

Deut. 23. 19.

Ib. 28. 12.

Ezech. 18. 13.

II. REMED. Considera sententias SS. Patrum. S. Cyprianus causas persecutionis exponens ita queritur de clero. *Non in Sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina, &c. Esurientibus in Ecclesia fratribus non subuenire, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis eiusmodi mereermur? cũ iam pridem præmonuerit, ac dixerit censura diuina. Si derelinquerint legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: si iustificationes meas profanauerint, & præcepta mea non obseruauerint, visitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum.* S. Basilius homilia altera in Psal. 14. *Propheta* (Dauid) inquit, *perfectum plene hominem describens, inter eius præclarè facta illud quoq; annumerauit, quod pecuniam suam non dedit ad vsuram. Quod vtique vitium in plurimis scripturæ locis vituperari videtur. Nam Ezechiel in maximis ponit malis fœnus, vt plus quam sortem accipere, & lex illud luculenter prohibet, dicens. Non fœnerabis fratri tuo, & proximo tuo. Et rursus ait. Fœnus super fœnus, & dolus super dolum: & de ciuitate in multitudine malorum deprehensa quid ait Psalmus? Et non defecit de plateis eius vsura & dolus. Enimuerò inhumanitas est maxima, si is, qui egestate premitur, mutuum ad vitæ subsidium quærat, dans verò minimè sorte contentus ex miseri calamitate prouentus & opes sibi excogitet.* Et infrà. *Genus hoc auaritiæ, τόκος, id est, partus ob multiplex, vt existimo, mali germen nominatur, aut forte ob mœrores anxios, qui in mentibus fœnore grauatorum gignuntur. Sicut enim dolores parienti, sic tempus statutum debitori existit fœnus supra fœnus, malorum parentum mala soboles. Hi sanies vsurarum rectè genimina viperarum dicuntur. Viperas enim dicũt ventre materno perroso nasci: sic item fœnora ad debitorum domos absumenda nascuntur.* S. Ambr. in lib. de Tobia. *Vsuram quoq; ab vsu arbitror dictã, quod vt vestes vsu, ita vsuris patrimonia scindantur. Lugubre cera prima*

Psal. 88. 31.

Basil.

Psal. 14. 5.

Ezech. 18. 17.

Psal. 54. 12.

Ambros. c. 13.

littera

litteras sonat, parturit vox doloris est. Quid ibi potest esse boni, quod à dolore incipit, & ab obligatione? Lepores ferunt generare simul & educare, & cõtinuo parturire. Istis quoq; anaglypharijs vsurarũ generatur, & supergeneratur vsura, enutritur ac nascitur, & nata iam parturit. Et infrà. *Crescit semper pecunia, otiũ nescit auaritia, vsura ferias. Omnes, inquit, torrentes vadunt in mare, & mare non adimpletur. Mare istud fœnerator est. Omniũ patrimonia tanquã fluctus absorbet, & ipse nescit expleri. Mari tamen plerique vtuntur ad quæstum, fœneratore nemo vtitur, nisi ad dispendiũ.* Et rursus. *Et quia plerique* cap. 14. *refugientes præcepta legis, cum dederint pecuniã negotiatorib. non in pecunia vsuras exigunt, sed de mercib. eorum tanquã vsuram emolumenta percipiũt, ideò audiãt, quid lex dicat. Neq; vsuram, inquit, escarũ accipies, neq; omnium rerum, quas fœneraueris fratri tuo. Fraus enim ista & circumscriptio legis est, & non custodia. Et putas te piè facere, qui à negotiatore velut mutuum suscipis? Inde ipse fraudem facit in mercium precio, vnde tibi soluit vsuram. Et esca vsura est, & vestis vsura est, & quodcunq; sorti accedit, vsura est. Quod velis ei nomen imponas, vsura est.* S. Ioan. Chrysost. in Genes. *In his sensibi-* Chrys. hom. 42. *libus pecunijs prohibuit Dominus, ne quis vsurã acciperet. Quam ob causam? quia vterq; magno damno afficitur. Nam debitor quidem inopia atteritur: creditor autem augens diuitias, & peccatorum accumulat sibi multitudinem. Proinde ab initio olim Iudæis crassioribus tale dedit præceptum, dicens. Non fœneraberis fratri tuo & proximo tuo. Qua igitur excusatione digni erunt,* Deut. 23. *qui Iudæis sunt inhumaniores, & post gratiam, & tantam à Domino misericordiam, inueniuntur his qui sub lege fuerunt inferiores, imò peiores?* Et in Matthæum. *Nihil præsenti vsura turpius, nihil q; crudelius. Siquidem huius-* Id. hom. 5. *modi fœnerator negotiatur aliena discrimina, & vberiores quæstus de alterius infelicitate consequitur: atq; insuper quasi pietatis mercedem reposcit velut metuens, ne immisericors forte videatur: cum profecto prætextu miserendi, atq; opem ferendi maiorem misero foueam crudelitatis effoderit, specie iuuandi atterens inopem, ac manum porrigendo deijciens, & quasi in portum ex tempestate suscipiens, sed improuiso turbine in multo magis crudele naufragium velut inter scopulos ac latentia saxa demergens.* Et Auctor operis Id. hom. 11. imperfecti in Matthæum. *Similis est pecunia vsuraria aspidis morsui. Sicut enim qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnum, & sic persuauitatem soporis moritur, sic & qui accipit sub vsuris, pro tempore delectatur quasi qui beneficium acceperit, & sic per suauitatem beneficij non sentit, quomodo captiuus efficiatur. Nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit, & corrumpit sic vsura per totas facultates eius discurrit, & conuertit eas in debitum. Sicut enim fermentum modicum, quod mittitur in multam farinam, totam conspersionem corrumpit, & trahit illam, & facit illam totam fermentum: sic cum vsura in domum alicuius intrauerit,*

totam substantiam eius ad se trahit, & conuertit in debitum. S. Aug. ad Macedonium. Quid dicam de vsuris, quas etiam ipsæ leges & iudices reddi iubent? An crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diuiti, quàm qui trucidat pauperem fœnore? Hæc atq; huiusmodi malè vtiq; possidentur, & vellem vt restituerentur, sed non est, quo iudice repetantur. Et in Psalm. 33. Quam detestabile sit, & quam odiosum, quam execrandum esse fœneratorem, puto quia & ipsi fœneratores nouerunt. Si fœnaueris homini, id est, mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plus quam dedisti expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plus quàm dedisti, siue illud triticum sit vel vinum, siue oleum, siue quodlibet aliud, si plus quam dedisti expectans accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus. S. Hier. in Ezechiel. Putant quidam vsuras tantum esse in pecunia, quod prouidens diuina scriptura omnis rei aufert superabundantiam, vt plus non recipias, quam dedisti. Item alij pro pecunia solent munuscula diuersi generis accipere, & non intelligunt scripturam vsuram appellare & superabundantiam quicquid illud est, si ab eo quod dederint plus reacceperint.

Aug. ep. 54

Id. conc. 3.

Hier. in c. 18.

Exod. 18. 17.

III. REMED. Si magna veri lucri cupiditate ardes, conuerte vsuram illicitam in licitam, temporalem in spiritualem, de qua Salomon in Prouerbijs. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei. Huius antidoti contra auaritiam fœneratorum S. Patres meminerunt. S. Basilius loco supra citato. Quando, inquit, pauperi daturus es mutuum in Domini gratiam, nihil inde speras ipsum & donum & fœnus est. Donum quidem, quod à paupere non speres recepturum: fœnus verò ob Domini munificam liberalitatem pro illo reddentis, qui parua quidem per pauperem cum acceperit, maxima pro ipsis retribuet. Qui enim pauperis miseretur, Deo fœnerat. Si quis in ciuitate diues tibi pro alijs spondeat, fideiussionem illius accipis, Deum verò non admittis tam multa se persoluturum pauperum causa pollicentem? S. Ambr. de Tobia. Sed fœneratorum vos delectat & vsurarum vocabulum. id quoq; non video. Docebo quomodo boni fœneratores esse possitis, quomodo bonas quæratis vsuras. Dicit Salomon. Fœnerat Domino, qui miseretur pauperi, secundum autem datum eius retribuet ei. Ecce bonum fœnus de malo factum est. Ecce irreprehensibilis fœnerator, ecce vsura laudabilis. Nolite ergo iam inuidentem me vestris commodis æstimare. Putatis quod hominem subtraham vobis debitorem? Deum prouideo, Christum surrogo, illum demonstro, qui vos fraudare non possit. Fœnerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis. Ille astringitur, & tenetur, ille scribit, quicquid egenus acceperit. Euangelium eius cautio est. Quid dubitatis dare? S. Aug. Quid ergo, inquis, facio, vt sim vtilis fœnerator? Attende, quid facit fœnerator. Minus vult dare certè, & plus accipere. hoc fac & tu. Da modica, accipe magna. Vide quàm latè crescat fœnus

Prou. 19. 17.

Basil. in Ps. 14.

Ambr. c. 16.

Prou. 19.

Aug. in Psal. 33.

fœnus tuum. Da temporalia, accipe æterna. da terram, accipe cælum. Et cui dabo, forte dicis? Ipse Dominus procedit, quem fœneres, qui tibi inhibebat, ne fœnerator sis. Audi scripturam, quomodo fœneres Dominum. Fœnerat, inquit, Dominum, qui miseretur pauperis. Non enim eget à te Dominus, sed habes alium qui à te egeat. Illi porrigis, ille accipit. Non enim habet pauper, quod Prou. 19. *tibi retribuat, &c. Ecce Deus tibi de scriptura sua dicit. Da, securus esto, reddam. Quomodo solent dicere fideiussores? Quid dicunt? Ego reddo, ego accipio, mihi das. Putamus nè & hoc dicit Deus, ego accipio, mihi das? Planè si Deus Christus, quod non dubitatur, ipse dixit. Esurivi & dedistis mihi manducare, &c. Cum vni, inquit, ex his minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Eia auare fœnerator, vide quid dedisti, vide quid accepturus es. Si dedisses paucam pecuniam, & ille cui dederas pro parua pecunia tua daret tibi magnam villam incomparabiliter amplius valentem, quàm tu pecuniam dederas, quantas gratias ageres, quanta lætitia tollereris? Audi quam possessionem det,* Matth. 25. *quem fœnerasti. Venite benedicti patris mei, Quid? quod dedistis? absit. Terrena dedistis, quæ si non dedisses, in terra putrescerent. Sed, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi.* Similia habes in Chry. hom. 24. & 53. ad populum Ant.

IV. Remed. Considera fœneratorum mores, fraudes, nequitiam à SS. Patribus descriptos. S. Bas. *Auarus, inquit, videns inopem* Bas. in Psal. 14. *necessitate coactum ad genua sua supplicem procumbentem, flecti nescius perstat implacabilis, & nec precibus vincitur, nec lacrymis mollitur. Iurat insuper se omninò carere pecunia, & quærere, si quem ipse fœneratorem inueniat, & in humanæ mercaturæ impudens periurium addit. Postquam verò perspicit miserum illum meminisse fœnoris supra sortem, subridere incipit, familiarem & amicum appellat. Videamus, inquit, sicubi relictum est nonnihil argenti depositi. Hac itaq; commentitia simulatione vbi ineſcauit miserum, & litteris obstrinxit super eo fœnore confectis inde se proripit.* Eodem modo Amb. de Tobia c. 3. & 6. describit fœneratorem B. Amb. & multo post addit. *Nihil nequius fœneratoribus, qui lucra sua aliena damna arbitrantur: aucupantur haredes nouos, adolescentulos diuites explorant per suos, adiungunt se, simulantes paternam & auitam amicitiam, volunt domesticas eorum cognoscere necessitates. Si quam causam inuenerint accusant verecundiam, pudorem arguunt, quod non ante desesperatum atq; præsumptum. Sin verò nullos laqueos alicuius necessitudinis offenderint, intexunt tabulas, aiunt nobile prædium esse venale, amplam domum, accumulant prouentus fructuum, annuos reditus exaggerant, hortantur vt coemant. Similiter faciunt pretiosas vestes, & monilia nobilia prædicantes. Neganti se habere pecuniam, ingerunt suam, dicentes. Vtere vt tua: de fructibus emptæ possessionis precium multiplicabis, debitum reddes. Prætendunt alienos fundos adolescenti, vt eum suis expo-*

lient, tendunt retia. Simul vt indagine cincta sepia fuerit ingressus, tagum eum in retia cautionum, laqueos vsurarum, petunt sibi obligari aut in pretorium, paternum sepulchrum, præstituitur dies solutioni, dissimulatur conuentio, quando potest solutio sustineri; vbi satis securum reddiderint, repente ingruunt, & instant vehementius, causanti incumbunt dicentes: Tu possides tua prædia, nos nostram pecuniam non habemus. aurum dedimus, lignum tenemus. tibi fructuum emolumenta procedunt, nobis nihil accrescit pecunia. Otiosa causatio est, saltem renouetur chirographum.

Id. c. 7. V. REMED. Considera pericula & damna accipientis mutuo pecuniam, & damna à fœneratore. Nam idem B. Amb. statim subiicit ibidem. *Itaq; dum primum adolescens nihil putat de vestibus suis, aut possessionibus esse vendendum, ad hæc facienda poscit dilationem. Vsura applicantur ad sortem, accumulantur centesimæ. Iam suspirare incipit, iam malum suum agnoscit. die ac nocte vsuram cogitat: quicquid occurrerit fœneratorem putat: quicquid crepuerit, vocem sibi videtur fœneratoris audire. Si habes, cur non soluis? si non habes cur malum malo adiungis, & de vulnere remedium quæris? Cur quotidie obsidionem pateris fœneratoris? expugnationem times? vetus sententia est. Fœneratoris & debitoris, inuicem sibi occurrentium prospectum amborum facit dominus. Alter quasi prædam requirit, alter quasi feram prædonem declinat. Ille quasi leo quærit quem deuoret, iste quasi bos iuuenculus prædonis impetum reformidat. Ille quasi accipiter vnguibus olorem quærit inuadere, iste quasi anser aut fulica mauult se vel in prærupta deiicere, vel in profunda demergere, quam istum humani corporis accipitrem sustinere. Quid quotidie fugis? Etsi non occurrat fœnerator, occurrit tibi inopia tanquam bonus cursor.* Et paulo post. *Si quis pulsauerit nocte, fœneratorem putas sublecto, Illico si quem subito intrare senseris, tu furi exilis. Canis latrat, & cor tuum palpitat, sudor effunditur, anhelitus quatitur, quæris quid mentiaris, vt fœneratorem differas & cum dilationem impetraueris, gaudes. Fœnore tuo simulat se fœnerator grauari, sed libenter impertit, quasi venator, qui feram cinxerit, securus prædæ.* Et infra. *Denig; vbi tempus impleueris sicut lupus nocte irruit. dormire non sinit, ex lecto ad publicum trahit aut tabulis venditionis cogit subscribere. Vt fureris pudoris dispendium subscribis illico, venditurus aui tum sepulchrum. Paternæ sanè vt parcatur aliquid verecundiæ, emitur ieiunium solum, iactatur quod infœcunda vendiderit, dispendiis onerauerit debitorem. Mox & laudata venduntur, & inferuntur iam non instrumenta sed vincula. Tamen adhuc quærendi fideiussores. Tribuuntur inducie, non vt prædam libertatis inueniat, sed vt consortem seruitutis adiungat, qui se societ ærumnoso. At quid iuuare potest alienæ calamitatis accessio. Iam & amici fugiunt, conuiuæ non recognoscunt. Ipse quoq; conspectus omnium refugit, redit mortem optans, cogitans eam sibi, si*

ignoret-

moreretur, quietè inferre. Deinde miserandũ subiicit exemplum, quod S. Basilius quoq; loco citato recitat. *Vidi ego,* inquit, *miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito in auctionẽ deduci, & teneri calamitatis hæredes, qui non essent participes successionis & hoc tam immane flagitiũ non erubescere creditorem. Instat, vrget, addicit. Mea, inquit, nutriti pecunia pro alimonia seruitutem recognoscant, pro sumptæ licitationem subeant. agitetur hasta de pretijs singulorum. non immeritò hasta agitatur, vbi caput quæritur: non immeritò ad auctionem peruenitur, vbi sors poscitur. Hæc est fœneratoris humanitas, hæc debitoris stultitia, vt filiis quibus non reliquit pecuniam, libertatem auferat pro testamento chirographum dimittat, pro emolumento hæreditatis, syngraphã obligationis.* Cap. 8.

VI. Remed. Considera similiter pericula & damna fœneratoris mutuo dantis sub vsura, quæ in Matthæum depingit Ioan. Chrysost. Ostensurus enim maiorem laborem in vitiis quam virtutibus exercendis impendi. *Quid enim,* inquit, *difficilius, quam fœnerari? & pro vsuris, vel aliis commutationibus vehementer solicitum vades quærere, & modò de pignoribus, modo de sorte, nunc de calculis, nunc de vsuris, nunc de vadib. ipsis formidare? In his enim secularibus etiam subtilis fideiussionum securitas suscepta fragilis est.* Et post. *Nescis quot homines sortem amiserunt fœnoris expectatione, quot in pericula deciderunt, quoniam ampla desiderarunt fœnora; quod tam seipsos, quam alios in vltimam deuoluerunt paupertatem propter nimiam auaritiam? Noli enim mihi dicere, quæso, quia gaudet & gratiam habet* (debitor) *quod sibi fœnore pecuniam colloces, id enim crudelitate tua coactus fecit.* Et rursus. *Nunquam rebus suis iucundè vtitur fœnerator, nec lætatur, quoniam habet, sed quando sibi fœnus collatum est, non tam gaudet quod additio facta sit, quam mœret, quod nondum vsuræ sortem adæquarunt: ac ideo antequam perniciosus iste fœtus perfectior edatur, cogitur alium fœtum producere: ita fœnora in sortem redire compelluntur & immaturum ac abortiuum partum parere viperarum. Tales certè isti fœtus pecuniarum sunt, vt magis miserorum animas corrodant, quàm illæ feræ aluos parentum soleant lacerare Hæc iniustitiæ vincula sunt, hic fasciculus violentarum commutationum.* Et iterum. *Ea de causa pecuniis abundas, vt paupertate homines liberes, non vt in paupertatem intrudas, & verò simulatione solaminis maiores facis ærumnas, & liberalitatem vendis fœnore. Vendas licet, si vendis regno cœlorũ, nec centesimã partem abiectum & certe minimum liberalitatis pretium, sed vitam rapis immortalem. Quid ita pauper & egenus es, ita pusillanimus, vt paruo magna, & caducis pecuniis liberalitatem vendas, cum possis æterno regno vendere? cur omisso Deo humano lucro solicitaris? cur diuitẽ transcurristi, & pauperi adhæres? reliquisti eum qui reddere potest, et ingrato ac inopi loqueris? Ille restituere* Chry. hom 51.

desiderat,

desiderat, hic non reddet nisi coactus: hic vix centesimam partem, ille centuplum & vitam æternam: hic conuitio & contumeliis, ille singulari & præcipua laude: hic inuidiam multorum in te suscitat, ille immarcessibiles tibi coronas connectit: hic deinde vix in hac vita, ille tam in hac vita, quàm in futura. Putasnè igitur extremæ non esse amentiæ sic lucrari?

VII. REMED. Considera grauitatem pœnarum solo iure humano in fœneratores decretarum. Ecclesiastico certe iure illis inflictæ sunt decem. 1. quod à communione arceantur, licet non sint excommunicati omnino. 2. quod destituantur Ecclesiastica sepultura, si ante mortem vsuras non restituerint, vel de restituendo idoneam dederint cautionem. Et quod, qui eos sepeliunt, sint de facto excommunicati. 3. quod oblationes eorum in Ecclesia non recipiantur, & qui receperint, maneant suspensi ab officio, & reddere debeant quicquid est receptum. 4. quod publicè ad sacramentum pœnitentiæ non sint recipiendi, nisi restituerint, vel idoneam de restituendo cautionem dederint, excepto solo articulo mortis. 5. quod eorum testamenta ipso facto sint irrita nisi restituerint, vel idoneam cautionem dederint. 6. quod nullus interesse possit testamento vsurarii. 7. vt nullum Collegium, Vniuersitas, persona nulla vsurarios alienos, id est, non ex sua terra oriundos admittat, sed teneantur omnes locorum Domini tales expellere. Et qui secus fecerint, si est Episcopus, vel eo superior, ipso facto sit suspensus: si inferior clericus, ipso facto sit excommunicatus: si secularis, compelli debeat à magistratu Ecclesiastico censuris Ecclesiasticis. Si autem est collegium, vel vniuersitas, incurrat pœnam interdicti. 8. Vt vsurario non detur actio repetendi vsuras, quas aliis soluit, nisi prius ipse restituat, quas ab aliis extorsit. 9. quod sint infames. 10. quod eis non sit parcendum, etiamsi bonis cesserint, aut mendicare debeant. Neque mirari debes tantas pœnas vsurariis inflictas, quia non solum sacri, sed etiam Ethnici Scriptores eos pro nequissimis hominibus habuere. Aristoteles in politicis ait vsuram prorsus cum naturæ legibus pugnare. Cato Censorius, teste M. Tullio, rogatus, *quid esset fœnerari?* respondit. *Quid hominem occidere?* Augustinus quoque ad Macedonium scripsit *trucidari pauperem fœnore.* Imò Christus comparauit eos latronibus, cum euersis in templo numulariorum, (quos vsurarios fuisse notat in Matthæum Hieronymus) mensis, dixit. *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* S. Basilius & Chrysostomus comparant eos pro-

c. quia in omnibus tit. de Vsuris.
Clem. eos. de sepult.
c. quanquam. 6. de Vsur.
c. 1. ibid.
c. Michael. de Vsur.
c. infames 3. q. 7.
Ar. 1 pol c. 7.
Cic. 2. offic.
Aug. ep 54.
Matth. 21. 12.
Basil in Psal. 14.
Chry hom. 5. in Matth.

eos prodigiosis monstris. S. Ambrosius vult nihil illis esse nequius & à doctoribus æquari diabolo. Amb. de Tobia. c. 4 & 6.

VIII. REMED Cosidera exempla eorum, qui diuinitus ob vsuras castigati sunt. Terna refert Thomas Cantipratanus in Apiario. Cantip. lib. 2. c. 3. *In porta frontis Ecclesiæ Cathedralis in Gallia (vt didici fratre Minore referente) imago Vsurarii sculpta de lapide desuper quasi cum sacculo pecuniæ euidentius præeminet. Vt autem quidam maximus ac ditissimus vsurarius ciuitatis Ecclesiam quadam vice perportam debuit intrare, imago prædicti vsurarii desuper cadens capiti intrare conantis illisit, & repente contritus turpiter expirauit.* Et mox addit alterum. *Vidi & ego ipse in Brabantiæ partibus vsurarium nequam valde, qui multos nobiles & potentes exhæredauerat & pauperes spoliauerat supra modum. Hic frequenter occurrens religiosis, rogabat quasi cum lacrymis prose orari, sed in nullo penitus se correxit. Cumq; super hoc eum frequentius arguissem, nec tamen in aliquo profecissem, accidit vt repentina infirmitate correptus ad exitum propinquaret: & ecce subito duo ingentes tenebrarum canes lectum iacentis circuitibus ambiebant. Ipse verò protracta lingua ad longitudinem prope pedis dehiscens, horribiliter expirauit.* Tertium sit. *Accidit nostro tempore, vt certissima relatione di-* Id. l. 2. c. 26. *dicimus in Vacellensi monasterio, vt congesta cuiusdam defuncti fœneratoris de Atrebato pecunia in ipso cœnobio seruaretur. Igitur die quadam cum ille famosissimæ sanctitatis monachus Walterus de Beaumont iuxta scrinium, in quo pecunia seruabatur, oraret, desuper diabolum sedere vidit. Territus autem ad horam, sed signo crucis munitus, interrogat. Quid hic sedes, quid hic expectas nequissime humani generis inimice? Cui ille. Bene, inquit, & iustè hic sedeo, hoc quod meum est conseruando. Nec mora, monachus ad Abbatem currens, quid vidisset, exponit: Abbas verò in Atrebatum pecuniam cum omni velocitate remisit.* Quartum refert Cæsarius in libris miraculo- Cæs. lib. 11. c. 39. rum. *In ciuitate,* inquit, *Metensi sicut mihi narrauit Abbas quidam Ordinis nostri, vsurarius quidam defunctus est, auarus nimis. Qui cum moriturus esset supplicauit vxori suæ vt crumenam denariis refertam iuxta se poneret in sepulchrum. Quod cum illa fecisset, quanto secretius potuisset, tamen latere non potuit. Accedentes ergo aliqui sepulchrum latenter aperuerunt, & ecce duos ibi conspicantur bufones, vnum in ore crumenæ, alterum in pectore. Ille denarios in ore de crumena extrahebat, iste suscipiens extractos cordi eius immittebat, ac si diceret. Nos pecunia satiabimus cor tuum insatiabile. Quibus visis illi timore perculsi terram reiicientes, fugerunt. Quid putas animam huius patii in inferno à vermibus immortalibus, si tam horrenda in eius corpore demonstrata sunt in sepulchro?* Addit paulo post quintum. *Fuit* c. 41. *in Bacheim villa proxima famosa quædam vsuraria. Hæc cum moritura esset, campum totum coruis ac cornicibus vidit repletum, & clamauit fortiter.*

Ecce modo appropinquant foris ad me: & adiecit. O væ ô væ, modo sunt in tecto, modò in domo, modò pectus meum laniant, modo animam meam extrahunt: sicq; cum vlulatu efflauit spiritum, à dæmonibus ad inferos educendum: qui eadem nocte corpus de feretro, multis qui aderant videntibus tollentes vsque ad tectum leuauerunt, & cum trabi impingerent, iuxta limen ostii illud cadere sinentes, confregerunt. Extincta sunt luminaria, fugerunt homines mane in iam dicto loco corpus reperientes, quod bestiali sepulture tradiderunt. Sextum sit sancti Bern. Senensis. *Legitur,* inquit, *de vsurario quodam post splendidam cænam cum dormiret in lecto cum vxore sua subito expergefactus exilierit de lecto: cum autem ab vxore sua, quid haberet interrogaretur, ait. modo raptus fui ante iudicium Dei, vbi tot & tàm terribilia sunt opposita contra me, quod nec sciui, nec potui respondere: cumq; fuerim diu ad pœnitentiam expectatus, nec hucusq; volui diuinis præceptis, & bonis inspirationibus obedire. Audiui nunc iudicem contra me sententiam protulisse, nec q; datum audiui potestati dæmonum, qui me hodie ad æterna supplicia asportare debeant. Quo dicto de pertica vili veste assumpta domum rabido cursu egressus est: quem sui hinc inde quærentes, in quodam monasterio monachorum matutinum cantantium inuenerunt. Cunctis igitur eum ad pœnitentiam inducentibus, nec proficere valentibus, ratione, aut exhortatione, vel precibus custoditus est diligenter vsq; ad sextam horam. Deniq; cum eius consanguinei domum illum reducere vellent, & ad quendam fluuium, per cuius pontem transituri erant peruenirent: viderunt nauim quandam rapido cursu ascendentem à nullo, vt videbatur, conductam: sed ab vsurario plena dæmonibus visa est, qui, vt ait, ideo venirent, vt eum ad æterna supplicia asportarent. Quo dicto, statim violenter de manibus eorum à dæmonibus rapitur, & in nauem proiicitur, & cursu rapido retracta, subitò disparuit cum dæmonibus & præda, præfata nauis.*

S. Bernardin. serm. 43. art. 3. c. 3.

IX. Remed. Pro fœneratoribus, qui queruntur si non fœnerentur, se non habituros, vnde viuant. *Audent etiam fœneratores,* inquit B. Augustinus, *dicere. Non habeo aliud, vnde viuam. Hoc mihi & latro diceret deprehensus circa parietem alienum; hoc mihi & lano diceret, emens puellas ad prostitutionem: hoc & maleficus incantans mala, & vendens malitiam suam. Quicquid tale prohibere conaremur, responderent omnes, quia non haberent, vnde viuerent, quia inde se pascerent: quasi non hoc ipsum in illis maximè puniendum est, quia artem nequitiæ delegerunt, vnde vitam transigant, & inde se pascere volunt, vnde offendant eum, à quo omnes pascuntur.* Et B. Chrysostomus in Matthæum. *An forte modi iustè viuendi non inueniuntur? Num sunt agrorum cultus, gregis pabula, armentorum custodia, manuum operatio, solers rerum tuarum cura? Quid insanis, quid cespitas agricultura spinarum occupatus. Sed aduersantur, inquies,*

Aug. in Psal. 128

Chry. hom. 57.

quies, frugibus terræ multa, grando, rubigo, imbres copiosi. Sit sane, non tamen tot tantaq; illis contraria sunt quot fœnori. Quicquid enim accidit, fructui solummodo nocet: fors autem, id est, ager semper inuiolabilis remanet. In hac vero tua mercatura multi sortis etiam naufragium pertulerunt, & antequam detrimentum patiantur, continuis curis vexantur. Et S. Basilius Bas. serm. 2. in psalmum 14. Quomodo, inquis, nutriar? *Habes manus, habes artem, fac aliquid vnde mercedem capias, ministerium cuipiam exhibeto stipis emerendæ gratia. Multæ sunt excogitatæ parando victui exercitationes, occasiones multæ. Atqui vires non suppetunt ferendo labori idoneæ? Ne corrogare ac petere pigeat te ab opulentis possessoribus. Verum turpe, inquis, rogare? Turpius verò accepto fœnore omnibus spoliari. Non omninò dando leges, hoc ego dico sed ostendens omnia tibi tolerabiliora esse, quam fœnore inuolui. Formica potest, neq; rogans neq; mutuo accipiens, nutriri: & apes proprii nutrimenti reliquias regibus gratuito condonant, quibus nec manus, nec artes natura dedit: tu autem industrium animal, homo, vnam tantum ad vitæ vsum viam reperire nescis?*

X. Remed. Pro mutuatariis, qui quæruntur se vitam tolerare non posse, nisi mutuam pecuniam accipiant à fœneratoribus. Docent quidem Theologiæ moralis tractatores quemlibet Christianum posse necessitate aliqua vrgente accipere mutuum à fœneratore, imò extrema necessitate vrgente posse etiam alium inducere ad mutuo dandum cum spe fœnoris, id tamen S. Patres dissuadent, nominatim S. Basilius loco citato. ita enim scribit. *Dixeris tu mihi. Vrget mediocris necessitas, spe interim nulla alicunde affluente prouentus pecuniarum. Quæ quæso vtilitas ex hodierna dilatione? Rursus ad te paupertas, vt velox cursor recurret, & ipsa necessitas cum auctario aderit. Fœnus enim omnimodam liberationem, sed paruam difficultati moram præbet. Hodie patiamur ex egestate dura, & ne cunctemur in crastinum. Nam si nunc minimè acceperis simili modo fueris hodie, & reliquo deinceps tempore paupertate. Et nunc quidem nullus tibi probro dat paupertatem, cum malum sit minimè voluntarium: si autem fœnori fueris obnoxius, nemo erit qui non te soliditatis condemnet.* Et paulo post. *Quid ergò nobis ipsis opprobria ex ære alieno comparamus? nemo vulnere vulnus curat, nemo malis malo medetur, nec paupertas fœnore corrigitur. Dives es? noli mutuo sumere. Pauper es? noli item sumere, nam si nullius rei es indigus, quid tibi cum fœnore? Si verò nihil habes, non iam mutuum rependes. Noli tuam ipsius vitam seræ pœnitentiæ tradere, ne quando beatos existimes dies, qui fœnus præcesserunt. Hoc enim vno pauperes à diuitibus differimus, quod securi sumus, atq; eos vigilantes continuò nos dormientes ridemus. Qui autem debet, & pauper est, &*

Prou. 5. 15. iuxta 70.

curis anxius, ne noctu quidem indulget somno. Et rursus. *Bibe igitur miser ex tuis vasis aquam vt ait Salomon, hoc est, proprias considera facultates ac subsidia vitæ. Non ad alienos fontes propera, sed ex proprii fontis scaturigine tibi vitæ solatia collige. Habes vasa ærea, vestes, iumenta, diuersi generis suppellectilem, hæc vende: omnia denique perdere ac proiicere præstat, quàm libertatem. Sed me pudet, inquis, hæc publicare. Quid ergo, vt paulo post alius abs te eadem in medium efferat, tuorumq; bonorum auctionem faciat praeconis voce publica, & in oculis tuis vili pretio vendat? ne ad alienas fores accedas. reuera enim puteus alienus angustus. Melius est longè paulatim studia & exercitatione egestatem consolari, quàm vno simul tempore elatum alienis facultatibus paulo post omnibus simul apud te existentibus priuari. Si habes vnde reddas, cur præsentem necessitatem eorum quæ habes subsidiis non releuas? Si verò cunctaris exoluere, & hæres dubius, malum malo curas. Sumere mutuo, initium mendacii, ingratitudinis occasio, perfidiæ & periurii. Pauper es nunc, sed liber: si acceperis ad vsuram mutuum, primum per hoc non diteſces, sed & amittes libertatem.*

VIDE V. *Auaritia. Impatientia in paupertate. Munerum corruptela Negotiatio illicita. Simonia.*

FINIS.

LAVS DEO DEIPARÆQ.

INDEX

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM HOC PANARIO comprehensarum.

A.

Abraham.

ABRAHÆ mira obedientia. Pag. 192. 220. 223.

Acceptio personarum.

Acceptio personarum reprehensa. 393. 394. remedia contra illam ibid. & sequent. cur Deus non accipiat personam, & Iudices non debeant. 396. exempla eorum qui non respexere personas. 398. 399.

Acedia.

Acedia quid sit, eiusq; effectus p. 1. resistendo superanda, non fugiendo. ibid. & 404.

Adam.

ADÆ protoplasto aliquid prohibendum fuit, vt disceret obedientiam. 217. post peccatum Dei faciem timuit, quasi inimici. ibid. grauitas inobedientiæ eius. 218. in eo omnes peccauimus. 219 quot mala ex eius inobedientia secuta ibid. sola eius propria voluntas causa peccati fuit. 564.

Adulatio.

Adulatio propria est hæreticorum 3. adulari peccanti, peius est quam peccare. est insanire. ibid. lingua adulatoris plus persequitur, quàm persecutor. est similis venefico & dæmoni, peior coruo. durè exceptus à Christo. 4. laudatus ab alio, quid agere debeat. laudes despicere est Angelicæ virtutis p. 5. nemo facilè laudandus. ibid.

Adulterium.

Vide, Luxuria

Aleæ Lusus.

Aleæ Lusus vetitus, & omnia ludicra. 22. 25. 27. 279. Quot mala in eo lusu. 280. 281. aleatores diuinitus puniti. 282. 283. Legibus ciuilibus vetitus. 283. & Turcarum. 284. Scachorum lusus, an contineatur sub alea. 286.

Alex. Magnvs.

ALEX. ebrius Clytum amicissimum occidit 87. omnia habuit in potestate præter affectus. 146.

Ambitio.

Ambitioni infestus Christus. 5 ambitio describitur. 6. Eius via adoratio dæmonis. tyrannicum est vitium omnia euertens & mentem excæcans. etiam in sinu sacerdotum dormit ibid. Regnandi cupiditate nil deterius. 7. ambitio la-

bitio laborat inuidia duplici, naturæ vim parat, malorum elementum est. ibid. Episcopatum, aliasq; dignitates qui refugerint. 8.

Amor sui.

Amor sui, quid sit. 10. Repugnat caritati, omnia bona opera inquinat. Species est idololatriæ. ib. Effectus eius alij manifesti, alij occulti. 11. Abnegatio sui & amoris proprij quid sit. 12.

S. Anno.

S. ANNONIS Archiep. Colon. humilitas. 105.

S. Antonivs.

S. ANTON. Vitæ lectio quam vtilis. 95. Dydimus cæcum noluit ob cæcitatem tristari. 170.

Apostasia.

Vide. Verb. Votorum violatio.

Aquæ benedictæ virtus. 530. 531.

Arrogantia.

V. Superbia.

Astrologia iudiciaria.

V. Superstitio.

Auaritia.

Auaritia omnium vitiorũ regina, origo & radix. 13. 14. cæca est, & diabolica, idolorum seruitus, & curæ curis plena. ibid. auarus nulli bonus, sibi pessimus. 35. alienissimus ab illa Christus. ibid. Auari quomodo puniti. 16. Eorum stultitia ingens. 17.

Auersio animi.

Auersio animi ab alio cauenda. 354 355. 356. 357. 358. etiam in minimis offensiunculis. 360. 361. Venia ab offensis petenda. non tamen Dominis petenda venia à seruis. ibid. *Vide V. odium.*

Auguria.

Vide V. Superstitio.

S. Avgvstinvs.

S. AVGVST. exemplo piorum conuersus 94. eius mira frugalitas. 116. mutatione & lacrymis ad veram fidem perductus. 121. 122. noluit secum habitare vllam mulierem, ne quidem sororem.

B

Baptismus.

IN Baptismo renunciamus diabolo & pompis eius, id est, spectaculis. 469. Abrenunciandum diabolo quotidie dum domo exitur. 470.

Beatitudo.

Beatitudini æternæ labores nostri sunt impares. 470.

Benedictio.

Benedicendi mos laudatus. 299. 300.

S. Bernardvs.

S. BERN. post miracula facta humiliat. 104. 105.

Blasphemia.

Blasphemia vetita & damnata. ibid. *Nec Angelum, nec vllam creaturam licet blasphemare. 19. peior est peruersa. ibid. est grauissimum omnium peccatorum, prorsus diabolicum, proprium damnatorum, & pugnans cum ratione naturali. 20. 21 grauiter à Deo punita. 21. 22. mala vita etiam blasphematur Deus.* 22.

Bona

Bona temporalia,

Bona temporalia vel fortunæ, non nostra sunt, sed Dei. 185. Omnia vana. 481. 482.

C

Cærimoniæ.

CÆremonijs sacris conseruatur religio Christiana, & nutritur. 123.

Caro.

Caro affligenda & mortificanda est 144. 572 Eius castigatio reddit preces efficaces, valetq; ad satisfactionem. 151. & ad pellendos dæmones. 534.

Charitas.

Charitas mutua ita debet esse in communi cœtu, vt non seorsim aliqui coeãt 98 vnum plus alio diligens ostendit se non omnes perfectè diligere. 99. Charitas prælata ieiunio ab eremitis. 208 charitas proximi quam serio sit nobis cõmendata & quidem plus quam Dei. 357 prior est in ordine faciendi, licet caritas Dei præcedat in ordine præcipiendi 358. Diligendi etiam inimici. 358. nihil æquè Deum placat, ac dilectio inimicorum. 359 556. eorum dilectio etiam rationi naturali consentanea est. 549.

Choreæ.

Choreæ, & omnia ludicra Christianis sunt illicita. 25. sunt dæmonis inuentum. 26. vbi saltus, ibi diabolus, nemo saltat sobrius, nisi qui insanit. ibid & 27. ob choreas diuinitus puniti. 27. Pugnant cum Christi & Apostolorum doctrina. 28. 28. in nuptys quatenus licitæ. 28.

Christvs.

CHRISTVS quæ corporaliter fecit, voluit spiritualiter intelligi. 39 paratus fuit pro vno pati, quæ passus est pro toto hum. genere. 61. Apostolos attraxit fulgore vultus. 140. Eodem ementes & vendentes templo eiecit. ib. Quanta passus sit in vita & morte, 159. Eius exemplum omnes Sancti imitati. ibid. Christi mira patientia. 553. 554.

Clerici.

Clericorum cum mulieribus cohabitatio periculosa. 322 323. 324 325. 326. scãdalosa. 327 Et indecens 329. Pessimi eius effectus. 327. Exempla eorum, quibus nocuit 325. 332. 333. Tutius est nec cum sorore & matre habitare. 329 330 Quid agendum si necessario inuisendæ feminæ. 331. Vide V. Mulierum commoratio cum clericis vel monachis.

Cœcitas.

Cæcitas corporalis iuuat ad cauẽda peccata, 169 Philosophi effodere oculos, vt rectius philosopharentur ib. Tobias cœcus gratias egit Deo. ib. cœcus non habet causam tristandi ob cœcitatem. 170 171. S. Audomarus recuperato visu, iterũ cœcus factus est, S. Lutgardis patientia cæcitatis meruit liberationem à Purgatorio. ibid.

Cognitio sui.

Cognitio sui, quam sit salutaris. 69 est genus sapientiæ. 246. 254. 472. 483.

Colloquium otiosum.

Colloquium, quod dicatur otiosum. 28. contristat Spiritum sanctum. 29 Ioci abhorrent

abhorrent à regula Ecclesiæ 29 466. Christus quàm circumspectus in colloquis 30. Angeli intersunt pijs colloquijs ibid. Ea conuenire religiosis hominibus. 32.

Conciones.

Concionum fructus quis. 378.

Concupiscentia carnis.

V. Luxuria. & Voluptas carnalis.

Confessio sacramentalis.

Eius fructus. 379.380.

Conscientiæ Examen.

Conscientiæ examen laudatum. 11. Particulare quod sit. 150. 381. 382. 392. Consc. bonæ vis contra metum. 519.

Conscientia scrupulosa.

Conscientia scrupulosa quid sit. 32. In scrupulis consulendus inprimis est Pater spiritualis. 33. Hic quid cum scrupulosis agere debeat. 34. Conscientiæ non tantum, sed & famæ nostræ ratio habenda est. 74 93.99.

Consilium aliorum.

Consilia aliorum sæpe requirēda. 33. 204. Quales debeant esse consiliarij nostri. 248. 249. 442. Exempla nimis fidentium suo iudicio. 206. 223. 245. 246. Exempla eorum, qui secuti aliorum iudicium. 247. 248. Proprium consilium lepra pessima. 247.

Consolatio spiritualis.

Consolatio spiritualis non contemnenda. 52. iuuat ad perfectionem consequendam, licet in ea non sit perfectio. Quid differant consolatio spiritualis & carnalis. Indicia veræ consolationis spiritualis ibid. Ea est cum humilitate & reuerentia custodienda. 55. nec alijs vulganda. 56. Non est ipsa virtus, sed instrumentum ad illas assequendas. 57. Tyronibus conceditur, non perfectis. ibid. Eius finis, obseruatio diuinorum mandatorum. 58.

Constantia.

Constantiæ laudes. 196.197.&seq.

Consuetudo prava.

Consuetudo praua pænè incurabilis est. 35. 418. 446. diuina gratia tamen curari potest 35.36. quia alioquin dæmon plus posset, quam Deus. & Augustinus eam vicit. ibid. Vincitur prudentia & consilio 30. & magno labore. 38.39. dum paruula est, expugnanda est. 141.

Contemptus.

Contemptus in suo genere est peccatum mortale. 40. 218. Leuia peccata ex contemptu fiunt mortalia. 44. 390. Ex multis vitijs oritur 40. 352. Est inexcusabilis. 40. Quando ex contemptu peccetur contra regulam monasticam. 42. Ob contemptum puniti quis? 41. Nascitur ex superbia maximè. 41. Proximus gradus est ad impœnitentiam & obstinationem, quæ sunt vitia diabolica. 41.

Contentio.

Vide V. Discordia.

Continentia.

Continentia est donum Dei, & ideo oratione impetranda. 290. pro ea tuenda quidam maluere mori 298. Exemplum mirum continentiæ in iuuene Ethnico. 360.

Contumelia.

Vide V. Detractio, & Vindicatio iniuriæ.

Conui-

Conuiuia.

Conuiuia adire non est semper salutare. 88.

Crapula.

Crapula propriè est excessus venialis in potu. 90.

Crucis consignatio.

Crucis consignatio valet contra superstitiones Magicas. 491. 492. *& contra omnes tentationes dæmonis.* 506. *& superstitiones.* 524.

Cupiditates.

Cupiditates carnis vt sint coercendæ 146. 147 *Vide V. Immortificatio passionum. Et. Voluptas carnalis.*

Curiositas.

Curiositas quid sit, & quotuplex. 46. 47. *Sanatur maximè agnitione suorũ defectuum.* 51. *De curiositate in vestitu & calceis.* 137. *Et in spectaculis.* 460.

D

Dæmones.

Dæmones, Spiritus nocendi cupidissimi, superbia tumidi, inuidia liuidi, fallacia callidi. 50. *solent explorare inclinationes nostras.* 150. 506. *Exẽpla illusionum dæmonis.* 206. *insidiantur melioribus.* 406. *ad superbiam & luxuriam maximè prouocant* 528. *eorum tentationes fiducia in Deum & robore animi expugnantur.* 504. *Et oratione* 525. *Et ieiunio accasiigatione corporis* 534. 535. *Ex energumeno etiam virgis pulsi.* ibid.

David.

DAVID continentia. 147. *patientia.* 241. 552. 554.

Desolatio spiritualis.

Desolatio spiritualis non est temerè optãda. 53. *Est patienter ferenda, quia Deus eam permittit, vel probandi tui causa, vel prouehendi ad perfectionem* 54. *patientia tribulationis est cibus solidus piorum, consolatio verò lac.* ibid. *in omni afflictione animi optimum est se conformare diuinæ voluntati.* 54. 55.

Desperatio.

Desperatio reprehenditur. 59. 60. *Non est causa vlla cur desperes, quia peccata sunt numero finita, misericordia autẽ Dei infinita.* 59. 447. *peccata ad Dei misericordiam sunt vt tela araneæ.* 59. 447. 448. *Deum bonum & omnipotentem negat, qui desperat.* 60. *De nullo viuente desperandum.* 350. *nunquam sera conuersio, etiam cum iam iam anima efflanda* 59. *Exempla extractorum è desperationis faucibus.* 63. *Quid respondendum, qui putant se non prædestinatos.* 64.

Detractio.

Detractionis vitium reprehenditur. 65. *pauci illi renuntiarunt S. Bernardus vocat proditores, qui id in cœnobia introducunt.* ibid. *Aequatur homicidio: præfertur rapinæ; & fornicationi. maxima pars hominum ob eam non saluatur.* 66. *Est ferocissima vipera, tres ictu vno occidens.* 67. *Soror Moysis ob eam lepra tecta. Quo fuco quidam detrahant.* ibid. *detractor tenetur restituere famam.* 69. *Audiens detracto. rem aliquando grauius delinquit* ib. 70. *Obloquiorum occasio tempestiuè tollenda.* 100.

DEVS.

DEVS præ oculis semper habendus. 82. 83. 107. 108. Dei præsentiæ cogitatio valet ad cauenda peccata, 383. 516. Omnia ad eius gloriam facienda, 11. in eo omnis fiducia locanda. 412. 440. Eius iniuriæ acriter vindicandæ, 23. Pro eius beneficijs gratiæ agendæ mane & vesperi, 211. 518. Omnia bona fortunæ sunt Dei, 185. Inuitos non cogit ad bene viuendum. 403. Neminem deserit, nisi deseratur, 197. 250. Eius patientia mira 548. 549. Voluntas nostra eius voluntati conformanda, 563.

Dilatio conuersionis.

VIDE V. Procrastinatio.

Disciplina.

Disciplina laudes, 562.

Discordia.

Discordia quæ gignat mala, 74. Deo maximè est exosa, ib. Nec martyrio potest expiari. nihil ea pernitiosius. Locum parat diabolo, 75. nullum bonum opus discordium est gratum Deo, 77 discordes imitantur dæmonem. ibid. Nil iucundius dæmoni extinctione caritatis, 78. Discordes diuinitus puniti, ib. Diuturna discordia, vel auersio vt sit sedanda, 77.

Discretio.

Discretio laudatur, 202. 203. & seq. Est moderatrix virtutum, 204. Ea sublata virtus est vitium, ibid. Iuuat eam recta intentio, 205. necessaria quoque est in consolationibus spiritualibus, 55. 56. Qualis esse debeat in loquendo. 272. 273.

Distractio in oratione.

Distractio cauenda in precibus, 79. 80. Eius auctor est dæmon. 83. Cauetur præsentiæ Dei consideratione, Præparatione ad orationem & dolore de peccatis. 81. Potest autem semper caueri, 82. 83. Distractioni sæpe ignoscit Deus. 83

Diuinationes.

Vide V. Superstitio.

Diuitiæ.

Diuitiæ multarũ tentationum sunt causa. 174. 175. Nec spes figenda in illis. 174. Nemo alius Deo dignus ait Seneca, quàm qui opes contempsit. Magnus qui in diuitiis pauper est, sed securior qui caret illis, 177. Cur à Christo spinis collatæ. 180. Non sunt nobis propriæ, sicut nec alia fortunæ bona, 184. 185. Sunt vanæ, 481. 482.

Doli & fraudes.

Doli reprehensi, 125. 126. Doli quidam ſſ. 132.
Vide V. Hypocrisis & V. mendacium.

E.

Ebrietas.

EBrietatis effectus praui, 85. 86. Est dæmon voluntarius. Vbi ebrietas, ibi diabolus. Est voluntaria insania Senecæ. Ebrius nec mortuus est, nec viuus. ibid. Ebrium dæmon absportat in infernum, 87. Exemplæ malè pereuntium ex illa. ib. Super salute Imperatoris bibere vanum est. 86. nunquam ad ebrietatem bibendum, licet rex vocat; & si ab eo occidaris, martyr es. 88. Peccat mortaliter alium intendens inebriare. 86.

Eccleſia-

Ecclesia.

Ecclesia vera & Catholica quæ sit, 122. Nõ potest errare, etiam testimonio hæreticorum, ib. Sola habet verã S. Scripturæ intelligentiam, 124. Eandem ipsa Scriptura commendat. ibid.

Eleemosyna.

Eleemosyna valet ad expianda peccata, 380.

Episcopatus.

Episcopatum qui refugerint, & quare, 8. 9. Chrysostomus existimat plures Episcopos aliosq; Prælatos damnari quam saluari, eo quod dignitas tanta excelsum requirat animum, 9, Episcopi ornamentum humilitas. 10.

Erubescentia.

Vide V. Pudor noxius.

Eucharistia.

Eucharistiæ frequentatio valet ad cauẽda peccata, & domandas animi passiones, 383. 384. & ad alios effectus. 529.

Examen conscientiæ.

Vide V Conscientiæ examen.

Exemplum malum.

Exemplum malum nõ esse dandum alijs, sed bonum, 91. Christi sanctorumq; exempla sunt imitanda, 92 Plus mouent exempla quã verba, & quare, 93 Paucorum potius quam multorũ imitanda, 93. 96. 96. Exemplorum vtilitas, 94. Ethnicorum quoq; exempla vtiliter proponuntur, vt pudore, teste Augustino, pungamur. 179.

Exorcismus.

Exorcismus quid sit, & quod valeat contra maleficia, 529. 530.

F

Fama bona.

FAma suæ quisq; rationem habere debet, & non tantum conscientiæ, 74. 93. 99. 102. 141. 461.

Familiaritas nimia.

Familiaritas nimia vitium est, non virtus, 97. Contracta cum paucis, noxia est in cœnobijs & Collegijs, 98 dat causam obloquijs, & scandalis, 99. Quæ sint eius indicia, 100.

Feruor Spiritus.

Feruor Spiritus, quid sit, & quantum possit. 513.

Fides.

Fides rerum supernaturalium pellit curiositatem, 47. Non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum, ib. Exempla illustris fidei, 47. & 48 Quanta eius vis contra veneficia & superstitiones, 524.

Fiducia.

Fiducia in Deo collocanda, 412. 440. 442. In morbis, 495. Et omnibus tentationibus. 505. 519.

Filij.

Filij parentum correctionem, & serui Dominorum patienter ferre debent, 493.

Fletus.

Fletus in morte carorum debet esse moderatus, 186 & seq.

Fornicatio.

Vide V. Luxuria.

Fortitudo.

Fortitudo animi vera est seipsum vincere, 145 necessaria est in omni virtute, 220. 201.

Fuci, & pigmenta.

Fuci, pigmenta faciei, omnisq; adulterinus ornatus grauiter reprehẽditur. 153.

G

Gaudium mundi.

Gaudium mundi reprehenditur. 27. 28. Gaudium in Domino laudatur & maximè in aduersis. ibid. & 521.

Genethliaci.

Vide V. Superstitio.

Gloria vana.

Gloria vana prohibetur, vt noxia. 102. Eius species quæ? 478. Angelicæ virtutis est ea non tangi 103 Est vitium tyrannicum vbiq; dominans, vix agnitum, simile cæpe ib. Sequitur etiam virtutem velut vmbra corpus, idq; in imas quoq; solitudines. Superata magis conualescit, omnium spiritualium bonorum latro, mater gehennæ. 105. Nihil ea vilius. Similis scenicorũ actorum larvæ 106. Homo nihil habet, vnde gloriari queat. ib. Quomodo vincatur. 11. 107. & 108.

Gloria vera.

Gloria vera omnis Deo debetur. 102 167. Etiam negotiatio ad gloriam Dei instituenda est. 346.

Gratitudo.

Gratitudo erga Deũ & homines laudatur. 209. & seq. Gratiæ agendæ Deo mane & vesperi. 211. Et ad singulas actiones. 212 etiam in aduersis, quod proprium est Christianorum. ib. Exempla gratitudinis bestiarum. 213. Gratiarum actioni nullum par bonum. 210.

Gula.

Gula quanta mala pariat. 109. 110. Est seminarium libidinis ibid. Eius effectus. 111. Morbus est ante omnes alios curandus. ibid. Modi, quibus deliquitur gula ibid. In vilibus quoq; tibis gula peccari potest. 114. quatenus in cibo voluptas sit quærenda, vel potius. 115.

H

Hæresis.

Hæresis graue peccatum est. Hæreticorum epitheta. 117. Eorum parens Satan, mater superbia. 118. Non sunt Christiani. Similes bestijs, cimicibus ibid. sunt hypocritæ. 127. colloquia eorum cauenda. 119. libri non legendi. 119. 120. Ex scripturis non est cum eis disputandum. 123. Hæresis non est de Scriptura, sed de intelligentia scripturæ. 124. Nomen ab eo habent hæretici, quod scripturas non intelligant. ibid.

S. Hieronymvs.

Hieronymus noctu cæsus, quod nimium deditus esset profanæ eloquentiæ. 50 51. summus fuit hæreticorum hostis. 119. Eius tentatio in solitudine. 288.

Humilitas.

Humilitas est primum caput doctrinæ Christi. 5 est summa virtus. 483. adiunctum habet contemptum sui. Humilis enim vilis vult reputari, non humilis prædicari. 46. Maxima virtus est, maxima facere, & contemptibilem se reputare. 104. Semper fuit fundamentum sanctitatis. 246. Est ipsa perfectio. 53. Humilis Deo est.

Deo est similis, superbus autem diabolo. 477. *Quomodo facto exerceatur.* 483. 484. *Vtilius infirmum se quis cognoscit, quam vt fidat suæ virtuti.* 99. *Humilitate peruenitur ad veram fidem Catholicam.* 120. 121. *Efficax est medela contra superbiam.* 482. *Humilitas Christi refugientis gloriam.* 103. *humilitate vitæ Christi pellitur omnis superbia.* 481. *Exempla eorum, qui ex humilitate virtutes suas cœlarunt.* 104. 107. *S. Dominici humilitas, & S. Francisci* 57. *Et Greg. Turonensis Episcopi.* 104.

Hypocrisis.

Hypocrisis reprehẽsa. 125. 126. 127. *Quis propriè dicatur hypocrita.* 127. *Pauci ab ea immunes. ibid. Est vitium proprium diaboli.* 131. *Turpiora sunt vitia quæ virtutum specie cœlantur.* 483.

I.

Iactantia.

Vide V. Superbia.

Ieiunium.

Ieiunium non est perfecta virtus, sed fundamentum vel instrumentum virtutis. 207. 208. *Immoderatum reprehenditur.* 204. *In aduentu hospitis quando solui queat* 208. *Reddit preces efficaces.* 151. *Valet ad expianda peccata* 380. 572. *& ad pellendos dæmones ex energumenis.* 534.

Ignorantia.

Ignorantiæ humanæ causa. 249.

Illusiones spirituales.

Vide V. Inspiratio diuina.

Imitatio vitæ aliorum.

Imitandam esse vitam piam aliorum, & maximè exemplum vnius. 95. 96.

Immodestia.

Immodestia in externis moribus arguitur. 136. 137. *nominatim in disputando.* 138. *Duo eius exempla.* 139 *aliquando etiam minima nocet.* 142. 143.

Immortificatio.

Immortificatio quid sit. 143. 144.

Impatientia.

Impatientia in aduersis 152. 153. *& seq. Omne peccatum impatientiæ adscribendum.* 152.

Impœnitentia.

Impœnitentia reprehensa 347. *Est peccatum in Spiritum sanctum.* 19. 42. *Humanum est errare, sed diabolicum perseuerare.* 46. *Nil æquè repugnat Deo, ac cor impœnitens.* 348. *Deus non potest misereri ei, quem non pœnitet peccasse, & peccata defendit.* 348. *Vide V. Obstinatio,*

Imprecatio.

Imprecari malum, quam sit noxium. 301. *Diræ eius exempla.* 302. *Vide V, Maledictio.*

Incantationes.

Vide V. Superstitio, & V. Veneficia.

Inconstantia.

Inconstantiæ vituperata. 196. *& seq.*

Indiscretio, vel imprudentia.

Indiscretio reprehenditur 202. *& seq. potissimum in externis virtutibus cernitur.* 207.

Induratio.

Vide V. Obstinatio.

Ingratitudo.

Ingratitudo reprehenditur. 209. *& seq. Ingratus Deo S Chrysostomo est blasphemus.* 340. *Ingrati à Deo puniti.* 215. *Ingratitudo mira ciuis Veneti.* 213.

Inimici diligendi.

Inimici diligendi, & quomodo 358. *nihil ita Deum placat, ac eorũ dilectio.* 359. 556. *Est rationi naturali consentanea.* 549 *Exempla eos diligentium.* 359.

Iniuriæ Vindicatio.

Vide V. Vindicatio iniuriæ.

Inobedientia.

Inobedientia est peccatum graue. 216. 217. *imò vitiorum maximum.* 217. *A Deo dirè punitum.* 218. 219. *contemnens obedire Prælato multis vitiis laborat.* 41 *Et peccat mortaliter. Ille autem contemnit, qui dicit se nolle obedire, & spernit non solum præceptum, sed etiam remedium.* 45.

Inspiratio diuina.

Inspiratio diuina quæ sit. 133. *pii & docti consulendi de eius veritate ib. Visionibus fœminarum parum fidendum* 134. *Vnde cognoscatur esse diuina inspiratio.* 134. 135.

Inuidia.

Inuidia reprehensa 229. *radix malorum omnium. diaboli inuentum ib. prima peccati ianua omni venia carens. Inuidi peiores feris, pares dæmonib.* 230. *morbus q incurabilis.* 231 *Confertur viperis, vulturibus, muscis, rabidis canibus, suibus, scarabæis proprium diaboli vitium.* 232 *Oritur ex superbia, et ideo humilitate sananda.* 233. *Cadit quoq; in sanctos ib. Sequitur virtutẽ.* 235. *S Paula Romana S. scripturis se muniebat contra illam ib. Inuidus monachus obsidetur à dæmone.* 68. *Inuidiosus vt differat ab inuido.* 235.

S. Ioan. Baptista.

S. Ioan. Baptista speculum contemptus humanæ gloriæ. 104.

S. Ioan. Evangelista.

S Ioan Euangelista adolescentem principem latronum factum conuertit. 63 *perdicem molliter mulcet.* 208.

Iob.

Iob admiranda patientia in morbis & damnis. 24. 167. 182. 552. *Fortitudo.* 191. *Constantia.* 199 *laborauit lepra.* 173.

Ioci.

Ioci & risus non decent Christianum. 29. 466. 474.

S. Ioseph. Patriarcha.

S. Iosephi constantia. 199. *& patientia.* 552.

Ira.

Ira reprehensa 235. *dementis gradu deiicit.* 236. *Obscurat rationis vsum.* 239. *Est initium insaniæ.* 240. *Vt differat ab indignatione.* 236 *Et ab iracundia.* 237. *Eius germina sunt, dolus, suspicio, insidiæ, audacia, inimicitiæ, secta. Et dæmon nobis innatus.* 236. *Eius fœdi fructus.* 240. *Ex ira & morbi secuti.* 237. *Satius est viperam latere in corde quam iram. est ianua vitiorum. ib. Melius est inuadi gladio, quam ira corripi.* 238. *Ira inueterascens fit odium.*

odium. ib. Iratorum gestus. Nil ab arreptitiis differunt. 240. Sunt compassione digni. 242. Irasci hominis est, Christiani non persicere iram. 237. Manente ira nihil vindicandum, vt fecit Architas. 239. Orta mox comprimenda. 238. Societas iracundorum fugienda. 242. Vt differat ab odio. 255. Eam vincens verè fortis est, non vincens ridiculus. 145.

IVDAS proditor.

Iudas in venditione Christi simoniam commisit. 455. *Quomodo perierit.* 455.

IVDEX.

Iudicis officium quando suscipiendum. 395. *non debet accipere personam.* 396 *Exempla non accipientium* 398. 399. *Non diuitem magis quam pauperem tueri debet.* 400. *& cum causa dubia, plus pauperem. ib. &* 401.

Iudicium extremum.

Iudicium extremum describitur. 517 *eius meditatio vtilis ad cauenda peccata.* 236. 237.

Iudiciaria astrologia.

Vide V. superstitio.

Iudicium proprium.

Iudicium proprium reprehenditur. 245. *contumacia est nolle aliorum iudicio acquiescere.* 246. *Proprium religiosorum est id abnegare.* 250. *Exempla malè pereuntium ob proprium iudicium.* 251. *Impossibile est fidentem suo iudicio non decipi à dæmone ib. Non est illi fidendum.* 205. 221. *Christus iudicium Patris est secutus.* 224.

Iudicium temerarium.

Iudicium temerarium arguitur. 252. 253. *Cur sit graue peccatum.* 254. *Cauendum in duobus.* 253. *Exempla temerè iudicantium.* 256. *tem. iudicium miraculis proditum.* 261. *Falsa iudicia aliorum de nobis contemnenda. Prima virtus monachi contemnere humana iudicia.* 257. 258. *Homo iudicet seipsum tantum.* 253. *Et excuset aliorum lapsus.* 255. *Agnitio sui medetur iudicio temerario.* 51. 483.

IVLIANVS apostata.

Iulianus apostata describitur. 139. 479. *Vt dæmonem crucis signo fugarit.* 492.

Iuramentum.

Iuramentum partim licitum partim illicitum. 259. 260. *Quando iurandi vsus cæperit.* 261. *Augustinus iurandi consuetudinem vicit.* 261. 262. *Et facile est eam vincere, si laborem non fugias ib. Deus solus securus iurat, quia falli non potest.* 264. *Exempla temerè iurantium. ib. &* 265. *satius est peierare, quam malum iuramentum seruare* 265. *Ex Herodis iuramento malo, quot mala secuta. ib. Ethnici non probarunt iurandi morem* 266. *Exempla eorum qui fidem fallere noluere. ib. &* 267.

L.

Labor.

LAbor homini naturalis 181. 405. 364 *DEVS, angeli, omnesque creaturæ semper agunt aliquid.* 364. *Semper labora, vt diabolus te inueniat occupatum,*

occupatum, ait Hieron. ib. Nulla sine labore virtus. 363. Solis laborantibus merces promissa. 366 Laborum pietatis quantum sit præmium. 405. In laboribus præcipuè quærenda animæ salus. 368. Exemplа B. Pauli, & monachorum manu laborantium. 367. 408. Ambrosius tempus persecutionis, quo laboratur, præfert tempori pacis, quo otium est. 365.

Lætitia.

Vide V. Gaudium. & Ioci.

Lepræ morbus.

In lepræ morbo opus est patientia exemplo Iob. 173. Christus apparuit quasi leprosus in passione. 174. Sanctis sæpe apparuit in specie leprosi. 174.

Libertas sæculi.

Vide V. Voluntas propria.

Libido.

Libido quid propriè sit. 228. Tentatio eius statim pelleuda. 289. Exempla mira libidinis extinctæ. 293. Vide V. Luxuria.

Ligaturæ.

Vide V. Superstitio, & V. Veneficia.

Linguæ abusus.

Lingua quam difficulter coerceatur. 29. 268. Est coercenda 272. quo modo coerceatur. 29. 30. Dæmon linguæ maximè insidiatur. 268. Quot mala eius abusus creet. 270. 271. Locutiones in aurem, vel per nutus non decent religiosum. 277. 279. Nugæ in ore sacerdotis, sunt blasphemiæ S. Bernardo. 279. Detrahentes aliis puniti. 68. Christus ex quauis materia ansam cæpit aliquid spirituale loquendi. 30. De modestia in loquendo & disputando. 138.

Litterariæ occupationes.

Litterariæ occupationes sic continuandæ, vt non negligatur salus animi. 368.

Ludi.

Vide V Aleæ ludus, & V. Spectacula.

Luctus immodicus vetitus & cur. 186. & seq. 619. Populi quidam in nativitate lugent, in obitu gaudent. 189. Vide V. Impatientia in morte carorum. & V. Mors.

Luxuria.

Luxuria vetita. 286. & seq. Eius fœditas. 294. Et effectus fœdi. 288. difficilis expugnatu. 287. 288. Hieronymi in ea tentatio. 288. Pœnæ luxuriosis inflictæ. 295. 528. Eius præcipuum antidotum est fuga. 291. & carnis castigatio. 292.

Luxus vestium.

Vide V. Vestium luxus.

M.

Magi.

Magi opera dæmonum mira faciunt. 49. 50. morte à Deo puniti. Vide V superstitio, & V. Veneficia.

Maledictio.

Maledictio, vel imprecatio mali reprehenditur. 299. 300. Dei maledictio alia est ab hominis maledictione. 300. Tres imprecantes sibi mortem contra Narcissum Episcopum misere perierunt. 68. Comitissa ex imprecatione mendicæ mulieris. 365. proles edidit

vinas, & quæ baptisatæ sunt. 302. *Alia exempla.* 301.327.

Maleficium.

Vide V. superstitio, & V. Veneficium.

Maria soror Moysis.

Maria lepra percussa, quia detraxit Moysi. 67.

B. Maria Virgo.

S. Maria Deipara inuocanda in omnibus periculis & tentationibus. 64. 525. 526. *Eius modestia.* 140.141. *Et obedientia.* 564.

Medicus.

Medicus in morbis non negligendus etiam à religiosis 162. 163. *sed plus fidendum diuino auxilio.* 164. *Sancti quidam neglexere medicinas.* 165.158. *S. Bernardus putat non decere monachos, vt potiones sumant.* 165. *Confitenda prius peccata, quàm consulatur medicus.* 169.

Mendacium.

Mendacium vetitum. 303.304. *Est vitium diabolicum & otiosum.* 305. *quid sit propriè mentiri.* 304. *quod mendacium iocosum ibid Qui non habet duplex cor, non mentitur. ibid. Reddit hominem contemptibilem.* 306. *Non licet mentiri etiam in periculo mortis, licet autem verum cælare,* 307. *Exemplum mulieris septies icta, quia mentiri noluit.* 308.

Mercatura.

Vide V. Negotiatio.

Miracula.

Miraculum optare facere, vel ab alio fieri, est curiositas, & superbia sæpenumero. 49. *Post miracula facta, quam humiles fuerint sancti.* 103.104.105.

Modestia.

Modestia vnde dicta 136. *valde laudatur.* 137. *Est portio Dei.* 138. *De modestia Christi.* 139. *Et B. Virginis* 140. *Decet clericos & religiosos* 141. *Regulæ modestiæ religiosæ.* 142. *Vide plura V. Immodestia.*

Monachi.

Vide V. Religiosi.

Morbi.

Morbi causa ingluuies 152. *Tria in morbo grauia.* 163. *Opinio facit morbum grauem, ib. Medici opera vtendum, sed plus Deo fidendum.* 164. *Morborum causa sæpe sunt peccata. ib. à Deo autem bono fine immittuntur, quod iuuant ad salutem.* 166. *Vtilitates morborum.* 167. *Non est vtilis omnibus sanitas. ib. Patienter sunt tolerandi, & non recurrendum ad superstitiones.* 490.491 492.493.

Mors.

Mortis meditatio omnium vitiorum peremptoria. 2. *medetur Luxuriæ imprimis.* 296. *Non est timenda* 309 *est nomine, non re formidabilis ib. Est perinde, ac vestem exuere* 310. *Lex naturæ congruens & omnibus communis.* 311. *præter quam nihil certũ est.* 312. *Comparatur somno & peregrinationi.* 314. *Ea multis malis homo liberatur.* 311. *& multis bonis ornatur.* 113. *Mors piorum præstat vitæ* 309. *Exempla non timentium.* 315.316. *Moderate potest timeri.* 319. *Et quidam sancti timuere.* 320. 321. *Metum mortis quid excludat.* 161.

Mortui lugendi, sed moderatè. 186. 187. 188. *fluant lacrymæ, sed desinant, ait Seneca ib. Nimium lugens ostendit se infirmum fide & spe. ib. &* 189. *Cur moderate lugendum. ib. cur S. Bernardus amarè deflerit mortẽ fratris,* 188. 194. *Opinio tantum facit nos lugere.* 189. *Nimio luctu quidam extincti. ib. Mulierum gestus in luctu ridiculi.* 187. 190. *Omnes morimur, quo tempore Deus voluit.* 191 *Mortis tempus incertum.* 416. *Tempus mortis non est idoneum ad pœnitentiam.* 419.

Mortificatio.

Mortificatio laudatur. 144. 145. 146. *Quid sit mortificatio.* 143 484. *Ea q. cultro præscinduntur membra nostra, id est, vitia & passiones animi, vt voluntas diuina cordi nostro inseratur.* 58 *confertur martyrio.* 151 *Necessaria est.* 152. *Instrumentum est aptissimum ad perfectionem* 151. *Reddit preces efficaces. ib. Exempla mortificationis.* 433.

Moyses.

Moysi constantia. 199. *& patientia.* 552.

Mulierum commoratio cum clericis.

Vide V. Clerici.

Mundi vanitas.

Mundi vanitas. 481. 482.

Munerum corruptela.

Munerum acceptio reprehensa. 401. 457. *Dei proprium est non accipere personam, vel munera. ib. Iudices, & aduocati non facile ea accipere debent.* 333. 334. *Nomine munerum etiam laudes intelliguntur. Est enim triplex munus, à corde, ore, & manu.* 334. *Exempla eorum, qui renuerunt accipere* 335. 336. 336. *Cur Daniel receperit munera semel repudiata* 336. *Munuscula sintnè mittenda & acceptanda.* 104. 338.

Murmuratio.

Murmuratio reprehensa & punita. 339. 340. *Non est leue peccatum.* 341.

N.

Narcissvs Episcopus.

Narcisso Episc. Hierosolymitano cum iuramento detrahentes diuinitus puniti. 68.

Negotiatio illicita.

Negotiatio illicita reprehenditur. item iniqua pondera & stateræ. 342. *Periculum mentiendi & peierandi ægrè fit licita.* 343. *Quæ sint negotiationes licitæ. ib. &* 344. *Per se non sunt illicitæ si absint fraudes.* 343. *Ad gloriam Dei sunt instituendæ* 346. *Lucri cupidus non facile ditescet* 342. *Malè parta malè perire solent.* 343. *Negotiationis vtilitas.* 343.

Negligentia.

Vide Vacedia. V. otium. V. pigritia.

O.

Obedientia.

Obedientia laudatur. 216. *& seq. Est sola & maxima virtus.* 217 *Est mater custosq; omnium virtutum. soluit eas virtutes inserit. est sepulchrum voluntatis* 218. *Cur victimis præponatur. ib. &* 222. *Deus ostendit, quantum sit obedientiæ bonum, dum Adæ vetuit rem non malam.* 217. *In omni certa*

vni obediendum. ib. Superior timendus vt Dominus, diligendus vt parens, ib. 567. Monachō ne laudabilia quidem sine obedientia sunt facienda. 216. Obediendum superiori vt Deo & Christo, etiamsi gentilis sit. 221. 567. Seducit se, qui voluntatem superioris ad suam satagit torquere. 222. Iudicium quoq; superiori subiiciendum. 223. 224. 225. licet aspera iubeantur & impossibilia, vt docuit S. Benedictus 225. 226. non obediendum si iubeantur legi diuinæ contraria. 227. Exempla obedientiæ miræ Prophetarum 443. & aliorum. 227. 228. Christi obedientia sequenda & Apostolorum. 220 & 224. Christus maluit perdere vitam, quàm obedientiam. 222 Militum infidelium obedientia mira erga belli Duces. 228 229.

Obseruationes vanæ.

Vide V. Superstitio & V. Veneficia.

Obstinatio animi.

Obstinatio vel obduratio reprehenditur. 347. Cor durum describitur. 349. Vnde oriatur obduratio. 352. Est via dæmonum. 414. Est signum æternæ reprobationis. 353. Nemo duri cordis salutem vnquam adeptus est. 349. Morbus tamen obstinationis curabilis est. ibid. Quando dicatur Deus obdurare peccatorem. ib.

Odium.

Odium reprehenditur 354. Est grauissimum omnium vitiorum. 355. Differt ab ira 254. Est ira inueterata ib. & 355. Vt Deus caritas, ita diabolus odium. ib. Qui odit fratrem, cur homicida dicatur à B. Ioanne. ib. Odiens non potest vnam Dominicam orationem sine mendacio recitare. 356. Ob odium puniti: 560.

Omina.

Vide V. Superstitio.

Oratio.

Oratio est clauis cœli, & naufragorum tabula. 160. Eius finis, obseruatio diuinorum mandatorum 58. Deus orandus ex corde, & in oratione vigilandum. 79. 82. Cum distrahimur, Deus benignè expectat, donec attentè oremus. 80. Remedia ad rectè orandum. 81. 82. Quoties obrepunt distractiones semper sunt repellendæ, nec ob eas oratio abrumpenda. 84. Dæmon maximè aduersatur orationi deotæ & quare. 83. 84. Orandum maximè in tribulatione 159 exemplo Annæ, Susannæ & aliorum. 160. Valet ad quæuis peccata expianda etiam obdurationis. 350. Et contra veneficia, aliasq; superstitiones. 524. 525. S Augustinus beneficio orationis & lacrymarum conuersus est. 121. 122. 350. Valet ad condonandum graues iniurias. 559.

Opera bona.

Opera bona valent ad exemplum. 151. In iis possumus habere fiduciam, etiam in hora mortis. 62.

Otium.

Otium arguitur. 362. 363. est causa grauium scelerum, vt idololatriæ & zodomiæ. 365. & 366. Est radix malitiæ, mater nugarum, nouerca virtutū. 363. 364. 365. Sine litteris mors est, & viui hominis sepultura iuxta Senecam. 364. Nihil agere, est aliquid mali agere, inquit Chrysostomus. 363.

363.403. *Otii fuga medetur luxuriæ.* 296.297. *Titus Imperator putauit se diem perdidisse, quo nil boni egerat, auctore Hieron.*367. *Nulla sine labore virtus.* 363.

P.

Patientia.

*PAtientiæ laudes.*153.182. *Radix omnium virtutum & custos.*154. *patientia tribulationum mater fidelium.* 156. *patiens dici nequit, nisi quis omnia mala illata toleret.*238. *Pati aduersa plus est, quam mortuos excitare, ait Chrysost.*154. *Deus cum voluptate spectat pugnantem cum aduersis.ib summum præmium patientiæ est paratum.* 158. *Exempla patientiæ Christi.*551. *Iob.*167.552. *Seruuli mendici.* 168. *Tobiæ.*169. *Patientia opus est in morbis.*162. *In obtrectationibus.*72.73. *Si ex patientia nostra caritas proximi lædatur, defensione modesta vti possumus.*73. *Iuuat ad superandas tentationes.* 500.

Paupertas.

*Paupertas laudatur.*175.176. *Nulli est turpis.ibid. ea nil ditius, quia cælum emit.*177. *Natura minimum petit. Nemo alius Deo dignus, ait Seneca, quam qui opes contempsit.*177. *Paupertas Christi.*15.178. *Consilium paupertatis qui secuti.*178. *Philosophi qui eam coluerint.*179. *E cœnobiis Meum & Tuum exulat.*423. *Quam grauiter puniti proprietarij monachi, qui paupertatem Euangelicam Deo promissam violarunt.* 16.425.

Peccatum mortale.

Peccatum non est, nisi sit voluntarium. 32.561. *Eiusdem effectus.ibid.*373. *Omne peccatum tribuendum impatientiæ iuxta Tertullianum.*371. *Quid sit peccatum.*372. *Discrimen delicti & peccati.*371. *Omnes peccato sumus obnoxii.*370.371. *Non semper diabolo sed nobis est adscribendum.*371. *Est infinito odio dignum.*372. *Expauit à Deo inflictis liquet odium Dei in peccatoib. Quanta tyrannis peccati.*374. *Homo malus peior est diabolo.* 375. *Quib. gradibus in profundum peccatorum veniatur.*37.42. *peccata consuetudine roborata, videtur parua vel nulla.*37.375. *Non omne peccatum est superbiæ vel contemptus, vt dixit Pelagius.*41. *Quãdo commissum est, melius cognoscitur, quam ante.*371. *peccata sunt causa omnium calamitatum.* 164.165.168.375. *Peccatum nullum manet impunitum.*380 *peccans etsiñ puniatur, omniũ miserrimus.*517 *Relapsus in peccata cur periculosus.*443. 445.446. *Nullum est peccatum, quod medicinã refugiat.*372. *Grauitas peccati compensanda magnitudine pœnitentiæ.*38. *vt difficultas superetur, inchoandat antum est emendatio.*39. *Fugiendæ occasiones peccandi.*38. *peccatũ curatur contrariis.*371. *Et meditatione passionis Christi.*373. *Et nouissimarum.*375.376.377. *Exempla eorum qui mori maluere, quam peccare.*385.

P. Venialia.

*Ea sunt vetita à Deo.*386. *animam deformant.* 387.388. *disponunt ad mortale.*390. *Mali eius effectus.* 391. *Sancti durè ea punierunt.*392. 393. *apud Deum sæpe grauia.* 38.

Expiantur

Expiantur multipliciter.391.382. ex contemptu fiunt mortalia.44.Obsunt perfectioni spirituali. 142.143.

Personarum acceptio.

Vide V. Acceptio personarum.

Perturbationes vel passiones.

Passiones vel perturbationes animi sunt fontes omnium vitiorum.152. Et ideo mortificandæ.145. & seq. Licet non possint prorsus eradicari.ib. exempla eorum,qui domuere illas.147.Vtile est ortas statim comprimere,148. Et continuare pugnam ab ineunte ætate 149 Examen cõscientiæ quotidianum plurimum ad id valet. 150.381.

Perseuerantia.

Perseuerantia laudatur.196.& seq.Perseuerare est tentatione non vinci. Est Dei donum,& requirit animi fortitudinem.201. Exempla perseuerantium & non perseuerantium.196. Vix vnquam monachus in cella vsq; ad mortẽ perseuerauit, qui non fuerit prædestinatus,ait Bernardus. 64.

Pigritia.

Ea arguitur.402.403. Iudas ea periit. ibid.

Podagræ morbus.

Podagra etiam sancti laborarunt.171.172 vt S.Gregorius Papa triennio cõtinuo. 171. *Possidon. Philosophus podagricus confessus est non esse malum dolorem pedum. Item Cicero & Seneca, & ideo ferendum.* 172.

Pœnitentia.

*Pœnitentiæ vis quanta.379. instrumentum aptum ad perfectionẽ consequendam,*151. *Ea reconciliatur Deus,*161. 162.*Peccata etiam grauissima expiantur.448. Peccatum ad Dei misericordiam est,vt tela aranea.59. Pœnitentia qualis agenda de peccatis.351.352. Millies peccasti,millies pœnite.59. Exempla eorum, qui post grauia peccata per pœnitentiam reconciliati* 61.63. *Pœnitentia non differenda.413.Patres non fidunt pœnitentiæ in finem vitæ dilatæ,416. Nunquam tamen sera conuersio,59.60 64.350. Deus iudicat non de vita præterita,sed de fine.* 60. *Pœnitentia reddit preces efficaces.* 151.

Præsumptio.

Præsumptio reprehenditur.409.413.præsumptio præceptor pessimus Hieronymo,416. Viæ dæmonum præsumptio & obstinatio iuxta S. Bernardum,414. Præsumptionis exemplа.206. Præsumptio vel confidensia in Deo laudata. 412.

Procrastinatio.

Procrastinatio reprehensa.414 415.416. Quam sit periculosa 417.418. Exempla infeliciter procrastinantium.420. 421.

Proprietas religiosorum.

Proprietas religiosis vetita.421. & seq. Punitur à summis Pontificibus.423. Exempla eorum qui puniti. 16.425.

Pudor noxius.

Pudor noxius reprehenditur,430.Exempla confusionis toleratæ à sanctis,433. 434 436. Confusiones ob Christum perpessæ quanti sint meriti apud Deũ. 473.

Pudicitia.

Pudicitia laudata.

Pusillanimitas.

Pusillanimitas reprehensa. 438. & seq. Quomodo curanda in alijs. 441. Vincitur præmeditatione futurorum, ibid. Et recursu ad Patrem spiritualem. 442.

R

Recidua.

Recidiua peccatorum reprehẽsa. 442. 443 Periculosa est ex parte Dei, dæmonis & nostra. 445. Quidam ob relapsum puniti. 446. 447.

Religiosi.

Religio vnde dicatur, 274. Religiosum decet modestia, de qua & regulas habent. 142. A licitis etiam sæpe debet abstinere, 143. 144. Eius est crucifixas & mortificatas habere passiones omnes 152. 362. Mortificationem eius S. Bernardus confert cum martyrio. 151. Non debet vti propria voluntate 222. 563. 56. Nec præcepta superiorum discutere 224 proprium eius, se suumq; iudicium abnegare. 250. 562. Exempla eorum, qui malè perierunt ob iudicium non abnegatum. 151. Patri spirituali omnia sua debet patefacere, 351. 442. nil proprium possidere. 421. & seq. Causæ vtilis proprietatis, 428. Labor & voluntaria paupertas, inquit Bernardus, sunt monachorum insignia. 405. Religiosi proprium est semper proficere. 511. Secus periculum est, ne præterita eius merita pereant. 512. Rarus in religione est, qui cum ad gradum aliquem sanctitatis peruenerit, vlterius ascendat. ibid. Ad profectum iuuat renouatio spiritus in aliquo successu. 513. 514. Religiosum non decent ioci, locutiones in aurem vel per nutus, nec risus effusus. 277. 278. In minimis etiam offensiunculis debet cauere auersionem & simultatem 360. nullam habere societatem vel familiaritatem cum fœminis, 323. 324. & seq. lapsus exiguus eius apud seculares magnus reputatur, 141. Aeger potest vti Medicorum opera, sed parcè 164. 165. Debet se abnegare 562. perfectè resignare. 564. & in omnibus indifferens esse. 565.

Vide V. Votorum violatio.

Reuelationes.

Vide V. Inspiratio diuina. Et illusiones.

Risus effusus.

Risus effusus nõ decet Christianos. 19. 466. 474. Christus non legitur risisse, sed flesse tantum. 140. De Musa puella non ridente. 143. Quis decorus & licitus risus. 137. 138.

S

Sacerdos.

Sacerdos non debet se totum dedere Poetis & Grammaticis 50. B. Hieronymus nimium deditus eloquẽtiæ punitur diuinitus 50. 51. Inter seculares nugæ, sunt nugæ, sed in ore sacerdotis blasphemiæ, 364. Non debet cohabitare fœminis. 323. & seq.

Salomon.

Salomon in delitijs solus fuit, & ideo fortè corruit, ait Hieronymus. 153.

Saltatio-

Saltationes.

Vide V. Choreæ.

Sancti.

Sancti suas visiones celant potius quam diuulgant, 56. 57. omnes aduersa passi, 153. Et cur? 156. Vtile Sanctorum vitas legere 95. Reliquiæ eorum valent contra maleficia.

Satisfactio.

Satisfactionis fructus.

Scachorum ludus.

Scachorum ludus non licitus.

Scandalum.

Scandalum quam graue sit peccatum. 91. 92. Quando detur scandalum. 92. Eius habenda ratio, & non tantum conscientiæ. 99. scandala & detractiones præuenienda. 100. Quænam sint despicienda. 73.
Vide V. Exemplum malum.

S. Scriptura.

S. Scripturis pugnare contrà hæreticos, nulla vel incerta est victoria. 123. 124. Earum lectio per utilis ad cauenda peccata. 378. Et ad expugnandas tentationes. 502. 503.

Scrupulosa conscientia.

Vide V. Conscientia scrupulosa.

Secessio.

Secessio laudata ad renouandum spiritum. 514.

Securitas.

Securitas, est mater negligentiæ. 411. In hoc mundo nusquam est, nec fuit. 410.

Silentium.

Silentium laudatur. 270. 272. 273. 274. Bernardus vocat virtutum matrem. 264. Climacus vocat matrē orationis. ib. Est ingressus religiosæ vitæ. 375. Exempla diuturni silentij, ib. 276. S. Patrum monita de silentio religiosorum. 277. 278 279. Greg. Nazianzenus totā Quadragesima siluit. 276. Silentio illatæ iniuriæ vincendæ exemplo Dauidis & Christi. 557.

Simon Magus.

SIMON magus qualis fuerit. 451. quomodo extinctus. 455.

Simonia.

Simoniaca labes reprehenditur. 449. Cur sit graue crimen. 451. Fœdus eius effectus. 412. Reddit clericorum ordinem contemptibilem. 452. imò euertit. 453. Pœnæ in Simoniacos ab Ecclesia decretæ variæ 453. Exempla diuinitus ob Simoniam punitorum 336 454. 455. 456.

Simplicitas.

Simplicitas virtus valde laudata. 127. 128.

Simulatio.

Simulatio & fictio reprehenditur. 125. 126. 127. Exempla punitorum ob eam. 130 Exempla nocentium simulare. 131. Exempla piè simulantium.
Vide V. Hypocrisis.

Societas praua.

Societas praua fugienda & cur? 38. 458. & seq. In societate multorum, vt in cœnobijs, omnes æqualiter diligendi: nam familiaritas parit contemptum, 97 98. Seniorum societas magis quærenda, quam iuniorum. 461. 464. Qui inter malos boni manent, perfecti

perfectè boni sunt 461. Vnde cognoscatur prauitas socij. 462. Effectus prauæ societatis, 463. bonorum societas sæpe prodest malis. 464.

Spectacula.

Spectacula, vel Ludi veteres gentilium sunt vetiti Christianis, 465. 467. 468. improbati quoq; Ethnicis. 468. Sunt inuenta dæmonum, non Dei, 465. Mater eorum idololatria. 469. Repugnant abrenunciationi factæ in baptismo, ib. Quam indigna agantur in theatris. 466 467. Quæ spectare non est, nisi miserabilis insania, 466. Quanta pericula sint spectationis. 470. Et scandala 472. Spectatores diuinitus puniti, 472. 473. Histrionibus mercedem dare immane scelus est Augustino, 472 Spectacula quatuor Christianis licita, 474. Quale spectaculum edere debet de se Religiosus. 484.

Spiritualis Pater.

Spiritualis Pater quando consulendus, 33 Consulendus in scrupulis. 33. 43. in desperatione. 63. in luxuriæ tentatione, 298. 299. in omnibus tentationibus. 507.

Superbia.

Superbia taxatur, 476 477. Est peruersæ celsitudinis appetitus, 478. Initium omnis peccati, 477. 478. Omnium grauissimum. 478. Ideo execranda, quod aduersarium habeat Deum. 477. 478. Superbus diabolo similis est, 477. Deterrimi superborum mores & effectus. 480. Septem eius soboles, 478. In benefactis plus metuenda, quam malefactis, 479. 483. Puniti superbi quis 41. 44. 479. Superbis vtile cadere in peccatum. 578. Euidentissimum signũ reproborum superbia. 46. 479. Medetur superbiæ vita Christi 481. & agnitio sui. ibid. & 482.

Superstitio.

Superstitio quid sit, 487. quam graue sit peccatum, 489. Est idololatria species, 487 Eius auctor & director, dæmon, 488, Omnis superstitio damnata est in scripturis. 485. 486. Legibus quoque Ecclesiasticis & ciuilibus, 487. 488. Quam excruciet conscientiam, & si respuatur, quam exhiaret, 489. 490. Morbi patienter ferendi, non consulendi pro ijs tollendis magi vel saga, 494. Et magis cauendi magi qui sæpe vera prædicunt. 490. Ethnici notarunt fraudes in augurijs. 495. Sancti semper horruerunt omnia magica & superstitiosa, 496. Cur Deus permittat vt ab ijs prædicta eueniant, ægreq; sanent, 494. & 489. Varia superstit. species. 478.

Suspiciones.

Suspiciones cauendæ, & præueniendæ aliorum de nobis, 180.
Vide V. Iudicium temerar.

Susuratio.

Vide V. Detractio.

T

Temperantia.

Temperantiæ remedia, 87. 88 alimenta sicut medicamenta sumenda, secundum August. non ad voluptatem, sed ad necessitatem, 88. 115. lautitiei ciborum cauenda, 112. 113. tantum cibi vel potus sume, quantum ad vires corporis,

corporis satis est. 113. Etiam in vilibus cibis temperantia opus est, 114. Pro luxuria reputatū est, inquit Hier. Si monachus coctum aliquid comederet. 117. Saturitas fugienda, 115 570. Tempus edendi certum seruādum, 112. Modus ad frugalitatem veniendi, 116. 117. Exempla frugaliter viuentium. ib Conuiuia, in quibus est occasio excessus, cauenda, 88. Vilis mensa sanitatis mater, 570.

Tempus.

Temporis iactura non est facienda, 362. 367. Perit omne tempus, quod vitijs tribuitur. ibid. Stoici dixerunt omne tempus esse correctionis, ibid.

Tentatio.

Tentatio alia à Deo, alia à dæmone, 497. 498. Deus tentat, vt probet, dæmon vt decipiat, 499 A tentatione nemo immunis fuit, ne Christus quidem. ib. Probi magis ei obnoxij, quàm improbi. 500 Humana tentatio quæ, & quæ diabolica, 499. Tentationum vtilitates. 500. Vincitur statim resistendo illi. 502. Verbis Scripturæ. ibid. Oratione. 503. fiducia in Deum. 505. & crucis consignatione. 506.

Tepiditas.

Tepiditas spiritualis reprehenditur, 508. Eius signa in religiosis, 508 509. 510. Quam miserabilis tepidorum status. 512. Religiosi est semper proficere. 511. ad tepiditatem extirpandam valet secessio, & ad renouandum spiritum. 514.

Timor humanus.

Timor humanus reprehensus, 514. 515. Timor seruilis quis, & quis castus, 515. 516. 518. Seruilis vt curetur. 517. 518. Timoris mundani effectus. 516. Timor Domini est fundamentum salutis. 411.

Tribulationes.

Tribulationum expers nemo. 155. Nulla maior afflictione conscientiæ, ibid Nil infelicius eo, cui nihil accidit aduersi, ait Seneca. 154. 522. Eas pati est nota filiorum Dei, 153. 156. Propriæ sunt iustorum, 155. Qui non habet, nondum cœpit esse Christianus, teste Augustino, 156. Causa cur iustorum sit pati. 156. Est cibus solidus eorum. 54. Vtiles sunt ad salutem, 166 163 augent præmium in cœlo. 158. efficiunt hominem iustum beatum. 158. licet in Phalaridis tauro cremetur, ibid, Proprium est Christianorum in aduersis gratias agere, & exultare 212. 157. 522. Aperiunt oculos peccatori, & peccata extinguunt 157 Oratio iuuat ad fortiter eas ferendas, 53. Et sumptio Eucharistiæ, 160. Et pœnitentia, 161 Et præuisio earum, 160. 184 441. 522 556.

Tristitia.

Tristitia seculi reprehensa, 519 520. Est filia superbiæ. 520. Quam noxia & inutilis sit. 523. Est causa desperationis, 527. Nemo à dæmone læsi potest, si illa absit, 523. ob futura mala tristari ridiculum est 522. Moderata tristitia in morte carorum, &c. licita est. 520.

V

Vanitas mundi.

Vanitas mundi, idest, opum, honorum & voluptatum. 481. 482.

Veneficia.

Veneficia vetita, 485. 486. *& seq. Quæ peccata viam parent ad veneficia & Magiam*, 527. *Vna peccati fuga superantur.* 526. *Et pœnitentia.* 528. *Et aqua benedicta*, 530 531. *malefici verberibus cogi possunt, vt signa maleficij tollant*, 533. *Cuius sine peccato licet ea tollere. Et cur B. Hilarion noluerit tolli.* ibid.

Vestium luxus.

Vestium luxus reprehenditur, 535 537. *maximè autem fuci, & pigmenta*, 543 *Cur luxus detestandus*, 541. *Ornatus vestium est indicium deformitatis animorum.* 535. *Ob solam vanam gloriam quæritur* 535. *Aureæ & purpureæ vestes illis competunt, quibus nullum virtutis decus* 536. *Serica licia calceis non inserenda.* 544 *Ob luxum diuinitus puniti.* 540. *pag.* 540. *Exempla asperuantium luxum.* 538 *Vestitus modestia laudata*, 137. *Ornatus & sordes pari modo fugiendæ secundum Hieronymum.* 537.

Victoria sui.

Victoria suiipsius omnium maxima. 145. 567 *Imperare enim sibi, teste Seneca, maximum imperium est*, 146. *Exemplo est Dauid, Valentinianus Imperator. & Cato* 147. *Ad eam consequendam valet Examen conscientiæ.* 150.

Vinum.

Vini abstinentia laudatur. 89. *Vinum Virgini fugiendum vt venenum*, ibidem. *Abstinuere vino, Ionadab Rechabitarum parens, eiusq; liberi. Daniel, Ioannes Baptista, primi fideles in Ecclesia Alexandrina, plerique omnes eremitæ. Apud Romanos gentiles, etiam iuuenes vsq; ad annum ætatis trigesimum.* ibid.

Vindicatio iniuriæ.

Vindicta iniuriæ vetita. 545. 546. *Præceptum de non vindicando rationi naturali congruit, hoc ipso bonum, quod à Deo profectum*, 549. *Difficile quidem seruatu, sed magnum præmium seruanti positum.* 549. *Vtilitates huius præcepti*, 550. *Christi doctrina de eodem*, 546. 547. *Magni animi est iniurias despicere.* 547. *Irasci hominis est, ait Hieronym. iniuriam non facere Christiani*, 546. *Nihil aquè odit Deus ac vltionis cupidum.* 546. *Exempla tolerãtium maximas iniurias* 552. 553. *I. Cæsar, teste Cicerone, nil obliuiscebatur nisi iniurias.* 547. *Romani celebres facti, quod solerent parcere subiectis etiam post acceptas iniurias.* 551. *Puniti, qui ignoscere noluere.* 561.

Virgo sacra.

Virginem sacram decet silentiũ, & quid loqui debeat. 277. *Virgo mentiri scrilegum putet*, 307. *Serico & purpura indut. Christum induere nequeunt.* 536 *Virgo post votum nubens, habet damnationem, nec tam adultera est, quam incesta.* 561.

Virtus.

Virtus summa est, contemptibilem sereputare, post facta maxima miracula. 104. *Virtutes sunt occultandæ.* 107. *probantur aduersis.* 154. 155. *Internæ præstant externis.* 207. *collata cum voluptate carnis.* 572.

Visiones.

Vide V. Inspiratio diuina.

Vitia.

Vitia sæpe mentiuntur speciem virtutum. 97. *Turpiora sunt, quæ virtutum specie cælantur.* 463.

Voluntas propria.

Voluntas propria reprehenditur. 218. 561. *maximè in religiosis.* 562. *Quæ dicatur Voluntas propria.* 564. *Eius effectus pessimi qui.* 565. *Nihil Deus punit præter propriam voluntatem.* 560. *Cesset propria voluntas, ait Bernardus, & infernus non erit.* 565. *Christus eam sequi noluit.* 563. *Qui voluntatem superioris ad suam torquet, se seducit.* 222. *Melius est voluntatem superioris etiam in rebus piis sectari, quam suam.* 223. *Opera bona monachi non manent bona si ex propria voluntate fiant.* 565. *Non potest diu manere in cœnobio, qui eandem non vincit.* 366. *Voluntas propria est prima causa peccatorum in Adam & nobis.* 564. *Voluntas Dei quæsit, quam facere debemus.* 564.

Voluptas carnalis.

Voluptas carnis reprehensa. 556. *Est hamus diaboli ad perniciem nos trahens, mater peccati, æterni vermis nutrix, auaritiæ genitrix, vicina insaniæ, ex homine faciens porcum, similis dæmoniaco, fons omnium malorum.* 570. *Ethnici eam detestati vt pestem.* 572. *Eam vicisse victoria summa est.* 571. *Voluptuariorum infelix exitus.* 574. *Vitam delitiis deditam Chrysost. vocat meretricem turpissimam ib. Exempla voluptuariorum miserè per delicias pereuntium.* 575.

Voti violatio, & Apostasia.

Voti violatio reprehenditur. 578. 579. *Apostatæ mores. ibid. Qui votum Deo factum violat reus est æternæ damnationis, & ideo Monachus non potest monasterium deserere, nec virgo semel Deo consecrata nuptias inire.* 579. 580. *Si autem nubat, contra Christum lasciuit, nec tam adultera est, quam incesta* 580. *Arctior est cum Deo per vota coniunctio, quam inter coniuges per Matrimonii fœdera.* 581. *Quanto supplicio dignus, qui virginem sacram constuprarit. ibid. Monachus propositum rumpens Christum negat.* 582. *Violati voti deterrimi effectus.* 582. *Apostatæ indies fiunt deteriores.* 584. *Quam friuolas causas obtendant suæ apostasiæ. ib. Propter malos non esse deserendam societatem bonorum ibid. Votum castitatis non esse seruatu difficile* 585. *Si imploretur Dei auxilium. ib Exempla ob violata vota punitorum.* 587 *& ab apostasiam à cœnobio.* 588. *antidotum post lapsum est pœnitentia vera.* 589. *aliaq; multa.* 590. *Exempla apostatarum resipiscentium.* 591. 592.

Vsura.

Vsura vetita. 595. *Vsura ab vsu dicta.*

Ra græcè dicitur τόκος, id est partus. 596. Non pecunia tantum, sed etiam quicquid sorti accedit vsura est. 596. Pecunia vsuraria comparatur morsui aspidis & modico fermenti totam massam corrumpenti 597. Vsura, vel fœneratio, qua quis fœneratur Deo, licita est: Fœneratur autem Deo qui miseretur pauperis. 598. Describuntur callidi mores vsurariorum. ibid. & 599. Pericula accipientis mutuum ab Vsurario 599 Pericula item & damna Vsurarii. 600. Pœna iure Ecclesiastico in eos decreta 600. Exempla diuinitus punitorum 601. Vsurarij possunt aliunde viuere quam ex vsuris. 602. nec non mutuatarii. 603.

Laus Deo Deiparæq.
Virg. Mariæ.





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN